

2270

BIBLIOTECA CENTRAL DE LA RIOJA
EX-LIBRIS

A 1

c. R

D. HILARII PICTAVORVM EPISCOPI LVCVBRATIONES QVOTQVOT EXTANT

olim per Des. Erasmum Rot. haud mediocribus sudoribus emendatæ, nunc denuo uigilantissima cura recognitæ.

a authorem damnatum

Harum catalogum reperies uersa hac pagina.



R/3.145

BASILEAE IN OFFICINA FROBENIANA
ANNO M D XXXV.

Y. o fr. Fran.co de salcedo Calificador del S.to oficio Corregi este libro por comission de los S.res y requisidores conforme al expurgat.o del año de 612 en nagera á 2 de Agosto de 614 -

fr. Fran.co de salcedo

HAEC HABENTVR IN HOC VOLVMINE

Præfatio Des. Eraſmi Roterodami dedicatoria.
D. Hilarij Pictauorum epiſcopi De trinitate libri XII aduerſus Arianos & alios hæreticos perperam ſentientes de filio dei.
Eiuſdem aduerſus Conſtantium Auguſtum, Arianæ factionis fautorem Liber I
Eiuſdem ad eundem Liber I
Eiuſdem aduerſus Auxentium Mediolanenſem liber I
Auxentij epiſtola apologetica Arianæ factionis.
Eiuſdem de ſynodis diuerſis aduerſus Arianos habitis Liber I
Eiuſdem ad Apram filiam epiſtola, ſed notha.
Eiuſdem ad eandem hymnus, ſed nothus.
Eiuſdem commentarius in euangelium Matthæi.
Eiuſdem commentarij in pleroſque pſalmos.
Index copioſus eruditi cuiuſdam additus in omnes libros.

Additum erat nobis aliud agentibus, ſcriptum quoddam, hunc titulum præ ſe ferens, Hilarij de patris & filij unitate: mox comperimus id non eſſe nouum Hilarij opus, ſed rhapſodiam ſtudioſi cuiuſpiam, partim quidem è ſecundo De trinitate libro, ſed maxima ex parte è nono conſarcinatam, omiſſis & additis quæ libuit, ut ſatis appareat, eum quiſquis hoc auſus eſt, uoluiſſe lectori facere fucum. Attexuit appendicem De uarijs Chriſti cognominibus, ex autore neſcio quo. Nam phraſis plurimũ diſſonat ab Hilariana. Nos uel in hoc relinquendum duximus, quo perſpicuum fiat quid ſit titulis credere, nec ſine cauſa in præfatione deſtomachari Eraſmum in eos qui ſibi nihil non permittunt in celebrium uirorum monumentis.

AMPLISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO

D. IOANNI CARONDILETO ARCHIEPIscopo Panormitano, aulæ Cæsareæ apud Brabantos consiliario summo, Des. Erasmus Roterodamus S. D.



NISI prorsus inane nomen fatorum est, præsulum ornatissime, equidē arbitror hoc mihi prorsus in fatis esse, ut identidem in hoc genus labyrinthos reuoluar, unde molestiæ tædiq; sit plurimum, gloriæ quàm minimum. Etenim quantopere sudandū sit ei, qui uetustos autores temporum ac librariorum culpa, sed multo maxime sciolorum, & audaculorum temeritate, non uno modo deprauatos emendare conatur, ut nemo sentit, ita nemo credit, nisi qui periculum ipse fecerit. Verum illud mihi magni cuiusdam, & excelsi animi uidetur, publicitus benemereri de omnibus, uel citra spem redituræ ad benemerentem gratiæ: porrò excelsioris etiam animi est, planeq; regium, ut ait ille, male audire, quum bene feceris. Quod mihi iam toties usu uenisse ferrem iniquiore animo, nisi perspicerem idem, quum omnibus qui sua industria conati sunt insignem utilitatem adferre rebus mortaliū, tum ipsi diuo Hieronymo, quo uiro nihil habet orbis Latinus, uel doctius, uel sanctius, accidisse. Plurimum sudoris compereram in emendando Hieronymo, sed plus in Hilario: cuius talis est sermonis charácter, ut etiam si res per se dilucidas tractaret, tamen esset, & intellectu difficilis & deprauatu facilis. Nūc quid censes fuisse negocij, quum res non modo difficillimas, uerum etiam inexplicabiles, illa sua phrasi differit, uerius q̄ explicat? Et tamen uix in alium autorem plus sibi permisit eruditulorum temeritas: idq; potissimum in libris de trinitate & Synodis, in quibus quoniam tractantur periculosę de rebus diuinis difficultates, oportebat summam adhibere religionem, nec apicem ullum immutare. Siquidem ex collatis uarijs exemplaribus, deprehendimus alicubi librorum initijs additas præfatiunculas, rursus in fine coronides, in medio pannos assutos, alicubi, quod Hilarius suo more fuerat proloquutus, sciolum aliquem absolutius & euidētius conatum explicare. Nonnullis paginis uiginti aut triginta uersus erant assuti. Iam uero quoties incidebant loca, quæ uidebantur ab opinionibus inter orthodoxos receptis dissidere, plus quàm uiginti locis pharmacum admiscuerant, maxime quoties disputat de doloribus, aut cruciati-

Hilarius difficilis

Cōtaminatus Hilarius

bus,quibus affectũ fuit corpus & anima domini noſtri Ieſu Chriſti. Id fa-
cit,quum alijs aliquot locis,tum præcipue libro de trinitate decimo, ſed ita
perplexe,ut aliquoties planè uideatur Chriſto tribuere,corpus & animam
Mutata Hila- nullis obnoxiam moleſtis affectionibus. Ad id docendum,quum adhibe-
rij ſcriptura ret collationem, de telo aquam aut ignem ictu uiolento penetrante ſine
uulneris ſenſu, propterea quod corpus in quod fit impetus,non ſit capax
uulneris,etiam ſi teli natiua uis eſt,uulnus infligere, de ſuo parentheſin ad-
miſcuit quiſpiam, ſi tamen id apte comparabitur. Rurſum quum paulo
poſt ſubijceret:Habuerit ſanè illud domini corpus doloris noſtri naturam,
ſi corpus noſtrum id naturæ habet,ut calcet undas,& ſuper fluctus eat &c.
nimirũ ex hac diſſimilitudine colligens Ieſu corpus etiam in ſenſu doloris
noſtris corporibus fuiſſe diſſimile,ſic ab illis correcta fuerat ſcriptura. Ha-
buerit ſanè illud domini corpus(ex peccato) doloris noſtri naturam,ſi cor-
pus noſtrũ id naturæ habet,ut calcet ũdas(ſuapte natura,ſine mirabili adiu
torio dei) & ſup fluctus eat &c. Ac paulo inferius, quũ diuus Hilarius ſcrip
ſiſſet:Et homo ille de deo eſt,habẽs ad patiẽdũ quidẽ corpus,& paſſus eſt
ſed naturã non habẽs ad dolẽdũ. Sic erat correctus,hoc eſt deprauatus lo
cus:Et paſſus eſt,ſed(imbecillẽ ut noſtra ex peccato)naturã non habens ad
doſendũ. Aliquãto poſt,ubi ſcripſerat Hilarius: Fallit᷑ ergo humanæ exiſti
matiõis opinio,putãs hinc dolere ꝙ patiat᷑,ſic quod ſcriptũ erat emẽdarant,
Putans hinc (tanc᷒ in carne peccati)dolere,ꝙ patit᷑. Similiter in calce ſecũdi
libri quum hunc in modũ eſſet ſcriptum:Hic ergo ſpiritus ſãctus expeten-
dus eſt, promerendus eſt, ea deinceps præceptorum fide atc᷒ obſeruatio-
ne retinendus,intertexuerant,promerendus eſt,adorandus eſt. ueriti nimi-
rum, ne quis ſuſpicaretur illum ſenſiſſe ſpiritum ſanctum non eſſe adoran-
dum, quum multis modis doceat patrem & filium adorandum, de ſpiritu
nihil tale pronũtiet,uidelicet quia non incidit,aut quia nondum hoc id tem
poris erat exacte definitum. Mirum autem, quur ijdem non corruperint,
& huius operis finem,ubi conſtanter ſic ſcriptum eſt:Patrem ſcilicet te no-
ſtrum, filium tuum unà tecum adorem, & ſpiritum ſanctum tuum, qui ex
te per unigenitum filium eſt,promerear. Nam hic quoc᷒,quum pronunci-
et patrem & filium adorandum, ſpiritum ſanctum nihil aliud quàm pro-
merendum dicit. Hoc genus appendices, plus quàm triginta locis compe-
rimus additas in Hilario, tametſi nos exempli cauſa unum atc᷒ alterum
locum duntaxat in medium attulimus,ne moleſti ſimus lectori. Rurſus ad
miror non & illud eſſe correctum, quòd ſcribit ſpiritum ſanctum ex patre
eſſe per filium, ac non potius ab utroque proficiſci, imo in uno quodam
exemplari,id correctum comperi,per eum,mutato,in,cum eo. Quæ nam
eſt iſta temeritas in libris alienis, præſertim ueterũ, quorum memoria no-
bis ut eſſe debet, ſacroſancta eſt, quum ipſi abſint à periculo,quemuis ut-

cunc᷒

cunq; uiſum fuerit, radere, expungere, addere, demere, mutare, ſuppone/
re? An hoc agitur, ne quis putet, in ueterum libris eſſe quicq̃ erroris? At/ qui laterem, ut aiunt, lauerit, quiſquis iſthuc conetur. Hanc felicitatem de/ us ſolis diuinis uoluminibus peculiarem eſſe uoluit. Alioqui nemo quan/ tumuis eruditus & oculatus, non labitur, non cæcutit alicubi, uidelicet ut omnes ſe meminerint homines eſſe, & à nobis cum delectu, cum iudicio, ſimulq; cum uenia legantur, ut homines. Quòd ſi quid in his occurrerit, quod ſpeciem habet erroris, quum aliud ſenſerit qui ſcripſit, non erat con/ taminanda ſcriptura, ſed ſcholijs adiectis ſcrupulus amouendus, quod pleriſq; in locis conatur Petrus Lombardus, adducens ſimul & exponens ali/ quot locos de dolore ac metu Chriſti, libro ſententiarum tertio, diſt. xv. Non fert epigrammaticus ille poëta, eum qui uelit ingenioſus uideri in li/ bro alieno. Quis autem ferat iſtos, qui tantum ſibi ſumunt, ut ubiubi lubi/ tum fuerit, pro germana ſcriptura ſuos aſſuant pannos? Ciuilitatis eſt commode, quod ſcriptum eſt, interpretari. Cæterum mutare ſuo quenque arbitratu, quod ſcriptum eſt in ueterum libris, temeritas eſt, ne dicam impi etas. Et tamen hoc factum deprehendimus & in Ambroſianis libris, non uno in loco. Si mutata ſcriptura conſulendum eſt ſcriptoris periculo, hoc in recentiorum libris potius fieri conueniebat, quos antiquitas nondum ſtatuit extra iudiciorum aleam, nec mors adhuc ab inuidia uindicat. Nunc erga ueteres penè ſuperſtitioſe candidi, in horum libris, qui noſtra ſcri/ bunt ætate, quædam etiam recte ſcripta deprauamus, omnia incommo/ de interpretamur, quaſi talis interpres non reperturus ſit & in Paulinis epi ſtolis, quod ut erroneum, ut de hæreſi ſuſpectum, ut ſcandalodes, ut ir/ reuerentiale poſſit calumniari. Sed his interim omiſſis, præſtat ut de ſin/ gulis Hilarij operibus, iudicium noſtrum paucis aperiamus. Duodecim libros de Trinitate ſcripſit exul in Phrygia, quò relegatus erat factione Sa turnini cuiuſdam epiſcopi Arelatenſis, imperatore circumuento. Siqui/ dem Ariana factio, tam late radices egerat, ſic inualuerat, ut mundus ali/ quandiu nutaret anceps, utram in partem ſeſe inclinaret, præſertim quum per Conſtantium Auguſtum, exilijs, direptionibus, minis ac terroribus compellerentur accedere partibus Arianorum. Qua de re uelut indigna queritur apud Cęſarem Hilarius, ~~homines noue exemplo togi ad fidem, magis quàm perſuaderi largiens interim illud, quòd Arianorum fides eſſet ſyncera~~. Quin & ipſe locis aliquot teſtatur ſe diu ſiluiſſe, ~~uel quod in tanto mundi diſſidio nonnihil ambigeret etiam illius animus, uel~~ quia quum ſpes non eſſet, meliorem partem poſſe uincere, ſatius eſſe duceret, ſilentio conſulere quieti, quàm intempeſtiua audacia, publicum orbis ma/ lum non tollere, ſed exacerbare. Videtur autem tota ui adniſus, ut in hoc opere declararet atque exereret, quicquid ingenio, quicquid eloquentia,

Sola ſcriptura canonica caret omni errore

Cenſura de ſingulis operibus Hilarij

quicquid ſacrarum cognitione literarũ poſſet. Videmus enim hoc fermè, ut egregijs pictoribus ac ſtatuarijs, ita claris ſcriptoribus ſtudio eſſe, ut in uno quopiam opere, exactum aliquod & abſolutum artis ſuæ ſpecimen relinquant, unde poſteritas æſtimare ualeat, quid præſtare potuiſſent, ſi ſummis uiribus adniti uoluiſſent. Id affectaſſe uidetur Vergilius in opere Georgicõ, Ouidius in ſua Medea, M. Tullius in libris de Oratore, Auguſtinus in Ciuitate dei, Hieronymus in commentarijs quibus explicat prophetas, Thomas Aquinas in materia euchariſtiæ, Bernardus in Cantico. Magis autem ad hunc conatum extimulamur, ſi contingat argumentum, non ſolum amplum, ac magnificum, uerum etiam nouum, ac non perinde protritum. Siquidem operis amplitudo, præterquam quòd capax eſt magnificæ tractationis, etiam dignitatem ex ſe præbet, & nouitas addit gratiam. Veteres autem parciſſime de rebus diuinis philoſophabantur, neq; quicquam audebãt de his pronunciare, quod non eſſet aperte proditum his literis, quarum autoritas nobis eſt ſacroſancta. Sed huc primum perpulit Ioannem euangeliſtam, Cerinthianorum & Ebionitarum impia temeritas, ut arcana quædam de Chriſti diuina natura literis mandaret: poſt Arianorum curioſa ſubtilitas, ad maiorem neceſſitatem adegit orthodoxos, uidelicet ut de protenſione naturæ diuinæ, de ſupercreatione filij, de adoptione in nomen dei, tum autem, περὶ τοῦ ὁμουσίου, καὶ τοῦ ὁμοιουσίου magnis contentionibus differerent, ac denicq; definirent. Subinde neceſſitatem hanc deplorat ſanctiſſimus uir Hilarius, haud quaq; ignarus quàm periculi plenum ſit, quàm parum religioſum, de rebus ineffabilibus eloqui, incomprehenſibilia ſcrutari, de longe ſemotis à captu noſtro pronunciare. Sed in hoc pelagus longius etiam prouectus eſt diuus Auguſtinus, uidelicet felix hominis ingenium, quærendi uoluptate, uelut aura ſequundiore aliunde aliò proliciente. Moderatior eſt & Petrus Lombardus, qui ſententias alienas recitans, non temere de ſuo addit: aut ſi quid addit, timide proponit. Reſtandem uſq; ad impiam audaciam progreſſa eſt. Sed ueteribus ſit uenia, quam precantur, quos huc adegit neceſſitas, Nobis qua fronte ueniam poſcemus, qui de rebus longe ſemotiſſimis à noſtra natura, tot curioſas, ne dicam impias mouemus quæſtiones: tam multa definimus, quæ citra ſalutis diſpendium, uel ignorari poterant, uel in ambiguo relinqui? An non habiturus eſt conſortium cum patre & filio, & ſpiritu ſancto, qui nec ſecundum philoſophiæ rationem expedite, quid diſcernat patrem à filio, quid ab utroq; ſpiritũ ſanctum, quid interſit inter filij natiuitatem à patre, & ſpiritus proceſſionem? Si credo quod traditũ eſt, eſſe tres unius naturæ, quid opus eſt operoſa diſputatione? Si non credo, nullis humanis rationibus perſuadebitur. Atq; huiuſmodi periculoſa curioſitas, ferè nobis è philoſophiæ ſtudio nata eſt: id quod non uno in loco teſtatur ille inter Latinos

Religio pronunciandi de rebus diuinis

Recentiorum quorundam audax curioſitas

Latinos theologos multo omnium doctissimus Tertullianus, quanquam & ipse philosophiæ cum primis callens. Socrates Atheniensis, cuius est illud celebratum apophthegma: Quæ supra nos, nihil ad nos, philosophiam à contemplatione rerum naturalium, in mediam hominum uitam deduxit, frequenter usurpans illud Homericum: ὅττι τοὶ ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται. Et tamen de naturis syderum, de motu cœlestium orbium, de fulminibus, de uentis, de iride, de eis similibus rebus, quoniam ad id initia cognitionis suppeditant, uel sensus ipsi corporum, uel affectuum experientia, multa certo deprehenduntur, & in primis iucunda cognitio est, & in admirationem simul & amorem opificis subuehit: attamen quoniam uir sapiens animaduertit in huiusmodi studio totam ætatem homines desidere neglectis interim his quę propius ad nos pertinent, à contemplatione rerum naturalium omne studium ad mores deuocauit. At ea quæ nos scrutamur, quæ definimus, interdum nec sacris literis prodita sunt, ut si comprehendi non possint, certe credi debeant: nec ullis rationibus idoneis probari, nec cogitatione concipi, nec similibus adhibitis adumbrari, ut sunt, possunt. In quibus uestigandis, quum à felicissimis ingenijs summa ui diu desudatum fuerit, hic demum est extremus profectus, ut intelligant se nihil scire: & adeo ad uitæ pietatem nihil faciunt, ut nusquam magis habeat locum illud Pauli: Scientia inflat, charitas ædificat. Quod supercilium, quas contentiones, quos tumultus, quæ mundi dissidia uidemus ex huius generis inscita scientia scatere? Quumq; tam fugax sit uita nostra, interim ea negligimus, sine quibus nulla spes est cuiquam assequendæ salutis. Nisi condonaro fratri, quod in me peccauit, mihi non condonabit deus, quod in ipsum admisi. Nisi mundum cor habuero, non uidebo deum. Hoc igitur totis studijs agendum erat, hoc meditandum, hoc urgẽdum, ut liuore, ut inuidia, ut odio, ut superbia, ut auaricia, ut libidine purgem animũ. Non dãnaberis si nescias, utrum spiritus à patre & filio proficiscẽtis, unicum sit principium, an duo: sed non effugies exitium, nisi curaris interim habere fructus spiritus, qui sunt, charitas, gaudium, pax, patiẽtia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continẽtia, castitas. Ad hęc igitur uertenda est, huc intendenda præcipua studij nostri cura. Non quod in totum dãnandam existimẽ, uel philosophię in tres partes dissectę, uel rerũ ultramũdanarum uestigationem, modo adsit ingeniũ felix, & absit definiẽdi temeritas, absit pruritus, & concordiæ pestis, uincendi pertinax libido. Summa nostræ religionis pax est & unanimitas. Ea uix constare poterit, nisi de quàm potest paucissimis definiamus, & in multis liberum relinquamus suum cuiq; iudicium: propterea, quod ingens sit rerum plurimarum obscuritas: & hoc morbi ferè innatum sit hominum ingenijs, ut cedere nesciãt, simul atque res in contentionem

Gal. 5

uocata est, quæ postquam incaluit, hoc cuiq; uidetur ueríssimum, quod temere tuendum suscepérit. Atq; hac in re adeo modum nescíre quídam, ut postea quàm nihil non definierant de rebus diuinis, nouam etiam in his, qui nihil aliud sunt quàm homines, θεότητα commenti sint: quæ quidem plus quæstionum, & atrociores tumultus excitauit orbi, quàm olim Arianorũ temeritas. Sed pudet Rabinos quosdã alicubi non habére quod respondeant. Imò hoc demũ est eruditionis theologicæ, nihil ultra quàm sacris literis proditum est, definíre: uerum id quod proditum est, bona fide dispensare. Multa problemata nunc reiiciuntur ad synodum οἰκουμενικήν: multò magis conueniebat quæstiones eiusmodi in illud rejícere tempus, quum sublato speculo & ænigmate, uidebimus deum de facie. Sed hæc alicubi fortè tempestiuius dicentur, nunc ad id quod erat institutum, reuertor. Erat quidem hoc argumentum splendidum in primis, ac tali tuba dignum: erat nouum, quòd nisi fallor, Hilarius Latinorum primus, eloquentiæ suæ gladium strinxit in Arianos. Ea quoq; res illi plurimum famæ conciliauit, præcipue quod res esset cum hoste nobili. Nam non dubito, quin apud Græcos, præter Athanasium, plures idem fecérint. Sed hoc erat illius ætatis, præter sacras literas neminem nominatim citare, præsertim si quid hausíssent è Græcorum fontibus. Id enim ueluti suo iure sibi uindicabant. Alioqui mihi candidi pectoris uidetur, non dissimulare, per quos profeceris. Sic autem moderatur orationem in toto hoc opere, quasi suapte industria singula eruerit è sacris uoluminibus. Quanquam autẽ optasse tali ingenio, tali facũdię, tali pectori, feliciorẽ magisq; frugiferã materiã: tamen hinc quoq; non mediocris erit fructus lectori, q; pleraque loca, quæ multum habebant obscuritatis, apud Ioannem & Paulum explicet, mea sententia, non minus feliciter, quàm accurate. Porrò Hieronymus in epistola quadam ad Paulinum, de doctis censuram agens, Hilarium scribit Gallicano attolli cothurno, quum alioqui Græcorum flosculis ornatus incedat, frustraq; legi ab imperitioribus, quòd interdum longis periodis inuoluatur: quanquam ubiq; suum quoddam dicendi genus habet Hilarius, tamen in hoc opere præcipue uerum est, Rem enim ut est probabile, mutuatus à Græcis, addidit Gallicam grandiloquentiam, quum Græcis peculiaris sit erudita simplicitas, & oratio uenusta dilucidaq; magis arrideat, quàm grandis & operosa. Neque raro desidet in locis communibus: quod genus sunt, periculosissimum de rebus diuinis uerba facere. Deploratũ esse, cui pudor est in consilio, ut intellectũ etiam errorẽ pertinaciter tueatur, scripturã diuinam non esse detorquendã ad nostros affectus, sed nostram sententiã ad scripturę regulam emẽdandã. Frequẽter autem assurgit ad floridam quandã ac theatricam sublimitatẽ, præsertim quum incidunt loca, quę facile splẽdescunt tractata: ueluti de fabrica uniuersi

De potestate Romani pontificis

Opus de trinitate

Cothurnus Hilarij

Loci communes in Hilario

Floridus Hilarius

uniuersi, de natura corporum cœlestium, de concordi discordia elementorum, de scatebris fontium, de cursu amnium, de uicibus accessus ac recessus maris, de uarijs terræ fœtibus: neq; raro usq; ad tragica schemata attollitur prosopopeias & apostrophas, quibus uel hæreticos, uel deum ipsum alloquitur. Et haud scio, an hæc grandiloquentia Gallorum ingenijs sit peculiaris. Habet huiusmodi quiddam & Sulpitius Seuerus: habet & Eucherius etiam hoc elaboratior, sed cura feliciore, si quid tamen ego iudico. Nec degenerat ab hac phrasi Guilhelmus Budæus, uir inter huius æui scriptores celeberrimus: adeo sublimis, ut tubam sonare credas, non hominem: adeo feliciter elaboratus, ut eruditum lectorem nunq; satiet, triuiáliter literatos procul submoueat. Portò sermonis obscuritas, tametsi partim inde est, quòd frequenter orationem diuersis è membris contextam, uix tandem longo circuitu absoluit: tamen illud etiam officit orationis perspicuitati, quòd in argumento per se subtilitatibus inuoluto, laudem etiam affectauit argutiæ, nonnunq; & copiæ: quod idem in Asse fecit Budæus. Cæterum hoc incommodi fit leuius, si assueueris. Quemadmodum enim quosdam loquentes ægre intelligas, nisi sæpius audieris: & quemadmodum musicæ genus ob hoc ipsum minus delectat, quia nouum est, & insolens: ita quoniam suus cuiq; stilus est, fit assuetudine familiarior, ac proinde iucundior. Siquidem & Titus Liuius, quo non alius iucundior, ad primum gustum subausterus est. Id autem potissimum euenit in his autoribus, in quibus præter id quòd quisq; suum quendam habet gustum peculiarem, accedit cura, & subtilitatis affectatio. Quales mihi præcipue uidentur, inter oratores Quintilianus, inter poëtas Horatius. Apparet hoc sensisse diuum Hieronymum, qui in epistola ad Romanum oratorem, scribit hunc in modum: Hilarius meorum confessor temporum & episcopus, duodecim Quintiliani libros, & stilo imitatus est, & numero. Difficillimum est autem eum, qui uel artis præcepta tradit, uel de rebus natura subtilibus argumentatur, curam expoliendi sermonis cum perspicuitate coniungere. Quintilianus præter has difficultates, etiam breuitatem affectauit. Mihi uero ueterum dictionem uariam consideranti, uidetur uix ullos prouinciales feliciter reddidisse Romani sermonis simplicitatem, præter aliquot, qui Romæ â pueris sunt educati. Nam & Tertulliano, & Apuleio, suus quidam est character, & in decretis Afrorum, quæ multa refert Augustinus contra Petilianum & Cresconium, deprehendas anxiam affectationem eloquentiæ, sed sic, ut Afros agnoscas. Subobscurus ac submolestus est nonnunq; & Augustinus, nec omnino nihil Africum habet Cyprianus, cæteris licet candidior. Nec mirum si Gallus refert Gallicum quiddam, si Pœnus Punicum, quum in Liuio nonnullos offendat Patauinitas. Fere fit autem, ut maior sit affectatio in his qui linguæ cuiuspiam

Guilhelmus Budæus

Hilarius Quintiliani imitatus

municis

municipes sunt, quàm qui ciues: qui aduenæ, quàm qui indigenę. Nimirum hinc est, quòd anus illa Theophrastum hospitem appellasse legitur, ut nimium Attice loquentem. Quanq̃ mihi quidem uidetur diuo Hieronymo per ἀκυρολογίαν dictus imitatus, qui reddidit, aut expressit. Reddit enim aut exprimit parentem nata proles, potius quàm imitatur. Sed natura uerius in fœtu, nunc patrem, nunc matrem, nunc auum aut auiam, nunc materteram aut patruum imitatur. Ad hęc in imitando conatus est, in reddendo effectus. Nec semper reddimus quod imitamur, & nonnunq̃ imprudentes reddimus aliquid. Alioqui ut fortè non ineptũ sit æmulari stilum Quintiliani, ita superstitiosæ cuiusdam diligentiæ merito uideatur, præsertim in argumento dissimili, librorũ etiam numerum parem affectasse. Cæterum ut in copia dissimilis est Hilarius Quintiliano: nam rem eandem subinde alijs atq; alijs uerbis repetit & inculcat, ita in ordinis imitanda cura penè anxius est, nec parum temporis consumens in pollicendo quid dicturus sit, & in repetendo quid dixerit (qua quidem in re similior est Aristoteli, quàm Quintiliano) multum in reperiendis transitionibus, quibus inter se partes concinne contexat: multum in excusando, si quando per occasionem incidens attactum est, quod iuxta promissum ordinem alio loco tractari debuerat. Duobus nominibus refert Plinium: qui scripsit historiam mũdi: primũ præfatione tam elaborata: deinde, quòd primũ librum totius operis elenchũ esse uoluit, qui illi, ut apparet, postremo loco scriptus est. Atq; hactenus quidẽ De opere, cui titulus est, de Trinitate: cui succedit liber de Synodis, idem argumentũ aliter tractãs. Refert enim in quibus episcoporum conuentibus damnata sit hæresis Arianorum. Hunc scripsit ad Galliarum episcopos, gratulans illis quòd in tantis mundi tumultibus ab ariana factione temperassent. Hunc, ut ipse testatur, uertit è Græco, sed hac libertate, ut ubiq; neglectis uerbis sententiam modo reddat, & ubi locus inuitat, aliquid de suo admisceat: quam libertatem sibi permittit, & in psalmos scribens, quemadmodũ mox suo dicemus loco. Porrò quum hic recitet sententias synodicas, tamen defensionis periculũ deprecatur: non perinde, opinor, quòd illis quibus hæc scribebat, diffideret, aut quòd quædam non satis approbaret, sed religione quadam asseuerandi, quam nos paulatim sic dedidicimus, ut nihil pudeat. Sic enim ferè res mortaliũ à paruis initijs ad maiora proficiunt, donec in uiciũ usq; luxuriẽt. Diuus Hilarius in calce libri duodecimi, nihil audet de spiritu sancto pronunciare, nisi quòd spiritus dei est: nec hoc ausurus, nisi legisset apud Paulum: non audet creaturã dicere, quia nusquã legerit in sacris literis. Hæc professio non satis esset hoc seculo, quia plurimus docuit ueterum necessaria diligentia, sed citra necessitatem nos longius euehimur. Olim fides erat in uita magis quàm in articulorum professione. Mox necessitas admonuit, ut articuli prescriberentur, sed pauci, & aposto-

Quatenus Quintilianum referat

Liber de synodis

Ecclesia degenerans

[illegible] ſobrietatis. Deinde hæreticorum improbitas adegit ad exactio
rem diuinorum uoluminum excuſſionem, pertinacia compulit, ut quædam
ex autoritate ſynodorum definirentur. Tandem fidei ſymbolum in ſcriptis
potius q̃ in animis eſſe cœpit, ac pene tot erant fides, quot homines. Cre
uerunt articuli, ſed decreuit ſyncerĩtas, eſſe cœpit contentio, refrixit charitas.
Doctrina Chriſti, quæ prius ueſtebat ἀφελῶς, cœpit à philoſophiæ
preſidijs pendere, hic erat ut unus gradus eſſet ad deterrendos profanos.
Accreuerunt opes, ſed [illegible] uis. Porro admixta huic negocio Cæſarum au
toritas, non multum promouit fidei ſyncerĩtatem. Tandem res deducta eſt
ad ſophiſticas contentiones, articulorum myriades proruperunt. Hinc de
uentum eſt ad terrores ac minas. Quũcũq; uita nos deſtituat quum fides ſit
in ore magis quàm in animo, quum ſolida illa ſacrarum literarum cognitio
nos deſeruat, tamen terroribus huc adigimus homines, ut credãt, quod non
credunt, ut ament quod non amant, & intelligant quod non intelligunt.
Non poteſt eſſe ſyncerum, quod coactum eſt. nec Chriſto gratum eſt niſi
quod uoluntarium. Meminit huius operis diuus Hieronymus, in epiſtola
ad Florentium, hiſce uerbis: Et prolixum ualde librum de ſynodis ſancti
Hilarĩj, quem ei apud Treuiros manu mea ipſe deſcripſeram, ut mihi tranſ
feras peto. Iungitur huic liber, quem ſcripſit aduerſus Conſtantium Augu
ſtum, Arianæ factioni fauentem: ſed hic eſt, ni fallor, quem ſcripſit in eum
iam uita defunctum. Fortiter enim conuiciatur, quum cæteri ad eundem
duo, quorum alterum ſcripſit uiuo, alterum etiam porrexiſſe creditur, blan
dius loquantur. Meminit huius rei diuus Hieronymus in catalogo: Eſt
eius, inquit, & ad Conſtantium libellus, quem uiuent i Conſtantinopoli
porrexerat. Eſt alius in Conſtantium, quem poſt mortem eius ſcripſit. Ha
ctenus Hieronymus. Quod autem durius ſcripſit in mortuum, pietati da
tum eſt: quod blandius egit cum uiuo, Chriſtianæ prudentiæ fuit: quæ ma
uult mederi malo, ſi liceat, quàm exacerbare. Sed horum librorum mihi
nullus uidetur haberi perfectus. Quum enim exactum quiddam & opero
ſum polliceantur, non præſtant id quod pollicentur, ſed ueluti ſubito obti
ceſcunt. Ob affinitatem materiæ iungitur his epiſtola, quam ſcripſit aduer
ſus Auxentium, quem Mediolani de Arianę hęreſeos conſortio reum per
egit: Auxentĩj epiſtola ſubnectitur, qua ſe purgat, Valentiniano & Valen
ti Auguſtis. In his euoluendis, illud obiter ſubĩjt animum meum, fortaſſe
non defuturos, qui mirentur, q̃ quũ tot libris, tanto ſtudio, tantoq; molimi
ne, tot argumentis, tot ſententĩjs, tot anathematis agatur, ut credamus fili
lium eſſe uerum deum eiuſdẽ eſſentiæ: ſiue ut aliquoties loquitur Hilarius,
eiuſdem generis, aut naturæ cum patre, quod Græci uocant ὁμόσιον, poten
tia, ſapientia bonitate, æternitate, immortalitate, cæteriſq; rebus omnibus
parem: de ſpiritu ſancto interim uix ulla fiat mẽtio: cum tota controuerſia
de cogno/

Liber aduerſus Conſtantium

Aduerſus Auxentium epiſtola

de cognomine ueri dei, de cognomine homusij, de æqualitate, non minus pertineat ad spiritum, quàm ad filium. Imò nusquam scribit adorandum spiritum sanctum, nusquam tribuit dei uocabulum, nisi quod uno aut altero loco in Synodis refert improbatos eos, qui patrem, filiũ, & spiritum sanctum auderent dicere tres deos: siue quia putarit tum magis patrocinandum filio, cuius humana natura faciebat, ut difficilius persuaderetur deum esse, qui idem esset homo: & hunc Ariani diuinitate spoliare tentabant, quum de spiritu sancto nondum esset agitata quæstio: siue hæc ueterum religio fuit, ut licet deum pie uenerarentur, nihil tamen de eo pronunciare auderent, quod non esset aperte traditum in sacris uoluminibus. In quibus ut aliquoties filio tribuitur dei cognomen, ita spiritui sancto nusquam aperte: etiam si post orthodoxorũ pia curiositas, idoneis argumentis comperit è sacris literis, in spiritum sanctum competere, quicquid filio tribuebatur, excepta personarum proprietate: sed ob imperuestigabilem rerum diuinarum obscuritatem in nominibus tribuendis erat religio: de re diuina nefas esse ducebant alijs uerbis loqui, quàm sacræ literæ loquerentur, & publica ecclesiæ traderet autoritas. Spiritum sanctum legerant, spiritum dei legerant, spiritum Christi legerant. Didicerãt ex Euãgelio, spiritum sanctũ non seiungi à patre & filio. Docentur enim apostoli baptizare in nomine patris & filij, & spiritus sancti. Seruant trium personarum consortium solemnes illæ preculæ, ex antiquissimo ecclesiæ ritu nobis relictæ, breues iuxta ac doctæ, in quibus pater rogatur per filium, in unitate spiritus sancti. Pater frequẽtissime deus uocatur, filius aliquoties, spiritus sanctus exerte nunquam. Atque hæc dixerim, non ut in dubium uocem, quod nobis è diuinis literis patrum orthodoxorum tradidit autoritas, sed ut ostendam, quanta fuerit antiquis religio pronunciandi de rebus diuinis, quum sanctius etiam eas colerent, quàm nos, qui huc audaciæ prorupimus, ut non uereamur filio præscribere, quibus modis debuerit honorare matrem suam. Audemus spiritum sanctum appellare deum uerum, ex patre filioq; procedentem, quod ueteres aliquandiu non uidentur ausi, sed ijdem non ueremur illum subinde nostris sceleribus ex animi nostri templo deturbare, perinde quasi crederemus spiritum sanctũ nihil aliud esse quàm inane nomen. Quemadmodum plerique ueterum, qui summa pietate colebant filium, tamen homusion dicere uerebantur, quod ea uox nusquam in sacris literis haberetur. Adeo prior fuit ecclesię profectus in puritate uitę, quàm in exacta cognitione diuinitatis, nec unquam plus accepit dispendij, quam quum in eruditione philosophica, demum & in opibus huius mundi quàm maxime promouisse uidebatur: non quòd per se malę sint opes, sed quòd plerumque inuoluant hominem curis huius mundi. Nec per se mala est eruditio, sed plerunq; gignit factiones ac dissidia. Prætexitur fidei catholicæ

defensio

uere fuerimus gloriosi, si nos ex nobis nihil essemus, sed Christus esset omnia in omnibus. De paucis interim loquor, qui dum immodice student homini suam asserere dignitatem, non satis consuluerunt dignitati Christi, cui soli debetur omnis dignitas. In his quum sibi ignoscant Meuij, tam feroces, tam immites, tam iniqui sunt aduersus alios. Quod illic iudiciũ esse potest, ubi tam impotens est odium? Semper quidem uentilandus est gladius sermonis euãgelici aduersus omnes errores impios, & omni, quod aiunt, pede standum aduersus hæreses suppullulantes: sed illam oportet primam esse curam, ne reperiatur in nobis, quod in alijs insectamur: deinde, ne corrupti priuatis affectibus, quod bonum est, dicamus malum: quod dulce, amarũ: quod lucidum, tenebrosum. Est enim hoc pertinaciæ plerisq; mortalium ingenijs insitum, ut quod semel, quocũq; casu pronunciauerint, nunquam tueri desinant, etiamsi compererint sese perperam pronunciasse. Primum pudor obstat, is per contentionem proficit in peruicaciam, peruicacia tandem exit in rabiem: ita fit, ut dum utrinq; crudescit pugna, utrinq; ueritas amittatur. Schismaticus error dicitur, si quis pontifici Romano nonnihil detrahat autoritatis. Cæterum quur nemo cõmouetur, quum huic quidam plus uenio tribuunt, insigniter impudentes, & turpiter adulantes? Si displicet falsitas, quur non ubiq; displicet? Deniq; quur asseuerans uirginem matrem immunem à peccato originis, apud Dominicales hæreticus est, apud Scotistas orthodoxus? An non hæc palàm testãtur corruptum iudicium? An istud est sermonem diuinum ὀρθοτομεῖν; nam uerbo Paulino libenter utimur. Sit igitur purus ac simplex eius oculus, qui parat ex oculo fratris festucam eijcere, semperq; nobis ob oculos uersetur illius lenitas, qui quum solus omniũ uacaret omni errore, tamen non extinguit linum fumigans, nec baculũ fractum comminuit. Sed hæc quoq; tempestiuius alias differentur. Proximus his locus habet commentarios in Matthæum, sic enim appellat Hieronymus, alij canonem appellare maluerũt, ob id, opinor, quod carptim titulos aliquot exponat. Nec dubito quin hoc opus uerterit ex Origene, adeo per omnia sapit Origenis & ingenium & phrasim. Quum enim illic multa præclara doceat, quæ plane clamitant autorem ad unguem absolutũ in diuinis literis, tamen aliquoties in allegorijs superstitiosior est, interim & uiolẽtior, nimium in hoc intentus, ut destruat historicum sensum, quasi locus non sit allegoriæ, illo incolumi. Nonnũquam in connectendo (nam & in hoc occupatus est) uidetur aliquoties ingenio lusisse potius q̃ rem seriam tractasse. Videmus autem inter innumeras dotes, hoc uitij Origeni ferè in omnibus scriptis esse peculiare, qui uir utinam haberet multos cæterarum uirtutũ suarum æmulos, ut hac in parte quosdã habuit etiam Latinos sectatores. Porrò commẽtarios quos ædidit in Psalmos, Hieronymus admonet ex Origenis commentarijs imitatos esse uerius q̃ uersos, præsertim quum ipse non-

Commentarij in Matthæum

Commentarij in Psalmos

nulla de ſuo addiderit. Ea quæ ſint, prudens lector non difficile deprehendet. Sunt enim fermè ex his, quæ tot libris diſſeruerat aduerſus Arianos. Quod autem ipſe nuſquam indicat quem ſit ſequutus, non opinor ideo factum, ut diſſimularet per quem profeciſſet, ſed ut Origenici nominis inuidiam uitaret. Quod idem ubique facit Ambroſius. Meminit huius operis Hieronymus in præfatione ſecundi libri in Micheam citans Hilarium, qui quadraginta fermè uerſuum milia ex Origene uerterit in Pſalmos ad ſenſum. Mirum autem quo conſilio pſalmos aliquot ſibi ſumpſerit interpretandos, prætermiſſis reliquis, niſi fortè quia non contigit plenum opus Origenis nanciſci. Scripſit autem, quemadmodum recenſet Hieronymus, in pſalmum primum & ſecundum, dein à quinquageſimoprimo uſq; ad ſexageſimumſecundum, & rurſus à centeſimo decimooctauo uſq; ad extremum. Atqui nos plus habemus, quàm recenſet Hieronymus, uidelicet præter duos primos, à pſalmo quinquageſimoprimo uſq; ad ſexageſimumnonum, rurſus à centeſimo decimooctauo uſq; ad finẽ, niſi quod ultima pars abeſſe uidetur in exẽplaribus, extrema (ut ſuſpicor) pagina, in manu deſcriptis codicibus, uel reuulſa, uel detrita: quæ ferè perire ſolet non aliter quàm (quod eſt in prouerbio) extrema faba. Ex quibus illud colligitur, quod in Pſalmos ſcripſerat Hilarius, non totum perueniſſe ad Hieronymum. Nam catalogũ de claris ſcriptoribus ædidit, Hilario mortuo, ne quis cauſari poſſit, Hilarium addidiſſe quædam operi, poſt æditum Hieronymo catalogũ. Atq; in his teſtatur ſeſe ex nonnullis accepiſſe, quod ſcripſiſſet commentaria in Canticumcanticorum: uerum negat hoc opus ſibi conſpectum fuiſſe.

Opera quæ interciderunt

Nobis plura etiam interciderunt, uidelicet epiſtolæ quas ſcripſit ad diuerſos. Item liber hymnorum. Nam epiſtola quæ ſupereſt ad Apram filiam, nihil habet Hilarij, hymnus multo minus, in quo ne carminis quidem ratio conſtat, quum Hieronymus alicubi teſtetur illum carmẽ ſcripſiſſe. Nos tamen utrũq; addidimus, ne gũſtus deeſſet, ſi quis fortè uellet de his rebus iudicare. Declarat hoc phraſis & cõpoſitio ſermonis Hilariani, in carmine non infelicem fuiſſe. Et fortaſſis aliquot hymni, quos hodie canit eccleſia, non indoctos, ſed incerti autoris, illius ſunt: ueluti hymnus de ligno crucis, cuius initium, Crux fidelis: de Ioanne Baptiſta, cuius initium, Vt queant laxis. Deſideramus & commentarios in Iob, quos, ut indicat ibidem Hieronymus, ex Origene uertit ad ſenſum. Et extat quidem inter Origenis reliquias liber Iob enarrator, cuius phraſis nihil habet affine cũ Hilariano charactere. Quin & præfatio teſtatur, idem opus ab alijs nonnullis fuiſſe uerſum, ſed neq; bona fide, neq; doctè, dum ex bene Græcis reddũt male Latina, quum ipſe qui hęc præfatur, re ipſa declaret ſe fuiſſe hominem, qui nec Latine ſciret, nec ingenio aut eruditione ualeret, ſed qui tanto plus haberet arrogãtiæ, quãto minus habebat peritiæ. Deſideramus & eum librũ, quem

ſcripſit

ſcripſit aduerſus Saluſtium præfectum, ſiue contra Dioſcorum medicum, in quo uidetur omnes ingenij facundiæq; uires exeruiſſe. Declarat id diuus Hieronymus, in epiſtola ad Magnũ oratorẽ: Breui, inqt, libello, quem ſcripſit contra Dioſcorum medicum, quid in literis poſſet, oſtendit. Deſideratur & liber aduerſus Valentem & Vrſatium, hiſtoriam Ariminenſis & Seleucienſis ſynodi acta continens, niſi fortè hic Synodorum libro admixtus eſt. Atq; hactenus quidem de ſingulis eius uiri lucubrationibus attigiſſe ſatis eſt. Nunc in genere de laudatiſſimi uiri dotibus pauca libabimus. Ac primum de uitæ ſanctimonia, quid attinet dicere, quum autoritas eccleſiaſtica iam olim eum diuorum catalogo aſſcripſerit? Quanquam alioqui & omnes uiri libri mirum quendam pietatis ardorem ſpirant. Quanta uero fuerit nominis illius autoritas, uel hinc licet conijcere, quod diuus Hieronymus, qui penè contempſit Auguſtinum, nec ita multum tribuit Ambroſio, toties tanta cum ueneratione citat Hilarium, alibi uocans eum orbis Deucalionẽ, alibi Latini ſermonis tubam, alibi Latinę eloquentię Rhodanum appellans: nec uno in loco aduerſus calumniantes, quod ipſe Origenicis uteretur, huius exemplum ueluti clypeum obijcit, cui pleniſſimum teſtimonium reddit in epiſtola quadam ad Marcellam: Tantum, inquit, uirum, & temporibus ſuis diſertiſſimum, reprehendere non audeo: qui & confeſſionis ſuæ merito, & uitæ induſtria, & eloquentiæ claritate, ubicunq; Romanum nomen eſt, prædicatur. Quid hoc elogio plenius? Nec minus honorifice meminit eius, in cõmentarijs, quibus enarrat Eſaiam: Sanctus, inquiẽs, & eloquentiſſimus martyr Cyprianus, & noſtri temporis confeſſor Hilarius, nónne tibi uidẽtur excelſæ quondam in ſeculo arbores ædificaſſe eccleſiã dei? Quin & diuus Aurelius Auguſtinus, non ſine præfatione honoris autoritatẽ Hilarij citat, in libris de Trinitate. Cęterum Hebræi ſermonis prorſus rudis fuit Hilarius, unde ſi quid ex his attigit, aut ex Origenis hauſit fontibus, aut parum feliciter attigit: ſiquidem enarrans pſalmum quempiam, admonet Breſith rectius uerti in filio, quàm in principio: quemadmodum refert Hieronymus in annotationibus, quas ſcripſit de traditionibus Hebræorum in Geneſim, quum reclamet ſeptuaginta interpretum autoritas: ad hæc Symmachi ac Theodotionis, qui magno conſenſu uerterũt ἐν ἀρχῇ, reclamet & ipſa ſermonis Hebręi ſcriptura, quę Breſith habet, quod Aquila interpretatur ἐν κεφαλίδι, id eſt, in capitulo, non Baben, quod interpretatur in filio. Dicitur autem & caput initiũ cuiuſq; rei. Qua quidem in re, non iniuria quis deſideret in Hilario conſtantiam, qui quum non uno in loco mire prædicet ſeptuaginta translatorum autoritatem, à qua nefas putat latum, ut aiunt, unguem diſcedere, in hac uoce non dubitauerit diſſentire. Suſpicor autem locũ quem notat Hieronymus, eſſe in commentario quo enarrat pſalmum ſecundum. Nam illic obiter anno-

Laudes Hilarij

Hil. Hebraicę ſermonis rudis

tat Breſith Hebręis ſonare tria, in principio, in capite, & in filio. Quumque uox ea uarie reddita ſit ab interpretibus, ille putat ab autoritate ſeptuaginta non eſſe recedendum. Sed inſignius etiam lapſus eſt in Oſanna, quam uocem in commentariolo, quem ſcripſit in Matthæum, ſic docet Hebræis ſonare: Sanctificatio domus Dauid, quum nihil ſit in hac dictione, quod ullam habeat affinitatem cum hoc interpretamento. ſiquidem Hebræis redemptio dicitur Pheduth, domus Beth. Porrò Dauidem quum ſit eadem uox Latinis, Græcis, & Hebræis, hic non eſſe inſertum, per ſe liquet omnibus, quemadmodum alicubi docet Hieronymus. Porrò Græcas literas tenuiter attigerat, ſi quidem Hieronymo credimus: cuius uerba ſuper hac re ſubſcribam ex epiſtola quadam ad Marcellam, qua explanat pſalmum centeſimum uiceſimum ſextum: Niſi, inquit, quod non eius culpę aſſcribēdum eſt, qui Hebræi ſermonis ignarus fuit, Græcarum quoq; literarum quandam aurulam ceperat, ſed Heliodori presbyteri, quo ille familiariter uſus eſt: ex quo ea quę intelligere non poterat, quomodo eſſent ab Origene dicta quærebat. Qui quoniam in hoc pſalmo commentarium Origenis inuenire non potuit, opinionem magis inſinuare ſuam, quàm inſcitiam uoluit confiteri: quam ille ſumptam claro ſermone diſſeruit, & alienum errorem diſertius exequutus eſt. Hactenus Hieronymi uerba recenſuimus, in quibus dum ſedulo patrocinatur Hilario, ſatis odioſe tractat Heliodorum, præſertim quum id quod adfert, nihil aliud ſit quàm diuinatio. Sed ut obiter hic patrocinemur Hilario, mihi non fit ueriſimile, uirum tantum uſque adeo fuiſſe credulum, ut in enarrandis diuinis literis totus pependerit ex alieno iudicio: nec adeo rudem Græcæ literaturæ, ut non potuerit ipſe ſenſum deprehendere, præſertim in Origene, cuius ſermo mite perſpicuus eſt: id quod facile coniectari poteſt ex his quæ Latine uerſa ſuperſunt. Quanquam non ſatis uideo, quid hic uſq; adeo diuum Hieronymum offenderit. Nam quod adfert uarias ueterum interpretationes ex Hebræo, nihil ad Hilarium pertinet, qui ſemper ex profeſſo ſequitur ſeptuaginta uerſionem, qui hoc loco tranſtulerunt ἐκτετιναγμένῳ. Cæterum quod ait Hilarium interpretatum filios excuſſorū, apoſtolos, quod iuſſi ſint pedum puluerem excutere in eos, qui non recepiſſent Euangelium, ſi quis attentius legerit commentariū Hilarij in pſalmū: Niſi dominus ædificauerit domum, comperiet aliquanto ſecus habere. Nam, mea ſententia, uocat apoſtolos ac prophetas excuſſorum, hoc eſt, impiorum filios, qui ſua culpa reiecti ſint à deo, & excuſſi in execrationem, ob pertinacem incredulitatem. Cæterum quod obiter duobus uerbis meminit de puluere pedum excuſſo, non huc pertinet, ut apoſtoli dicantur excuſſi, ſed ut puluis excuſſus in incredulos Iudæos, ſignificet ipſos ob pertinaciter reiectam Euangelij gratiam excuſſos in reprobam mentem: id quod clarius etiam explicat commentarius in

Hil. græce parum callens

Hilarius defenſus aduerſus Hieronymum.

Matthęū

Matthæum: Et ſigno, inquit, pulueris pedibus excuſſi æterna maledictio relinquatur. Referrem & ex pſalmis ipſius Hilarij uerba, niſi longum eſſet ac moleſtum lectori, præſertim in præfatione. Proinde res ipſa loquitur hic Hieronymum, aut memoria lapſum eſſe, aut Hilarij commentarium parum attente legiſſe. Iam quod probat Hieronymus Marcellæ commẽtum, quæ ſcripſerit apoſtolos fuiſſe filios excutientium potius, quàm excuſſorum, equidem non uideo quid ſibi uelit, niſi fortè quemadmodum Græci dicunt ἰατρῶν παῖδες, id eſt, medicorum filij, pro medicis, ita dicti ſunt apoſtoli excuſſorum filij, pro excuſſis: alioqui ſucceſſores apoſtolorum potius uocandi erant excuſſorum filij, ſi recte nomine excuſſoribus intelliguntur apoſtoli. Nec abſurdum eſt tamen excuſſos dici, qui ſe excuſſerint, quemadmodum loti dicuntur, qui ſe lauerint: & cœnati, qui cœnauerint. Sic enim dicitur & puluis excuſſus, & homo ſeu pes excuſſus, quemadmodum dicitur aſperſa labes homini, & homo labe aſperſus. Hæc obiter attingere uiſum eſt, non in hoc tantum ut patrociner Hilario, uerum etiam ut intelligamus olim non fuiſſe religionem ſanctiſſimis uiris, à quamlibet magnis autoribus diſſentire. Prẽterea ſummos etiam uiros aliquoties dormitare, quemadmodum hic dormitauit Hieronymus in taxando Hilario. Amicus uterq; ſed omnibus amicior eſſe debet ueritas. Nũc ad illud quod inſtitueramus ſeſe recipiat oratio. Quanquam facile crediderim illum non ad plenum ſciſſe Græcas literas. Etenim quod ad orationis concinnitatem attinet, felicior eſt in his quæ ex ſeſe, ſuoq;, quod aiunt, Marte ſcribit, quàm in his quæ uertit, quum in his quæ uertit, denſior ac ſanior ſit in ſententijs: idq; ſuſpicor in cauſa fuiſſe, ne quid ſuſciperet uertendum, niſi cum hac libertate, ut ſuo arbitratu redderet ſenſum, omiſſis etiam aut additis quæ uidentur. Nam id tutius ſemiperitis eius ſermonis unde tranſferunt. Sumpſit idem iuris ſibi Pogius in uertendo Diodoro Siculo: ſumpſit ſibi Ruffinus in uertendis penè ſingulis quæ tranſtulit, præſertim in libris Origenis, & Euſebij Cæſarienſis hiſtoria. Verum hæc non eſt libertas interpretis, ſed licentia potius contaminantis aliena ſcripta. Quanquam Hilarius nuſquam interpretem profitetur, præterquam in Synodis, nihilo magis quàm Ambroſius, qui ſua ferè hauſit ex Origenis lucubrationibus. Mihi lapſus uidetur ex occaſione Græci ſermonis, quum diſtribuens ſuam cuiq; perſonę proprietatem, ęternitatem aſſignat patri, imaginem filio, uſum ſpiritui ſancto. Fortaſſe Græce legit, τὸ χρηστὸν, ſiue χρηστότητα, atq; ea dictio Græcis dicta eſt ἀπὸ τοῦ χρᾶσθαι, hoc eſt ab utendo: unde & εὔχρηστος dicitur comis & commodus ad uitæ conſuetudinem: ἄχρηστος inutilis. Cæterum χρηστὸν, ſiue, χρηστότης Græcis non tam ſonat uſum ſiue utilitatem, quàm bonitatem, comitatem, ſuauitatem, ſiue, ut frequenter uertunt, benignitatem. Potentia patri tribuitur, ſapientia filio, bonitas

Vertendi licentia

Quo ſenſu uſũ tribuerit ſpiritui ſancto

ſpiritui ſancto. Quem locum citat Auguſtinus in opere de trinitate nonnihil laborans in exponendo quid ſibi uelit nomen uſus. Cæterum utcunq; hoc habet, quum diuus Hilarius non admodũ Greçe calluerit, tamen operę precium eſt uidere in pſalmis, quàm anxie philoſophetur in dictionibus Græcis, nunc proprietatẽ & emphaſim diligenter indicans, nunc quiritans, à Latino interprete non ſatis commode redditam Græci ſermonis ſententiam, nunc amphibologiam amouens ex uerbis Latinis, Græci ſermonis præſidio. Et ubi ſunt interim iſti, qui negant in literis ſacris ullum eſſe uſum Græcarum literarum? Vbi ſunt iſti Cameli uerius quàm homines, qui blaterant ex Græcis literis nihil aliud oriri quàm hæreſes? Et quum hæc uociferentur in publicis concionibus, mirantur ſi quibus uidentur elleboro egere. Quin & translatio qua utitur, diuerſa eſt ab hac, quæ nunc uulgo recepta eſt. Porrò quum Cypriano ſua ſit translatio, quum Auguſtino ſua, quum Ambroſio ſua, quum Hilario ſua, quum Tertulliano ſua, ab omnibus diuerſa, ſatis apparet olim nullam fuiſſe communem omniũ. Minutiora fortaſſe uidebuntur, quàm ut ſint indicanda, uoces quaſdam & orationes eſſe huic peculiares, præter publicam conſuetudinem Latine loquentium. Nam his pronominibus, ſui & ſuus, durius ſubinde utitur, Item tecum, & cum illis, uſurpat pro eo quod erat, iuxta tuam, iuxta illorum opinionem. Nam intimare pro ſignificare, reperitur & apud alios, ſed recentiores. Diſproficit aliquoties uſurpat pro degenerat, ſiue in peius proficit. Zabolus pro diabolo, non apud hunc tantum inuenitur, & ex antiquitate ductũ uideri poteſt: quę non ſolum in dictionibus compoſitis, uerum etiam extra cõpoſitionẽ ζὰ uſurpabat pro διὰ. Græcas aliquot, aut Hebraicas uoces uſurpat nonnunq; iuxta Latinam inflexionem, nonnunquam iuxta Græcam. Rheumam alicubi dicit pro rheumate, quaſi dicas, rheuma rheumæ, ut muſa muſæ. Paſcham alicubi dicit & mannam. Rurſus alicubi dicit diapſalmã & diapſalmæ, aliàs diapſalma & diapſalmatis. Eſt ubi manifeſtarium deprehendas ſolœciſmũ, ſed quales ſolent nonnunq; & eruditiſſimis obrepere, adeo ut & in Ciceronis libris unũ atq; alterum deprehendas, ne quis continuo mẽdum eſſe ſuſpicetur, & raſuram paret, Referrem aliquot exempla, niſi ſuis locis annotaſſem in ſpatio marginali, quanquam & alioqui non difficile cuiuis fuerit ex elencho reperire. Enarrans pſalmum centeſimum uiceſimumquartum, ſcribit hunc in modum: Poſtq; conuerſio fit prophetę retributionem à domino ei qui ab iniquitate manus abſtinuerit imprecantis: Bene fac domine bonis & rectis corde, probitatem & uoluntatis, & facti in utroq; ſignificans. Sic enim ſubiecit ſignificans, quaſi præceſſiſſet: Poſtq; conuerſus propheta, retributionẽ imprecatur &c. Et huius generis ſunt fermè cæteri: ſiue hoc accidit humano lapſu, quales deprehẽduntur & in Cicerone: ſiue à Græcis imitatus eſt, qui ſic paternum

Voces Hilario peculiares

Solœcismi in Hilario

caſum

caſum ponunt abſolute,quemadmodum nos ablatiuum & rectum caſum uſurpamus interdū loco paterni. Hoc uitium quod ἀναπόδοτον Græci uocant,potiſſimum accidit his,qui longo circuitu uix tandem abſoluunt oratione,quiq; magis circa rem,quàm circa uerba ſunt intenti. Quod genus, ſi quis dicat: non licuit ad te ſcribere: poſt multis in medio interiectis,tandem ſubiiciat,uariis negocijs occupatus: quaſi præceſſiſſet,non potui ad te ſcribere. Hoc à ueteribus factum nos citra culpam imitamur,dicentes: Non ſum id neſcius: Quoties ei diei mihi uenit in mentem: Id anus mihi indicium fecit. Perinde quaſi pro Neſcius ſum,dixiſſes Neſcio: pro Venit in mentem,Recordor: pro Indicium fecit,Indicauit. Similis locus eſt,ſed hoc euidentior, in enarratione pſalmi centeſimi quadrageſimiprimi: Corpus enim quod cruci affixerant contuentes,poteſtatem animæ,quæ ſe ſignis & factis deum probauerat,nemo quærebat. Hic rurſus,contuentes, poſitum eſt pro eo quod erat,dum contuentur. Atque hæc exempli gratia retuliſſe ſuffecerit. Sed næ ego inſigniter impudens,qui lectorem auidum, tam loquaci præfatione remorer à lectione diuini operis. Deſinam igitur,ſi prius unum illud abs te petiero, Præſulum optime, ut hoc quicquid eſt laboris, tuo dicatum nomini,mei erga te ſtudij pignus ac monumentum eſſe uelis. Quid præſtiterimus,aliorum eſto iudicium. Certe magnis ſudoribus adnixi ſumus,ut Hilarius,unicum illud Galliarum lumen,aliquanto caſtigatior ac nitidior exiret in manus hominum. Prodibit autem & gratioſior,ſi tuus acceſſerit fauor,cuius prima eſt apud omnes autoritas,cuius integra ſyncera q; iudicia,nulli non perſpecta ſunt. Nimirum reſpondes egregiæ Caron dileticæ gentis indoli,cuius felix fœcunditas,nobis præter eximium illum Burgundiæ cancellarium,multos dedit,quorum ego quinque noui,uiros non minus humanos quàm integros,omniq; genere ornamentorum cumulatos. Vides igitur quid uener, nimirum ut ex Carondiletici nominis ſplendore,nonnihil fauoris conciliem Hilario,quem oportet omnibus ſacræ doctrinæ ſtudioſis eſſe commendatiſſimum. Video enim quoſdam præ nouis libellis,qui nunc undiquaq; prouolant,ueteres autores faſtidire: intantum,ut & Origenem & Hieronymum ueluti ſexagenarios,quod eſt in prouerbio,de ponte deturbandos exiſtiment. Ego uero ut non arbitror aſpernādum,ſi quid horum temporum ingenia,uel excogitarint uel inſtaurarint: ita mentis eſt improbæ,uetuſtati non ſuum deferre honorem: ingratæ uerò etiam,eos reijcere,quorum induſtriæ tantum debet orbis Chriſtianus. Quid enim nunc poſſemus in ſacris literis,niſi Origenis, Tertulliani, Chryſoſtomi,Hieronymi,Hilarij,Auguſtini monumentis adiuti? Ego uerò nec Thomæ nec Scoti libros in totum antiquandos eſſe duco. Scripſere ſuo ſeculo,multaq; nobis è ueterum libris hauſta,ſubtilius excuſſa tradiderunt. Cæterum nec iſtorum inciuilitatem approbo, qui huic autorum

generi

generi tantum tribuunt,ut bonis literis feliciter ubique repullulantibus obſtrependum putent. Variæ ſunt ingeniorum dotes: multæ ſeculorum uarietates ſunt: quod quiſq; poteſt,in medium proferat: nec alteri quiſquam inuideat, qui pro ſua uirili, ſuoq; modo conatur publicis ſtudijs utilitatis aliquid adiungere. Veteribus debetur reuerentia, præſertim quos præter eruditionem & eloquentiam,uitæ quoq; commendat ſanctimonia: ſed ita, ut cum iudicio legantur: recentioribus debetur candor: ut abſque inuidia legantur, nec ſine delectu tamen. Abſit autem ubique rabioſa contentio, pacis & concordiæ peſtis: nec abſint à ſtudijs Gratiæ,quas Muſarum comites non temere finxit antiquitas. Amplitudinem tuam diu nobis incolumem ſeruet is, ſine quo nihil eſſe poteſt ſaluum,Præſulum ornatiſſime. Baſileæ, nonis Ianuarijs,anno à natali Chriſti milleſimo quingenteſimo uigeſimo ſecundo.

VITA BEATI HILARII per diuum Hieronymum.

HILARIVS urbis Pictauorum Aquitaniæ epiſcopus,factione Saturnini Arelatenſis epiſcopi,de ſynodo Biterenſi,Phrygiam relegatus,duodecim aduerſus Arianos confecit libros. Et alium librum de ſynodis,quem ad Galliarum epiſcopos ſcripſit. Et in Pſalmos commentarios, primum uidelicet & ſecundum,& à quinquageſimoprimo uſq; ad ſexageſimum ſecundum,& à cẽteſimo decimooctauo uſq; ad extremum,in quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de ſuo addidit. Eſt eius & ad Conſtantium libellus,quem uiuenti Conſtantinopoli porrexerat. Et alius in Conſtantium,quem poſt mortem eius ſcripſit. Et liber aduerſus Valentem & Vrſatium, hiſtoriam Ariminenſis & Seleucienſis ſynodi cõtinens. Et aduerſus præfectum Saluſtium, ſiue contra Dioſcorum,& liber hymnorum,& myſteriorum alius. Et commentarij in Matthæum:& tractatus in Iob,quos de Græco Origenis ad ſenſum trãſtulit:& alius elegans libellus contra Auxentium:& nonnullæ ad diuerſos epiſtolæ. Aiunt quidam ſcripſiſſe eum & in Cantica canticorum,ſed à nobis hoc opus ignoratur. Mortuus eſt Pictauis Valentiniano & Valente regnantibus.

HILARII BERTVLPHI LEDII
in æditionem D. Hilarij Elegiacon.

Vnde redis Hilari? Basilea ex urbe, sed illa
Quæ dici potius πανβασίλεια potest.
Quid tam cultus ades, fueras qui sentus, opacis
Abditus hinc tenebris, obrutus inde situ?
Corpore sim nitidus, sim pectore purus oportet:
Deniq; me faciat uestis honesta uirum.
Quò porrò properas? Ad summi præsulis aulam,
Auspice quo nitidus, quo duce tutus eo.
An mihi nulla precor, quando omnibus ille nitelis
Virtutum radiat, cura nitoris erit?
Omnibus ingenij Carondiletus amœni,
Atq; adeo genij dotibus ille nitet.
Cuius inaudito uel tantum nomine, notum est
Protinus & uera nobilitate genus,
Cuius in eloquio, conuictu, moribus, actis,
Dexteritas omnis, nulla sinisteritas.
Adde quod hunc absens merito symphradmona felix,
Imò etiam plusquam Nestora Cæsar habet.
Quis rutilam dedit hanc uestem, quæ textilis auro est
A talo ad summum tota capillitium?
Hanc uigil adpositam solertis cura Frobeni
Mi dedit, eximijs qua solet arte uiris.
I felix Hilari, non tantum nomine, quando
Vere id quod merito diceris, esse potes.

OCTOSTICHON

Hoc est quod dicunt prouerbia prisca, prophetæ
Nullos honor propria redditur in patria.
Gallus apud Gallos squalore situq; iacebam,
Nilq; minus quàm quod nomine dicor, eram.
Reddidit ereptum Celebris Basilea nitorem,
Olim Marte ualens, nunc etiam ingenijs.
Plus illi quæ me superas reuocauit in auras
Debeo quàm uitam quæ mihi prima dedit.

ARGVMENTVM DES. ERASMI ROTERODAMI IN LIBRVM SEQVENTEM.

Primus hic liber, quanquam postremò scriptus autori, ueluti prologus est in totum opus: primum ostendens, quibus gradibus mens humana perueniat ad cognitionem rerum diuinarum: mox explicat argumenta singulorum librorum.

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER PRIMVS.



IRCVNSPICIENTI mihi proprium humanæ uitæ, ac religiosum officium, quod uel à natura manans, uel à prudentium studijs profectum, dignum aliquid hoc concesso sibi ad intelligentiam diuino munere obtineret: multa quidem aderant, quæ opinione communi efficere utilem atq; optandam uitam uidebantur: maximeq; ea, quæ & nunc, & semper antea potissima inter mortales habentur, ociũ simul atq; opulentia, quòd alterum sine altero mali potius materies, quàm boni esset occasio, quia & quies inops prope quoddam uitæ ipsius intelligatur esse exilium: & opulens inquietudo tanto plus calamitatis afferat, quanto maiore indignitate ijs careat, quæ maxime & optata & quæsita sunt ad utendum. Atq; hæc quidem quanquam in se summa atq; optima uitæ blandimenta contineant, tamen non multum uidentur à consuetudine esse beluinæ oblectationis aliena, quibus in saltuosa loca, ac maxime pabulis læta euagantibus adsit & securitas à labore, & satietas ex pascuis. Nam si hic optimus & absolutissimus uitæ humanæ usus existimabitur, quiescere & abundare: necesse est hunc eundem secundum sui cuiusq; generis sensum nobis atq; uniuersis rationis expertibus beluis esse cõmunem, quibus omnibus natura ipsa in summa rerũ copia & securitate famulante, sine cura habendi, copia redundat utendi. Ac mihi pleriq; mortalium nõ ob aliam quidem causam *hanc inepte ac beluinæ uitæ consuetudinem & respuisse à se, ac coarguisse in alijs uidentur, quàm quod natura ipsa autore impulsi, indignum homine esse existimauerunt, in officium tantum se uentris & inertię natos arbitrari: & in hanc uitam nõ ob aliqua præclari facinoris aut bonæ artis studia esse deductos, aut hanc ipsam uitam non ad aliquem profectũ esse æternitatis indultam, ob quam profecto non ambigeretur munus dei nõ esse refutandũ, cum tantis afflicta angoribus, & tot molestijs impedita sese ipsam, atq; ipsa inter se ætatem à pueritiæ ignoratione usq; ad senectutis deliramenta consumeret: & idcirco ad aliquas se patientiæ & cõtinentiæ

*Legendũ suspicor licet reclamantib. exemplaribus haud inepte beluinæ &c. Nam in uetustissimo codice nõ erat addita coniunctio ac

ac placabilitatis uirtutes & doctrina & opere tranſtuliſſe, quòd bene agere atq; intelligere, id demum bene uiuere eſſe opinabantur. Vitam autem ipſam non ad mortem tantum ab immortali deo tribui exiſtimandam: cum boni largitoris non eſſe intelligeretur uiuendi iucundiſſimum ſenſum ad triſtiſſimum metum tribuiſſe moriendi. Et quanq̃ non ineptam hanc eorum eſſe ſententiam atq; inutilem exiſtimarem, conſcientiam ab omni culpa liberam cõſeruare, & omnes humanæ uitæ moleſtias uel præuidere prudenter, uel uitare conſulte, uel ferre patienter: tamen hi ipſi non ſatis mihi idonei ad bene beateq; uiuendum autores uidebantur: communia tantum & conuenientia humano ſenſui doctrinarum præcepta ſtatuentes: quæ cum non intelligere beluinum eſſet, intellecta tamen nõ agere, ultra beluinæ immanitatis eſſe rabiem uideretur. Feſtinabat autẽ animus, non hæc tantummodo agere, quæ non egiſſe, & criminum eſſet plenũ, & dolorum: ſed hũc tanti muneris deum parentemq; cognoſcere, cui ſe totum ipſe deberet, cui famulans nobilitandũ ſe exiſtimabat, * quem ad omnem ſpei ſuæ opinionem referret: in cuius bonitate inter tantas præſentium negotiorũ calamitates tanquam tutiſſimo ſibi portu familiariq; requieſceret. Ad hunc igitur uel intelligendum, uel cognoſcendũ, ſtudio flagrantiſſimo accendebatur. Nanq; plures eorum numeroſas incertorum deorum familias introducebant, & uirilem ac muliebrem ſexum in diuinis naturis agere exiſtimantes, ortus ac ſucceſſiones ex diſs deorum aſſerebant. Alij minores ac maiores, & differentes pro poteſtate deos prædicabant: nonnulli nullum omnino deum eſſe affirmantes, eam tantũ quæ fortuitis motibus atq; concurſibus in aliquid exiſteret, naturam uenerabantur: pleriq; uero deum quidem eſſe opinione publica loquebantur, ſed hunc eundem incurioſum rerum humanarum ac negligentem pronunciabant: aliqui autem ipſas illas creaturarum corporeas, conſpicabilesq; formas in elementis terrenis & cœleſtibus adorabant. Poſtremo quidam in ſimulacris hominum, pecundum, uolucrum, ferarum, ſerpentum, deos ſuos collocabant, & uniuerſitatis dominum atq; infinitatis parentem intra anguſtias metallorum & lapidũ & ſtipitum coarctabant. Dignumq; iam nõ erat, autores eos ueritatis exiſtimare, qui ridicula, & fœda, & irreligioſa ſectantes, ipſis illis inaniſſimarum ſententiarum ſuarum opinionibus diffiderẽt. Sed inter hæc animus ſolicitus, utili ac neceſſaria ad cognitionem dei ſui uia nitens: cum neq; incuriam deorum à ſe conditarum dignam arbitraretur, neq; naturæ potenti atq; incorruptæ competere ſexus deorum, & ſucceſſiones fatorum atq; ortorum intelligeret. Porrò autem diuinum & æternũ nihil niſi unum eſſe & indifferens pro certo habebat, quia id quod ſibi ad id quod eſt autor eſſet, nihil neceſſe eſt extra ſe quod ſui eſſet præſtantius reliquiſſe. Atq; ita omnipotentiam æternitatemq; non niſi penes unũ eſſe, quia neq; in omnipotentia

Pro* ad quẽ

ualidius

ualidius infirmiusq́, neq; in æternitate posterius anteriúsue congrueret. In deo autem nihil nisi æternum potensq́ esse uenerandum. Hæc igitur multaq́ alia eiusmodi mecũ animo reputans, incidi in eos libros, quos à Moyse atq; à prophetis scriptos esse Hebræorũ religio tradebat, in quibus ipso creatore deo testante de se hæc ita continebantur: Ego sum qui sum. Et rursum: Hæc dices filijs Israel, misit me ad uos is qui est. Admiratus sum planè tam absolutam de deo significationem, quæ naturæ diuinæ incomprehensibilem cognitionẽ aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud propriũ magis deo quàm esse intelligitur, quia id ipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti: & id quod incorruptæ beatitudinis potestate perpetuum est, nõ potuit, aut poterit aliquando non esse. Quia diuinum omne neq; abolitioni, neq; exordio obnoxium est, & cum in nullo à se dei desit æternitas, digne hoc solum quod esset ad protestationem incorruptæ suæ æternitatis ostendit. Et ad hanc quidem infinitatis significationem satis feciſſe sermo dicentis uidebatur: Ego sum qui sum: sed magnificentiæ & uirtutis suæ erat à nobis opus intelligendum: nam cum esse ei proprium esset, qui manens semper non etiam aliquando cœpisset, æterni & incorrupti dei dignus de se hic rursum auditus est sermo: Qui tenet cœlũ palmo & terram pugillo. Et rursum: Cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum mihi ædificabitis, aut quis locus erit requietionis meæ, nõne manus mea fecit hæc? Vniuersitas cœli palmo dei tenetur, & uniuersitas terræ pugillo concluditur. Sermo autem dei etiam si ad opinionem religiosæ intelligentiæ proficit, tamen plus significationis introspectus sensu continet quàm exceptus auditu. Nam concluſum palmo cœlum rursum deo thronus est, & terra quæ pugillo continetur eadem & scabellũ pedum eius est, ne in throno & scabello secundum habitum consistentis protensio speciei corporeæ possit intelligi, cum id quod sibi thronus & scabellũ est, rursum ipsa illa infinitas potens palmo ac pugillo apprehendente cõcluderet. Sed ut in his cunctis originibus creaturarũ deus intra & extra & supereminens & internus, id est, circunfusus & infusus in omnia noscꝛetur, cũ & palmo pugilloq́ continens potestatem naturæ exterioris ostenderet, ac thronus & scabellum substrata esse, ut interno exteriora monstraret, cum exteriora sua interior insidens, ipse rursum exterior interna concluderet. Atq; ita totus ipse intra extraq́ se continens, neq; infinitus abesset à cunctis, neq; cuncta ei qui infinitus est non inessent. His igitur religiosissimis de deo opinionibus ueri studio detentus animus delectabatur. Neq; enim aliud quid dignum esse deo arbitrabatur, quàm ita eum ultra intelligentias rerum esse: ut in quantum se ad aliquem præsumptæ licet opinionis modum mens infinita protenderet, in tantum omnem prosequentis se naturæ infinitatem

infinitas immoderatæ æternitatis excederet. Quod cum à nobis pie intelligeretur,tamen à propheta hæc ita dicente manifeste confirmabatur: Quò abibo à spiritu tuo,aut à facie tua quò fugiam? Si ascendero in cœlum,tu illic es,si descendero in infernum,& ibi ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, & habitauero in extremis maris, & enim illuc manus tua deducet me,& tenebit me dextera tua.Nullus sine deo,neq; ullus non in deo locus est.In cœlis est,in inferno est,ultra maria est. Ineſt interior, excedit exterior.Ita cum habet atq; habetur,neq; in aliquo ipse,neq; nõ in omnibus est. Quanquam igitur optimæ huius atq; inexplicabilis intelligentiæ sensu animus gauderet, quòd hanc in parente suo & creatore immensæ æternitatis infinitatem ueneraretur: tamen studio adhuc interiore ipsam illam infiniti
Alt. illam & æterni domini sui speciem quærebat,ut*unam incircunscriptam immensitatem in aliquo pulchræ intelligentiæ esse opinaretur ornatu. In quibus cum religiosa mens intra imbecillitatis suæ concluderetur errorem, hunc de deo pulcherrimæ sententiæ modum propheticis uocibus apprehendit. De magnitudine enim operum, & pulchritudine creaturarum consequenter generationum conditor inspicitur. Magnorum creator in maximis est, & pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est. Et cum sensum ipsum supergrediatur operatio,omnem tamẽ sensum longe necesse est excedat operator.Pulchrum itaq; cœlum, aër uel æther, terra,maria & uniuersitas omnis est,quæ ex ornatu suo,ut etiam Græcis placet,digne κόσμος,id est,mundus nuncupari uidetur.Sed si hanc ipsam rerum pulchritudinem ita sensus naturali metitur instinctu, ut etiam in quarundam uolucrum ac pecudum accidit specie:ut dũ infra sententiam sermo est,sensus tamen id ipsum intelligens non eloquatur:quod tamen rursum dum sermo omnis ex sensu est, sensus sibi ipse loquatur intelligens,Nónne huius ipsius pulchritudinis dominum necesse est totius pulchritudinis esse pulcherrimũ intelligi: ut cum æterni ornatus sui species sensum intelligentiæ omnis effugiat, opinionem tamen intelligentiæ sensus nõ relinquat ornatus? Atq; ita pulcherrimus deus est confitendus,ut neq; intra sententiam sit intelligendi,neq; extra intelligentiam sentiendi. His itaq; piæ opinionis atq; doctrinæ studijs animus imbutus,in secessu quodam ac spelunca pulcherrimæ huius sententiæ requiescebat, non sibi relictum quicquam aliud à natura sua intelligens, in quo maius officium præstare conditori suo munus ue posset,quàm ut tantum eum esse intelligeret, quantus & intelligi non potest, & potest credi, dum intelligentiam & fides sibi necessariæ religionis assumit, & infinitas æternæ potestatis excedit.Suberat omnibus his naturalis adhuc sensus,ut pietatis professionem spes aliqua incorruptæ beatitudinis aleret,quam sancta de deo opinio & boni mores quodam uictricis miliciæ stipendio emererentur. Neq; enim fructus aliquis esset bene de deo opinari, cũ omnem

sensum

ſenſum mors perimeret, & occaſus quidam naturæ deficientis aboleret. Porrò autem nō eſſe hoc dignum deo ratio ipſa ſuadebat: deduxiſſe eum in hanc participem conſilij prudentiæq; uitam hominē ſub defectione uiuendi & æternitate moriendi: ut in id tantum non exiſtens ſubſtitueretur, ne ſubſtitutus exiſteret: cum conſtitutionis noſtræ hæc ſola eſſe ratio intelligeretur, ut quod non eſſet quod eſſe cœpiſſet, non ut quod cœpiſſet eſſe non eſſet. Fatigabatur autem animus, partim ſuo, partim corporis metu, qui cum & conſtantem ſententiam ſuam pia de deo profeſſione retineret, & ſolicitam de ſe atq; hoc occaſuro ſecum, ut putabat, habitaculo ſuo curam recepiſſet, poſt cognitionem legis ac prophetarum, iſtiuſmodi quoque doctrinæ Euangelicæ atq; apoſtolicæ inſtituta cognoſcit. In principio erat uerbum: & uerbum erat apud deum: & deus erat uerbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in eo uita erat, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Erat autem homo miſſus à deo, cui nomen erat Ioannes. Hic uenit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In ſua uenit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, ſed ex deo nati ſunt. Et uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: & uidimus gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti à patre, plenum gratiæ & ueritatis. & cætera.

Proficit mens ultra naturalis ſenſus intelligentiam, & plus de deo quàm opinabatur edocetur. Creatorem enim ſuum deum ex deo diſcit, uerbum deum & apud deum in principio eſſe audit, mundi lumen in mundo manens, & à mundo non recognitum intelligit. Venientem quoq; in ſua, à ſuis nō receptum. Recipientes autem ſub fidei ſuæ merito in dei filios profeciſſe cognoſcit: non ex complexu carnis, neq; ex conceptu ſanguinis, neq; ex corporum uoluntate, ſed ex deo natos. Deinde uerbum carnem factum, & habitaſſe in nobis, & gloriam conſpectam eius, quæ tanq; unici à patre ſit *profecta cū gratia & ueritate. Hic iam mens trepida & anxia plus ſpei inuenit quàm expectabat. Ac primum ad cognitionem dei patris imbuitur. Et quod antea de creatoris ſui æternitate & infinitate & ſpecie, naturali ſenſu opinabatur, hoc nunc proprium eſſe etiam unigenito deo accipit: non in deos fidem laxans, quia ex deo deum audit: non ad naturæ diuerſitatem deum ex deo decidens, quia plenum gratia & ueritate deū ex deo diſcit: neq; præpoſterum ex deo deū ſentiens, quia in principio apud deum

*Als perfecta

eſſe deum comperit. Rariſſimam deinde huius ſalutaris cognitionis fidem eſſe, ſed maximum præmium noſcit, quia & ſui nō receperunt, & recipientes, in filios dei aucti ſunt, nō ortu carnis, ſed fidei. Eſſe autem filios dei, nō neceſſitatem eſſe, ſed poteſtatem: quia propoſito uniuerſis dei munere, nō natura gignentium afferatur, ſed uoluntas prēmium conſequatur. Ac ne id ipſum, quod unicuiq; eſſe dei filium, à deo filio ſit poteſtas, in aliquo infirmitatem fidei trepidæ impediret: quia per ſui difficultatem ægerrime ſperetur, quod & magis optatur, & minus creditur, uerbum deus caro factum eſt, ut per deum uerbum carnem factum caro proficeret in deum uerbum. Ac ne uerbum caro factum aut aliquid aliud eſſet quàm deus uerbum: aut non noſtri corporis caro eſſet, habitauit in nobis, ut dum habitat, nō aliud quàm deus maneret: dum autem habitat in nobis, non aliud quàm noſtræ carnis deus caro factus eſſet, per dignationem aſſumptæ carnis non inops ſuorum, quia tanquam unigenitus à patre plenus gratiæ & ueritatis, & in ſuis perfectus ſit, & uerus in noſtris.

Diuina per fidem intelliguntur

Hanc itaq; diuini ſacramenti doctrinam mens læta ſuſcepit, in deū proficiens per carnem, & in nouam natiuitatem per fidem uocata, & ad cœleſtem regenerationē obtinendam poteſtati ſuæ permiſſa ſententiæ, curam in ſe parentis ſui creatoriſq; cognoſcens, nō in nihilū redigendam, ſed per eum exiſtimās, per quē in hoc ipſum quod eſt, ex nihilo ſubſtitiſſet, & hæc omnia ultra intelligentiæ humanæ metiens ſenſum, quia ratio cōmunium opinionum conſilij cœleſtis incapax, hoc ſolum putet in natura rerū eſſe, quod aut intra ſe intelligat, aut præſtare poſſit ex ſeſe. Dei autem uirtutes ſecundum magnificentiam æternæ poteſtatis nō ſenſu, ſed fidei infinitate pendebat, ut deum in principio apud deum eſſe, & uerbū carnem factum habitaſſe in nobis, non idcirco nō crederet, quia non intelligeret, ſed idcirco ſe meminiſſet intelligere poſſe, ſi crederet. Ac ne in aliquo ſecularis prudentiæ tardaretur errore, ad piæ confeſſionis huius abſolutiſſimam fidem, ita

Ceremoniæ aboliuntur

inſuper per Apoſtolū diuinis dictis edocetur: Videte ne quis uos deſpoliet per philoſophiam & inanem fallaciam & deceptionem, ſecundū traditionem hominū, ſecundū elementa mundi, & nō ſecundum Chriſtum: quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis: in quo & circunciſi eſtis, circunciſione nō manufacta in expoliatione carnis corporis, ſed circunciſione Chriſti. Conſepulti ei in baptiſmate, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis dei, qui excitauit eum à mortuis. Et uos cum eſſetis mortui in delictis & in præputio carnis ueſtræ, uiuificauit uos cū illo, donatis uobis omnibus delictis, delens quod aduerſum nos erat chirographum, in ſententijs quod erat cōtrarium nobis: & ipſum tulit è medio, affigens illud cruci: exutus carne & poteſtates oſtentui fecit, triumphatis ijs cum fiducia in ſemetipſo

pſo. Reſpuit captioſas & inutiles philoſophiæ quæſtiones fides conſtans, neq; humanarũ ineptiarum fallacijs ſuccumbens, ſpolium ſe præbet ueritas falſitati: non ſecundum ſenſum communis intelligentiæ deum retinens, neq; de Chriſto ſecundũ mundi elementa decernens, in quo diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitet, ut dum infinitas æternæ in eo eſt poteſtatis, omnem terrenæ mentis amplexũ poteſtas æternæ infinitatis excedat: qui nos ad diuinitatis ſuæ naturam trahens, non etiamnũ corporali præceptorum obſeruatione deſtrinxerit, neq; per legis umbram ad ſolennia deſecandæ carnis imbuerit, ſed ut omnem naturalem corporis neceſſitatem circunciſus à uicijs ſpiritus criminum emundatione purgaret, cuius morti conſepeliremur in baptiſmo, ut in æternitatis uitam rediremus, dum regeneratio ad uitam mors eſſet ex uita, & morientes uicijs immortalitati renaſceremur, ipſo pro nobis ex immortalitate moriente, ut ad immortalitatem unà cum eo excitaremur ex morte. Carnem enim peccati recepit, ut in aſſumptione noſtræ carnis delicta donaret, dum eius fit particeps aſſumptione nõ crimine: delens per mortem ſententiam mortis, ut noua in ſe generis noſtri creatione conſtitutionem decreti anterioris aboleret: crucifigi ſe permittens, ut maledicto crucis obliterata terrenæ damnationis maledicta cõfigeret omnia. Ad ultimum in homine paſſus, ut poteſtates dehoneſtaret, dum deus ſecundum ſcripturas moriturus, & in his uincentis in ſe fiducia triumpharet: dum immortalis ipſe, neq; morte uincendus pro morientium æternitate moreretur. Hęc itaq; ultra naturę humanæ intelligentiam à deo geſta non ſuccumbunt rurſum naturalibus mentium ſenſibus, quia infinitę æternitatis operatio infinitam metiendi exigat opinionem, ut cum deus homo, cum immortalis mortuus, cum æternus ſepultus eſt, non ſit intelligentiæ ratio, ſed poteſtatis exceptio. Ita rurſum econtrario non ſenſus, ſed uirtutis modus ſit, ut deus ex homine, ut immortalis ex mortuo, ut æternus ſit ex ſepulto. Coexcitamur ergo à deo in Chriſto per mortẽ eius, ſed dum in Chriſto plenitudo eſt diuinitatis, habemus & ſignificationem dei patris nos coexcitantis in mortuo, & Chriſtũ Ieſum nõ aliud quàm deum in diuinitatis plenitudine confitendum. In hoc ergo conſcia ſecuritatis ſuæ ocio mens ſpebus ſuis læta requieuerat, interceſſionem mortis huius uſque eò non metuens, ut etiam reputaret in uitam æternitatis. Vitam autem huius corporis ſui non modo non moleſtam ſibi aut ægram arbitrabatur, ut eam quod pueritiæ literas, quod ęgris medicinam, quod naufragis natatũ, quod adoleſcentibus diſciplinam, militiam eſſe crederet imperaturis: rerũ ſcilicet præſentium tolerantiam ad præmium beatæ immortalitatis proficientem. Quinetiam id quod ſibi credebat, tamen per miniſterium impoſiti ſacerdotij etiam cæteris prædicabat: munus ſuum ad officium publicæ ſalutis extendens. Sed inter hæc emerſerunt deſperata in ſe & ſæua in om-

Captioſæ quæſtiones

Pietas in animis

nes impiæ temeritatis ingenia,potentẽ dei naturam ex naturæ ſuæ infirmi/
tate moderantiũ. Neq; ut ipſi uſq; ad infinitatem opinandi de infinitis re/
*Alis*intra Hæreſeon origo* bus emergerẽt,ſed*infra finem ſenſus ſui indefinita concluderent, eſſentq;
ſibi arbitri religionis,cũ religionis opus in ſolo obedientiæ eſſet officio: ſui
immemores,diuinorum negligentes,præceptorum emendatores. Nam ut
de cæteris hæreticorũ ſtultiſſimis ſtudijs ſileam,de quibus tamen ſicubi oc/
Pater natura Lege Tertul/lianum con/tra Praxeã caſionem ſermonis ratio præbebit nõ tacebimus. Quidam ita Euangelicæ
fidei corrumpũt ſacramentũ,ut ſub unius dei pia tantum profeſſione nati/
uitatem unigeniti dei abnegent: ut protenſio ſit potius in hominem quàm
deſcenſio.Neq; ut qui filius hominis ſecundum tempora aſſumptæ carnis
fuit,idem ſemper fuerit atq; ſit filius dei,ne in eo natiuitas dei ſit,ſed ex eo/
dem idem ſit. Vt unius dei,ut putant,inuiolabilem fidem ſeries deducta ex
ſolido in carnem conſeruet:dum uſq; ad uirginem pater protenſus,ipſe ſibi
Arius natus ſit in filiũ. Alij uero quia ſalus nulla ſit ſine Chriſto, qui in principio
apud deum erat deus uerbũ: natiuitatem negantes,creationem ſolam pro/
feſſi ſunt:ne natiuitas ueritatem dei admitteret,ſed creatio ueluti compoſiti
& ſimulati dei falſitatem doceret: quæ dum ementirentur in genere creatio
nis,dei unius fidem nõ excluderent in ſacramento: ſed natiuitatem ueram
nomini ac fidei creationis ſubijcientes, à ueritate unius dei ſeparabilẽ eum
facerent, ut creatio ſubſtitutionis perfectionem ſibi diuinitatis nõ uſurpa/
ret,quam ueritatis natiuitas non dediſſet.Horum igitur furori reſpondere
animus exarſit,recolens hoc uel præcipue ſibi ſalutare eſſe:non ſolũ in deũ
credidiſſe,ſed etiam in deũ patrem: neq; in Chriſto tantum ſperaſſe,ſed in
Chriſto dei filio:neq; in creatura, ſed in deo creatore ex deo nato. Maxi/
me ergo properamus ex propheticis atq; Euangelicis præconijs ueſaniam
eorũ ignorantiamq; cõfundere: qui ſub unius dei ſola ſanè utili ac religioſa
prædicatione aut deum natum Chriſtũ negant, aut uerum deum non eſſe
contendunt, ut creatio potentis creaturæ intra unum deum fidei ſacramen/
tum relinquat:quia natiuitas dei extra unius dei fidem, religionem protra/
hat cõfitentium. Sed nos edocti diuinitus,neq; duos deos prædicare,neq;
ſolum:hanc Euangelici ac prophetici præconij rationem in confeſſione dei
patris & dei filij afferemus,ut unum in fide noſtra ſint uterq;, nõ unus: ne/
que eundem utrunq;,neq; inter uerum ac falſum aliud cõfitentes:quia deo
ex deo nato,neq; eundem natiuitas permittit eſſe,neq; aliud.

Ad lectorẽ ſe uertit Sed uos quidem,quos fidei calor & ignorante mundo ac ſapientibus
mundi ueritatis ſtudium ad legendum uocauit, meminiſſe oportet terrena
rum mentium infirmas ac imbecillas opiniones eſſe abijciendas,omnes im
perfectæ ſententiæ anguſtias religioſa diſcendi expectatione laxandas.
Nouis enim regenerati ingenij ſenſibus opus eſt, ut unumquemq; conſci/
entia ſua ſecundum cœleſtis originis munus illuminet. Standum itaq; per

fidem

fidem ante eſt,ut ſanctus Hieremias admonet,in ſubſtantia dei, ut de ſubſtantia dei auditurus,ſenſum ad ea quæ dei ſubſtantiæ ſint digna,moderetur.Moderetur autem nõ aliquo modo intelligendi,ſed infinitate.Quin etiam conſcius ſibi diuinæ ſe naturæ participem (ut beatus apoſtolus Petrus in epiſtola altera ait) effectum fuiſſe, dei naturam non naturæ ſuæ legibus metiatur,ſed diuinas profeſſiones ſecundum magnificentiam diuinæ de ſe proteſtationis expendat. Optimus enim lector eſt, qui dictorũ intelligentiam expectet ex dictis potius quàm imponat, & retulerit magis quàm attulerit:neq; cogat id uideri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendũ. Cum itaq; de rebus dei erit ſermo, concedamus cognitionem ſui deo,dictisq; eius pia ueneratione famulemur. Idoneus enim ſibi teſtis eſt,qui niſi per ſe cognitus nõ eſt. Si qua uero nos de natura dei & natiuitate tractantes,comparationum exempla afferemus,nemo ea exiſtimet abſolute in ſe rationis perfectionem continere. Comparatio enim terrenorum ad deum nulla eſt,ſed infirmitas noſtræ intelligentiæ coegit ſpecies quaſdam ex inferioribus,tanquam ſuperiorũ indices quærere,ut rerũ familiarium conſuetudine admonente,ex ſenſus noſtri conſcientia ad inſoliti ſenſus opinionem*edoceremur. Omnis igitur cõparatio homini utilis,potius habeatur quàm deo apta: quia intelligentiam magis ſignificet quàm expleat,neq; naturis carnis & ſpiritus,aut inuiſibiliũ ac tractabiliũ coęquandis præſumpta reputetur,proteſtans & infirmitati ſe humanæ intelligentię neceſſariam,& ab inuidia eſſe liberam nõ ſatisfacientis exempli. Pergimus itaq; de deo locuturi dei uerbis, ſenſum tamen noſtrum rerum noſtrarum ſpecie imbuentes. Ac primum ita totius operis modum temperauimus, ut aptiſſimus legentium profectibus connexorum ſibi libellorum ordo ſuccederet.Nihil enim incompoſitum indigeſtumq; placuit* aſſerere, ne operis inordinata congeries ruſticum quendam tumultum perturbata uociferatio ne præberet.Sed quia nullus ad prærupta conſcenſus eſt, niſi * ſubſtractis paulatim gradibus feratur greſſus ad ſumma:nos quoq; quędam gradiendi initia ordinantes, arduum hoc intelligentiæ iter cliuo quaſi molliore leniuimus,nõ iam gradibus inciſum,ſed planicie ſubrepente deuexũ, ut propè ſine ſcandentium ſenſu,euntium poſſit proficere conſcenſus.

γνώμη

Comparatio ad diuina nulla perfecta

*Alŝ*edu/ ceremus*

Ordo totius operis

*Alŝ*afferre*

*Alŝ*ſtratis*

Poſt hunc enim primi huius ſermonis libellum, ſequens ita ſacramentum edocet diuinæ generationis, ut baptizandi in patre & filio & in ſpiritu ſancto non ignorent nominum ueritatem, neq; uocabulis intelligentiam confundant, ſed unumquodq; ita ſenſu concipiant, ut eſt ac nuncupatur: agnituri abſolutiſſime in ijs quæ dicta ſunt, quod neq; non ipſa ueritas ſit nominis,neq; non nomen ſit ueritatis.

Arg.ſecundi libri

Poſt hunc itaq; lenem ac breuem demonſtratæ trinitatis ſermonem,tertius liber etſi ſenſim,tamẽ iam*proficienter incedit. Nam id quod ultra humani

Arg. tertij li. Fortè proſpicienter*

mani ſenſus intelligentiam dominus de ſe profeſſus eſt, quantis poteſt potentiæ exemplis ad intelligentiæ fidem coaptat dicens: Ego in patre,& pater in me:ut quod ab homine per naturam habere non capitur, id fides tamen rationabili ſcientia conſequatur: quia neq; non credendum de ſe deo eſt,neq; opinandū eſt,extra rationem fidei eſſe intelligentiæ poteſtatem.

Arg.quarti libri Quartus deinde liber initium ſui ex hæreticorum doctrinis auſpicatur, ſe ipſum uicijs,quibus fides eccleſiæ infirmatur, * expugnans, ipſam illam perfidiæ expoſitionem à multis * non olim æditam proferens, & ſubdole eos ac per id impĩſſime unum deum ex lege defendiſſe conuincens,omnibus legis ac prophetarum teſtimonijs ita demonſtratis, ut ſine deo Chriſto unum deum confiteri irreligioſitas ſit,& confeſſo deo unigenito Chriſto,non unum deum prædicare perfidia ſit.

*Als*ex/purgans*
*Als*iam olim*

Arg.quinti libri Quintus uero tenet eum reſponſionis ordinem, quem hæretici inſtituerant profeſſionis.Namq; cū unū deū prædicare ſe ſecundū legem ementiti eſſent,unum quoq; deū uerū ex eadem proferre ſe fefellerunt, ut per exceptionem dei & unius & ueri,natiuitatē deo Chriſto adimerēt:quia ubi natiuitas eſt,ibi & intelligentia ſit ueritatis.Nos autē ĩſdem gradibus quibus idipſum negabant,docentes: nec duos deos,nec ſolitariū uerū deū, ſed patrem uerū deum ita ex lege ac prophetis prædicauimus,ne aut unius dei fidem corrumperemus,aut nati ueritatē denegaremus. Sed quia ſecundū illos creato potius quàm nato nomē dei domino Ieſu Chriſto deputaretur potius quàm ineſſet,diuinitatis ueritas ita ex autoritatibus propheticis demonſtrata eſt,ut nos domino Ieſu Chriſto deo uero prædicato,intra intelligentiam unius dei ueri natiuæ in eo diuinitatis ueritas contineret.

Arg.ſexti libri Sextus uero iam liber omnem hæreticæ aſſertionis fraudulentiam pandit.Namq; ut dictis ſuis fidem facerēt,damnantes dicta & uicia hæreticorum Valentini ſcilicet & Sabellij & Manichæi & Hierachæ, pias eccleſiæ prædicationes uelamento profeſſionis impię furati ſunt,ut corruptis in melius uerbis irreligioſorum,& ambigua ſignificatione moderatis,ſub impietatis damnatione doctrinam pietatis extinguerent. Sed nos ſingulorū dictis & profeſſionibus demonſtratis, ſanctas eccleſiæ prædicationes abſoluimus,neq; quicquam cum damnatis hæreticis commune eis eſſe permiſimus,ut damnanda damnantes,ſola uenerabiliter ſectanda ſequeremur,filium dei dominum noſtrum Ieſum Chriſtū, quod maxime ab ijs negabatur,per hæc docentes, dum de eo teſtatur pater, dum de ſe ipſe profitetur, dum apoſtoli prædicant, dum religioſi credunt, dum dæmones clamant, dum Iudæi negantes fatentur, dum ignorantes intelligunt gentes, ne iam ambigendum permitteretur,quod ignorandum non relinquebatur.

Arg.ſeptimi libri Septimus deinceps liber ſecundum perfectæ fidei gradum ſuſceptæ diſputationis ſermonē temperauit: namq; primum per inuiolabilis fidei ſa/

nam

nam & incorruptam demonſtrationē inter Sabelliū & Hebionem, & hos non ueri dei prædicatores lite certauit,cur Sabellius ſubſiſtentem ante ſecula negaret,quem creatum alij confiterentur. Ignorabat enim Sabellius ſubſiſtentem filium, dum deum uerum operatum in corpore eſſe nō ambigit. Hi autē negabant natiuitatem,& affirmabant creaturam, dum opera eius dei ueri eſſe opera non intelligunt.Lis eorum noſtra fides eſt:nam dum filium negat,in eo uincit Sabellius,quòd deus uerus operatus eſt. Et eccleſia eos,qui uerum in Chriſto deum negauerint,uincit.At uero cum ſubſiſtentem Chriſtum ante ſecula hi aduerſus eum demonſtrant eſſe ſemper operatum, de condemnato ſecum Sabellio nobis triumphant, deum quidem uerum ſcientes,ſed dei filium neſcientes.Hebion autem ab utroq; ita uincitur,ut hic ante ſecula ſubſiſtentem, hic uerum deum conuincat operatum. Omneſq; ſe inuicem uincendo uincuntur,quia eccleſia & contra Sabelliū, & contra creaturæ prædicatores, & contra Hebionem, deū uerum ex deo uero dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,& ante ſecula natum,& poſtea hominem genitum eſſe teſtatur. Nemini autem dubium eſt,congruum id maxime piæ doctrinę fuiſſe,ut quia ex lege & prophetis primū dei filium, poſt etiam deum uerum cum ſacramento unitatis prædicaſſemus,rurſum legem ac prophetas per Euangelia firmantes,primū ex his dei filium,poſt etiam deum uerum doceremus. Competentiſſimum itaq; fuit poſt nomē filij,ueritatem eius oſtendere,quanquam ſecundum cōmunem ſenſum ueritatis abſolutionem nuucupatio filij obtineret. Sed ne quid aduerſantibus unigeniti dei ueritati occaſionis ad fallendū & illudendum relinqueretur, ipſam illam proprietatem per diuinitatis ueritatem aſtruximus: deum eſſe eum qui dei filius nō negaretur:his modis docentes,nomine,natiuitate,natura,poteſtate,profeſſione,ne aliud eſſet quàm nuncuparetur,neq; nuncupatio non natiuitatis eſſet, neq; natiuitas naturam amiſiſſet, neque natura non retinuiſſet poteſtatem, neq; poteſtas non etiam conſcia ſibi ueritatis profeſſione noteſceret.Cauſas ergo omnes ſingulorum generum ita ex Euangelijs exceptas ſubiecimus,ut nec profeſſio tacuerit poteſtatem, nec poteſtas exhorruerit naturam,nec natura non ſuæ natiuitatis ſit,nec natiuitas non ſui nominis, ut per id non relinqueretur impietatis calumnia, cum dei ueri ex deo uero diuinitatem ſecundum & nomen & natiuitatem & naturam & poteſtatem ipſe quoq; dominus noſter Ieſus Chriſtus natiuæ ueritatis ſuæ proteſtatione docuiſſet.

Octauus uero iam liber duobus ſuperioribus libris de dei filio & de deo uero multum ad credentiū fidem proficientibus totus in unius dei demonſtratione detentus eſt,non auferens filio dei natiuitatem,ſed neq; per eam duorum deorum diuinitatem introducens. Ac primum quibus modis hæretici ueritatem dei patris & dei filij,quia negare nō poſſent,tamen eludere niterentur

Arg. octaui libri

niterentur,edocuit: diſſoluens ineptas eorũ & ridiculas occaſiones, quibus per id quod dictum eſt: Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una.Et rurſum: Qui plantat autem & qui rigat, unum ſunt. Et rurſum:Non pro his autem tantum rogo, ſed & pro ijs,qui crediturí ſunt per uerbum eorum in me:ut omnes unum ſint,ſicut tu pater in me,& ego in te: ut & ipſi ſint in nobis, uoluntatis potius & unanimitatis quàm diuinitatis aſſerunt ueritatem. Sed nos hæc ipſa ſuis uirtutibus pertractantes, fidem in ſe diuinæ natiuitatis continere oſtendimus: & omnes dictorum domini corum profeſſiones reuoluentes, totum ac perfectũ ex apoſtolicis præconijs ac ſancti ſpiritus proprietatibus,& paternæ & unigenitæ maieſtatis ſacramentum docuimus,cum & in patre filius intellectus,& pater in filio cognitus,unigeniti dei natiuitatem & perfecti in eo dei oſtenderẽt ueritatem. Parum eſt autem in rebus ad ſalutem maxime neceſſarijs, ſola ea ad ſatisfactionem fidei afferre, quæ propria ſunt: quia plerunq; blandientes ſenſum fallant dictorum noſtrorum inexploratæ aſſertiones, niſi etiam propoſitionum aduerſarum demonſtratæ inanitates fidem noſtram in eo ipſo quod ipſæ ridiculæ eſſe arguantur affiment.

Arg.noni libri

Nonus itaq; liber totus in repellendis ijs,quæ ad infirmandam unigeniti dei natiuitatem ab impijs uſurpantur intentus eſt,qui diſpenſationis occulti à ſeculis myſterij immemores,Euangelica fide deũ atq; hominẽ prædicari non recordentur. Namq; cum deum eſſe dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ,& ſimilem deo eſſe & coæqualem ut deũ filium deo patri, natum ex deo,& ſecundum natiuitatis proprietatem in ueritate ſpiritus ſubſiſtere negant,his niti dictorum dominicorũ profeſſionibus ſolent: Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi unus deus. Vt cum dici ſe coarguat bonum,& non niſi unum deum bonũ eſſe teſtetur,& extra bonitatem dei ſit, qui bonus eſt:& in dei non ſit ueritate,qui unus eſt. Quibus dictis etiam hæc ad impietatis ſuæ argumenta connectunt:Hæc eſt autẽ uita æterna, ut cognoſcant te ſolum uerum deum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Vt ſolum uerum deum confeſſus patrem,nec uerus ipſe,nec deus ſit,quia ſolius dei ueri exceptio ſignificatæ proprietatis non excedat autorem.Non ambigue autem hoc ab eo dictũ eſſe intelligendũ,quia idem dixit:Non poteſt filius facere à ſe quicquam, niſi quod uiderit patrem facientẽ. Vt cum nihil niſi de exemplo operis poſſit operari,naturæ in eo intelligatur infirmitas:quia ne quaq; ſit omnipotentiæ comparandũ quod alienæ operationis ſubiectum eſt neceſſitati,& ratio intelligentiæ hoc ſuadeat, in omnibus à ſe poſſe * & nõ poſſe differre,differre autẽ eouſq;, ut de patre deo hæc ita profeſſus ſit: Pater maior me eſt.Et ceſſet in profeſſione abſoluta aduerſandi calumnia: quia impię uæſaniæ ſit,honorem ac naturam dei tribuere abnuenti.Omni autem modo in tantũ eum à proprietate ueri dei abeſſe, ut etiam teſtatus

*Et * non poſſe, in quibuſdam non habetur*

hæc

hæc fuerit: De die autem illa & hora nemo ſcit, neq; angeli in cœlis, neq; filius, niſi ſolus pater: ut cum filius neſciat quod pater ſolus ſciat, longe alienus ſit neſciens ab ſciente, quia natura ignorationi obnoxia, nõ ſit eius uirtutis & poteſtatis, quæ à dominatu ignorationis excepta ſit. Hæc itaq; corrupto deprauatoq; ſenſu impiſſime ita intellecta eſſe mõſtrantes, omnes dictorum cauſas ex iſs ipſis, uel interrogationũ, uel temporum, uel diſpenſationum generibus attulimus, cauſis potius uerba ſubdentes, non cauſas uerbis deputãtes, ut cum à ſe diſſideat: Pater maior me eſt. &: Ego & pater unum ſumus: neq; idem ſit: Nemo bonus, niſi unus deus. &: Qui me uidet, uidet & patrem, uel certe tanta à ſe diuerſitate contraria ſint: Pater omnia tua mea ſunt, & mea tua. Et iterum: Vt cognoſcant te ſolum uerum deum. Vel illud: Ego in patre, & pater in me. Et iterum: De die autem illa & hora nemo ſcit, neq; angeli in cœlis, neq; filius, niſi pater ſolus: intelligãtur in ſingulis & diſpenſationum prædicationes, & conſcię poteſtatis naturales profeſſiones, & cum idem ſit dicti autor utriuſq;, demonſtratis tamen uirtutibus generum ſingulorum non pertineat ad contumeliam ueræ diuinitatis, quod ad ſacramentum fidei euangelicæ ſub diſpenſatione & cauſæ & temporis & natiuitatis & nominis prædicatur.

Arg. decimi libri

Decimi uero libri eadem eſt ratio quæ fidei. Nam quia ex paſſionis genere & profeſſione quædam per ſtultæ intelligentiæ ſenſum ad contumeliam diuinæ in domino noſtro Ieſu Chriſto naturæ uirtutisq; rapuerunt: ea ipſa demõſtranda fuerant, & ab his impiſſime intellecta eſſe, & ab eo ad proteſtationẽ ueræ & perfectæ in ſe maieſtatis eſſe memorata. Nanq; his ſibi dictis, ut religioſe impij ſint, blandiũtur: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem. Vt longe à beatitudine atq; incorruptione dei ſit, in cuius animam dominans metus triſticiæ imminentis inciderit, qui etiam uſque ad hanc precem cõſternatus fuerit paſſionis neceſſitate: Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Et ſine dubio timere uidetur perpeti, quod ne pateretur orauit, quia patiendi trepidatio cauſam attulit deprecandi. In tantum uero infirmitatem eius obtinuerit uis doloris, ut in ipſo crucis tempore diceret: Deus meus, deus meus, quare me dereliquiſti? Qui etiã uſq; ad querelam deſolationis, ſuæ paſſionis acerbitate commotus auxilij inops paterni, ſpiritum in hac uoce emiſerit, cum dixit: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et exhalandi ſpiritus trepidatione turbatus, tuendum hunc deo patri commendauerit: quia commendationis neceſſitatem deſperatio ſecuritatis exegerit. Sed ſtultiſsimi atq; impiſſimi homines nõ intelligentes, nihil contrarium in rebus ijſdem ab eodem dictum fuiſſe: uerbis tantum inhærentes, cauſas ipſas dictorum reliquerunt. Nam cum longe multumq; diuerſum ſit: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortẽ. Et: Amodo uidebitis filium hominis ſedentem à dextris uirtutis dei: neq; id ipſum

ſit:Pater ſi poſſibile eſt,tranſeat à me calix iſte.Et illud: Calicem quem dedit mihi pater meus non bibam illum? Longeq; diuerſum ſit: Deus deus meus,quare me dereliquiſti?ab eo:Amen dico tibi,hodie mecũ eris in paradiſo: multum quoq; diſſentiat: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.Et illud:Pater remitte illis, quia quid faciunt neſciunt: ad impietatem reciderunt diuinorum dictorũ incapaces,& cum non conueniat trepidationi & libertati,feſtinationi & excuſationi,querelæ & adhortationi:diffidentiæ & interceſſioni:diuinæ profeſſionis naturæq; immemores ad argumentum impietatis ſuæ,diſpenſationis geſta & dicta tenuerunt. Itaque nos demonſtratis omnibus quæ in ſacramento & animæ & corporis domini noſtri Ieſu Chriſti ſunt, ad ſacramenti religionem nihil inexploratũ, nihil tacitum dereliquimus, ſed dictorum omnium pacificam intelligentiam ſingulis quibuſq; cauſarum generibus coaptantes: nec trepidare fiduciam,nec euitare uoluntatem,nec conqueri ſecuritatem,nec commendationem ſui orantẽ,alijs ueniam*dediſſe monſtrauimus: fidem dictorum uniuerſorum abſoluta Euangelici myſterij prædicatione firmãtes. Igitur quia deſperatiſſimos homines ne ipſa quidem reſurrectionis gloria intra religionis intelligentiam edoctos cohibuit, ſed aut per dignationis profeſſionem,impietatis ſuæ arma ſumpſerunt, aut ſacramẽtum reuelationis ad dei contumeliam tranſtulerũt,ut per id quod dictum eſt: Aſcendo ad patrem meum & ad patrem ueſtrum,deum meũ & deum ueſtrum: dum communis nobis atq; ipſi & pater pater eſt, & deus deus eſt, extra exceptionem ueri dei ſit in profeſſione communi,eumq; ſicut nos & creationis neceſſitas creatori deo ſubdat:& adoptio aſſumat in filium. Iam uero nulla in eo diuinæ naturæ proprietas exiſtimanda ſit,ſecũdum Apoſtoli dictum: Cum autem dixerit: Omnia ei ſubiecta ſunt, præter eum qui ſubiecit ei omnia: cum enim fuerint ſubiecta ei omnia, tunc & ipſe ſubiectus erit ei qui ſibi ſubiecit omnia, ut ſit deus omnia in omnibus, quia ſubiectio & infirmitatem ſubiecti proteſtetur, & dominantis ſignificet poteſtatem.

*Als*deſideraſſe*

Arg.undecimi libri

In his quoq; cum ſumma religionis demõſtratione tractandis liber undecimus occupatur:etiam ex his ipſis dictis apoſtolicis demonſtrans,non modo nõ ad diuinitatis infirmitatem ſubiectionem proficere, ſed per eam ipſam ueritatẽ dei,quia ex deo ſit natus,oſtendi, & per id quod ſibi ac nobis & pater pater eſt,& deus deus eſt,nobis multum acquiri, & ei nihil detrahi, cum ſcilicet homo natus, & uniuerſis carnis noſtræ paſſionibus functus,ad deum & patrem noſtrum,ut homo noſter in deum glorificandus aſcenderet. Quod autem in omni genere doctrinarum obſeruari ſemper meminimus:ut ſi qui diu tenui primum exercitatione longoq; uſu humilioris ſtudij fuerint eruditi,tum iam ad rerum ipſarum, quibus imbuti ſunt, experimẽta mittãtur: ut cum iam bene luſerint bella militaturi, in militiam protra/

protrahantur:aut cum forenſes lites ſcholares materiæ tentauerint, tũc mit tantur ad tribunalium pugnas: aut cum in ſtagnis domeſticis nauim nau ta intrepidus inſtruxerit, tunc magni & peregrini maris committatur pro cellis: id ipſum nos in hac maxima ac grauiſsima totius fidei intelligentia facere curauimus. Nanq; cum ante à leuibus initijs de natiuitate, de nomi ne, de diuinitate, de ueritate fidem teneram imbuiſſemus, ac leni profectu etiam uſq; ad euellendas omneis hæreticorum occaſiones, legentium ſtu dia extuliſſemus, tum eos ad ipſam palæſtrã glorioſi certaminis magnic̃q; produximus, ut in quantum ad æternæ natiuitatis complectendam intelli gentiam humana mens cõmunis ſenſus opinione deficitur, in tantum ſtu dijs diuinis ad ſentienda ea, quæ ultra naturæ noſtræ opinionem ſunt nite retur, omnem hanc maxime diſſoluentes, quæ ſecularis ſapientiæ hebetu dine inualeſcens, de domino noſtro Ieſu Chriſto ratione ſe putat dicere. Erat quando non erat, & non fuit antequam naſceretur: & de non extanti bus factus eſt, ut quia natiuitas eam uideatur afferre cauſam, ut eſſet, qui non erat, & cum non exiſteret naſceretur, per id quoq; unigenitum deum temporum ſenſui ſubdant. Quaſi uero non fuiſſe eum aliquando fides & ratio ipſa natiuitatis oſtendat. Atq; ideo ex eo quod non fuit, natum eſſe dicant, quia natiuitas præſtet eſſe quod non fuit. Sed nos Apoſtolicis atq; Euangelicis teſtimonijs ſemper patrem & filium prædicantes, non poſt ali qua deum omniũ, ſed ante omnia eſſe docebimus: neq; incidere in eum ir religioſę huius intelligentię temeritatẽ, ut de non extantibus naſceretur, & non fuerit antec̃q; natus ſit, ſed ita ſemper fuiſſe, ut & natũ prædicemus: ita uero natum eſſe, ut ſemper fuiſſe manifeſtemus: ſitc̃q; in eo non innaſcibili tatis exceptio, ſed natiuitatis æternitas, quia & natiuitas autorem habeat, neq; careat æternitate diuinitas. Et quia dicti prophetici inſcij, & cœleſtis doctrinæ imperiti ſunt, corrupto ſenſu, ac proprietate ſententiæ creatũ eſſe per id deũ potius c̃q; natum affirmare nituntur, quia dictum eſt: Dominus creauit me initiũ uiarum ſuarũ in opera ſua, ut ſit ex cõmuni creationũ na tura, licet ſit prę̃ſtantior in generatione creationis: neq; in eo ſit gloria diui næ natiuitatis, ſed uirtus potentis creaturæ. Verum nos nihil nouum, nihil extrinſecus præſumptum afferentes, in ipſo illo ſapientiæ teſtimonio ueri tatem dicti rationemc̃q; præſtabimus: neq; ad natiuitatis diuinę & ęternæ intelligentiam trahi poſſe, quòd initium uiarum dei & in opera ſit creatus, quia non idem ſit in hæc creatum eſſe, & ante omnia natum eſſe: cum ubi natiuitatis ſignificatio eſt, ſola natiuitatis profeſſio ſit: ubi uero creationis eſt nomen, ibi cauſa eiuſdem creationis anterior eſt: & cum ante omnia ſit nata ſapiẽtia, tamen quia etiã in res aliquas ſit creata, nõ id ipſum ſit quod ante omnia eſt, & quod cœpit eſſe poſt aliqua.

Quomodo dicitur creata ſapientia, qui eſt filius dei

Dehinc conſequens uiſum eſt, creationis nomine à fide, quæ nobis de *Arg.12.libri*

unigenito deo eſt,repudiato, ea quoq; quæ in confeſsione ſancti ſpiritus cógrua ac religioſa eſſent docere, ut iam cõfirmato longo anteriorũ libellorum diligentiq; tractatu,nihil de tota fidei abſolutione deeſſet: cum amotis uitioſarũ prædicationũ,etiam de opinione ſancti ſpiritus irreligioſitatibus illæſum atq; incontaminatũ regenerantis trinitatis ſacramentũ intra diffinitionẽ ſalutarem apoſtolica atq; euangelica autoritas cõtineret. Neq; iam per ſenſus humani ſententiã ſpiritũ dei inter creaturas quiſquã auderet referre,quem ad immortalitatis pignus & ad diuinæ incorruptæq; na-
Inuocatio turæ conſortiũ ſumeremus. Ego quidem hoc uel præcipuũ uitæ meæ officium debere me tibi pater omnipotens deus conſcius ſum, ut te omnis ſermo meus & ſenſus loquatur:neq; enim ullum aliud maius prẽmiũ hic ipſe uſus mihi à te conceſſus loquendi poteſt referre, q̃ ut prædicando te tibi ſeruiat, teq; quod es patrem ſcilicet unigeniti dei aut ignoranti ſeculo, aut neganti hæretico demonſtret. Et in hoc quidem tantum uoluntatis meæ profeſſio eſt:cæterum auxilij & miſericordiæ tuæ munus orandũ eſt,ut extenta tibi fidei noſtræ,confeſſionis q; uela flatu ſpiritus tui impleas, nosq; in curſum prædicationis initæ propellas.Non enim nobis infidelis ſponſionis iſtius autor es, dicens: Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur uobis. Nos quidem inopes, ea quibus egemus precabimur, & in ſcrutãdis prophetarũ tuorum apoſtolorumq; dictis ſtudium peruicax afferemus, & omnes obſeratæ intelligentiæ aditus pulſabimus: ſed tuum eſt, & oratum tribuere, & quæſitũ adeſſe,& patere pulſatũ. Torpemus enim quodam naturæ noſtræ pigro ſtupore, & ad res tuas intelligendas intra ignorãtiæ neceſſitatẽ ingenij noſtri imbecillitate cohibemur: ſed doctrinæ tuæ ſtudia ad ſenſum nos diuinæ cognitionis inſtituant, & ultra naturalem opinionem fidei obedientia prouehat. Expectamus ergo ut trepidi huius cœpti exordia incites, & profectu accreſcente cõfirmes, & ad cõſortium uel prophetalis uel apoſtolici ſpiritus uoces, ut dicta eorum non alio q̃ ipſi loquuti ſunt ſenſu apprehendamus, uerborumq; proprietates ijſdem rerum ſignificationibus exequamur. Locuturi enim ſumus, quæ ab ijs in ſacramento prædicata ſunt,te æternum deum,æterni dei unigeniti patrem,& unum te ſine natiuitate, & unum dominum Ieſum Chriſtum ex te natiuitatis æternæ, non in deorum numerum ueritatis diuerſitate referendum:neq; non ex te genitum,qui deus unus es,prædicandum: neq; aliud q̃ deũ uerum,qui ex te deo uero patre natus eſt, confitendum. Tribue ergo nobis uerborũ ſignificationem,intelligẽtiæ lumen, dictorum honorẽ,ueritatis fidem, & præſta ut quod credimus, & loquamur ſcilicet, ut cõtingat nobis unũ te deũ patrem,& unum dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum de prophetis atq; apoſtolis cognoſcentibus, nunc aduerſum negantes hæreticos,ita deũ & te celebrare, ne ſolũ,& eum prædicare, ne falſum.

Diui

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER SECVNDVS



VFficiebat quidem credentibus dei ſermo, qui in aures noſtras Euangeliſtę teſtimonio cum ipſa ueritatis ſuæ uirtute transfuſus eſt,cum dicit dominus: Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui uobis, & ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſeculi. Quid enim in eodem ſacramento ſalutis humanæ non continetur? aut quid eſt quod reliquum ſit,aut obſcurum? Plena ſunt omnia & perfecta, ut à pleno & perfecto. Nam & uerborum ſignificationem, & efficientiam rerum,& negociorum ordinem, & naturæ intelligentiam comprehendũt. Baptizare iuſſit in nomine patris,& filij,& ſpiritus ſancti,id eſt,in confeſſione & autoris,& unigeniti,& doni. Autor unus eſt omnium:unus eſt enim ingenitus deus pater,ex quo omnia:& unus unigenitus dominus noſter Ieſus Chriſtus,per quem omnia: & unus ſpiritus donum in omnibus. Omnia ergo ſunt ſuis uirtutibus ac meritis ordinata: una poteſtas innaſcibilis, ex qua omnia:una progenies,per quã omnia:perfectæ ſpei munus unum. Nec deeſſe quicquam conſummationi tantæ reperietur, intra * quam non ſit in patre,& filio, & ſpiritu ſancto, infinitas in æterno,ſpecies in imagine, uſus in munere. Sed compellimur hæreticorum & blaſphemãtium uitijs, illicita agere,ardua ſcandere, ineffabilia eloqui, inconceſſa præſumere. Et cum ſola fide expleri quæ præcepta ſunt oporteret,perſonis ac rebus adorare ſcilicet patrem,& uenerari cum eo filium,ſancto ſpiritu abundare: cogimur ſermonis noſtri humilitatem ad ea, quæ inenarrabilia ſunt extendere,& in uitium uitio coarctamur alieno, ut quæ contineri religione mentium oportuiſſet,nunc in periculum humani eloquij proferantur. Extiterunt enim plures,qui cœleſtium uerborum ſimplicitatẽ pro uoluntatis ſuæ ſenſu,non pro ueritatis ipſius abſolutione ſuſciperent aliter interpretanda, cũ dictorum uirtus poſtularet. De intelligẽtia enim hæreſis, non de ſcriptura eſt,& ſenſus non ſermo fit crimen. Nunquid corrumpi ueritas poteſt,cum patris nomen auditur? Nunquid natura filij,cum * continetur in nomine? Nunquid ſpiritus ſanctus non erit qui nuncupatur? Neque enim in patre poteſt non eſſe quod pater eſt, neq; in filio deeſſe quod filius eſt, neq; in ſpiritu ſancto non extare quod ſumitur. Sed homines mente peruerſi omnia confundunt & implicant: & uſq; ad naturæ demutationem, ſenſus ſui peruerſitate contendunt,ut quod pater eſt patri adimant, dum uolũt filio

*Alꝭ *intra quam ſit*

Non additur in uetuſtiſſimo codice, perſonis ac rebus

E ſcriptura perperam intellecta naſcitur hæreſis

*Alꝭ *non*

auferre quod filius eſt. Adimũt autẽ, quãdo cum his non de natura ſit filius. Non ex natura autem eſt filius, quando non eadem in ſe habent ortus & generans. Neq; enim filius eſt, cui alia ac diſsimilis erit à patre ſubſtantia. Pater autem quomodo erit, ſi non quod in ſe ſubſtantiæ atque naturæ eſt, *genuerit in filio?

Alij *agnoſcat

Hæc igitur licet mutare de eo quod ſunt nullo modo poſſint, afferũt tamen doctrinas nouas & humana cõmenta, ut Sabellius patrẽ extendit in filiũ, idq; nominibus potius confitendũ putet eſſe q̃ rebus, cum ipſum ſibi filiũ, ipſum proponat & patrem: ut Hebion omne initiũ filio dei ex Maria concedens, non ex deo hominem, ſed ex homine deum proferat, neq; ſubſiſtens antea, quod in principio apud deum erat deus uerbũ, uirgo in carne ſuſceperit, ſed carnem genuerit per uerbum, quia non in uerbo antea exiſtentis unigeniti dei naturam dicat, ſed ſonum uocis elatum.

Sabellius

Hebion

Vt aliqui huius nũc tẽporis prædicatores, qui ex nihilo, atq; à tempore formã & ſapientiã, & uirtutem dei prouehunt, ne ſi ex patre ſit filius, deus ſit imminutus in filiũ, ſoliciti nimiũ, ne patrẽ filius ab eo natus euacuet, atq; idcirco deo in filij procreatione ſubueniãt, eũ de nõ extantibus cõparando, ut intra naturę ſuę perfectionẽ pater, quia nihil ex eo ſit genitũ, perſeueret.

Ariani

Iam uero quid mirũ, ut de ſpiritu ſancto diuerſa nũc ſentiãt, qui in largitore eius, & autore creando, & demutando, & abolendo tam temerarij ſint autores? atq; ita diſſoluãt perfecti huius ſacramẽti ueritatẽ, dum ſubſtantias diuerſitatũ in rebus tam cõmunibus moliuntur: patrẽ negando, dum filio quod eſt filius adimũt: ſpiritum ſanctũ neſciendo, dum & uſum & autorem eius ignorant: ita & imperitos perdunt, dum rationẽ prædicationis huius affirmant: & audientes fallunt, dum naturas nominibus adimunt, quia nomina nõ poſſunt auferre naturis. Prætermitto reliqua humani periculi nomina, Valentinos, Marcionitas, Manichæos, peſtesq; cæteras, quę interdum imperitorũ mentes occupant, & ipſo contagio cõuerſationis inficiunt: fitq; omniũ lues una, dum in audientiũ ſenſus prædicantiũ morbus infunditur. Horũ igitur infidelitas in anceps nos periculũ pertrahit, ut neceſſe ſit de tantis ac tam recõditis rebus aliquid præſcriptũ cœleſte proferre. Dixerat dominus baptizandas gentes in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. forma fidei certa eſt, ſed quantum ad hæreticos omnis ſenſus incertus eſt. Ergo non præceptis aliquid addendũ eſt, ſed modus conſtituendus eſt audaciæ, ut quia malignitas inſtinctu diabolicæ fraudulentiæ excitata, ueritatem rerum per naturæ nomina eludit, nos naturas nominũ proferamus, & ędítis pro ut in uerbis habebimus, dignitate atq; officio patris, & filij, & ſpiritus ſancti, nõ fruſtrẽtur naturæ proprietatibus nominũ, ſed intra naturæ ſignificationem nominibus coarctentur. Et neſcio quid his de rebus aliter ſentientibus animi ſit, ueritatem corrumpentibus, tenebras lumini inferen-

tibus

tibus,indiſſecabilia diſſecantibus,incorrupta ſcindentibus,indiuiſa partien tibus: quibus ſi factu facile eſſet, cuperent perfecta cõcerpere, ius ponere poteſtati,modũ ſcribere infinito. Mihi certe his reſpondenti in curis æſtus eſt,in ſenſu labes eſt,in intelligentia ſtupor eſt,in ſermone autem non iam infirmitatem ſed ſilentium cõfitebor.Et certe mihi extorquetur hoc uelle, dum & audaciæ reſiſtitur,& errori conſulitur,& ignorantię prouidetur.Im menſum eſt autem quod exigitur,incomprehenſibile eſt quod audetur,ut ultra præfinitionem dei ſermo de deo ſit. Poſuit naturæ nomina, patrem, filium,ſpiritum ſanctum. Extra ſignificantiam ſermonis eſt, extra ſenſus intentionem, extra intelligentiæ conceptionem, quicquid ultra quæritur, non enunciatur,non attingitur,non tenetur. Verborum ſignificantiam rei ipſius natura conſumit,ſenſus cõtemplationem,imperſpicabile lumen ob cæcat intelligentiæ capacitatem, quicquid fine nullo continetur, excedit. Sed nos neceſſitatis huius ab eo qui hæc omnia eſt, ueniam deprecantes audebimus,quæremus,loquemur,& quod ſolum in tanta rerum quæſtio ne promittimus,ea quæ ſunt ſignificata credemus. Pater eſt,ex quo omne quod eſt conſiſtit: ipſe in Chriſto & per Chriſtum, origo omnium.Cæ terum*eſſe in ſeſe eſt,non aliunde,quod eſt ſumens, ſed id quod eſt,ex ſe, atq; in ſe continens. Infinitus, quia non ipſe in aliquo, ſed intra eum om nia:ſemper extra locum, quia non continetur in loco: ſemper ante æuum, quia tempus ab eo eſt.Curre ſenſu,ſi quid ei putas ultimum eſſe, eum ſem per inuenies:quia cum ſemper intendas,ſemper eſt quò intendas.Semper autem locum eius intendere ita tibi eſt, ut ei eſſe ſemper ſine fine eſt. Ser mo in eo deficiet,non natura claudetur.Iterum reuolue tempora,eſſe ſem per inuenies:& cum calculi numerus in ſermone defecerit, deo tamen ſem per eſſe non deficit.Intelligentiam commoue,& totum mente complecte re,nihil tenes, quia totum hoc habet reliquum: reliquũ autem hoc ſemper in toto eſt,ergo neq; totũ ei eſt,cui reliquũ eſt:neq; reliquum eſt,cui omne quod eſt,totũ eſt. Reliquũ enim portio eſt,omne uero,quod totũ eſt. De us autem & ubiq; eſt,& totus ubiq; eſt.Ita regionẽ intelligentiæ excedit,& extra quem nihil eſt, & cui eſt ſemper ut ſemper ſit. Hæc ueritas eſt ſacra menti dei,hoc imperſpicabilis naturæ nomen in patre. Deus inuiſibilis,in effabilis,infinitus,ad quem & eloquendũ ſermo ſileat,& inueſtigandũ ſen ſus hebetet,& cõplectendũ intelligẽtia coarctet.Habet tamẽ, ut diximus, naturę ſuæ nomen in patre,ſed pater tantũ eſt. Non enim humano modo habet aliũde quod pater eſt,ſed potẽs in ſemetipſo habere quod pater eſt, ipſe ingenitus,ęternus,habẽs in ſe ſemper, ut pater ſemper ſit: ſoli filio no tus, quia patrẽ nemo nouit niſi filius,& cui uoluerit filius reuelare: neq; fili um niſi pater: illis ſciẽtia mutua eſt,illis uiciſſim cognitio perfecta. Et quia patrẽ nemo nouit niſi filius,de patre unà cum filio reuelante filio,qui ſolus

Audi definitor temerarie

Patris natura

*Fort.*ipſe*

teſtis fidelis eſt,ſentiamus. Atq; hæc ſenſerim potius de patre q̄; dixerim: nam me non fugit, quòd ad ea quæ eius ſunt eloquenda ſermo omnis infirmus ſit.Sentiendus eſt inuiſibilis,incomprehenſibilis,ęternus.Cęterum ipſum,quod in ſemetipſo,& à ſemetipſo ſit,& quòd ipſe per ſe ſit,quòd inuiſibilis,& incomprehenſibilis, & immortalis,in his quidem honoris confeſſio eſt,& ſenſus ſignificatio,& quædam circunſcriptio opinandi.Sed naturæ ſermo ſuccumbit,& rem,ut eſt,uerba non explicant. Nanq; quod in ſemetipſo ſit cum audias,ratio humanę abſolutionis occurrit:habere enim haberiq; diſcernitur,& erit alterum quod eſt, alterū in quo eſt. Si rurſum quod à ſemetipſo ſit accipias,nemo ſibi ipſe & munerator & munus eſt.Si quod immortalis eſt,ergo eſt aliquis non ab eo, cui alter non fiat obnoxius,nec ſolū id eſt,quod per enunciationem uerbi huius uendicatur, ſed ab altero.Si quòd incomprehenſibilis eſt, nuſquā ergo erit quod negatur attingi.Si quòd inuiſibilis eſt,caret ſe ipſo quicquid non extat ad uiſum: deficit ergo in nuncupatione confeſſio,& quicquid illuc ſermonū aptabitur,deum ut eſt,quantusq; eſt,non loquetur.Perfecta ſcientia eſt, ſic deum ſcire, ut licet non ignorabilem,tamen inenarrabilem ſcias.Credendus eſt, intelligendus eſt,adorādus eſt,& his officijs eloquendus eſt. Euecti ergo de importuoſis locis,in alto turbatoq; mari ſumus, nec regredi, nec progredi ſine periculo licet,plus tamen difficultatis in emetiēdis eſt,q̄; in emenſis. Eſt pater ut eſt,& ut eſt eſſe credendus eſt.Filiū mens cōſternatur attingere,& trepidat omnis ſermo ſe prodere.Eſt em̄ progenies ingeniti, unus ex uno, uerus à uero,uiuus à uiuo,perfectus à perfecto,uirtutis uirtus,ſapientia ſapientiæ,gloria gloriæ,imago inuiſibilis dei,forma patris ingeniti. Quā autem progeniē opinabimur unigeniti ab ingenito? Clamat enim ſępenumero pater de cœlis:Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cōplacui. Non eſt abſciſſio,aut diuiſio:impaſſibilis eſt enim ille qui genuit,& imago inuiſibilis dei eſt ille qui natus eſt,& teſtat̄:Quia pater in me,& ego in patre.Nō eſt aſſumptio:uerus enim filius dei eſt,qui clamat:Qui me uidet,uidet & patrē.Sed neq; eſſe ut cætera uiſus eſt:nāq; unigenitus ex uno eſt,& in ſe habet uitā,ut habet in ſe uitā ille qui genuit. ait em̄ : Sicut habet pater uitā in ſemetipſo,ita dedit filio habere uitā in ſemetipſo.Sed neq; pars patris in filio eſt.teſtatur enim filius:Omnia quæ patris ſunt,mea ſunt. Et rurſum:Et mea omnia tua ſunt,& tua mea.Et: Quæcūq; habet pater dedit filio.Teſtatur & Apoſtolus:Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.Nec natura habet omnia eſſe quod portio eſt.Perfectus autē à perfecto eſt,quia qui habet omnia dedit omnia: neq; idcirco exiſtimandus eſt nō dediſſe quia habeat,uel non habere quia dederit . Habent igitur natiuitatis huius uterq; ſecretū,& ſi quis forte intelligētiæ ſuæ impu-

Filij ratio qualis

tabit generationis huius ſacramentū non poſſe ſe conſequi, cum tamen &

pater

pater ſit abſolute intelligendus & filius, maiore iſtud dolore à me audiet ignorari. Ego neſcio, non requiro, & conſolabor me tamen. Archangeli neſciunt, angeli non audierunt, ſecula non tenent, propheta nō ſenſit, apoſtolus non interrogauit, filius ipſe non ędidit. Ceſſet dolor querelarum. Nam te, quiſquis es qui hæc requiris, non reuoco in excelſum, nō in amplitudinē tendo, nō deduco in profundum, nónne æquanimiter ignorabis creatoris natiuitatem ignorans originem creaturæ? Hoc ſaltem requiro, ſentis ne te genitū, & quæ ex te generantur intelligis? Non quæro, ſenſum unde hauſeris, uitā unde ſortitus ſis, intelligentiā unde adeptus ſis, quale ſit quod in te eſt, odor, uiſus, ſenſus, auditus. Certe nemo quod facit neſcit. Quæro unde iſta ijs quos generes indulgeas, qualiter ſenſum inſeras, oculos accendas, cor affigas. Hæc ſi potes, enarra. Habes ergo quod neſcis, & tribuis quę nō intelligis, ęquanimiter imperitus in tuis, inſolenter in dei rebus ignarus. Audi igitur patrem ingenitū, audi unigenitū filium. Audi: Pater maior me eſt. Audi: Ego & pater unū ſumus. Audi: Qui me uidet, uidet & patrem. Audi: Pater in me eſt, & ego in patre. Audi: Ego de patre exiui. Et: Qui eſt in ſinu patris. Et: Omnia quę habet pater, dedit filio. Et: Vitam filius in ſemetipſo habet, ſicut & pater habet in ſemetipſo. Audi filium imaginem, ſapiētiam, uirtutem, gloriam dei, & intellige per prophetam clamantem ſpiritum ſanctum: Generationem eius quis enarrabit? Et obiurga dominū teſtantem: Nemo nouit filium niſi pater, neq; patrem quis nouit niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Et inſere te in hoc ſecretum, & inter unum ingenitum deum & unum unigenitū deum arcano te inopinabilis natiuitatis immerge. Incipe, procurre, perſiſte, & ſi non peruenturum ſciam, gratulor tamen profecturum. Qui enim pie infinita perſequitur, & ſi non contingat aliquando, tamen proficiet prodeundo. Stat in hoc intelligentia fine uerborum. Eſt filius ab eo qui pater eſt: unigenitus ab ingenito: progenies à parente: uiuus à uiuo. Vt enim pater habet uitam in ſemetipſo, ita & filio data eſt uita in ſemetipſo. Perfectus à perfecto, quia totus à toto, non diuiſio aut ſciſſio, quia alter in altero, & plenitudo diuinitatis in filio eſt. Incomprehenſibilis ab incomprehenſibili, nouit enim nemo niſi inuicem. Inuiſibilis ab inuiſibili, quia imago dei inuiſibilis eſt, & quia qui uidet filium, uidet & patrem. Alius ab alio, quia pater & filius. Nō natura diuinitatis alia & alia, quia ambo unū. Deus à deo. Ab uno ingenito deo unus unigenitus deus. Non dij duo, ſed unus ab uno. Non ingeniti duo, quia natus eſt ab innato. Alter ab altero nihil differens, quia uita uiuentis in uiuo eſt. Hęc de natura diuinitatis attigimus, non ſummā intelligentiæ comprehendentes, ſed intelligentes eſſe incomprehenſibilia quæ loquamur. Nullum ergo dicis officium eſt fidei, ſi nihil poterit comprehendi. Imò hoc officium fides profiteatur, id quod credit incomprehenſibile ſibi eſſe ſe ſcire: Supereſt de

inenarrabili

inenarrabili generatione filij adhuc aliquid,imò aliquid illud adhuc totum eſt. Aeſtuo,differor,hebeſco,& unde incipiam neſcio:neſcio enim quando natus ſit filius, & nefas mihi eſt neſcire quòd natus ſit. Quem imprecer? quem implorem? ex quibus libris ad tantarum difficultatũ enarrationem uerba præſumam? Euoluam omnem Græciæ ſcholam? Sed legi: Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor huius ſeculi? In hoc enim ſophiſtæ mundi & ſapientes ſeculi muti ſunt,ſapientiam enim dei reprobauerunt. Scribam ergo legis conſulam? ſed ignorat,quia ei crux Chriſti ſcandalum eſt. Hortabor forte uos conniuere & tacere,quia ad uenerationem ſatis ſit eius qui prædicatur,leproſos emundatos fuiſſe, ſurdos audiſſe,claudos cucurriſſe, paralyticos conſtitiſſe,cæcos lumen recepiſſe, cæcum ab utero oculos conſequutum, dæmones fugatos,ægrotos reualuiſſe,mortuos reuixiſſe. Sed hæc hęretici confitentur & pereũt. Expectate itaq; nihil minus claudorum curſu,cæcorum uiſu,fuga dæmonum,uita mortuorum. Conſiſtit,Hebion, mecum in patrocinium æditarũ ſuperius difficultatũ piſcator egens, ignotus,indoctus,manibus lino occupatis,ueſte uuida,pedibus limo oblitis, totus è naui. Quærite & intelligite,circunſpicite utrum mirabilius fuerit mortuũm excitaſſe,an imperito ſcientiam doctrinæ iſtius intimaſſe. Ait enim piſcator: In principio erat uerbum. Quid eſt iſtud, in principio erat? tranſeuntur tempora,tranſcenduntur ſecula,tolluntur ętates,pone aliquid quod uoles tua principium opinione,non tenes tempore:erat enim unde tractatur. Reſpice ergo ad mundũ,& intellige quid de eo ſcriptum ſit: In principio fecit deus cœlũ & terram. Fit ergo in principio quod creatur,& ætatem continet quod in principio cõtinetur ut fieret. Meus autem piſcator illiteratus,indoctus,liber à tempore eſt,ſolutus à ſeculis, uicit omne principium: erat enim quod eſt, neq; in tempore aliquo concluditur, ut cœperit quod erat potius in principio quàm fiebat. Sed excidiſſe fortaſſe ab ordine propoſitæ diſtributionis piſcatorem noſtrum deprehendemus. Verbũ enim tempore liberauit,& ſuum eſt, ſibiq; quod liberũ & ſolitarium, & obtemperans nemini eſt. Aures arrigamus ad cætera. ait enim: Et uerbum erat apud deum. Iam ſine principio eſt apud deum, quod erat ante principium. Ergo erat qui eſſet apud deum: & quia abeſt à conditione temporis, non abeſt ab autore. Piſcator noſter euaſit,ſed fortaſſe hęrebit in cæteris. Dices enim,uerbum ſonus uocis eſt,& enunciatio negociorum, & eloquutio cogitationum,hoc apud deum erat,& in principio erat. In principio erat,quia ſermo cogitationis æternus eſt, cum qui cogitat ſit æternus. Reſpondebo tibi interim pro piſcatore meo paucis, dum uidemus quomodo ruſticitatẽ ipſe defendat. Sermo in natura nõ habet ut eſſe poſſit, ſequens autẽ ei eſt ut fuerit: eſt uero tantũ cum auditur, & quomodo in principio erat, quod neque ante tempus, neq; poſt tempus eſt? & neſcio an uel ipſo eſſe poſſit in tem-

Stulta mundi ſapientia

Sapiens apoſtolorum imperitia

Sermo ab æterno æternus

in tempore. Loquentium enim ſermo non eſt anteq̃ loquantur, & cum locuti erunt, non erit: in eo autem ipſo quod loquũtur dum finiunt, iam non erit id unde cœperunt. Hæc à me, ut ab uno ex cæteris. Sed piſcator meus aliter pro ſe, & obiurgabit te prius, cur negligenter audieris: nam & ſi ſententiam primam rudis auditor amiſeras, in principio erat uerbum: de ſequenti quid quereris, & uerbum erat apud deum? Nunquid audieras, in deo, ut ſermonẽ reconditæ cogitationis acciperes? Aut fefellerat ruſticum, quid eſſet inter eſſe, & inter ineſſe, & inter adeſſe, momenti? Id enim quod in principio erat, non in altero prædicatur eſſe, ſed cum altero. Sed de ſuperioribus nihil ſumo, cõſequentia ſibi adſint, ſtatũ uerbi & nomen expecta. Adiũcit nanq̃: Et deus erat uerbum. Ceſſat ſonus uocis, & cogitationis eloquium. Verbum hoc res eſt, non ſonus: natura, nõ ſermo: deus, non inanitas eſt. Sed trepido in dicto, & me inſolens ſermo* cõmouit. Audio: Et deus erat uerbũ, cum unũ deũ prophetæ nunciauerint. Sed ne quò ultra trepidatio mea progredi poſſit, reddit ſacramẽti tanti piſcator meus diſpenſationem: & referens ad unũ omnia ſine cõtumelia, ſine abolitione, ſine tempore, ait enim: Hoc erat in principio apud deũ. Cum hoc erat in principio, non tenetur in tempore: cum deus eſt, nõ refertur ad uocem: cum eſt apud deũ, nihil nec confunditur, nec cõfertur: nam nec aboletur in alterũ, & apud unum ingenitũ deũ, ex quo ipſe unus unigenitus eſt, deus prædicatur. Expectamus à te adhuc piſcator plenitudinem uerbi: erat quidem in principio, ſed potuit non eſſe ante principiũ. Etiam hic tibi aliquid pro piſcatore meo profero: Quod erat, nõ potuit non fuiſſe: erat enim non habet in tempore non fuiſſe. Sed quid pro ſe ille? Omnia per ipſum facta ſunt, ergo nihil ſine illo eſt, per quem uniuerſa cœperũt: & in infinito eſt, per quẽ quod eſt, omne ſit factum. Tempus enim eſt ſpaciũ non in loco, ſed in ætate manentis ſignificata moderatio. Et cum ab eo ſint omnia, res nulla nõ ab eo, & idcirco tempus ab eo eſt. Sed dicitur tibi ab aliquo piſcator meus, nimium facilis & promiſcuus hic fuiſti. Omnia per ipſum facta ſunt. Non habet modũ, eſt ingenitus, qui à nemine factus eſt: eſt & ipſe genitus ab innato, ſine exceptione ſunt omnia, & nihil quod extra ſit derelinquunt. Sed dum nihil ultra dicere audemus, aut forte dum dicere molimur, occurrit, occurrit planè: Et ſine eo factũ eſt nihil. Piſcator, reddidiſti autorem, cum ſocium profeſſus es. Cum enim nihil ſine eo, intelligo non ſolũ, quia alius eſt per quem, & alius ſine quo: utrunq; diſcernitur, ſignificatio & interuenientis & agentis. Sed ſolicitor de autore, qui unus ingenitus eſt, ne in eo quod omnia diceres, nihil eſſet exceptũ, ſoluiſti metũ dicẽdo: Et ſine eo factũ eſt nihil. Verũ cõfundor & turbor in eo, quod ſine eo factũ eſt nihil. Eſt ergo aliquid per alterũ factum, quod tamen non ſit ſine eo factum, & ſi aliquid per alterũ licet non ſine eo, iam non per eum omnia: quia aliud eſt feciſſe,

aliud

* Als *commouit*

aliud interueniſſe faciẽti. Non habeo hic piſcator meus, ut in cæteris quod ex meo proferam, à tuo ore ſtatim reſpondendum eſt: Omnia per ipſum facta ſunt. Sẽtio. Apoſtolus enim Paulus docuit: Viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo. Cum ergo omnia per ipſum, ſubueni & enarra, quid non ſine eo factum ſit quod factum ſit. Quod factum eſt in eo uita erat. Hoc igitur non ſine eo, quod in eo factũ eſt: nam & id quod in eo factum eſt, etiam per eum factũ eſt. Omnia enim per ipſum, & in ipſo creata ſunt. In ipſo autem creata, quia naſcebatur creator deus: ſed etiã ex hoc ſine eo nihil factum eſt, quod in eo factum eſt: quia naſcens deus uita erat: & quia uita erat, non poſtea quàm eſt natus effectus eſt uita: nõ enim in eo aliud eſt quod natus eſt, & aliud eſt quod natus accepit. Non habẽt inter ſe tempus & natiuitas & profectus, ſed nihil ſine eo fiebat ex iis, quæ in eo fiebant, quia uita eſt in quo fiebãt: & deus qui à deo natus eſt, non poſtea q̃ natus eſt, ſed naſcendo deus extitit. Naſcens enim à uiuente uiuus, à uero uerus, à perfecto perfectus: non ſine poteſtate natiuitatis ſuæ natus eſt, natiuitatem ſcilicet ſuam nõ poſtea ſentiens, ſed ſe deum in eo ipſo quod deus ex deo naſcebatur intelligẽs: hoc unigenitus ab ingenito: hoc ego & pater unum ſumus: hoc in confeſſione patris & filij deus unus: hoc pater in filio, & filius in patre: hinc qui me uidet, uidet & patrem: hinc omnia quę habet pater, dedit filio: hinc ſicut habet pater uitam in ſemetipſo, ita dedit filio uitam habere in ſemetipſo: hinc nemo nouit filium niſi pater, neq; patrem niſi filius: hinc in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: hæc uita eſt: hæc lux tenebras illuminans: & ut impoſſibilitatem gene
Alꝫ *conſeruaret rationis eius enarrandæ ſecundum prophetam piſcator * conſolaretur, adiecit: Et tenebræ eam non comprehenderunt. Ceſſit ſermo naturæ, & non habet quò excurrat, & tamen hoc piſcator iſte recubans in dominicum pectus accepit. Non eſt iſte ſeculi ſermo, quia de quo agitur, nõ ſeculi res eſt. Addatur aliquid, ſi in ſignificatione uerborum reperiri poteſt ultra quàm dictum ſit: & ſi qua ſunt alia expoſitæ à nobis naturæ nomina, proferantur: quæ ſi non ſunt, imò quia non ſunt, miremur hanc in piſcatore doctrinam, & in eo eloquia dei ſentiamus, confeſſionemq; patris & filij, ingeniti & unigeniti, inenarrabilem, & excedentem complexum omnem & ſermonis, & ſenſus teneamus atq; adoremus, & in domino Ieſu exemplo Ioannis, ut hæc poſſimus ſentire & colloqui, accubemus. Commendat autem fidei huius integritatem, & euangelica autoritas, & apoſtolica doctrina, & circumſtrepentium undiq; hæreticorũ odioſa fraudulentia. Stat enim hoc fundamentum ualidum & immotum aduerſus omnes uentos, pluuias, torrentes, non flatibus pellendum, non ſtillicidiis penetrandũ, non inundatio
Alꝫ ſubruẽdũ nibus * ſubluendum, & optimũ eſt quicquid à plurimis incurſatũ, à nullo tamen

tamen poterit impelli. Vt autem quædam medicamentorum genera ſunt ita comparata, ut non in ſingulis tantum ægritudinibus utilia ſint, ſed omnibus in commune medeantur, habeantq; in ſe uirtutem generalis auxilij: ita & fides catholica non aduerſum ſingulas tantum peſtes, ſed contra omnes morbos opem medelæ cõmunis impertit, non infirmanda genere, non uincenda numero, non diuerſitate fallenda, ſed una atq; eadem aduerſum ſingula omniaq; conſiſtit. Magnum eſt enim, tot in una eademq; remedia eſſe quot morbos, & totidem ueritatis eſſe doctrinas, quotidem erunt ſtudia falſitatis. Contrahantur in unum nomina hæreticorum, & omnes ſcholæ prodeant, audiant unum ingenitũ deum patrem, & unum unigenitum *deum filium perfecti patris progeniem perfectam: nõ per diminutionem genitum, non ex ſolido parte aliqua deciſum, ſed omnia habentem genuiſſe, omnia conſecutum, non ex deriuatione fluxu ue deductum, ſed ex omnibus atq; in omnibus natum ab eo, qui in omnibus, in quibus eſt, eſſe non deſinat, liberum à tempore, ſolutum à ſeculis, per quem omnia facta ſunt: neq; enim eſſe in his potuit, quæ ab ipſo ſunt inſtituta. Hæc de Euangelijs catholica & apoſtolica confeſſio eſt.

Als dei.

Patrem & filium, ſi audet, Sabellius eundem prædicet, & ipſum illum eſſe qui utrunq; ſit nuncupatus: ut cum eo unus ſit ambo, non unum. Audiet ſtatim de Euangelijs non ſemel, neq; iterum, ſed frequenter: Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene complacui. Audiet: Pater maior me eſt. Audiet: Ego uado ad patrem. Et: Pater gratias tibi ago. Et: Clarifica me pater. Et. Tu es filius dei uiui.

Teſtimonia contra Sabellium

Subrepat Hebion, omne initium filio dei ex Maria concedens, & uerbũ à diebus carnis intelligens relegat: Pater clarifica me apud temetipſum ea claritate, qua fui apud te priuſquam mundus eſſet. Et: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbũ, & omnia per eum facta ſunt. Et iterum: In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Exiſtant nouelli apoſtolatus, ſed ſub antichriſto prædicatores, id eſt, Ariani omni contumelia dei filium illudentes, & audient: Ego de patre exiui. Et: Filius qui eſt in patris ſinu. Et: Ego & pater unũ ſumus. Ego in patre & pater in me: Et poſtremo unà cũ Iudæis iraſcantur, quòd Chriſtus proprium ſibi patrem deum confitens, æqualem ſe deo fecerit, & unà cum ijs audiant: Vel operibus meis credite, quia pater in me & ego in patre. Vnum igitur hoc eſt immobile fundamentum, unà hæc eſt felix fidei petra Petri ore confeſſa: Tu es filius dei uiui, tanta in ſe ſuſtinens argumenta ueritatis, quantæ peruerſitatum quæſtiones & infidelitatis calumniæ mouebuntur. Iam in cæteris diſpenſatio uoluntatis paternæ eſt.

Contra Hebionem

Contra Arianos

Petram interpretatur ipſam fidei profeßionem

Virgo, partus, & corpus, poſtq; crux, mors, inferi, ſalus noſtra eſt. Humani enim generis cauſa dei filius natus ex uirgine eſt & ſpiritu ſancto,

Christi incarnatio ipso sibi in hac operatione famulante, & sua uidelicet dei inumbrante uirtute, corporis sibi initia conseuit: & exordia carnis instituit, ut homo factus ex uirgine naturam in se carnis acciperet, perq; huius admixtionis societatem sanctificatum in eo uniuersi generis humani corpus existeret: ut quemadmodum omnes in se per id quod corporeum se esse uoluit conderentur, ita rursum in omnes ipse per id quod eius est inuisibile, referretur.

Natiuitas Dei igitur imago inuisibilis pudorem humani exordij non recusauit, & per conceptionem, partum, uagitum & cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcucurrit. Quid tandem dignum à nobis tantæ dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis à deo originis unus unigenitus deus in corpusculi humani formã sanctæ uirginis utero insertus accrescit. Qui omnia continet, & intra quẽ, & per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur, ad cuius uocem archangeli & angeli tremunt, cœlum & terra & omnia mundi huius resoluentur elementa, uagitu infantiæ auditur. Qui inuisibilis & incomprehensibilis est, nõ uisu, sensu, tactuq; moderandus, cunis est obuolutus. Hæc si quis indigna deo recolet, tanto se maioris beneficij obnoxium confitebitur, quanto minus hæc dei conuenerint maiestati. Non illeguit homo effici, per quem homo factus est, sed nos eguimus ut deus caro fieret, & habitaret in nobis, id est, assumptione carnis unius membra uniuersæ carnis incoleret. Humilitas eius nostra nobilitas est, contumelia eius honor noster est, quod ille est deus in carne consistens, hoc nos uicissim in deum ex carne renouat. Sed ne fortè detineant scrupulosas mentiũ cogitationes cunæ, uagitus, partus atq; conceptio, reddenda est singulis dei dignitas, ut uoluntatis humilitatem potestatis ambitio præcedat, nec dignationẽ dignitas derelinquat. Videamus igitur quæ sunt ministeria conceptus.

Conceptionis dignitas Angelus Zachariæ loquitur, sterili partus affertur, de incensi loco sacerdos mutus egreditur, Ioannes in uocem adhuc utero matris detentus erumpit, Mariam angelus benedicit, matrem filij dei uirginem pollicetur. Illa uirginitatis suæ conscia, difficultate facti commouetur, angelus ei diuinæ operationis efficientiam exponit, ait enim: Spiritus sanctus desuper ueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Spiritus sanctus desuper ueniens uirginis interiora sanctificauit, & in his spirans (quia ubi uult spiritus spirat) nec se humanæ carni immiscuit, & id quod alienum à se erat, ui sua ac potestate præsumpsit, atq; ut ne quid per imbecillitatem humani corporis differet, uirtus altissimi uirginem obumbrat, infirmitatem eius ueluti per umbram circunfusa confirmans, ut ad sementiua ineuntis spiritus efficacia substantiam corporalem diuinæ uirtutis inumbratio temperaret. Hæc conceptionis est dignitas. Videamus partum, uagitum & cunas quæ dignitas sequatur. Loquitur ad Ioseph angelus parituram uirginem, & eum qui natus fuerit uocandum Emanuelem, id est, nobiscum deus. Proclamat spiri-

Partus dignitas

tus

tus per prophetam. Angelus teſtis eſt. Deus nobiſcum eſt ille qui naſcitur. Nouum Magis de cœlo ſtellæ lumen effertur, & cœli dominũ ſignum cœleſte proſequitur. Angelus paſtoribus nunciat natum Chriſtum dominum ſalutem uniuerſorũ. Multitudo exercitus cœleſtis in laudem puerperij concurrit, & tanti operis præconia diuini cœtus gaudia eloquuntur: Gloria deinde in cœlis deo, & pax in terra bonæ uoluntatis hominibus nunciatur. Adſunt deinde Magi, inuolutum pannis adorant: & poſt illam inanis ſcientiæ ſuæ operationem arcanam poſito in cunis genu flectunt. Sic per Magos cunarum ſordes adorantur, ſic uagitus per angelorum diuina gaudia honorantur, ſic partui proclamans per prophetam ſpiritus, & id ipſum angelus nuncians, & nouæ lucis ſtella famulatur. Sic initia naſcendi ſpiritus ſanctus deſuper ueniens & inumbrãs uirtus altiſſimi moliuntur. Aliud intelligitur, aliud uidetur, aliud oculis, aliud animo cõſpicitur. Parit uirgo, partus à deo eſt: infans uagit, laudantes angeli audiuntur: panni ſordent, deus adoratur. Ita poteſtatis dignitas nõ amittit, dũ carnis humilitas adoratur.

Par etiam eſt reliquæ curſus ætatis. Nam omne tempus quod in homine egit, dei operibus expleuit. De ſingulis autẽ nõ eſt tempus edicere, tantum illud in uniuerſis uirtutum & curationum generibus contuendum eſt, in carnis aſſumptione hominem, deum uero in geſtis rebus exiſtere.

Spiritus ſanctiratio

De ſpiritu autem ſancto nec tacere oportet, nec loqui neceſſe eſt, ſed ſileri à nobis eorum cauſa qui neſciunt, non poteſt. Loqui autem de eo non neceſſe eſt, quia de patre & filio autoribus confitendum eſt, & quidem puto an ſit nõ eſſe tractandum. Eſt enim, quandoquidem donatur, accipitur, obtinetur: & qui confeſſioni patris & filij connexus eſt, nõ poteſt à confeſſione patris & filij ſeparari. Imperfectum enim eſt nobis totum, ſi aliquid deſit à toto, de quo ſi quis intelligentiæ noſtræ ſenſum requirit, in Apoſtolo legimus ambo: Quoniam eſtis, inquit, filij dei, miſit deus ſpiritũ filij ſui in corda ueſtra clamantem abba pater. Et rurſum: Nolite contriſtare ſpiritum ſanctum dei, in quo ſignati eſtis. Et iterum: Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex deo eſt, ut ſciamus quæ à deo donata ſunt nobis. Et iterum: Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi quidem ſpiritus dei in uobis eſt: Si quis autem ſpiritũ Chriſti non habet, hic non eſt eius. Et rurſum: Si autẽ ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in uobis, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis uiuificauit & mortalia corpora ueſtra propter ſpiritum ſuum qui habitat in uobis. Vnde quia eſt & donatur & habetur & dei eſt, ceſſet hinc ſermo calumniantium cum dicunt per quẽ ſit, & ob quid ſit, uel qualis ſit. Si reſponſio noſtra diſplicebit dicentium per quem omnia & in quo omnia ſunt, & quia ſpiritus eſt dei, donum fidelium: diſpliceant & Apoſtoli & Euangeliſtæ & prophetæ, hoc tantum de eo quod eſſet loquentes, & poſt hæc pater & filius diſplicebit.

Et patrem & filium nõnunquam appellari ſpiritum

Manere autem hinc quoſdam in ignorantia atq; ambiguitate exiſtimo, quòd hoc tertium, id eſt, quod nominatur ſpiritus ſanctus, uideat pro patre & filio frequenter intelligi. In quo nihil ſcrupuli eſt, ſiue enim pater, ſiue filius, & ſpiritus ſanctus eſt. Sed id quod in Euangelijs legimus, Quia deus ſpiritus eſt, diligenter eſt contuendũ, quomodo & qua ratione ſit dictum. Omne enim dictum ut dicatur ex cauſa eſt, & dicti ratio ex ſenſu erit intelligenda dicentis, ne quia reſponſum à domino eſt: Spiritus deus eſt, idcirco cum ſancti ſpiritus nomine & uſus negetur & donum. Cum Samaritana enim domino erat ſermo: uenerat enim ratio uel redemptio uniuerſorum, cui poſt multum ſermonem aquæ uiuæ, & quinq; uirorũ, & nunc eius qui eſſet alienus, mulier reſpondit: Domine animaduerto quod propheta es tu, patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis: quoniam in Hieroſolymis eſt locus ubi adorari oporteat. dominus reſpondit: Crede mihi mulier, quoniam uenit hora quando neq; in iſto monte, neq; Hieroſolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed uenit hora & nunc eſt, cum ueri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & ueritate, etenim pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus enim deus eſt, & adorantes eum, in ſpiritu & ueritate oportet adorare, quia deus ſpiritus eſt. Mulier igitur traditionum memor paternarum, uel tanquam Samaria in monte, uel tanquam Hieruſalem in templo adorandum deum exiſtimabat, quòd Samaria ad adorandum deum per tranſgreſſionem legis locum montis elegerat, Iudæi uero templum à Salomone conditum religionis ſedem exiſtimabant, quorum utrorumq; præſumptio aut collis ædito, aut extructæ domus concauo deum intra quem omnia & extra quem nihil eius capax eſt, continebat. Ergo quia deus inuiſibilis, incomprehenſibilis, immenſus eſt, ait dominus uenire tempus, ut non in monte uel templo non ſit deus adorandus, quia deus ſpiritus eſt, quia ſpiritus nec circunſcribitur nec tenetur, quia per naturæ ſuæ uirtutem ubiq; eſt, neq; uſquam abeſt, in omnibus omnis exuberans. Hos igitur ueros eſſe adoratores, qui in ſpiritu & ueritate ſint adoraturi: adoraturis autem in ſpiritu deum ſpiritum, alter in officio, alter in honore eſt, quia diſcretum eſt in quo quiſq; ſit * adorandus. Non enim tollit ſancti ſpiritus & nomen & donum, quia dictum eſt: Deus ſpiritus eſt. Reſponſum autem eſt mulieri, deum templo & monte claudenti eſſe omnia in deo, deum in ſemetipſo & inuiſibilem atque incomprehenſibilem in ijs quæ & inuiſibilia atq; incomprehenſibilia ſunt adorandum, atq; ita natura & muneris & honoris expreſſa eſt, cum in ſpiritu deum ſpiritum docuit adorandum, & libertatem ac ſcientiam adorantium & adorandi infinitatem, dum in ſpiritu deus ſpiritus adoratur, oſtendit. Simile huic etiam illud Apoſtoli eſt: Quia dominus ſpiritus eſt, & ubi ſpiritus domini, ibi libertas.

Deus ſpiritus

*Ab *adoraturus*

Diſcreuit

Díſcreuit ad intelligentiæ ſignificationem eum, qui eſt ab eo cuius eſt. Nō enim habere haberiq; unum eſt, neq; eadem ſignificatio continet eum atque eius. Ita cum ait: Dominus ſpiritus eſt, naturam infinitatis eius oſtendit. Cum uero adiecit: Vbi ſpiritus domini, ibi libertas: & eum cuius eſt ſignificat, quia & ſpiritus dominus eſt, & ubi ſpiritus eſt domini, ibi libertas eſt. Hæc non quod cauſa poſtulet dicta ſint, ſed * ne quid in his * obſcuritatis hæreret. Eſt enim ſpiritus ſanctus unus ubiq;, omnes patriarchas, prophetas & omnem chorum legis illuminans, Ioannem etiam in utero matris inſpirans, datus deinde Apoſtolis cæterisq; credentibus ad cognitionem eius, quæ indulta eſt, ueritatis.

Als ne quis*
Als obſcuritatibus*

Quod autem ſit officium eius in nobis, uerbis ipſius domini audiamus. Ait enim: Adhuc multa habeo uobis dicere, ſed non poteſtis portare modo: expedit enim uobis ut ego eam, ſi iero mittam uobis aduocatum. Et rurſum: Ego, inquit, rogabo patrem meum, & alium aduocatum mittet uobis ſpiritum paracletum, ipſe me clarificabit. Et rurſum: Rogabo, inquit, patrem meum, & alium aduocatum mittet nobis, ut uobiſcum ſit in æternum, ſpiritum ueritatis, ille uos diriget in omnem ueritatem, non enim loquetur à ſe, ſed quæcunque audierit loquetur, & uentura nunciabit uobis, ille me honorificabit, quia de meo ſumet. Hæc de pluribus ad intelligentiæ uiam dicta ſint, quibus & uoluntas munerantis & ratio & conditio muneris continetur: ut quia infirmitas noſtra neque patris, neque filij capax eſſet, fidem noſtram de dei incarnatione difficilem ſancti ſpiritus donum quodam interceſſionis ſuæ fœdere illuminaret. Eſt autem nunc conſequens, ut & Apoſtolum explicantem doni huius uirtutem atque officium audiamus. ait enim: Quotquot enim ſpiritu dei aguntur, hi filij ſunt dei: non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorū, in quo clamamus, abba pater. Et rurſum: Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex deo eſt, ut ſciamus quæ à deo donata ſunt nobis. Et rurſum: Quia nemo in ſpiritu dei dicit anathema Ieſum, & nemo poteſt dicere dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. Et rurſum: Diuiſiones autem donationum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſteriorum ſunt, idem autem dominus: & diuiſiones operationum ſunt, ſed idem deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem, alij autem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum, alij fides in eodem ſpiritu, alij dona ſanitatum in uno ſpiritu, alij operatio uirtutum, alij prophetia, alij ſeparatio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum, omnia autem hæc operatur unus atque idem ſpiritus. Habemus igitur doni iſtius cauſam, habemus effectus, & neſcio quid de eo ambiguitatis ſit, cuius in abſoluto ſit & cauſa & ratio &

Effectus ſpiritus ex Euangelijs

Ex Paulo

poteſtas. Vtamur ergo tam liberalibus donis, & uſum maxime neceſſarij muneris expetamus. Ait enim, ut etiam ſuperius oſtendimus, Apoſtolus Paulus: Nos autem nō ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex deo eſt, ut ſciamus quæ à deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur non indoctis humanæ ſapientię uerbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes, animalis autem homo non percipit quæ ſunt ſpiritus dei. Accipitur ergo ob ſcientiam. Vt enim natura humani corporis ceſſantibus officij ſui cauſis erit ocioſa: nam & oculis niſi lumē ac dies ſit, nullus miniſterij erit uſus, & aures niſi uox ſonu ſue reddatur, munus ſuum non recognoſcent, & nares niſi odor fragrauerit, in quo officio erunt neſcient, non quòd his deficiat natura per cauſam, ſed uſus habeatur ex cauſa. Ita & animus humanus niſi per fidem donum ſpiritus hauſerit, habebit quidem naturam deum intelligendi, ſed lumen ſcientiæ non habebit. Munus autem quod in Chriſto eſt, omne omnibus patet unum, & quod ubiq; non deeſt, in tantum datur in quantum quis uolet ſumere, in tantum reſidet in quantum quis uolet promereri, hoc uſq; in conſummationem ſeculi nobiſcum, hoc expectationis noſtræ ſolatium, hoc in donorum operationibus futuræ ſpei pignus eſt, hoc mentium lumen, hic ſplendor animarū eſt. Hic ergo ſpiritus ſanctus expetendus eſt, promerendus eſt,* & deinceps præceptorum fide atq; obſeruatione retinendus.

Als additur adorandus eſt*

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER TERTIVS

AFfert pleriſq; obſcuritatem ſermo domini, cū dicit: Ego in patre & pater in me, & non immerito. Natura enim intelligentiæ humanæ rationem dicti iſtius non capit, uidetur namq; non poſſe effici, ut quod in altero ſit, æque id ipſum extra alterū ſit: & cum neceſſe ſit ea de quibus agitur non ſolitaria ſibi eſſe, numerum tamen ſuum in quo ſint conſeruantia, nō poſſe ſe inuicem continere, ut qui aliquid aliud intra ſe habeat atq; ita maneat, manensq; ſemper exterior ei uiciſſim quē intra ſe habeat, maneat æque ſemper interior. Hæc quidem ſenſus hominum nō conſequitur, nec exemplum aliquod rebus diuinis comparatio humana præſtabit, ſed quod inintelligibile eſt homini, deo eſſe poſſibile eſt. Hoc non ita à me dictum ſit, ut ad rationem dicti ea tantum ſufficiat autoritas, quòd à deo dictum ſit. Cognoſcendum itaq; atq; intelligendū eſt quid ſit illud: Ego in patre & pater in me, ſi tamē comprehendere hoc ita ut eſt ualebimus, ut quod natura rerum pati non poſſe exiſtimatur, id diuinæ ueritatis ratio conſequatur, atq; ut facilius intelligentiam difficillime iſtius quæſtionis conſequi poſſimus, prius patrem & filium

& filium ſecundum diuinarum ſcripturarum doctrinam cognoſci à nobis oportet,ut de cognitis ac familiaribus abſolutior ſermo ſit.

Aeternitas patris,ut in libro anteriore tractauimus,locum,tempora,ſpeciem,& quicquid illud humano ſenſu concipi poteſt excedit.Ipſe extra omnia,in omnibuſq́,capiés uniuerſa,& capiendus à nemine,nõ acceſſu deceſſúe mutabilis,ſed inuiſibilis,incõprehenſibilis,plenus,perfectus,æternus, nõ aliunde quod eſt ſumens,ſed ad id quod ita manet ſibi ipſe ſufficiens.

Hic ergo ingenitus ante omne tempus ex ſe filium genuit,nõ ex aliqua ſubiacente materia,quia per filium omnia,non ex nihilo, quia ex ſe filium, non ut partum,quia nihil in deo demutabile aut uacuum eſt, non partem ſui uel diuiſam,uel diſciſcam, uel extenſam, quia & impaſſibilis & incorporeus deus eſt,hæc autem paſſionis & carnis ſunt,& ſecundum Apoſtolum in Chriſto inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.Sed incomprehenſibiliter, inenarrabiliter ante omne tempus & ſecula unigenitum ex his quæ ingenita in ſe erãt,procreauit: omne quod deus eſt per chatitatem atq́ uirtutem natiuitati eius impartiens, ac ſic ab ingenito, perfecto æternoq́ patre unigenitus & perfectus & æternus eſt filius.Ea autem quæ eius ſunt ſecundũ corpus quod aſſumpſit,bonitatis eius ad ſalutem noſtram uoluntas eſt.Inuiſibilis enim & incorporeus & incomprehenſibilis,utpote ab eo genitus, tantum in ſe & materiæ & humilitatis recepit, quantũ in nobis erat uirtutis ad intelligendum ſe & ſentiendum & contuendum,imbecillitati noſtræ potius obtemperans,quàm de his in quibus erat ipſe deficiens.

Igitur perfecti patris perfectus filius, & ingeniti dei unigenita progenies,qui ab eo qui habet omnia, accepit omnia, deus à deo,ſpiritus à ſpiritu, lumen à lumine,confidenter ait: Pater in me & ego in patre. Quia ut ſpiritus pater, ita & filius ſpiritus: ut deus pater, ita & filius deus: ut lumen pater,ita & filius lumen. Ex iſs ergo quæ in patre ſunt, ea in quibus eſt filius, id eſt,ex toto patre totus filius natus eſt,non aliunde,quia nihil ante quàm filius:non ex nihilo,quia ex deo filius:non in parte,quia plenitudo deitatis in filio: neque in aliquibus,quia in omnibus,ſed ut uoluit qui potuit,ut ſcit qui genuit:quod in patre eſt,hoc & in filio eſt:quod in ingenito, hoc in unigenito eſt, alter ab altero, & uterq́ unum, non duo unus, ſed alius in alio, quia non aliud in utroq́,pater in filio,quia ex eo filius, filius in patre, quia non aliunde quod filius, unigenitus in ingenito, quia ab ingenito unigenitus.Ita in ſe inuicem,quia ut omnia in ingenito patre perfecta ſunt, ita omnia in filio unigenito perfecta ſunt.Hæc in patre & filio unitas, hæc uirtus, hæc charitas, hæc fides, hæc ſpes, hæc ueritas, uia, uita. Non calumniari de uirtutibus ſuis deo,nec per ſecretum ac poteſtatem natiuitatis obtrectare filio. Patri ingenito * nihil comparare: unigenitum ab eo, nec tempore, nec uirtute diſcernere:deum filiũ,quia ex deo eſt,confiteri.Sunt iſtiuſmodi

Quomodo filius à patre & in patre

Als nihil terrenum*

in deo poteſtates, quarum cum ratio intelligentiæ noſtræ incomprehenſibilis ſit, fides tamen per ueritatem efficientiæ in abſoluto eſt.

Diuina uirtus ex miraculis ad ſimilitudinem diuinæ generationis

Nec hoc in ſpiritualibus tantum, ſed etiam in corporalibus deprehendimus, non ad natiuitatis exemplum, ſed ad admirationem facti intelligibilis oſtenſum eſt. Nuptiarũ die uinum in Chana Galileæ ex aqua factum eſt, nunquid conſequitur aut ſermo noſter, aut ſenſus, quibus modis natura demutata ſit, ut aquæ ſimplicitas defecerit, & uini ſapor natus ſit? Non permixtio fuit ſed creatio, & creatio non à ſe cœpta ſed ex alio in aliud exiſtens, nõ per transfuſionem potioris obtinetur quod infirmius eſt, ſed aboletur quod erat, & quod non erat cœpit. Sponſus triſtis eſt, familia turbatur, ſolennitas nuptialis conuiuij periclitatur. Ieſus rogatus non exurgit aut inſtat, ſed quieſcentis eius hoc opus eſt. Aqua hydrijs infunditur, uinum calicibus hauritur, infundentis ſcientiæ ſenſus non conuenit haurientis. Qui infundunt, hauriri aquam exiſtimant: qui hauriunt, uinum infuſum arbitrantur, tempus quod in medio eſt non ſufficit, ut in liquoris natura & naſcatur & pereat. Ratio facti & uiſum fruſtratur & ſenſum, uirtus tamen dei in his quæ ſunt geſta ſentitur.

Sed & de quinq; panibus nõ diſſimilis facti admiratio eſt, incrementis eorum quinq; millium uirorum & innumerabilium mulierũ ac puerorum fames uincitur, fugit oculos ſenſus noſtri operis intelligẽtia. Quinq; panes offeruntur & franguntur, ſubrepunt in frangentium manibus quædam fragmentorum procreationes, non imminuitur unde præfringitur, & tamen ſemper præfringentis manũ fragmenta occupant: fallunt momenta uiſum, dum plenam fragmentis manum ſequeris, alteram ſine damno portionis ſuæ contueris, inter hæc fragmentorum cumulus augetur. Prę fringentes in miniſterio ſunt, edentes in negocio ſunt, eſurientes ſaturi ſunt, duodecim cophinos replent reliquiæ. Non ſenſus, non uiſus profectum tam inconſpicabilis operationis aſſequitur, eſt quod non erat, uidetur quod non intelligitur, ſolum ſupereſt ut deus omnia poſſe credatur.

Non habent itaq; diuina adulationem, nec ſubeſt deo ad placendũ fallendumq; ſimulatio. Hæc filij dei opera nõ de iactantiæ ſtudio ſunt profecta, neq; enim ille cui innumerabilium milium milia angelorum ſeruiunt, adulatus eſt homini: quid enim eorũ quæ noſtra ſunt indigebat, per quem ſunt uniuerſa quæ noſtra ſunt? An honorem à nobis expoſtulabat? nunc à ſomno ſtupidis, nunc de luxu noctium uigilatarũ feſſis, nunc poſt rixas & cædes dierum male conſcijs, nunc poſt cõuiuia ebrijs, quem archangeli & dominatus, principatus & poteſtates ſine ſomno, ſine occupatione, ſine crimine æternis & indefeſſis in cœlis uocibus laudant: & laudant, quia ipſe inuiſibilis dei imago omnes* in ſe creauerit, ſecula fecerit, cœlum formauerit, aſtra diſtinxerit, terram fundauerit, abyſſos demerſerit, ipſe deinceps ho-

Als per*

mo

mo natus ſit,mortem uicerit, portas inferni fregerit,cohæredē ſibi plebem acquiſiuerit,carnem in æternitatis gloriam ex corruptione tranſtulerit? Nihil ergo iſte eguit à nobis,ut hæc eum apud nos inenarrabilia,& inintelligibilia opera tanquam egentem laudis ornarent, ſed præuidens deus nequitiæ & ſtultitiæ humanæ errorem, & ſciens eouſq; infidelitatem prorupturam eſſe,ut ſibi de dei rebus iudicium præſumeret, audaciam noſtram earum,de quibus ambigeretur,rerum uicit exemplis.

Confutat rationes humanas

Sunt enim plures ſeculi prudentes, quorum prudentia deo ſtultitia eſt, qui cum audiunt deum ex deo,uerum à uero,perfectum à perfecto,unum ab uno natum eſſe, tanquam impoſſibilia nobis prædicantibus contradicunt,quibuſdam ſententiarum collectionibus inhærentes,cum dicunt: Naſci nihil potuit ab uno, quia omnis natiuitas eſt ex duobus: iam ſi ab uno natus hic filius eſt, partem eiuſdem qui genuit accepit:& ſi pars, neuter ergo perfectus eſt,deeſt enim ei unde deceſſit,nec plenitudo in eo erit,qui ex portione conſtiterit: neuter ergo perfectus eſt,cum plenitudinem ſuam & qui genuerit amittat,nec qui natus eſt conſequatur.

Hanc mundi ſapientiam etiam per prophetam prouidens deus ita damnat dicens: Perdam ſapientiam ſapientiū, & intellectum prudentiū reprobabo.Item in Apoſtolo: Vbi ſapiens,ubi ſcriba,ubi conquiſitor huius ſeculi?nōne ſtultam fecit deus prudentiam huius mundi? Nam quia in ſapientia dei nō cognouit mundus per prudentiam deum,placuit deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes,quoniam Græci ſapientiam quærunt,& Iudæi ſigna petunt, nos autē prædicamus Chriſtū crucifixum, Iudæis quidem ſcandalū, gentibus autem ſtultitiam, ijs autē qui ſunt uocati Iudæis atq; Græcis,Chriſtū dei uirtutem & dei ſapientiam:quia quod ſtultum eſt dei,ſapientius eſt hominibus:& quod infirmum eſt dei,fortius eſt hominibus.Curam ergo humani generis habens dei filius, primum ut ſibi crederetur,homo factus eſt,ut teſtis diuinarū rerum nobis eſſet ex noſtris, perq; infirmitatem carnis deū patrem nobis infirmis, & ut carnalibus prædicaret,uoluntatem in eo patris dei efficiens,ut dicit:Non ueni uoluntatem meam facere,ſed uoluntatem eius qui me miſit. Non quòd nolit ille quòd faciat,ſed obedientiam ſuam ſub effectu paternæ uoluntatis oſtendit, uolens ipſe uoluntatem patris explere.Erat autem hæc efficiendæ uoluntatis uoluntas,cuius ipſe teſtis eſt dicens:Pater uenit hora,clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te, ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne quod dediſti illi, det ei uitam æternam. Hæc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant te ſolum deum uerum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ego te clarificaui ſuper terram opere cōſummato,quod dediſti mihi ut faciam.Et nunc clarifica me tu pater apud temetipſum claritate quam habui,priuſq; mundus eſſet,apud te.Manifeſtaui nomen tuum hominibus quos dediſti

mihi

míhi. Verbis breuibus & paucis omne opus officij ſui & diſpenſationis expoſuit, nihilominus fidei ueritatē aduerſum omnē inſpirationē diabolicæ fraudulentiæ cōmuniens. Curramus ergo per ſingulas ſermonis ſui uirtutes. Ait: Pater, uenit hora, clarifica filiū tuum, ut filius tuus clarificet te. Non diem, non tempus, ſed horam ueniſſe dicit. In hora diei portio eſt, & quæ hæc erit hora? nempe illa de qua in tempore paſſionis diſcipulos cōfirmās locutus eſt: Ecce uenit hora, ut filius hominis clarificetur. Hęc ergo hora eſt
Alꝭ *quod in qua ſe à patre clarificari orat, ut patrē ipſe clarificet. Sed quid eſt *iſtud? clarificari ſe clarificaturus expectat, & honorem redditurus expoſtulat, & hoc eget quod rurſum impartiat. Et hic occurrant ſophiſtæ mundi & ſapi-
Syllogiſmi mūdi ſuſtinet eccleſiam entes Græciæ, & ſyllogiſmis ſuis ueritatem irretiant, quo modo & unde & quid cauſæ ſit quærant, & cū hæſerint, audiāt: Quia ſtulta mundi elegit deus. Ergo per ſtultitiā noſtram intelligimus hæc inintelligibilia ſapientibus mūdi. Dixerat dominus: Pater, uenit hora: horā paſſionis oſtenderat: nam hęc ſub momento eo loquebatur. Deinde adiecit: Clarifica filiū tuum. Sed quo modo clarificandus erat filius? namq; natus ex uirgine, à cunis atq; infantia uſq; ad conſummatū uenerat uirū, per ſomnū, famem, ſitim, laſſitudinem, lachrymas hominem egerat, etiamnū conſpuendus, flagellandus, crucifigendus erat. Quid ergo? nobis ſolū hominem in Chriſto hæc erant cōteſtatura? Sed nō confundimur cruce, nō flagellis prædamnamur, nō ſputis ſordidamur. Clarificat pater filium, quo modo tandem? ſuffigitur cruci: deinde quid ſequitur? ſol non occidit, ſed refugit. Sed quid refugiſſe dico? nō receptus in nube eſt, ſed de curſu operis defecit, & interitum ſuum cum
Alꝭ *ullæ eo reliqua mundi elementa ſenſerunt: & ne huic facinori *illæ cœleſtes operationes intereſſent, interceſſionis huius neceſſitate quadam ſui abolitione caruerunt. Sed terra quid fecit? ad onus domini in ligno pendentis intremuit, eum qui moriturus erat intra ſe conteſtata non capere. Nunquid & portionem ſuam rupes & ſaxa concedunt? ſed rupta diſſiliunt, & naturam ſuam perdunt, cæſamq; ex ſe arcam incontinentem condendi corporis confitentur. Quid ad hæc proclamat quoq; centurio cohortis & crucis cuſtos? Vere dei filius erat iſte. O creatura interceſſione huius piaculi liberatur, firmitatem & uirtutem ſaxa non retinent. Qui cruci affixerant, uere dei filum confitentur. Prædicationi conſentit effectus. Dominus dixerat: Clarifica filium tuum, non ſolum nomine conteſtatus eſt eſſe ſe filium, ſed & proprie
Chriſtus peculiari modo filius dei dicitur tate qua dicitur tuum. Multi enim nos filij dei, ſed nō talis hic filius eſt. Hic enim & uerus & propius eſt filius origine, non adoptione: ueritate, nō nuncupatione: natiuitate, non creatione. Ergo poſt clarificationem eius, ueritatem confeſſio conſecuta eſt, nam uerum dei filium centurio confitetur, ne quis credentium ambigeret, quod unus perſequentium non negaſſet. Sed fortè ea clarificatione creditur eguiſſe filius quam orabat, & infirmus

reperitur

reperitur, dum clarificationem potioris expectat. Et quis patrem nõ potiorem confitebitur, ut ingenitum à genito, ut patrem à filio, ut eum qui miserit ab eo qui missus sit, ut uolentem ab ipso qui obediat? & ipse nobis erit testis: Pater maior me est. Hæc ita ut sunt, intelligenda sunt: sed cauendum est, ne apud imperitos gloriam filij honor patris infirmet, nec infirmari se patitur hæc ipsa clarificatio postulata: ad id enim quod dictum est: Pater clarifica filium tuum, sequitur & illud: Vt filius tuus clarificet te. Non ergo infirmus est filius, uicem clarificationis ipse cum clarificandus sit, redditurus. Sed si non infirmus, quid postulabat? Nemo enim nisi hoc quo eget postulat. Aut nunquid infirmus est & pater? Aut eorũ quæ habet ita profusus est, ut ei clarificatio sit reddenda per filium? Sed neq; hic eguit, neq; ille desiderat, & tamen alteri alter impertit. Ergo expostulatio clarificationis dandæ, uicissimq; reddendæ, nec patri quicquam adimit, nec infirmat filium, sed eandem diuinitatis ostendit in utroque uirtutem, cum & clarificari se filius à patre oret, & clarificationem pater non dedignetur à filio, sed hæc in patre & filio uirtutis unitatem per uicissitudinem dandæ & referendæ clarificationis ostendunt. Sed clarificatio hæc quæ sit, & ex quibus sit, noscendum est. Non opinor demutabilis deus est, neque in æternitatem cadit aut uicium, aut emendatio, aut profectus, aut damnum, sed quod est, semper est. Hoc enim deo est peculiare, quod semper est, habere aliquando in natura non poterit ut non sit. Quo modo ergo clarificabitur quod suo non eget, neque à se deficit, neque quicquam sit quod in sese recipiat, neque amiserit ut resumat? Hæremus, moramur. Sed intelligentiæ nostræ infirmitatem Euangelista non deserit, qui quam clarificationem patri filius esset redditurus ostendit dicens: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti illi, det ei uitam æternam. Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum. Clarificatur ergo per filium pater, in eo quod sit à nobis per filium intelligendus. Claritas autem hæc erat, quod ab eo filius potestatem omnis carnis acceperat. Caro enim factus ipse, uitæ æternitatem erat caducis & corporeis & mortalibus redditurus. Vitæ autem nostræ æternitas nõ operationis erat, sed uirtutis effectus, cum æternitatis gloriam non iam molitio noua, sed sola dei esset cognitio sumptura. Ergo non claritas deo additur: neq; enim decesserat ut adderetur, sed per filium clarificatur apud nos imperitos, refugas, sordidos, sine * spiritu emortuos, sine lege tenebrosos, & clarificatur per id quod ab eo filius potestatem omnis carnis acceperit, uitam ei æternam daturus. Per hæc igitur filij opera clarificatur pater. Itaq; cum omnia filius accepit, clarificatus à patre est: & contrà clarificatur pater, cum fiunt uniuersa per filium. Et claritas accepta sic redditur, ut quod claritatis in filio est, id totum claritas patris sit: quia à patre accepit omnia,

Quomodo filius clarificat patrem & uicißim ab eo clarificatur

*Als*spo*

quia

quia honor famulantis in honore mittentis est, ut honor gignentis in ho-
Als*æterni- nore nascentis est. Sed in quo tandem * æternitatis uita est, ait ipse: Vt co-
tas uitæ gnoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christū. Quæ hic difficultatum quæstiones sunt, & quæ pugnæ uerborum? Vita est, uerum deum nosse. Sed nudum hoc non facit uitam. Quid ergo connectitur? Et quem misisti Iesum Christū. Debitus patri à filio honor redditur, cum dicit: Te solum uerum deum. Non tamen se filius à dei ueritate secernit cum adiungit: Et quem misisti Iesum Christum. Nō habet interuallum confessio credentium, quia in utroq; spes uitæ est. Nec deus uerus ab eo defecit, qui in coniunctione succedit. Cum ergo dicitur, ut cognoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum, sub hac significatione, id est, mittentis & missi, non patris & filij ueritas & diuinitas sub aliqua aut significationis aut dilationis diuersitate discernitur, sed ad gignentis & geniti confessionem fides religionis instruitur. Ergo absolute patrem filius clarificat in eo quod sequitur: Ego te clarificaui super terram opere cōsummato, quod dedisti mihi ut faciam. Laus patris omnis à filio est, quia in quibus laudabitur filius, laus erit patris. Consummat enim omnia quæ pater uoluit. Dei filius homo nascitur, sed dei in partu uirginis uirtus est. Dei filius
Als*extitit homo cernitur, sed deus in operibus hominis * existit. Dei filius crucifigitur, sed in cruce hominis mortem deus uincit. Christus dei filius moritur, sed omnis caro uiuificatur in Christo. Dei filius in infernis est, sed homo refertur ad cœlum. In quantum hæc laudabuntur in Christo, tanto plus laudis ex quo Christus deus est consequetur. His igitur modis pater filiū clarificat super terram. Rursumq; filius ignorationi gentium & stulticiæ seculi, per uirtutum suarū opera eum ex quo est ipse clarificat. Et hæc quidem clarificationis uicissitudo non pertinet ad diuinitatis profectum, sed ad honorem eum, qui ex cognitione ignorantiū susciebatur. Quo enim pater non abundabat, ex quo sunt omnia? Vel quid filio deerat, per quem sunt omnia, in quo complacuerat omnem plenitudinē diuinitatis habitare? Ergo clarificatur pater in terra, quia opus eius quod mandauit efficitur. Videamus quid filius à patre clarificationis expectet, & absolutum est. Nam in consequentibus est: Ego te clarificaui super terram, opus cōsummaui quod dedisti mihi ut faciam, & nunc clarifica me tu pater apud temetipsum ea claritate quam habui, prius quàm mundus esset, apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus. Operibus ergo filij clarificatus est pater, dum deus esse intelligitur, dum dei unigeniti pater manifestatur, dum ad salutem nostram filium suum etiam ex uirgine natū esse hominem uoluit. In quo explentur ea omnia in passione, quæ de partu uirginis cœpta sunt. Itaq; quia dei filius ex omni qua est parte perfectus, & ante omne tempus in diuinitatis plenitudinem natus, nunc à carnis suæ origine homo consummabatur

ad

ad mortem, clarificari ſe apud deũ poſtulat, ſicut patrem ipſe clarificabat in terris,quia tum dei uirtutes ignoranti ſeculo clarificabãtur in carne.Nũc autem quid eſt quod apud patrem clarificationis profectum * expectet? Nempe hoc quod habuit apud patrem,prius q̃ mundus eſſet,habuit plenitudinem diuinitatis, atq; habet. Nanq; dei filius eſt:ſed qui erat dei filius,& hominis cœperat eſſe filius.Erat enim uerbum caro factum: nõ amiſerat quod erat,ſed cœperat eſſe quod nõ erat.Non de ſuo deſtiterat, ſed quod noſtrum eſt acceperat,profectum ei quod accepit, eius claritatis expoſtulat,unde non deſtitit.Ergo quia filius eſt uerbum, & uerbum caro factum eſt,& deus uerbum,& hoc in principio apud deum, & uerbum ante conſtitutionem mundi filius:filius nunc caro factus orabat,ut hoc patri caro inciperet eſſe quod uerbum, ut id quod de tempore erat, gloriam eius, quæ ſine tempore eſt,claritatis acciperet,ut in dei uirtutem & ſpiritus incorruptionem transformata carnis corruptio abſorberetur. Hæc itaq; oratio ad deum eſt,hæc ad patrem confeſſio filij eſt,hæc carnis deprecatio eſt, in qua eum iudicij die compunctum, & de cruce recognitũ uniuerſi uidebũt, in qua præfiguratus in monte eſt,in qua eleuatus ad cœlos eſt, in qua deo aſſedit à dextris,in qua uiſus à Paulo eſt, in qua honorificatus ab Stephano eſt.Manifeſtato itaq; nomine patris hominibus,hoc poſtulat.Sed quo nomine? Nũquid nomen dei ignorabatur? Hoc Moyſes de rubo audiuit, hoc Geneſis in exordio creati orbis nũciauit,hoc lex expoſuit,hoc prophetæ prætulerunt,hoc homines in his mundi operibus ſenſerunt, hoc gentes etiam mentiendo ueneratę ſunt.Non ergo ignorabatur dei nomen,ſed deus planè ignorabatur:nam deum nemo noſcit, niſi confiteatur & patrem, patrem unigeniti filij,& filium non de portione,aut dilatione, aut emiſſione,ſed ex eo natum inenarrabiliter,incomprehenſibiliter, ut filium à patre plenitudinem diuinitatis, ex qua, & in qua natus eſt obtinentem,uerum & infinitum & perfectum deum:hæc enim dei eſt plenitudo.Nam ſi horum aliquid deerit,iam non erit plenitudo,quam in eo habitare cõplacuit. Hoc à filio dei prædicatur,hoc ignorantibus manifeſtatur, ſicut clarificatur per filium pater,cum pater filij per filium talis agnoſcitur.

* Alĩ expetat

Volens itaq; filius huius natiuitatis ſuę fidem facere,factorum ſuorum nobis poſuit exemplum,ut per inenarrabilem geſtorum ſuorum efficientiam de uirtute natiuitatis inenarrabilis doceremur, cum aqua fit uinũ,cum quinq; panibus ſaturatis quinq; milibus uirorum,excepto ſexu & ætate reliqua,replent fragmentis cophinos duodecim,cum res cernitur & neſcitur, fit & non intelligitur: ratio non apprehenditur,effectus ingeritur.Stultum eſt autem, calumniam in eo inquiſitionis intendere,in quo comprehẽdi id unde quæritur,per naturam ſuam non poteſt. Vt enim inenarrabilis eſt pater in eo quod ingenitus eſt, ita enarrari filius in eo quod unigenitus eſt,

non poteſt,quia ingeniti eſt imago, qui genitus eſt. Tum enim ſenſu atq; uerbis imaginem apprehendamus neceſſe eſt, cum eum cuius imago eſt, conſequemur.Sed inuiſibilia perſequimur,& incõprehenſibilia tentamus, quibus intelligentia ad conſpicabiles res & corporeas coartatur. Non erubeſcimus ſtulticiæ? non noſmetipſos irreligioſitatis arguimus, dei arcanis, dei uirtutibus calumniantes? Quomodo filius,& unde filius, & quo damno patris, uel ex qua ſit portione natus,inquirimus. * Hæreas in exemplo operationum,ut crederes deum efficere poſſe, quorum intelligere efficientiam non poſſis. Quæris quomodo ſecũdum ſpiritum natus ſit filius. Ego te de corporeis rebus interrogo, nõ quæro quomodo natus ex uirgine ſit. An detrimentum ſui caro perfectã ex ſe carnem generans perpeſſa ſit, & certe non ſuſcepit quod ædidit,ſed caro carnem ſine elementorum noſtrorum pudore prouexit, & perfectum ipſa de ſuis non imminuta generauit. Et quidem fas eſſet,nõ impoſſibile in deo opinari, quod per uirtutem eius poſſibile fuiſſe in homine cognoſcimus. Sed te, quiſquis es, ininueſtigabilia ſectantem,& diuinorum ſecretorum atq; uirtutum grauem arbitrũ conſulo,ut mihi imperito, & tantum de omnibus deo ut ſunt ab eo dicta credenti,rationem ſaltem facti iſtius afferas.Dominum audio, & quia his credo quæ ſcripta ſunt,ſcio iam poſt reſurrectionem frequenter uidendum ſe in corpore præbuiſſe multis non credentibus:credo Thomæ,non niſi contrectatis eius uulneribus credituro,ſicut ait:Niſi uidero in manibus eius figuram clauorum,& miſero digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius,nõ credam.Dominus ad omnem ſe intelligentiæ noſtræ imbecillitatem accommodans,& dubitationi infidelium ſatisfacturus,arcanũ inuiſibilis uirtutis operatur, facti rationem quiſquis eris cœleſtium rerum ſcrutator,expone.Erant diſcipuli incluſi, & ſecretò poſt paſſionem domini congregati conſederant.Dominus Thomæ fidem propoſitis conditionibus confirmaturus aſſiſtit,palpandi corporis & contrectandi uulneris obtulit facultatem:& utiq; qui compunctus recognoſcẽdus ſit, neceſſe eſt ut corpus in quo eſt cõpunctus attulerit. Quæro ergo per quas clauſæ domus partes ſeſe corporeus intulerit.Diligenter enim Euangeliſta expreſſit dicens: Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum. An conſtructa parietum penetrans,& ſolidã lignorum naturam impenetrabilem tranſcurrit? Stetit nanq; corporeus,non ſimulatus aut fallax.Sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrãtis ingreſſum,& cum eo clauſam domum intelligentiæ tuæ uiſus introeat. Integra ſunt omnia & obſerata,ſed ecce aſſiſtit medius,cui per uirtutem ſuam uniuerſa ſunt peruia. Inuiſibilibus calumniaris,ego à te uiſibiliũ expoſco rationem. Nihil cedit ex ſolido, neq; per naturam ſuam aliquid tanquam lapſu inſenſibili ligna & lapides admittunt.Corpus domini à ſeſe non deficit, ut ſeſe reſumat ex nihilo

* Aſs*Habueras.Ego legẽdum arbitror hebueras,hoc eſt,cæcutieras

hilo, & unde qui aſſiſtit in medio eſt? Cedit ad hæc & ſenſus & ſermo, & extra rationem humanam eſt ueritas facti. Idcirco ergo ut de natiuitate domini fallimur, ita & de ingreſſu domini mentiamur. Dicamus factum non fuiſſe, quia intelligentiam facti non apprehendimus, & ceſſante ſenſu noſtro facti ipſius ceſſet effectus. Sed mendacium noſtrum facti ipſius fides uincit, aſſiſtit dominus clauſa domo in medio diſcipulorũ, & filius eſt natus ex patre. Noli negare quòd ſteterit, quia per intelligentiæ infirmitatem, conſiſtentis non conſequaris introitum. Noli neſcire, quòd ab ingenito & perfecto deo patre unigenitus perfectus filius deus natus ſit, quia ſenſum & ſermonem humanæ naturæ uirtus generationis excedat. Et omnia quidem inſuper mundi opera adeſſe nobis in teſtimonium poſſent, ne ambigere de dei rebus atq; uirtutibus fas crederemus. Sed in ipſam ueritatẽ infidelitas noſtra procurrit, & uiolenti in excidium dei poteſtatis irrumpimus. Si liceret & corpora & manus in cœlum leuaremus, ſolem aſtraq; cætera annui curſus ſuis limitibus perturbaremus, permiſceremus diſceſſus oceani & acceſſus: fluenta etiam fontiũ inhiberemus, & naturas fluminum refrenaremus: concuteremus fundamenta terræ, & toto in hæc opera dei parricidio deſæuiremus. Sed bene eſt, quòd nos intra hanc modeſtiæ neceſſitatem natura corporum detinet. Certe non fallimus, quid ſi liceret eſſemus acturi. Nanq; quia non poſſumus, prophana uoluntatis audacia naturam ueritatis conuellimus, & bellum dictis dei comparamus. Filius dixit: Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus. Quid ad hæc calumniamur? quid æſtuamus? patrem tu negas? Atqui hoc maximũ opus filij fuit, ut patrem cognoſceremus. Negas planè, quando ſecundum te filius non ex eo natus eſt: & cum filius dicitur factus pro uoluntate, quaſi cætera, admirari deum poſſum conditorem mundi, Chriſtum creantem: & digna deo uirtus eſt, ut effectorem archangelorum & angelorum, uiſibilium & inuiſibilium, cœli atq; terræ, & uniuerſæ huius creationis effecerit. Sed non hic labor domini eſt, ut omnia in creandis rebus deum poſſe tu ſentias, ſed ut ſcias deum patrem eſſe eius filij qui loquitur. Virtutes in cœlo plures ſunt, & efficientes, & æternæ, ſed unus unigenitus eſt filius, non à cæteris ſola differens poteſtate, quia per eum creata ſunt, ſed quia uerus unus eſt filius, non fiat degener, ut natus ex nihilo ſit. Audis filium, quia filius eſt crede. Audis patrem, memento quia pater eſt. Quid iſtis nominibus ſuſpicionem, maliciam, audaciam interſeris? Secundum naturæ intelligentiam nomina diuinis rebus aptata ſunt. Quid adfers uim uerborum ueritati? Audis patrem & filium, ne ambigas eſſe quod nuncupãtur. Summa diſpenſationis eſt filio, ut noueris patrem. Quid irritum facis opus prophetarũ, uerbi incarnationem, uirginis partum, uirtutem operationum, crucem Chriſti? Tibi hęc omnia impenſa, tibi præſtita ſunt, ut per hæc manifeſtus & pater tibi eſſet;

& filius. Supponis nunc uoluntatem, creationem, adoptionem: inſpice & militiam & ſtipendium Chriſti. Nempe proclamat: Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus. Non audis, creatorem cœleſtium creaſti. Non audis, effectorem terreſtrium effeciſti. Sed audis: Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus. Vtere ſaluatoris tui munere: ſcito patrem eſſe qui genuit, filium eſſe qui natus eſt. Natum ex eo patre, qui eſt ex ueritate naturæ. Memento non tibi patrem manifeſtatũ eſſe quòd deus eſt, ſed deum manifeſtatum eſſe quòd pater eſt. Audis: Ego & pater unũ ſumus. Quid diſcindis & diſtrahis filium à patre? Vnum ſunt ſcilicet is qui eſt, nihil habens quod non ſit etiam in eo à quo eſt. Cum audis filium dicentem: Ego & pater unum ſumus, perſonis rem accommoda, gignenti & genito profeſſionis ſuæ permitte ſententiam. Sint unum, ut ſunt qui genuit & qui genitus eſt, quur naturam excludis? quur ueritatem interimis? Audis: Pater in me eſt, & ego in patre. Et hoc de patre & filio filij opera teſtantur: Non ut corpus per intelligentiam noſtram corpori immittimus, neq; ut aquam uino infundimus, ſed eandem in utroq; uirtutis ſimilitudinem & deitatis plenitudinem confitemur. Omnia enim filius accepit à patre, & eſt dei forma, & imago ſubſtantiæ eius. Eum enim qui eſt ab eo, qui eſt imago ſubſtantiæ, tantum ad ſubſiſtendi fidem, non etiam ad aliquam naturæ diſſimilitudinem intelligendam diſcernit, patrem autem in filio, & filium in patre eſſe, plenitudo in utroque diuinitatis perfecta eſt. Non enim diminutio patris eſt filius, nec filius imperfectus à patre eſt. Imago ſola non eſt, & ſimilitudo non ſibi eſt. Deo autem ſimile aliquid eſſe, niſi quod ex ſe erit, non poteſt. Neq; enim aliunde eſt, quod in omnibus ſimile eſt: neq; diuerſitatem duobus admiſceri alterius ad alterum, ſimilitudo permittit. Ne ſimilia permutes, neq; ſibi ex ueritate indiſcreta diſiungas. Quia qui dixit: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, inuicem eſſe ſui * ſimiles: in eo quod ſimilitudinem noſtram dicit, oſtendit: Ne contigeris, ne contrectaueris, ne corruperis. Tene naturę nomina, tene filij profeſſionem. Nolo aduleris, ut filium de tuo laudes: bene habet, ut ijs quæ ſunt ſcripta contentus ſis. Non eſt autem in tantum confidendum in prudentia humana, ut perfectum ſe quis putet ſapere quod ſapiat, & in eo arbitretur abſolutæ rationis ſummam contineri, quòd ipſa pertractans, æquabili undiq; apud ſe exiſtimet ueritatis opinione conſtare. Non enim concipiunt imperfecta perfectum, neq; quod ex alio ſubſiſtit, abſolute uel autoris ſui poteſt intelligentiam obtinere, uel propriam: ſe quidem in eo tantum quod eſt, ſentiens, cæterum ulterius ſenſum ſuum quàm ſibi cõſtituta ſit natura non tendens. Motum enim ſuum non ſibi debet ſed autori, & idcirco id quod aliud ex autore ſubſiſtit, imperfectum ſibi eſt, dum conſtat aliunde, & neceſſe eſt, ut in quo ſe perfectum putet ſapere, deſipiat, quia naturæ ſuæ non

Als * *ſimilem*

moderans

moderans neceſſitatem,& omnia infirmitatum ſuarum exiſtimans termi/nis contineri, falſò iam ſapientiæ nomine gloriatur, quia ſapere ſibi ultra ſenſus ſui non liceat poteſtatem, & quàm infirmus ſubſiſtendi eſt uirtute tam ſenſu ſit. Atq; ob id imperfectæ naturæ ſubſtitutio, perfecti ſenſus ſa/pientiam obtinere ſe glorians, ſtultæ ſapientiæ irridetur opprobrio, Apo/ſtolo dicente: Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare, non in ſermone ſapientiæ, ne inanis fiat crux Chriſti: uerbum enim crucis pereuntibus ſtultitia eſt, ijs autem qui ſaluantur, uirtus dei eſt. Scriptũ eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium, & intellectum intelligentium repro/babo. Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor huius ſeculi? Nónne ſtultam fecit deus ſapientiam huius mũdi? Quoniam quidem in ſapientia dei non cognouit mundus per ſapientiam deum, decreuit deus per ſtultitiam præ/dicationis ſaluare credentes. Quoniam Iudæi ſigna petũt, & Græci ſapien/tiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum Ieſum crucifixum, Iu/dęis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem uocatis Iu dæis & Græcis, Chriſtum dei uirtutem & dei ſapientiam. Quia quod infir mum dei eſt, fortius eſt hominibus: & quod ſtultum eſt dei, ſapientius eſt hominibus. Omnis itaque infidelitas ſtultitia eſt, quia imperfecti ſen/ſus ſui uſa ſapientia, dum omnia infirmitatis ſuæ opinione moderatur, pu tat effici non poſſe quod non ſapit. Cauſa enim infidelitatis de ſententia eſt infirmitatis, dum geſtum eſſe quis non putat, quod geri non poſſe definiat, & idcirco Apoſtolus ſciens naturæ humanæ imperfectam cogni tionem, hoc ſolum putare in ueri ratione eſſe quod ſaperet, ait: Non in ſer/mone ſe ſapientiæ prædicare, ne prædicationis ſuæ inanis eſſet aſſertio, ac ne ſtultitiæ eſſe prædicator exiſtimaretur, adiecit: Verbum crucis ſtul/titiam eſſe pereuntibus, quia eam ſolam infideles prudentiam crederent eſſe quam ſaperent, & cum nihil niſi intra infirmitatis ſuæ ſaperent natu/ram, eam quæ ſola dei perfecta ſapientia eſt, putarent eſſe ſtultitiam, per quod ea ipſa infirmi ſapientiæ ſuæ opinione deſiperent. Ergo quicquid pe reuntibus ſtultitia eſt, hoc ijs qui ſaluantur, dei uirtus eſt, quia nihil natura lis ſenſus ſui infirmitate moderantur, ſed diuinæ poteſtatis efficientiam ſe/cundum infinitatem cœleſtis uirtutis expendunt, & idcirco ſapientiam ſa/pientium, & intelligentiam intelligentium deus improbat, quia per opinio nem ſtultitiæ humanæ credentibus ſalus tribuitur, dum & infideles quæ extra ſenſum ſuum ſunt, ſtulta eſſe decernunt, & fideles poteſtati ac uirtuti dei omnia largiendo ſibi ſalutis ſuæ ſacramenta permittũt. Non ergo ſunt ſtulta quæ dei ſunt, ſed humanæ naturæ inſipiens prudẽtia eſt, quæ à deo ſuo aut ſigna aut ſapientiam ad fidem poſtulet, & Iudæorum quidem eſt poſtulare ſigna, quia in dei nomine per legis familiaritatẽ non admodum rudes, crucis ſcandalo commouentur. Græcorum autem eſt, ſapientiam

poſcere,quia gentili ineptia humanaq; prudentia rationem ſublati in cru/cem dei quærunt. Quæ quia ſecundum ſenſum naturæ infirmis occulta in ſacramento ſit,fit ſtultitia infidelibus,cum quod naruraliter mens imperfe/cta non concipit,id extra prudentię cauſam eſſe decernat.Sed ob hanc im prudentem mundi ſapientiam, quæ per dei ſapientiam deum ante neſci/uit,id eſt,per hanc magnificentiam mundi, ac tam ſapienter inſtituti opifi/cij ornatum, creatoris ſui non eſt uenerata ſapientiam, placuit deo prædi-catione ſtultitiæ ſaluos facere credentes,id eſt, crucis fide æternitatem mor talibus prouenire, ut confuſa humanæ ſapientiæ opinione, ibi ſalus repe/riretur,ubi creditur eſſe ſtultitia.Chriſtus enim,qui ſtultitia gentibus,& Iu/dæis ſcandalum eſt,dei uirtus deiq; ſapientia eſt, quia quæ ſenſu humano infirma in dei rebus & ſtulta exiſtimantur, hæc prudentiæ uirtutiq; terre/næ,& ſapientiæ & poteſtatis ueritate præcellunt. Nihil igitur in diuinis ef/fectibus humanæ mentis opinione tractandum eſt, neque de creatore ſuo opificij ipſius materia decernat. Aſſumenda autem nobis eſt ſtultitia, ut ſapientiam ſumamus, non in prudentiæ ſenſu, ſed naturæ noſtræ con/ſcientia, ut quod cogitationis terrenæ ratio non concipit, id nobis rurſum ratio diuinæ uirtutis inſinuet. Cum enim recognita ſtultitiæ noſtræ intel/ligentia imperitiam naturalis in nobis imprudentiæ ſenſerimus, tum per diuinæ ſapientiæ prudentiam ad dei ſapientiam imbuimur, cum ſine mo do uirtutes dei ac poteſtatem metiamur, cum naturæ dominum non intra naturales leges cohibeamus,cum hoc ſolū de deo bene credi intelligamus, ad quod de ſe credendum ipſe ſibi nobiſcum & teſtis & autor exiſtit.

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER QVARTVS



Vanquam anterioribus libellis, quos pridem conſcri/pſimus, abſolutè cognitum exiſtimamus, fidem nos & confeſſionem patris & filij & ſpiritus ſancti,ex euan gelicis atq; apoſtolicis inſtitutis obtinere, neq; quicq; nobis cum hæreticis poſſe eſſe commune, quippe illis diuinitatem domini noſtri Ieſu Chriſti ſine modo & ratione & metu abnegantibus, tamen etiam his libel/lis quædam neceſſariò fuerunt compre hendenda,ut omnibus fallacijs eo/rum & impietatibus æditis abſolutior fieret cognitio ueritatis. Et primum cognoſcendum eſt,quæ doctrinæ eorum temeritas ſit, quodq; irreligioſi/tatis periculum. Deinde quid aduerſum apoſtolicam fidem, cui nos con/gruimus,habeant ſententiæ,quid ue ſoleant dicere è contrario, quaq; uer/borum ambiguitate ſimplicitatem audientium illudant.Poſtremo qua in/terpretationum

terpretationum ſuarum arte ueritatem diuinorum dictorum uirtutemq; corrumpant. Non ignoramus autem, ad res diuinas explicandas, neq; hominum eloquutionem, neq; naturæ humanæ comparationem poſſe ſufficere. Quod enim inenarrabile eſt, id ſignificantiæ alicuius finem & modũ non habet, & quod ſpirituale eſt, id à ſpecie corporaliũ exemploq; diuerſum eſt. Tamen cum de naturis cœleſtibus ſermo eſt, illa ipſa quæ ſenſu mentium continentur, uſu communi & naturæ & ſermonis ſunt eloquenda, non utiq; dignitati dei congrua, ſed ingenij noſtri imbecillitati neceſſaria, rebus ſcilicet uerbisq; noſtris ea quæ & ſentimus & intelligimus loquuturi. Atq; hæc ſicut primo libello teſtati ſumus, nunc quoq; idcirco à nobis commemorata ſunt, ut cum aliquid ex humanis comparationibus proferimus, non ſecundum naturas corporales de deo ſentire credamur, nec paſſionibus noſtris ſpiritualia comparare, ſed potius rerum uiſibilium ſpeciem ad intelligentiam inuiſibilium protuliſſe.

Quare ergo tam multa de rebus diuinis definimus?

Aiunt nanq; hæretici, non ex deo eſſe Chriſtum, id eſt, filium nõ ex patre natum, neq; deũ ex natura, ſed ex conſtitutione eſſe, adoptionẽ ſcilicet eius eſſe in nomine, quia ſicut plures deo filij, ita & hic filius ſit. Dehinc liberalitatem in dignitate, quia ſicut dij plures ſunt, ita & hic deus ſit. *Indulgentiore tamen in eo adoptionis & nuncupationis *affectu, ut & præ cęteris ſit adoptatus, & adoptiuis alijs maior ipſe ſit filius: & excellentius cunctis naturis creatus, creaturis ipſe cæteris præſtet. Aiunt etiam quidam eorum dei omnipotentiam confitentes, in ſimilitudinem eum dei creatum, & ex nihilo, ut cætera, in æterni illius creatoris ſui imaginem conſtitiſſe. Verbo uidelicet de non extantibus iuſſum eſſe ſubſiſtere, deo potente ſimilitudinẽ ſui ex nihilo cooptare. Quin etiam id adijciunt, cum unius ſubſtantiæ patrem & filium eſſe audiunt, ab anterioribus eſſe epiſcopis prædicatum, ut id ſubtiliter per ſpeciem hæreticæ opinionis infirment, dicentes eos uerbi huius ſignificationẽ, id eſt, unius ſubſtãtiæ, quod Græce dicitur homouſion, hoc ſenſu uſurpare atq; eloqui, tancq; ipſe ſit pater qui & filius, ex infinitate uidelicet ſua protenſus in uirginem, ex qua corpus aſſumens ſibi, in eo corpore quod aſſumpſit, filij nomen addiderit. Et hæc quidem de homouſio eorum falſitas prima eſt. Sequens illa eſt, quòd affirment id enunciationem homouſion ſignificare, quod rei anterioris atq; alterius communio ſit duobus, & tancq; prior ſubſtantia uel uſia materiæ alicuius extiterit, quæ participata duobus, & in utroq; conſumpta, utrunq; illum & naturæ anterioris, & rei eſſe teſtetur unius. Atque idcirco improbare ſe homouſij aiunt confeſsionem, quod enunciatio eius neque filium à patre diſtinguat, & poſteriorem patrem materia, quæ ſibi cum filio ſit communis, oſtendat. Tertio quoque hanc improbandi homouſij cauſam comminiſcuntur, quòd ſecundum uerbi huius ſignificationem, ex diuiſione paternæ ſubſtantiæ eſſe

*Als *Indulgentiorem*
*Als *affectum*

filius existimetur,tanquam defectus ex eo fuerit, ita ut in duos sit res una diuisa,& ideo substantiæ dicantur unius,quia portio defecta de toto,in natura ea sit unde defecta sit, nec posse in deū cadere diuisionis passionem, quia & demutabilis erit, si imminutioni per diuisionem fiat obnoxius,& imperfectus efficietur, perfectionis suæ in portionem alteram decedente substantia:nec non in eo se eleganter doctrinæ propheticæ,sed & euangelicæ atq; apostolicæ posse existimant contraire,ut filij natiuitatē intra tempora prædicent.Cum enim uitiose à nobis asserant dici filium semper fuisse,necesse est ut excludendo quod semper fuerit, natiuitatem eius confiteantur ex tempore.Si enim non semper fuit,erit tempus quo non fuit. Et si est tempus quo non fuit, erit ante eum tempus, quia qui non semper est, esse cœpit ex tempore.*Qui autē caret tempore, nō potest eo carere quod semper est.Respuere se autem id quod semper filius fuerit,ob eam causam affirmant,ne per id quod semper fuit,sine natiuitate esse credatur, tanquā per id quod semper fuisse dicitur,innascibilis prędicetur. O stultos atq; impios metus,& irreligiosam de deo solicitudinem.Hæc quæ in homousij significatione,& in eo quod semper filius esse dicitur arguuntur,ecclesia abominatur,respuit,damnat. Nouit enim unum deum,ex quo omnia. Nouit & unum dominum nostrum Iesum Christum, per quem omnia. Vnum ex quo,& unum per quem.Ab uno uniuersorum originem,Per unum cunctorum originem & creationem, In uno ex quo autoritatem innascibilitatis intelligit, In uno per quem potestatem nihil differentem ab autore ueneratur. Cum ex quo & per quem, ad id quod creatur, in his quæ creata sunt communis autoritas sit, nouit in spiritu deum spiritum impassibilem & indesecabilem.Didicit enim à domino, spiritui carnem & ossa non esse, ne fortè cadere in eum corporalium passionum detrimenta credantur.Nouit unum innascibilem deum:nouit & unum unigenitum dei filium. Confitetur patrem æternum, & ab origine liberum: confitetur & filij originem ab æterno.Non ipsum ininitiabilem,sed ab initiabili.Non per seipsum,sed ab eo qui à nemine semper est, natum ab æterno, natiuitatem uidelicet ex paterna æternitate sumentem. Caret ergo fides nostra hæreticæ prauitatis opinione.Aedita nanque est sensus nostri professio,licet nondum sit ratio professionis exposita. Tamen ne quid in homousij à patribus nuncupati enunciatione,& in ea quod semper fuerit confessione suspicionis relinqueretur,ista memorata sunt,quibus & subsistere filium in substantia qua genitus ex patre est cognosceretur:& patri de substantia qua manebat,per filij natiuitatem nihil esse decerptum. Et homousion patri filium non decommemoratis superius uitijs causisq; à sanctis, & doctrinam dei callentibus uiris esse memoratum,ne quis forte existimaret adimi per usiam natiuitatem unigeniti filij,quod patri homousios diceretur, sed ut susceptihu

*Quod

ius

ius utriuſq; uerbi neceſſitatem, & contra debacchantes tunc hæreticos ad maximam fidei ſecuritatem, uſurpati rationem intelligamus, reſponendum eſſe exiſtimo hæreticorum peruerſitati, & omnes eorũ ſtultas ac mortiferas inſtitutiones euangelicis atq; apoſtolicis teſtimonijs coarguendas. Videntur enim ſibi de ſingulis quæ aſſerunt præſtare rationem, quia ſingulis aſſertionibus ſuis quædam ex diuinis uoluminibus teſtimonia ſubdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ ſenſu ſolis tantum ignorãtibus blandiantur, ſpeciem ueritatis ſecundum prauitatem interpretantium præſtitura. Conãtur enim ſola dei patris diuinitate celebrata filio auferre quod deus eſt, quia ſcriptum eſt: Audi Irael: Dominus deus tuus, deus unus eſt. Et id ipſum ad legis doctorem interrogantem, quod præceptum maximum eſſet in lege, domino dicente: Audi Iſrael: Dominus deus tuus, deus unus eſt. Et rurſum Paulo ita prædicante: Vnus enim deus, & unus mediator dei & hominũ. Tum quòd ſolus innaſcibilis, & quòd ſolus uerus ſit, quia Eſaias dixerit: Benedicent te ſolum deum uerum. Quodq; id ipſum conteſtatus ſit dominus in Euangelijs dicens: Hæc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant te ſolum uerum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Tum quod ſolus ſapiens ſit, ne quid ſapientiæ filio relinquatur, ſecundum Apoſtoli dictum: Ei autem qui potens eſt confirmare uos ſecundum Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti, ſecundũ reuelationem ſacramenti temporibus ſecularibus taciti: manifeſtati autem nunc per ſcripturas propheticas ſecundum præceptũ æterni dei, in obedientiam fidei in omnes gentes, cogniti ſoli ſapienti deo per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, amen. Tum quia ſolus bonus, ne quid ſit bonitatis in filio, quia per eum dictũ ſit: Nemo bonus niſi unus deus. Tum quòd ſolus ſit & potens, quia Paulus dixerit: Quem temporibus ſuis oſtendit nobis beatus & ſolus potens, rex regum, & dominus dominantium. Tum quòd hunc nouerint inconuertibilem & indemutabilem, quia per prophetã dixerit: Ego ſum dominus deus ueſter, & non demutor. Et Iacobus apoſtolus dixerit: Apud quem non eſt demutatio. Hunc iuſtũ iudicem, quia ſcriptũ eſt: Deus iuſtus iudex, fortis & patiens. Hunc cuncta procurantem, quia dominus dixerit cum ei de auibus ſermo eſſet: Et pater ueſter cœleſtis paſcit illa. Et rurſum: Nónne duo paſſeres aſſe ueneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patris ueſtri uolũtate? Sed & capilli capitis ueſtri numerati ſunt. Hunc omnia prouidentem, ſicut beata Suſanna dicit: Deus æternus, abſconditorum cognitor, ſciens omnia ante generationẽ eorũ. Hunc etiã inconcepti bilem ſecundum quod dictum eſt: Cœlum mihi thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum, quam domũ ædificabitis mihi, aut quis locus requietionis meæ? Hæc enim fecit manus mea, & ſunt omnia hæc mea. Hunc quoq; capientem omnia Paulo teſtante: Quoniam in ipſo uiuimus

Teſtimonium quod depraua te pro ſe torquẽt hæretici

& mouemur

& mouemur & ſumus. Et Pſalmographo dicẽte: Quò abibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas ante lucem, & habitauero in poſtremis maris, etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Hunc quoq; incorporeum, quia dictum eſt: Spiritus enim deus eſt, & adorantes eum, in ſpiritu & ueritate adorare oportet. Hunc immortalem & inuiſibilem, Paulo dicente: Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem, quem nemo hominum uidit, nec uidere poteſt. Et ſecundum Euangelium: Deum nemo uidit unquam, niſi unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris. Hunc quoq; ſolum manentem, quia dictum eſt: Ego ſum qui ſum. Et rurſum: Sic dices filijs Iſrael: Miſit me ad uos is qui eſt. Et per Hieremiam: Qui es domine. Atque hæc * quis intelligat plena fraudis eſſe & plena fallaciæ? Quæ quanquam ſint ſubtiliter confuſa atq; permixta, tamen abſolute artificioſam malitiæ atq; ſtultitiæ calliditatem & ineptiam teſtantur. Inter cætera enim addiderũt, ſolum ſe patrem innaſcibilem cognouiſſe: tanquam hinc quiſquam poſſit ambigere, eum ex quo ille genitus ſit, per quem omnia ſunt, id quod ipſe eſt à nemine conſecutum. Ipſo enim quod pater dicitur, eius quem genuit autor oſtenditur, id habens nomen, quod neq; profectũ ex alio intelligatur, & ex quo is qui genitus eſt, ſubſtitiſſe doceatur. Igitur id quod deo patri proprium eſt, proprium ei ac ſecretum relinquamus, confitentes in eo æternæ uirtutis innaſcibilem poteſtatem. Nemini autem dubium eſſe exiſtimo, ob eam cauſam in confeſſione dei patris quædam eius tanc̃q; peculiaria & priuata memorari, ne pręter ipſum eorum quiſquam particeps relinquatur. Dum enim dicũt, ſolum uerum deum, ſolum iuſtum, ſolũ ſapientem, ſolum inuiſibilem, ſolũ bonum, ſolum potentem, ſolũ immortalitatem habentẽ, in eo quòd ſolus hæc ſit, à communione eorũ ſecundum hos filius ſeparatur. Soli enim, ut aiunt, propria non participantur ab altero: quæ ſi in patre ſolo, nõ etiam in filio eſſe exiſtimabuntur, neceſſe eſt ut filius deus & falſus & inſipiens, & ſecundum cõſpicabiles materias corporeus & maleuolus & infirmus, & extra immortalitatem credatur eſſe, qui ab his omnibus, cum in his pater ſolus ſit, excipitur. Dicturi autem de abſolutiſsima maieſtate & de pleniſſima diuinitate unigeniti dei filij, non exiſtimamus quenquam arbitraturum, omnem hunc ſermonem, quo* hæſuri erimus, ad dei patris contumeliam pertinere, quaſi ex eius dignitate decedat, ſi quid eorum referatur ad filium, cum potius honor filij dignitas ſit paterna, & glorioſus autor ſit, ex quo is qui tali gloria ſit dignus extiterit. Nihil enim niſi natum habet filius, & geniti honoris admiratio in honore generantis eſt. Ceſſat ergo opinio contumelię, cum quicquid ineſſe filio maieſtatis docebitur, id ad amplificandam poteſtatem eius, qui iſtiuſmodi genuerit, redundabit. Conſequens autẽ eſt, ut

Als *quis non intelligat

Als *uſuri

cognitis

cognitis iam ijs,quæ ad deformationem filij de patre cõfeſſi ſunt,id ipſum illud quod de filio profeſſi ſunt audiatur.Reſponſuri enim ſingulis eorum propoſitionibus, & diuinorum dictorum teſtimonijs irreligioſam eorum doctrinam prodituri,debemus ad illa quæ de patre dicta ſunt, ea quæ de inceps de filio dei ſint commemorata ſubiungere,ut de confeſſione ea quę de patre & filio eſt,inter ſe comparata,unus atq; idem à nobis in abſoluendis ſingulis propoſitionibus ordo teneatur. Memorãt nanq; filiũ dei neq; ex aliqua ſubiacente materia genitũ eſſe, quia per eum creata omnia ſunt: neq; ex deo eſſe,quia decedere ex deo nihil poſſit,ſed eſſe ex ijs, quæ non erant,id eſt,creaturã dei perfectam,uerũtamen non ſimilem cæteris creaturis.Eſſe autem creaturam,quia ſcriptũ ſit: Dominus creauit me initium uiarum ſuarum.Eſſe autem facturam perfectam, ſed non ſimilem cæteris facturis. Facturam autem per id quod Paulus ad Hebræos dixerit: Tanto melior factus angelis, quanto excellentius ab his poſſidet nomen. Et rurſum: Vnde fratres facti uocationis cœleſtis participes cognoſcite Apoſtolum & principem ſacerdotum confeſſionis noſtræ Ieſum Chriſtũ,qui fidelis eſt ei qui fecit eum. Ad infirmãdam uero filij & uirtutem & poteſtatem & diuinitatem eo maxime utuntur,quod dixerit:Pater maior me eſt.Idcirco autem nõ eſſe eum unum ex omnibus creaturis cõcedunt,quia ſcriptum eſt: Omnia per eum facta ſunt. Concludunt ergo omnem irreligioſitatis ſuæ doctrinã iſtiuſmodi uerbis,dicentes:Nouimus deum unũ,ſolum infectum,ſolũ ſapientem,ſolum ſempiternũ,ſolum ſine initio,ſolum uerum, ſolum immenſum,ſolũ immortalitatem habentem, ſolum optimum, ſolum potentem,omniũ creatorem,ordinatorẽ & diſpoſitorem inconuertibilẽ, incommutabilem,iuſtum & optimum legis & prophetarũ & noui teſtamenti: hunc deum genuiſſe filium unigenitum ante omnia ſecula, per quem & ſeculum & omnia fecit: natum autem nõ putatiue, ſed uere obſecutum uoluntati ſuæ: immutabilem & incõuertibilem,creaturam dei perfectam, ſed non ſicuti unam de creaturis facturam,ſed nõ ſicuti cæteræ facturę. Nec ut Valentinus prolatione patris natum cõmentatus eſt. Nec ſicut Manichæus partem unius ſubſtantiæ patris natũ expoſuit. Nec ſicut Sabellius,qui unionem*diuidit,ipſum eſſe dixit filium quem & patrem.Nec ſicut Hierachas lucernã * dicit de lucerna, uel lampadam in duas partes.Nec eum qui fuit ante,poſtmodum natum,uel ſupercreatũ in filium,ſicuti & tu ipſe beatiſſime papa,media in eccleſia & in confeſſu fratrum frequenter eos qui talia introducunt renuiſti. Sed ſicut diximus uoluntate dei ante tempora & ſecula creatum,& uiuere & eſſe accipiens à patre,& glorians cum ſubſiſtente patre. Neq; enim pater dans ei omnium hæreditatem fraudauit ſemetipſum ab his, quę non facta habentur ab ipſo,fons eſt autem omniũ. Qua propter tres ſubſtantiæ ſunt,pater & filius & ſpiritus ſanctus, & quidẽ deus pater

Exemplũ blaſphemiæ eorũ qui creaturã eſſe dei filium dicunt

Valentinus
Manichæus
Sabellius
Hierachas
*Forte*inducit*
Forte diuidit*

Tres ſubſtantiæ, ὑπο-ſτάσεις

us pater cauſa eſt omnium, omnino ſine initio ſolitarius: filius autem ſine tempore æditus eſt à patre & ante ſecula creatus & fundatus. Non erat antequam naſceretur, ſed ſine tempore ante omnia natus, ſolus à ſolo patre ſubſiſtit. Nec enim eſt æternus, aut coæternus, aut ſimul nō factus cum patre, nec ſimul cum patre habet eſſe, ſicuti quidam dicūt, aut aliqui duo non nata principia introducentes, ſed ſicut unio eſt principium omnium, ſic & deus ante omnia eſt. Propter quod & ante filium eſt, ſicut & à te didicimus papa media in eccleſia prædicante. Secundum quod itaq; & à deo eſſe habet, & gloriari & uiuere, & omnia ei ſunt tradita, ſecundum hoc principium eius eſt deus. Principatur autem ei utpote deus eius, cum ſit ante ipſum. Si enim quod ex ipſo & quod ex utero exiuit & uenit, & quod ex patre, uelut partem eius unius ſubſtantiæ, & quaſi prolationem extendens intelligitur, compoſitus erit pater, & diuiſibilis & mutabilis & conuertibilis, etiam corpus ſecundum illos, &, quantum in ipſis eſt, cōſequentia corpori ſuſtinens ſine corpore deus. Hic eorum error eſt, hæc mortifera inſtitutio, ad cuius confirmationem corrupto intelligentiæ ſenſu, diuinorum dictorum teſtimonia uſurpant, & de his ſub occaſione humanæ ignorantiæ mentiuntur. Nemini autem dubium eſſe oportet ad diuinarum rerum cognitionem diuinis utendum eſſe doctrinis. Neq; enim ſcientiam cœleſtium per ſemet humana imbecillitas conſequetur, neq; inuiſibilium intelligentiam ipſe ſibi corporaliū ſenſus aſſumet. Non enim uel id quod creatum in nobis atq; carnale eſt, uel id quod in uſum uitæ noſtræ ex deo datum eſt, ſuomet iudicio naturam creatoris ſui opuſq; diſcernet. Non ſubeunt ingenia noſtra in cæleſtem ſcientiam, neq; incomprehenſibilem uirtutem ſenſu aliquo infirmitas noſtra concipiet, Ipſi de ſe deo credendum eſt, & ijs quæ cognitioni noſtræ de ſe tribuit obſequendum. Aut enim more gentilium denegandus eſt, ſi teſtimonia eius improbantur: aut ſi ut eſt deus creditur, non poteſt aliter de deo q̄ ut ipſe eſt de ſe teſtatus, intelligi. Ceſſent itaq; propriæ hominum opiniones, neq; ſe ultra diuinam conſtitutionem humana iudicia extendant. Sequamur ergo aduerſus irreligioſas & impias de deo inſtitutiones, ipſas illas diuinorum dictorum autoritates, & unumquodq; eorum ipſo, de quo quæritur, autore tractabimus, non ad fallendam & male imbuendam audientium imperitiam, quaſdam uerborum enunciationes ſubtractis eorum cauſis coaptantes. Intelligentia enim dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus. Verum omnia æditis ſimul & dicendi cauſis & dictorum uirtutibus proſequemur. Igitur ſingula ſecundū propoſitionis ordinem retractentur. Nam hoc eorum principale eſt: Nouimus, inquiunt, unum ſolum deum, Moyſe dicente: Audi Iſrael, Dominus deus tuus deus unus eſt, ſed nunquid hinc quiſquam fuit auſus ambigere, aut unquam aliter à quoquam eorum præ

dicatum

dicatum esse qui deum crederent cognitũ est,nisi unũ deũ esse,ex quo omnia,unam uirtutem innascibilem,& unam hanc esse sine initio potestatem? Sed nõ per id quod deus unus est,dei filio accidit negari posse, quod deus est. Moyses nanq;,uel potius deus per Moysen, populo & in Aegypto & in deserto idolis & deorũ(ut putabant)religionibus occupato,hoc cõstituit principale mandatum, ut unum deũ crederet, & uere ac merito constituit. Vnus est enim deus,ex quo omnia. Sed uideamus an idem Moyses eum quoq; per quem omnia sunt,deũ esse confessus sit. Non enim patri adimitur quòd deus unus est, quia & filius deus sit. Est enim deus ex deo, unus ex uno:ob id unus deus,quia ex se deus.Cõtrà uero,nõ minus per id filius deus,quia pater deus unus sit. Est enim unigenitus filius dei, nõ innascibilis,ut patri adimat quòd deus unus sit, neq; aliud ipse quàm deus, quia ex deo natus est:de quo quamuis ambigi nõ oporteat, quin nascendo ex deo deus sit,per quod fidei nostræ deus unus est,tamen uideamus an Moyses qui ad Israel dixerat:Dominus deus tuus unus est,dei filiũ deũ prædicauerit. Vti enim nos ad cõfitendam domini nostri Iesu Christi diuinitatem testimonio illius oportebit,cuius autoritate hæretici unũ tantũ deũ confitentes,filio putant negandũ esse quòd deus est.Igitur cũ absoluta hæc de deo & perfecta confessio sit,secundũ Apostolum ita loqui: Vnus deus pater ex quo omnia.& unus dominus noster Iesus Christus per quẽ omnia, uideamus originem mundi,quid de ea Moyses loquatur.Ait namq;: Et dixit deus,fiat firmamentũ in medio aquæ, & sit diuidens inter aquam & aquam, & factum est sic,& fecit deus firmamentũ, & diuisit deus per mediũ aquæ. Habes ergo deũ ex quo,habes deũ per quem: aut si id negabis, necesse est id quod factũ est, per quem factũ sit doceas: aut certe naturam ipsam creandorum deo obedientem esse demonstres, quæ ad id quod dictũ est,fiat firmamentũ,se ipsam dei uerbo iussa firmauerit.Sed hæc diuinæ scripturæ ratio nõ recipit. Omnia enim,secundũ prophetam,facta ex nihilo sunt,nec natura aliqua manens demutata in aliud est,sed id quod non erat creatum est,& absolutum est. Per quem? Audi Euangelistam:Omnia per ipsum facta sunt.Si quæris per quem, audias eundem Euangelistam dicentem: In principio erat uerbũ,& uerbũ erat apud deũ,& deus erat uerbũ, hoc erat in principio apud deum.Omnia per ipsum facta sunt. Quod si negare uoles à patre dictum uideri, fiat firmamentũ, audias rursum prophetam dicentem:Ipse dixit & facta sunt,ipse mandauit & creata sunt.Quod ergo dictũ est,fiat firmamentũ,in eo quod pater sit locutus ostenditur. Quod autem adiicitur:Et factum est sic, & quod fecisse deus dicitur, in eo persona efficientis est intelligenda,qui faciat.Dixit enim & facta sunt. Non utiq; solum uoluit & fecit,mandauit & creata sunt.Non utiq; quia complacitũ ei est extiterunt, ut mediatoris officium inter se & ea quæ essent creanda cessaret.

Patris iussu per filiũ omnia condita.

Dicit ergo fieri deus ex quo omnia ſunt, & fecit deus per quẽ omnia ſunt. Eodem pariq; nomine, & in dicentis ſignificatione & in efficientis operatione confeſſio eſt. Si autem loqui audebis, nõ de filio dici, & fecit deus, ubi erit quod dictum eſt: Omnia per ipſum facta ſunt? Et illud Apoſtolicum: Vnus dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quem omnia? Et illud: Ipſe dixit & facta ſunt? Quòd ſi impudentiam tuam hæc diuinitus dicta cõuincent, nõ adimitur dei filio quòd deus ſit, per id quod dictũ eſt: Audi Iſrael, Dominus deus tuus, deus unus eſt: cum ab eo ipſo qui hæc eſt locutus, in ipſa cõſtitutione mundi deus fuerit prædicatus & filius. Sed uideamus in quem profectum hęc diſtinctio iubentis dei, & facientis dei agatur. Nam tametſi ſenſus cõmunis intelligentiæ nõ recipiat, ut in eo quod dictum eſt, iuſſit & facta ſunt, ſolitarius atq; idem ſignificatus eſſe credatur, tamen nequid ambigi poſſit, oportet ea quæ mundi creationem conſecuta ſunt explicari. Cũ igitur perfecto mundo eius incola formandus eſſet, talis de eo ſermo eſt: Et dixit deus, Faciamus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et rurſum: Et fecit deus hominem, ad imaginem dei fecit eum. Quæro nunc, ſolum ne ſibi deum locutũ exiſtimes, an uero ſermonem hunc eius intelligas nõ ſibi, ſed ad alterum extitiſſe? Si ſolum fuiſſe dicis, eius ipſius uoce argueris dicentis: Faciamus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinẽ noſtram. Deus enim per legiſlatorem ſecundũ intelligentiam noſtram locutus eſt, uerbis uidelicet quibus uti ipſe nos uoluit, cognitionem eorum nobis quæ geſſit impertiens. Significato namq; dei filio per quem facta ſunt omnia, in eo quod dictum eſt: Et dixit deus, Fiat firmamentum. Et rurſum ita dictum eſt: Et fecit deus firmamentũ, ne tamen hic quidam inanis ac ſuperfluus ſermo exiſtimaretur, ſi ſibiipſi dixiſſet ut fieret, & rurſum ipſe feciſſet (Quid enim tam alienum ab eo qui ſolus eſſet, ut ſibi faciendũ diceret, cum uoluntate tantum opus eſſet ut fieret?) abſolutius uoluit intelligi ſignificationem hanc nõ ad ſe tantum eſſe referendam, dicendo: Faciamus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ſuſtulit ſingularis intelligentiam profeſſione conſortij. Conſortium autẽ eſſe aliquod ſolitario ipſe ſibi non poteſt. Neq; rurſum recipit ſolitarij ſolitudo, faciamus. Neq; quiſquam alieno à ſe, noſtram, loquitur. Vterq; ſermo & faciamus & noſtram, ut ſolitarium eundemq; nõ patitur, ita neq; diuerſum à ſe alienumq; ſignificat. Aut quæro, ſi cum audias ſolitariũ, utrum nõ ipſum eundemq; eſſe exiſtimes: aut cum audias nõ ipſum, neq; eundem, an ne quòd ſolitarius tantũ ſit intelligas? In ſolitario ergo ſolitarius, in nõ eodem uero neq; ipſo, non ſolitarius reperitur. Solitario ergo conuenit faciam & meam: non ſolitario uero, faciamus & noſtram. Cum itaq; legimus: Faciamus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtram, quia ſermo uterq;, ut nõ ſolitarium tantum, ita neq; differentem eſſe ſignificat, nobis quoq; nec ſolitarius tantum, nec diuerſus

uerſus eſt confitendus,cognita per id quod noſtram imaginem dicit,nõ etiam imagines noſtras,unius in utroq; proprietate naturæ. Non ſufficit autem ſolam uerborũ attuliſſe rationem, niſi dictorũ intelligentiam etiam rerum operatio conſequatur.Scriptum enim ita eſt: Et fecit deus hominem, ad imaginẽ dei fecit eum. Quæro ſi ſolitario atq; ipſi ad ſe eundem fuit ſermo,quid hic ſentiendum exiſtimes? Video enim nunc tripertitam ſignificationem & facientis & facti & exempli.Qui factus eſt,homo deus. Deus autẽ fecit,& quem fecit ad imaginem dei fecit. Si de ſolitario Geneſis eſſet locuta,dixiſſet utiq;:& fecit ad imaginem ſuam. Sed ſacramentũ Euangelicum annuncians, non duos deos, ſed deum & deum elocuta eſt, cum hominem per deum effectum ad imaginem dei dicit.Atq; ita deus,ad cõmunem ſibi cum deo imaginem atq; eandem ſimilitudinem hominem reperi tur operari, ut nec ſolitudinis intelligentiam ſignificatio efficientis admittat,nec diuinitatis diuerſitatem, ad eandem imaginẽ ac ſimilitudinem con ſtituta patiatur operatio.Et quanq; ſuperfluum poſt hęc exiſtimetur ultra aliquid afferre,quia in diuinis rebus nõ frequentius dicta ſufficiunt, tamen quid de hoc eodem dictum ſit cognoſci oportet.Non enim diuinorum dictorũ, ſed intelligentiæ noſtræ à nobis ratio præſtanda eſt. Deus ad Noe inter multa mandata ita loquitur: Qui effuderit ſanguinem hominis, pro ſanguine eius effundetur anima eius, quia ad imaginẽ dei fecit hominem. Etiam hic diſtinguitur exemplũ,opus & operans.Deus teſtatur ſe ad imaginem dei hominem feciſſe. Cum faciendus homo eſt,quia neq; de ſe,neque ad ſe loquebatur,dixit ad imaginem noſtram. Cum autem factus homo eſt,fecit deus hominem ad imaginem dei. Non ignorauit utiq; uerbi proprietatem,ſi ſibi ipſe loqueretur,ut diceret:Feci ad imaginem meam.Di xerat enim iam ad demonſtrandam naturæ unitatẽ,faciamus ad noſtram. Neq; rurſum confundit de ſolitario ac nõ ſolitario intelligentiam, cum hominem deus faciens,ad imaginem dei fecerit. Quòd ſi deum patrem ſolitarium ſibi hæc locutum fuiſſe affirmare uoles, tanquam concedi tibi poſſit, ut unus ſecum uelut cum altero ſit locutus, credaturq; in eo, quod ad imaginem dei fecit hominem,ita uoluiſſe intelligi, tanquam ad imaginem meam feci hominem,primum ipſe teſtimonio tuo redargueris. Dixiſti enim: Ex patre omnia,ſed per filium omnia.Namq; per id quod dictum eſt: Faciamus hominem,ex eo origo eſt, ex quo capit & ſermo. In eo uero quod deus ad imaginem dei fecit hominẽ,ſignificatur etiam is per quem cõſummatur operatio. Tũ deinde nequid tibi hinc liceat mentiri, ſapientia quam tu ipſe Chriſtum confeſſus es,contraibit dicens: Cum certos ponebat fontes ſub cœlo, cum fortia faciebat fundamenta terræ, eram apud illum cuncta componens. Ego eram ad quem gaudebat, quotidie autem lætabar in conſpectu eius in omni tempore, cũ lætaretur orbe perfecto, & lætabatur

Aliud teſtimonium quòd filius deus

in filijs hominũ. Concluſa eſt omnis occaſio, & coarctatur ad ueri confeſſionem uniuerſus error. Adeſt deo genita ante ſecula ſapientia. Neq; ſolũ adeſt,ſed etiam componit.Eſt ergo componẽs apud ipſum.Intelligè compoſitionis uel diſpoſitionis officiũ.Pater enim in eo quod loquitur efficit,filius in eo quod operatur quæ fieri ſunt dicta,componit. Perſonarum autem ita facta diſcretio eſt,ut opus referatur ad utrunq;.Nam in eo quod dicitur faciamus,& iuſſio exequatur & factũ. In eo uero quod ſcribitur:Eram apud illum componens, nõ ſolitarium ſe ſibi eſſe in operatione ſignificat. Lætatur autem ante eum quem ſibi ſignificat aggaudere lætanti. Quotidie autem lætabar in conſpectu eius in omni tempore, quando lætabatur orbe perfecto & lætabatur in filijs hominum. Cauſam lætitiæ ſuæ ſapientia docuit, lætabatur autem ob lætitiam patris in perfectione mundi, & in filijs hominum lætantis.Scriptũ eſt enim:Et uidit deus quia bona ſunt.Placere patri opera ſua gaudet,per ſe ex præcepto eius effecta. Gaudiũ enim ſuum hinc eſſe profitetur,quòd in conſummato orbe in filijs hominum pater lætus exiſteret. Et in filijs hominum ob id, quia iam in uno Adam omne humani generis exordium conſtitiſſet.Non ergo in fabricatione mundi ſolitarius pater ſibi loquitur, ſapientia ſecum & cooperante & conſummata cooperatione gaudente.Non ignoramus auté multa & maxima ad abſolutionem horum dictorũ eſſe reliqua,ſed dilata nobis potius quàm diſſimulata habeantur.Plenior namq; eorum tractatus propoſitionibus cæteris reſeruatur. Nunc enim tantum ad id reſpondetur quod in expoſitione fidei ſuæ, uel potius perfidiæ ab impijs dictum eſt, unum tantum deum à Moyſe prædicatum,& uere ita prædicatũ meminimus, quia unus deus eſt ex quo omnia.Sed non propterea ignorandũ eſſe,quia filius deus eſt,cum idem Moyſes deum & deum toto operis ſui corpore ſit profeſſus.Igitur uidendum eſt, quomodo electio & legiſlatio deum & deum pari confeſſionis ordine prædicet. Poſt multas nanq; dei id ad Abraham allocutiones, cum aduerſum Agar Sara cõmoueretur, conceptui ancillæ domina ſterilis inuidens,cumq; diſceſſiſſet à conſpectu eius,ita de ea ſcriptura loquitur: Et dixit angelus domini ad Agar: Redi ad dominam tuam, & humilia te ſub manibus eius.Et dixit ei angelus domini:Multiplicans multiplicabo ſemen tuum,& non dinumerabitur à multitudine,Et rurſum: Et uocauit nomen domini,qui loquebatur ſecum deus,qui aſpexiſti me.Angelus dei loquitur.Duplex autem in angelo dei ſignificatio eſt,ipſe qui eſt,& ille cuius eſt.Et loquitur nõ res ſecundum nomen officij ſui.Ait enim: Multiplicans multiplicabo ſemen tuum,& nõ dinumerabitur à multitudine. Miniſteriũ angeli poteſtas multiplicandarũ gentium excedit, ſed quid tandem de eo qui dei angelus,quæ ſoli deo propria ſunt loquebatur,ſcriptura teſtata eſt: Et uocauit nomen domini qui loquebatur ſecum,tu deus qui aſpexiſti me.

Primum

Primum angelus dei,ſecundo dominus. Vocauit enim nomen domini,qui loquebatur ſecum. dehinc tertio deus: Tu enim es deus qui aſpexiſti me. Qui angelus dei dictus eſt, idem dominus & deus eſt. Eſt autẽ ſecundum prophetam filius dei, magni conſilij angelus: ut perſonarũ diſtinctio abſoluta eſſet,angelus dei eſt nuncupatus. Qui enim eſt deus ex deo, ipſe eſt & angelus dei. Vt uero honor debitus redderetur, & dominus & deus eſt prædicatus,& hic quidem primũ angelus dei,deinde idem poſtea & dominus & deus.Ad Abraham uero tantũ deus. Tota enim iam perſonarũ diſcretione præmiſſa, ne ſolitarij error ſubeſſet, abſolutum & uerum eius nomen edicitur. Scriptum namq; eſt: Et dixit deus ad Abraham, Ecce Sara uxor tua pariet tibi filiũ,& uocabis nomen eius Iſaac,& ſtatuam teſtamentum meum ad illum in teſtamentũ æternum & ſemini eius poſt illum. De Iſmael autem hæc: Ecce exaudiui te,& benedixi eum, & amplificabo eum ualde.Duodecim gentes generabit,& dabo eum in gentẽ magnam. Nunquid ambigitur,quin qui angelus dei dictus eſt,idem rurſum dicatur & deus? Pariterq; de Iſmael ſermo eſt,& nunc & dudum multiplicandus ab eodem eſt.Et ne fortè non idem qui eſſet locutus ad Agar, nunc loqui crederetur, eiuſdem perſonæ ſignificationem diuinus ſermo teſtatur,dicens: Et benedixi eum,& multiplicabo eum.Benedictio ex præterito eſt, iam enim ad Agar ſermo fuerat: amplificatio uero in futurum. Nunc enim primum ad Abraham de Iſmael deus loquitur: ad Agar uero angelus dei locutus eſt. Deus igitur eſt qui & angelus dei eſt, quia & qui angelus dei eſt, deus eſt ex deo natus. Dei autẽ angelus ob id dictus, quia magni conſilij eſt angelus.Deus uero idem poſtea demonſtratus eſt,ne qui deus eſt,eſſe angelus crederetur.Sequatur ſermo ordinem rerum.Angelus dei ad Agar locutus eſt, idem ad Abraham deus loquitur. Ex eodem ad utrunq; fit ſermo. Benedicitur Iſmael,& in gentem magnam amplificandus eſſe promittitur. Scriptura & per Abraham,deum eſſe qui loqueretur, oſtendit. Abrahæ quoq; Iſaac filius promittitur. Dehinc poſtea aſſiſtunt uiri tres.Abraham conſpectis tribus unum adorat & dominum confitetur. Scriptura aſtitiſſe uiros tres edidit: ſed patriarcha non ignorat qui & adorandus ſit & confitendus.Indiſcreta aſſiſtentium ſpecies eſt,ſed ille dominum ſuum fidei oculis & uiſu mentis agnouit. Dehinc ſequitur.Et dixit ei: Reuertẽs ueniam ad te,ad hoc tempus in futurũ,& habebit filium Sara uxor tua.Et poſt hęc dixit ei dominus: Num celabo ego *Abrahæ puero meo quæ facturus ſum? Et rurſum: Dixit autem dominus, Clamor Sodomorũ & Gomorreorum impletus eſt,& peccata eorũ magna ualde.Et rurſum poſt alium multũ ſermonem,quem breuitatis ſtudio prætermittimus,cum de iuſtis unà cum iniuſts perdendis Abraham eſſet ſolicitus,ait: Nequaq; qui iudicas terram, facies hoc iudicium,ut perdas iuſtum cũ impĩs.Et dixit dominus: Si inue-

Filius eſt angelus dei & deus

Magni conſilij angelus

Erant tres uiri ſpecie ſimiles,ſed Abraham uiſu mentis et oculis fidei deũ inter alios agnouit

Als Abrahã puerũ meũ*

nero Sodomis quinquaginta iuſtos in ciuitate, remittam omni loco propter illos iuſtos. Et rurſum conſummato ſermone ad Loth fratrem Abrahę, ſcriptura dicit: Et dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorram ſulphur & ignem à domino de cœlo. Et rurſum: Et dominus uiſitauit Saram, ſicut dixit, & fecit deus Saræ ſicut locutus eſt, & concepit & peperit Sara Abrahæ filiũ in ſenectute ſua & in tempore, ſicut locutus eſt illi dominus. Et dehinc expulſa de Abrahæ domo cum filio ſuo ancilla, & in deſerto ob aquę inopiam interitum pueri timente, eadem ſcriptura ait: Et ecce exaudiuit dominus deus uocem pueri ubi erat, & uocauit angelus dei Agar de cœlo, & dixit ei: Quid eſt Agar? Noli timere, exaudit enim deus uocem pueri de loco in quo eſt. Surge & accipe puerum, & tene manũ eius, in gentem enim magnam faciam eum. Quæ perfidiæ cæcitas eſt, quæ increduli cordis obtuſio eſt, quæ irreligioſitatis temeritas, aut ignorare hæc, aut nõ ignorata negligere? Certe ita cõmemorata & dicta ſunt, ne intelligentiam ueritatis error aliquis aut obſcuritas impediret. Quæ ſi non poſſe ignorari docemus, impietatis eſſe crimẽ neceſſe eſt quod negatur. Angelus dei loqui ad Agar cœpit, Iſmaelem in gentem magnam adaucturus, eiq; innumerabilem gentis progeniem præſtiturus. Confeſſio audientis & dominum eum eſſe & deum edocet. Sermonis enim exordium ab angelo dei cœpit, ſed in cõfeſſione dei conſtitit. Ita qui ſub myſterio magni conſilij nunciandi dei angelus eſt, ipſe & natura & nomine deus eſt. Nomen enim naturæ, nõ nomini natura componitur. Iiſdem etiam de rebus ad Abraham deus loquitur, benedictum iam Iſmaelem edocetur, & multiplicadũ eſſe eundem in gentem: Benedixit, inquit, ei. Non itaq; demutauit perſonæ ſuæ ſignificationem. Se enim iam benedixiſſe demonſtrat. Scriptura certe ſacramenti ordinem & ueræ prædicationis modũ ab angelo dei incipiens, & poſtea ijſdem de rebus eundem loquentem deum confeſſa ſeruauit. Procedit autem pleniore doctrinæ profectu ſermo diuinus. Deus iſtic ad Abraham loquitur, paritura Saram pollicetur. Poſt hæc uiri tres ſedenti aſſiſtunt, unum adorat, & dominum confitetur, idemq; & adoratus & confeſſus ab illo, tempore eodem in futurum rediturum ſe promittit, & Saræ filium futurum. Deus ad Abraham locutus eſt. Idem poſtea de rebus ipſis eundem uir ab eo uiſus alloquitur: Demutatio tantum fit nominum, nihil tamẽ de confeſſione deceſſit. Virum enim licet conſpectum Abraham deum tamen adorauit, ſacramentum ſcilicet futuræ corporationis agnoſcens. Nec tamen tantæ fidei teſtimonio caruit, domino in Euangelio dicente: Abraham pater ueſter lætabatur, ut uideret diem meum, & uidit & gauiſus eſt. Vir ergo conſpectus rediturum ſe tempore eodem pollicetur. Contuere reſponſionis effectum, memento tamen uirum eſſe qui ſpondeat. Quid ergo ſcriptura dicit? Et dominus uiſitauit Saram. Vir ergo iſte dominus eſt, de quo ſcriptura dicit, efficiens

Qui ſibi myſterio magni conſilij nunciandi dei angelus eſt, ipſe natura & nomine deus eſt

Abraham cõſpiciens uirũ, futurũ corporationis ſacramentũ nouit

efficiens quod ſpopondit. Quid autem ſequitur? Et fecit deus Saræ ſicut locutus eſt. Vir in loquendo nuncupatus, dominus in uiſitatione ſignificatus, deus prædicatur in facto. Locutū certe uirum non ignorans, qui Abrahæ & uiſus eſt & locutus. Deum quo modo ignorabis, ſcriptura eadem quæ uirum dixerat, deū confitente? Ipſa enim dixit: Et concepit & peperit Sara Abrahæ filium in ſenectute ſua in tempore, ſicut locutus eſt illi dominus. Sed uir uenturum ſe locutus eſt. Virum crede tantum, niſi qui uenit, & deus & dominus eſt. Cauſam compara. Vir certe ob id uenit, ut Sara & cõcipiat & pariat. Fidem diſce. Dominus & deus ob hoc uenit, ut Sara & conciperet & pareret. In poteſtate dei uir locutus eſt, & in effectu dei deus præſtitit. Ita ſe deum & loquendo & faciendo ſignificat. Viris deinde conſpectis tribus, duo abeunt, ſed qui reſidet, & dominus & deus eſt. Neq; ſolum dominus & deus eſt, ſed & iudex eſt. Stans enim ante dominū Abraham dixit: Nullo modo tu facies hoc uerbū, occidere iuſtum cum impio, & erit iuſtus ſicut impius. Nequaquam, qui iudicas omnem terram, facies hoc iudicium. Toto igitur ſermone ſuo Abraham fidem, ob quā iuſtificatus eſt, docet: dominū ſuum ex tribus agnitum, & ſolum adoratum, & deum confeſſus eſt & iudicem. Ac ne fortè exiſtimes in unius confeſſione, trium omnium uirorū, qui ſimul uidebantur, honorem contineri, contuere quid conſpectis duobus, qui diſceſſerant, Loth dixerit: Et uidit Loth, & ſurrexit in obuiam illis, & adorauit in faciem in terra, & dixit: Ecce domini, diuertite in domum pueri ueſtri. Hic pluralem retinuit ſignificationem ſimplex uiſio angelorum, illic ſingularem honorem patriarchæ fides confitetur. Hic diuinæ ſcripturæ hiſtoria duos de tribus angelos fuiſſe ſignificat, illic dominū & deum prædicat. Ait enim: Et dixit dominus ad Abraham: Quare riſit Sara, dicens: Ego uere paritura ſum, ego autem quæ iam ſenui? Nunquid impoſſibile eſt à domino uerbum? in tempore hoc reuertar ad te in futurum, & erit Saræ filius. Tenet ergo ſcriptura ordinem ueritatis, nec pluralem ſignificationē in eo qui & deus & dominus agnoſcebatur admiſcens, neq; angelis duobus honorem, qui deo tantū fuerat delatus, impertiens. Loth quidem dominos dicit, ſed ſcriptura angelos nuncupat. Illic hominis officium eſt, iſtic confeſſio ueritatis. Dehinc adeſt in Sodomam & Gomorram iuſti pœna iudicij. Et quid tandem momenti in eo eſt? Dominus ſulphur & ignem pluit à domino: ut dominus à domino, ita non diſcreuit naturæ nomine, quos ſignificatione diſtinxerat. Legimus namq; in Euangelio: Pater nō iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Dedit ergo dominus, quod dominus accepit à domino, ſed qui accepiſti in domino, & domino iudicis cognitionem, cognominis eiuſdem in deo & deo cognoſce conſortium. Iacob diſcedens ob metum fratris ſui ſomnians uiderat ſcalam fundatam in terra & contingentem cœlum, & per eam aſcendentes

Ex tribus conſpectis duo angeli & unus deus & dominus

& deſcendentes angelos dei, & dominum incumbentem ſuper eam ſibiq; omnes benedictiones quas Abrahæ & Iſaac dederat,impertientem. Ad hunc poſtea talis dei ſermo eſt:Dixit autem deus ad Iacob:Surgens aſcende in locum Bethel, & habita ibi,& fac ibi altare deo qui apparuit tibi cum fugeres à facie fratris tui. Deus honorem deo poſtulat,& poſtulat cum alterius ſignificatione perſonę:Qui,inquit,apparuit tibi cum fugeres,ne qua perſonæ eiuſdem confuſio naſceretur. Deus ergo qui loquitur dicitur,& de quo loquitur,honoris confeſſio naturæ nomine non diſcernit,quos ſignificatio ſubſiſtentes eſſe diſtinguit. Et huic quidē loco quædam meminimus ad pleniorem abſolutionē neceſſaria. Sed ſecundū propoſitionis ordinem reſponſionis quoq; ordo retinendus eſt. Itaq; quæ ei reliqua ſunt, in libro altero ſuo loco exequemur. Tantū hoc nunc in deo qui honorē deo poſtulat, demonſtrandū fuit, angelū dei qui cū Agar locutus eſſet, & deū eſſe & dominū,cū ijſdem de rebus ad Abraham locutus ipſe ſit,& uirū qui Abrahæ uiſus eſt,& deū eſſe & dominū. Angelos autē duos & cum domino uiſos, & ab eo ad Loth miſſos, nihil aliud à propheta niſi angelos prædicatos. Non ſolū autē ad Abraham in uiro deus affuit, ſed etiam ad Iacob in homine deus uenit. Neq; ſolū uenit,ſed luctatus oſtenditur. Neq; tantummodo luctatus,ſed etiam aduerſus eum cū quo luctabatur,infirmus. Nunc de luctæ ſacramento neq; eſt in tempore,neq; in materia aliquid tractare. Deus certe eſt,quia Iacob aduerſus deū inualuit,& Iſrael deū uidit. Videamus autē an etiam alibi præterquam ad Agar hic angelus dei deus eſſe ſit cognitus. Cognitus planè eſt. Neq; ſolum deus, ſed etiam deus Abraham & deus Iſaac & deus Iacob repertus. Angelus enim domini Moyſi de rubo apparuit, dominus de rubo loquitur,uocem eius intelligendam exiſtimas,utrū eius qui uiſus eſt, an alicuius alterius? Hic mendacij locus nullus eſt. Ait enim ſcriptura: Apparuit autē illi angelus domini in flamma ignis de rubo. Et rurſum: Vocauit eum dominus de rubo: Moyſes Moyſes. Et reſpondit: Quid eſt? Et dixit dominus: Ne acceſſeris huc,ſolue calciamentū de pedibus tuis,locus enim in quo ſtas,terra ſancta eſt. Et dixit ei:Ego ſum deus Abraham & deus Iſaac & deus Iacob. Qui apparuit in rubo,de rubo loquitur, & uiſionis locus unus & uocis eſt, neq; alius quàm qui eſt uiſus, auditur. Quia qui angelus dei eſt cum uidetur, idem rurſum cum auditur eſt dominus:ipſe uero qui auditur dominus deus eſt. Deinde Abrahæ Iſaac & Iacob deus eſſe cognoſcitur. Cum angelus dei dicitur, nō proprius ſibi ac ſolitarius eſſe monſtratur. Etenim dei angelus cum dominus & deus nuncupatur,in honore naturæ ſuæ & nomine prædicatur. Habes ergo angelum qui de rubo apparuit,& dominū & deū. Percurre adhuc Moyſi teſtimonia, & intellige an occaſionem aliquam prædicandi deū & dominū negligat. Tenes nempe ex dictis eius:Audi Iſrael, Dominus deus tuus unus

Angelus ad Agar loquēs deus fuit

Idem angelus domini & deus

eſt

est. Tene nunc diuinæ illius cantionis dicta. Ait namq; : Videte uidete, quoniam ego sum dominus, & non est deus præter me. Et cũ omnis sermo dei ex persona dei usq; ad finem cantionis fuisset ait: Lætamini cœli simul cum eo, & adorent eum omnes filij dei. Lætamini gentes cum plebe eius, & honorificent eum omnes angeli dei. Honorificandus est à dei angelis deus, dicens: Quoniam ego sum dominus, & nõ est deus præter me. Est enim unigenitus deus, neq; consortem unigeniti nomen admittit, sicut nõ recipit innascibilis, in eo tantum quòd est innascibilis, participem. Est ergo unus ab uno. Neq; præter innascibilem deum deus innascibilis alius est. Neq; præter unigenitum deum unigenitus deus quisquam est. Vterq; itaq; unus & solus est. Proprietate uidelicet in unoquoq; & innascibilitatis & originis. Ac sic uterq; deus unus est. Cum inter unum & unum, id est, ex uno unum, diuinitatis æternæ non sit secunda natura. Adorandus est ergo à filijs dei, & honorificandus ab angelis dei. Ita & honor & ueneratio deo à dei filijs & angelis postulatur. Significationem honorandi & eorum per quos est honorandus intellige, scilicet per angelos & filios dei, deus. Ac ne fortè honorem dei nõ naturalis existimes postulari, & arbitreris hoc in loco Moysen de honorando deo patre sensisse, cum tamen pater sit honorandus in filio, tamen benedictionem quam sub eodem sermone ad Ioseph disponit, aduerte. Ait enim: Et quæ accepta sunt ei qui apparuit in rubo, ueniant super caput Ioseph & uerticem. Adorandus ergo à dei filijs deus est, sed deus qui & filius dei est. Honorificandus aũt à dei angelis deus est, sed deus qui dei angelus est. Qui de rubo apparuit dei angelus deus, & quæ ei complacita sunt, Ioseph cũ benediceretur optantur. Nõ ideo nõ deus, quia angelus dei est: neq; rursum angelus dei nõ idcirco, quia deus est, sed significata per sonarum intelligentia, & distinctio innascibilitatis natiuitatisq; sensu ac manifestata sacramentorũ cœlestium dispensatione, nõ solitarium deum docuit opinandum, cum angelum & filium dei deum dei angeli & filij adorabũt. Et hæc quidẽ de Moysi libris responsa à nobis sint, uel potius Moyses ipse responderit, quia eo hæretici autore usi, per unius dei confessionẽ putent persuaderi posse, ne deus esse dei filius prędicetur, contra autoris sui testimonium impij. Quando ille unum deũ confitens, nõ destiterit de dei filio docere quòd deus est. Sed consequens est multiplices de eodẽ prophetarum sententias proferre. Tenes dictum: Audi Israel. Dominus deus tuus unus est. Atq; utinã recte teneres. Sed secundũ sensum tuũ dicti prophetici quęro rationẽ. Ait enim in psalmis: Vnxit te deus deus tuus. Discerne ad legentis intelligentiã unctũ & ungentẽ. Distingue te & tuus, ad quẽ & deo quo sit sermo, demonstra. Superioribus enim dictis is cõfessionis ordo subiectus est. Dixerat namq; : Sedes tua deus in seculũ seculi, uirga directionis tuæ uirga regni tui, dilexisti iustitiam & odisti iniquitatẽ; Nunc quoq; his adiecit

Alius locus ex cantico Moysi, quoniam ego sum dominus & non est alius præter me

Angelus dei filius dei deus

Tractatis testimonijs ex Moyse transit ad alios prophetas

Vnxit te deus deus tuus

adiecit:Propterea unxit te deus deus tuus.Deus ergo regni æterni ob meritum dilectæ iuſtitiæ & peroſæ iniquitatis, à deo ſuo unctus eſt. Nunquid intelligentiam noſtram aliqua ſaltem nominũ interualla cõfundunt? Nam diſcretio tantum perſonæ in te & tuus poſita eſt,in nullo tamen naturæ diſtincta confeſſione. Tuus enim relatum eſt ad autorem,te uero ad eius qui ex autore eſt,ſignificationem.Eſt enim deus ex deo,propheta eodem ordine confitente : Vnxit te deus deus tuus . Non eſt autem ante innaſcibilem deum deus ullus,ipſo dicente:Eſtote mihi teſtes,& ego teſtis dicit dominus deus,& puer meus quem elegi,ut ſciatis & credatis & intelligatis,quoniam ego ſum, & ante me non eſt alius deus,& poſt me non erit. Eius igitur qui ſine natiuitate eſt, demonſtrata eſt * dignitas, & eius qui ex innaſcibili eſt, honor cõſeruatus eſt,unxit te deus deus tuus. Id enim quod ait tuus,ad natiuitatem refertur, cæterum non perimit naturam . Et idcirco deus eius eſt, quia ex deo natus in deum eſt. Non tamen per id quod pater deus eſt, nõ & filius deus eſt. Vnxit enim te deus deus tuus,deſignata uidelicet & autoris ſui & ex eo geniti ſignificatione,uno eodemq; dicto utrunq; illum in naturæ eiuſdem & dignitatis nuncupatione conſtituit. Verum ne fortè ex eo arripi impiæ aſſertionis poſſit occaſio,quod dictũ eſt: Quoniam ego ſum, & ante me non eſt deus alius, & poſt me non erit,tanquam per id non & filius deus ſit, quia poſt dominum,ante quem deus nullus ſit,nullus quoque poſtea deus futurus ſit,totius ob id dicti ratio tractanda eſt.Deus ipſe ſermonis ſui teſtis eſt , ſed puer eius electus unà cum eo teſtis eſt, deum ante ſe non eſſe, neq; poſt ſe futurum . Sufficiens quidem ſibi ipſe teſtis eſt, ſed teſtimonio de ſe ſuo teſtimonium pueri,quem elegit,admiſcuit. Vnum ergo duorum teſtimonium eſt,nullum ante ſe deum eſſe, ex eo enim omnia ſunt, neq; poſt ſe deum futurum, non utiq; ex ſe non fuiſſe. Erat enim iam puer in teſtimonio patris hæc loquens.Puer in tribu ex qua gigni habebat electus:Idipſum ita in Euangelijs demonſtrat:Ecce puer meus quem elegi: dilectus meus,in quo complacuit animæ meæ.Non eſt ergo ante me alius deus,& poſt me non erit.Aeternæ uidelicet & indemutabilis uirtutis infinitatem in eo,quod antea & poſtea deus præter ſe ſit nullus,oſtendens,puero * tamẽ ſuo ut in teſtimonio ſuo,ita & in nomine collocato.Et hoc ipſum promptũ eſt ex perſona ipſius diſcere. Ait enim ad Oſeæ propheten:Non apponam adhuc ut miſerear domui Iſrael, ſed enim aduerſans aduerſabor illis,filiorum aũt Iuda miſerebor, & ſaluos faciam illos in domino deo ipſorum . Ergo abſolute pater deum filium nuncupat, in quo & elegit nos ante tempora ſecularia. Illorũ idcirco ait, quia deus innaſcibilis à nullo eſt, nosq; filio in hæreditatem à deo patre donamur . Legimus namq; : Poſce à me,& dabo gentes tibi in hæreditatem tuam . Deo enim ex quo omnia ſunt,deus nullus eſt,qui ſine initio æternus eſt. Filio autẽ deus pater eſt,ex

Als perſona*

Idcirco deus eius eſt,quia ex deo natus in deum eſt

Als tum*

Saluos faciam illos in domino deo ipſorũ

eo

eo enim deus natus eſt. Nobis autẽ & deus pater eſt, & filius deus eſt, patre de filio confitente,quòd deus noſter ſit:filio de patre docente,quòd deus nobis ſit.Deo tamẽ filio à patre,id eſt,ipſo innaſcibili uirtutis ſuæ nomine nuncupato.Et hæc quidem ad Oſeæ.Per Eſaiam autem quàm abſoluta dei patris de domino noſtro Ieſu Chriſto profeſſio eſt? Ait namq; Quoniam ſic dicit dominus deus ſanctus Iſrael,qui fecit quæ uentura ſunt. Interrogate me de filijs ueſtris & de filiabus, & de operibus manuum mearum mandate mihi.Ego enim feci terram & hominem ſuper eam,ego omnibus ſideribus præcepi lucere, ego ſuſcitaui regem cũ iuſticia, & omnes uiæ eius rectæ, hic ædificabit ciuitatẽ meam, & captiuitatem plebis meæ conuertet. Non cum præmio,neq; cum muneribus,dicit dominus ſabaoth. Laborauit Aegyptus & mercatus Aethyopum & Sabain, uiri excelſi ad te tranſibunt,& tui erunt ſerui,& poſt te ſequentur alligati uinculis, & adorabũt te, & in te deprecabuntur,quoniam in te eſt deus,& nõ eſt deus præter te. Tu enim es deus,& neſciebamus.Deus Iſrael ſaluator,erubeſcent & pudebunt omnes qui aduerſantur ei,& ibunt cũ cõfuſione. Eſt ne adhuc aliquis temeritati locus? aut ulla relicta eſt ignorationis occaſio, niſi id tantũ reliquũ ſit, ut impietas profeſſa ſe prodat? Deus,ex quo omnia ſunt,qui omnia*mandando fecit,facti opera ſibi aſſumens,nõ utiq; efficienda,niſi dixiſſet ut fierent,teſtatur regem per ſe excitatũ iuſtum,& ædificantem ſibi domino ciuitatem,& plebis captiuitatem auertentem,nõ cum præmio,neq; cum muneribus,gratia enim omnes ſaluamur. Deinde ita loquitur, cũ poſt laborem Aegyptij,id eſt,ſeculi captiuitatem, & mercatus Aethyopum & Sabain,uiri excelſi ad eum tranſibunt. Et qui tandem exiſtimandus labor Aegypti, & mercatus Aethyopum & Sabain? Recordemur orientis Magos adorantes dominũ, & munerantes, & laborem ueniendi uſq; in Bethleem Iudæ, tanti itineris metiamur. In principio enim labore totius Aegypti, ſeculi labor demonſtratus eſt.Magis namq; diuinæ uirtutis operationes falſa rerũ ſpecie metientibus potiſſimus impiæ religionis honor à ſeculo ſcilicet omni deferebatur. Iiſdem Magis ex mercatu Aethyopum & Sabain, auri, & thuris,& myrrhæ munera deferentibus: quod quidẽ id ipſum & alius propheta præmonuit,dicens:In conſpectu eius procident Aethyopes,& inimici eius limum lingent.Reges Tarſis munera offerent,reges Arabum & Sabain munera adducent,& dabitur ei de auro Arabię.In Magis itaq; & muneribus labor Aegypti,& mercatus Aethyopũ & Sabain,oſtenditur* ſeculi & mundi error Magis adorantibus, & electa gentiũ munera adorato ab his domino oblata.Excelſi autẽ uiri,qui ad eum tranſituri ſunt, atque eum uincti ſequentur,qui tandem iſti ſunt,nõ in obſcuro eſt. Reſpice ad Euangelia.Petrus dominum ſuum ſequuturus præcingitur. Intuere apoſtolos. Seruus Chriſti Paulus in uinculis gloriatur.& uideamus an uinctus Chriſti Ieſu

Quoniam in te eſt deus,& non deus præter te

*Als*mandato*

Sabain.

*Als*ſcilicet*

ſti Ieſu,ea quæ deus de filio ſuo deo fuerat loquutus,impleuerit:Precabun tur,inquit,quoniam in te eſt deus. Dictum itaq; ab Apoſtolo recognoſce, & recognitũ intellige:Deus in Chriſto erat mundum reconcilians ſibi. Deinde ſequitur: Et nõ eſt deus præter te. Quibus continuo idem Apoſtolus ait:Vnus eſt enim dominus noſter Ieſus Chriſtus,per quem omnia.Et nullus pręter eum uidetur alius eſſe,qui unus eſt.Tertio quoq; ait:Tu es deus, & neſciebamus.Sed ex perſecutore factus doctor eccleſiæ,dixit: Quorum patres,ex quibus Chriſtus,qui eſt ſuper omnia deus. Hi igitur uincti hæc prædicarũt,excelſi uidelicet,& in duodecim thronis iudicaturi tribus Iſrael, & dominũ ſuum doctrinę & paſſionis ſuæ martyrio ſecuturi.Deus ergo in deo eſt,& in quo eſt deus,deus eſt. Et quomodo nõ eſt deus præter te, cũ in eodem deus ſit? Vſurpas ó hęretice,ad confeſſionem ſolitarij dei patris, nõ eſt deus præter me. Quomodo ex prædicatione dei patris dicentis,non eſt deus præter te,dictum interpretaberis,ſi per id quod dictum eſt,nõ eſt deus præter me,affirmare contendis,ne dei filius deus ſit? Et cui ergo deus dixerit,nõ eſt deus præter te? Subijcere enim hic tibi perſonam ſolitarij nõ licebit. Dominus enim dixit regi, quem excitauit ex perſona uirorũ excelſorum adorantium & deprecantiũ,quoniam in te eſt deus. Solitarium res iſta nõ recipit. In te enim præſentem, ueluti ad quem ſit ſermo, ſignificat. Quod autem ſequitur,in te eſt deus,nõ ſolum eum qui præſens eſt,ſed etiam eum qui maneat in præſenti demonſtrat,habitantem ab eo in quo habitat,diſcernens perſonę tantum diſtinctione,nõ generis. Deus enim in eo eſt,& in quo eſt deus, deus eſt. Non enim deus in diuerſæ atq; alienæ à ſe naturæ habitaculo eſt,ſed in ſuo atq; ex ſe genito manet deus in deo, quia deus ex deo eſt. Tu es enim deus,& neſciebamus,deus Iſrael ſaluator. Negantem te deũ in deo ſequens ſermo confutat. Ait enim: Erubeſcent & pudebit omnes qui aduerſantur ei, & ibunt cum confuſione. Decretũ hoc in impietatem tuam,dei eſt. Aduerſaris enim Chriſto,de quo te profeſſio paternæ uocis obiurgat. Deus eſt enim, quem eſſe tu deum negas. Denegas uero ſub ſpecie honoris dei,dicentis: Nõ eſt alius deus præter me. Sed confundere & erubeſce, nõ eget delato à te honore innaſcibilis deus, gloriam hanc à te ſolitudinis ſuæ nõ poſtulat, nõ deſiderat hanc opinionis tuæ intelligentiam, ut ob hoc quòd dixerit, non eſt deus præter me, eum quem ex ſe genuit deum abneges. Ac ne ſibi hoc ad diuinitatẽ filij deſtruendam peculiare deferres,unigeniti ſui gloriam honore perfectæ diuinitatis implet uit,dicens:Et nõ eſt deus præter te. Quid exæquata diſcriminas? quid comparata diſcernis? Proprium dei filio eſt, ne præter eum deus ſit. Proprium deo patri eſt,ne abſq; eo deus quiſquam ſit. Verbis dei de deo utere. Confitere ita,& precare regem,quoniam in te eſt deus,& nõ eſt deus præter te. Tu enim es deus,& neſciebamus,deus Iſrael ſaluator. Caret cõtumelia honoris

Proprium dei filio.

Proprium deo patri.

noris officium, neq; offenſionem habet confeſſionis exemplum, maxime cum aduerſatio eius plena confuſionis ſit & pudoris. Immorare dei uerbis, confitere dei uocibus, & fuge cõfuſionis denunciationẽ. Deũ enim dei filiũ abnegando, nõ tam deum tanquam ſolitario gloriæ honore ueneraberis, quàm patrẽ filij inhonoratione contemnis. Honoris fidem innaſcibili deo confitere, quòd præter eum deus nullus ſit. Vnigenito deo prædica, quòd abſq; eo deus nõ ſit. Audi enim præter Moyſen & Eſaiam, tum tertio id ipſum quoq; & Hieremiam docentem, cum dicit: Hic deus noſter eſt, & non deputabitur alter ad eum. Qui inuenit omnẽ uiam diſciplinæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hęc ſuper terram uiſus eſt, & inter homines conuerſatus eſt. Dixerat enim iam ſuperius: Et homo eſt, & quis cognoſcet eum? Habes ergo deũ in terra uiſum, & inter homines conuerſatum, & requiro quomodo intelligendum exiſtimes, deum nemo uidit unquam, niſi unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, eum Hieremias deum prædicet, qui & uiſus in terris eſt, & inter homines conuerſatus eſt? Pater certe non niſi filio uiſibilis eſt. Quis ergo iſte eſt qui uiſus eſt, & conuerſatus eſt inter homines? Deus certe noſter eſt, & uiſibilis in homine, & cõtrectabilis deus. Et prophetam loquentem intellige: Nõ deputabitur alter ad eum. Si quæris quomodo, audi quæ ſequuntur, ne per id non & patri proprium eſſe exiſtimes, quod dictum eſt: Audi Iſrael. Dominus deus tuus unus eſt. Hæc enim ſibi cohærent: Non deputabitur alter ad eum, qui inuenit omnẽ uiam ſcientiæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hoc ſuper terram uiſus eſt, & inter homines conuerſatus eſt. Vnus eſt enim mediator dei & hominum, deus & homo: & in legiſlatione, & in corporis aſſumptione mediator. Alius igitur ad eum non deputabitur. Vnus eſt enim hic in deum ex deo natus, per quem creata ſunt omnia in cœlo & in terra, per quem tempora & ſecula facta ſunt. Totum enim quicquid eſt, ex eius operatione ſubſiſtit. Hic ergo unus eſt diſponens ad Abraham, loquens ad Moyſen, teſtans ad Iſrael, manens in prophetis, per uirginem natus ex ſpiritu ſancto, aduerſantes nobis inimicasq; uirtutes ligno paſſionis affigens, mortem in inferno perimens, ſpei noſtræ fidem reſurrectione confirmans, corruptionem carnis humanæ gloria corporis ſui perimens. Ad hunc ergo nõ deputabitur alius. Soli enim hęc unigenito deo propria ſunt, & unus hic in hanc peculiarem uirtutum ſuarũ beatitudinem natus ex deo eſt: non alter ad eum deus deputatur. Non enim ex alia ſubſtantia, ſed ex deo deus eſt. Nihil in eo itaq; nouum, nihil extraneum, nihil recens eſt. Cũ enim audit Iſrael, quòd ſibi deus unus ſit, & filio dei deo nõ alter deus deputetur, ut deus ſit: abſolute pater deus, & filius deus unũ ſunt, non unione perſonæ, ſed ſubſtantiæ unitate, quia filio dei deo deputari ad alterum deum non ſinit propheta dicens, quòd deus unus eſt.

Quomodo deus ſuprà terram uiſus

Quomodo intelligitur illud: Non deputabitur alter ad eum

Per uirginem natus ex ſpiritu ſancto

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER QVINTVS



Espondentes impijs & uæsanis hęreticorum institutionibus superioribus libris, non ignoramus in eam nos contradicendi necessitatem deductos fuisse, ut non minus periculi audientibus responsio nostra quàm silentium cõmoueret. Cum enim unum deum prophanæ assertio infidelitatis ingereret, & rursum unum deũ religiose negare fides sana non posset, tractari de eo non sine ancipitis periculi conscientia potuit, quod non minus impie confirmaretur quàm negaretur. Equidem humani sensus opinione ineptum, & rationis alienum esse hoc fortè existimabitur, ut quod irreligiosum est negare, id ipsum irreligiosum sit confiteri, cum pietas confitendi, impietatem condemnet negandi: nec ratione conueniat, ut utiliter affirmetur, quod utiliter destruatur. Sed ad diuinæ sapientiæ intelligentiam humanus sensus imprudens, & secundũ cœlestem prudentiam stultus, iuxta infirmitates suas sentit, & iuxta imbecillitatem naturę suæ sapit, stultus sibi futurus ut deo sapiat, scilicet ut sensus sui inopiam intelligens, & dei sapientiam consectans, non secundum humanam sapientiam prudens sit, sed secundum quod ad deũ proficit, sapiat, in dei sapientiam ex recognita mundi stultitia transiturus. Cuius stultæ sapientiæ sensum hæretica subtilitas ad fallendi occasionem coaptans, unum deum professa est autoritate legis Euangeliorumq; usa, qua dictum est: Audi Israel: Dominus deus tuus unus est. Non ignorans quantum in eo sit, uel responsionis periculum, uel silentij, & ex utroq; opportunitatem impietatis expectans, ut si sanctitatẽ dicti infideliter usurpati, conniuentis taciturnitas confirmaret, per id quod deus unus est, filius tamen dei deus non esset, deo tantum sicut est, uno manente. At uero si contradictio præsumptæ impiæ huius professionis existeret, ueritatem fidei Euangelicæ non conseruaret deum unum non confessa responsio, cum fidei nostræ professio secundum deum unum sit, recideretq; in alterius hæreseos impietatem, deum unum patrem & filium non professa confessio. Atq; ita sapientia mundi, quæ stultitia apud deum est, specie blandæ & pestiferæ simplicitatis illuderet, cum hoc fidei suæ constitueret exordium, in quo sibi impie aut assentiremur aut aduersaremur. Et per hoc utriusq; rei periculum, dei filium deum non esse obtineret, quia deus unus est, aut extorqueret alterius hæreseos necessitatem, si & patrem deũ, & filium deum confitentes, unum deum prędicare secundum Sabellij opinionem impiam existimaremur, & ita hoc prædicationis suæ modo, unus deus aut alium excluderet

excluderet,aut per alium non eſſet,aut tantũ in nominibus unus eſſet:quia & unitas alium neſciret,& alius non permitteret unionem,& duo unus eſſe non poſſet.Sed nos ſapientiam dei,quæ mundo ſtultitia eſt conſequuti,& per fidei dominicæ ſalutarem & ſynceram confeſſionem, uipereæ doctri/næ fraudulentiam prodituri,hunc reſponſionis noſtræ ordinem inchoaui/mus, qui & aditum ſibi demonſtrandæ ueritatis acquireret,nec ſe periculo impiæ profeſſionis inſereret,temperato inter utrunq; moderamine,nõ ne/gantes deum unum, ſed eo ipſo autore deum & deũ, per quem deus unus prædicatus eſt,prædicantes & deum unum,nõ per unionem docentes, ne/que rurſum ad diuerſitatis numerum deſecantes:neq; contra tantum in no minibus confitentes,ſed deũ & deum repoſita & dilata adhuc plenius uni/tatis quæſtione,monſtrantes.Recte enim unum deum à Moyſe prædicatũ Euangelia teſtantur, & rurſum fideliter in Euangelijs deũ & deum doceri, Moyſes deum unum prædicans autor eſt. Atq; ita nõ autoritati contrariũ eſt,ſed ex autoritate reſponſum eſt,ne per id filium liceret deũ negare,quia ad Iſrael deus unus eſt,cum confitendi dei filium deũ idem autor eſſet,qui autor eſt dei unius prædicandi. Sequitur itaq; ordinem quæſtionis etiam ordor cõnexi ſibi libelli. Nam quia hæc ſequens impij blandimenti poſita ſententia eſt,nouimus deum unum uerum: hinc quoq; ſecundi huius libri omnis ſermo conſiſtit,an filius dei deus uerus ſit.Nam ſine dubio in hunc ſe ordinem hæretici ingenij ſubtilitas coaptauit,primum unum deũ dicens, deinde unum uerum deum confitens,ut per id filium dei à natura dei & ue ritate auerteret,cum ueritas in natura unius manens, naturalem unius non excederet ueritatem.Igitur quia ambiguitati locus nullus eſt,quin Moyſes unum deum prædicans, intelligatur de dei filio ſignificaſſe, quòd deus ſit, per ipſas illas ſignificationis ſuæ autoritates recurramus,& requiramus, an quem deum ſignificauerit,deum quoq; uerum intelligendũ docuerit.Nulli autem dubium eſt, ueritatem ex natura & naturæ uirtute eſſe, ut exempli cauſa dictum ſit. Verum triticum eſt quod ſpica ſtructum, & ariſtis uallatum,& folliculis excuſſum,& in far comminutum,& in panem coactum,& in cibum ſumptum,reddiderit ex ſe & naturam panis & munus.Itaq; quia naturæ uirtus præſtat ueritatem, uideamus an uerus deus ſit, quem Moy/ſes deum eſſe ſignificat, de uno deo,& eodem uero deo poſtea loquuturi, ne non interpoſita ſponſione, de unius ueri dei in patre & filio ſubſiſtentis confirmatione, periculoſa ſuſpicio pendulæ expectationis ſolicitudinẽ de/fatiget.Creatio igitur mundi,* priuſquam & dei cognitio ſuſcepta eſt, filiũ dei deum eſſe ſignificans,rogo in quo tandem uerum eſſe deum deneget? Non enim ambigitur,quin per filium omnia ſint. Omnia namq;, ſecundũ Apoſtolũ,per ipſum,& in ipſo.Si omnia per eum,& omnia ex nihilo,& ni/hil non per eum,quæro in quo ei ueritas dei deſit, cui non deſit dei nec na/

Moyſes unũ deum prædi/cãs,de filio ſi/gnificauit q̃ deus ſit, nunc inquiritur an uerus deus ſit

*Als *poſtq̃*

tura nec uirtus? Naturę enim ſuæ uirtute uſus eſt, ut & eſſent quæ nõ erant, & fierent quæ placerent. Vidit enim deus quòd bona ſunt. Neq; enim aliam quàm perſonæ intulit lex ſignificationem cum ait: Et dixit deus: Fat firmamentum. Et ſubiecit rurſum: Et fecit deus firmamentum. Cæterum nec uirtutem diſtinxit, nec naturam ſeparauit, nec nomen demutauit in eo, in quo tantum dicentis intelligentiam præſtitit, ut ſignificationem efficientis afferret. Veritatem autẽ naturæ atq; uirtutis, ſignificatio ſermocinantis nõ adimit, quin potius ueritatem ipſam quanta poteſt proprietate commendat. Afferre enim dicto efficientiam, naturæ eius eſt, qui efficiens id poſſit præſtare, quod dicens. In quo ergo tandẽ nõ erit uerus ille qui efficit, cũ uerus ſit ille qui dicit? Quandoquidẽ dicti ueritatem, facti ueritas conſequatur. Deus eſt qui dixit, deus eſt qui fecit. Si in dicto ueritas eſt, quæro quur negetur in facto? niſi fortè hic dicendo uerus ſit, & non ſit uerus iſte faciendo. Habemus itaq; in filio dei deo naturę ueritatẽ. Deus eſt, creator eſt, dei filius eſt, poteſt omnia, parũ eſt ut quod uult poſſit, quia ſemper uoluntas uirtutis eſt, quin etiam id quod ſibi dicitur poteſt. Perfectæ enim poteſtatis eſt, hoc naturam poſſe facientis, quod poſſit ſignificare ſermo dicentis. Atq; ita cũ quicquid dici poteſt, id ipſum & effici poſſit, tenet ueritatis naturam ea quæ dictis exæquatur operatio. Non eſt itaq; dei filius deus falſus, nec deus adoptiuus, nec deus nuncupatiuus, ſed deus uerus. Et non neceſſe eſt aliquid è diuerſo demonſtrare, per quod non ſit uerus deus. Mihi enim ſufficit in eo dei nomen atq; natura. Deus enim eſt, per quem facta ſunt omnia. Hoc mihi de eo creatio mundi loquuta eſt: Exæquatur deus deo nomine, exæquatur ueritati ueritas opere. Vt ſignificatio eſt dei potentis in dicto, ita intelligentia eſt dei potentis in facto. Et poſt hæc quæro in patris & filij confeſſione, qua autoritate naturę ueritas uel diuinitatis denegetur, quam & uirtus nominis, & nomẽ uirtutis impleuit? Meminiſſe autem legentem oportet, non me immemorem aut diffidentem earum quæ obijci ſoleant quæſtionũ, de his nunc tacere. Neq; enim hoc quod dici ſolet: Pater maior me eſt, & cætera huiuſmodi ſimilia, aut ignorantur, aut nõ intelliguntur, ut nõ per hæc ipſa ueri dei in filio natura doceatur: ſed ordinem reſponſionis noſtræ eum eſſe conuenit, qui erat propoſitionis aduerſæ, ut ueſtigia impiæ inſtitutionis greſſus hic piæ prædicationis inculcans, ipſa illa prima euandentis in hoc prophanum irreligioſumq; inter fallacis doctrinæ ſigna deleret. Dilatis igitur, atq; in poſtremum reſeruatis Euangelicis atq; apoſtolicis præconijs, omnis interim nobis de lege & prophetis aduerſus impios pugna ſit, ementitam eorum atq; fallacem peruerſitatem his ipſis interim, quibus fallere tentant, dictis coarguentibus. Neque enim aliter ueritas intelligi poteſt, quàm ſi falſa ea eſſe, quæ ueritati obiecta ſunt, detegantur. Et hoc quidem mentientiũ abſolutiore dedecore, ſi mendacia

Filius dei non eſt deus falſus, non deus adoptiuus, nec nuncupatiuus, ſed deus uerus

Veritas intelligitur, cũ obiecta falſa eſſe conuincuntur

ipſa

ipſa proficiant ueritati. Et quidem ſenſu humanæ opinionis cõmune iudi/cium eſt,nequaq; ueris falſa ſociari, neq; hæc rerũ genera mutuo ſibi aſſen ſu contineri, quia per generis differentiam aduerſante natura nunq; diſſi/dentia coeant,nec diuerſa conſentiant,nec ſibi inuicem aliena cõmunia ſint. Quæ cum ita ſint,interrogo, inter uerũ & falſum deum,quomodo hoc di/ctum intelligatur: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem no/ſtram. Verba ſenſum enunciant,ſenſus rationis motus, rationis motum ue ritas incitat. Ex uerbis igitur ſenſum ſequamur, & ex ſenſu rationem intel/ligamus,& ex ratione ueritatem apprehendamus. Cui enim dicitur:Facia/mus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, quæro in quo nõ ſecundum eum uerus ſit qui ſibi dicat.Nam ſine dubio dictum hoc ex affe ctu ſenſuq; dicentis eſt.Ergo qui dicit,faciamus,ſignificat ſecum ad facien/dum nõ diſſentientem,nõ alienum,non infirmum, ſed qui potens ſit ad id unde eſt ſermo faciendum.Hoc ergo ſine dubio ſenſiſſe qui loquitur, quia id loquutus eſt, intelligendus eſt. Vt plenior autem naturæ atq; operatio/nis ueritas doceretur, qui ſenſum ſuũ per uerba eloquebatur: ſenſus quoq; rationem ex natura cum ueritate ſubiecit,dicens:Ad imaginem & ſimilitu/dinem noſtram. Vbi eſt hic falſus deus,cui uerus deus dicit:Ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtram? Non habet unionem,nõ habet diuerſitatem,non habet diſcretionem.Homo enim ad cõmunem fit,ſecundum ueritatem ſer monis,imaginem.Cõmunio autẽ falſo ueroq; nõ cõuenit.Deus qui loqui/tur,ad deum loquitur.Ad patris & filij imaginem homo conditur. Nomẽ nõ diſcrepat,natura nõ differt. Vna enim eſt imaginis, ad quã homo crea/tus eſt,ſpecies:& inter hæc ueritas ubi deperit,manente inter utrunq; & fa/cti cõmunione,& cõmunis imaginis ueritate.Nondum abſoluendę huius quæſtionis mihi tempus eſt,poſterius enim demonſtrabimus,in quã ima/ginem dei patris & dei filij homo conditus ſit. Nunc interim hoc tenemus, an iſte uerus deus nõ ſit, cui uerus deus dixerit: Faciamus hominẽ ad ima/ginem & ſimilitudinem noſtram. Diſcerne ſi quid potes,in hac imaginis cõmunione, uerum atq; falſum, & hæretico furore hæc indeſecabilia deci/de. Vnum enim ſunt, ad quorũ imaginis & ſimilitudinis unũ eſt homo fa/ctus exemplũ. Sed ſequamur ordinem lectionis, ut ueritas ſibi cohærens nõ demutetur offendiculo falſitatis. Et fecit deus hominẽ, ad imaginẽ dei fecit eum.Imago cõmunis eſt, deus ad imaginem dei hominem fecit. Qui uerum deum filiũ dei denegat, quæro ad cuius dei imaginem à deo factũ hominem intelligat? Meminerit tamen ſemper per filium omnia, ne fortè hæretica intelligentia operationẽ ſibi dei patris coaptet.Si igitur ad imagi nem dei patris per filiũ deũ homo cõditur,conditur quoq; ad imaginẽ filij, quia nemo filio dictum denegat, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Tenuit ergo ſermo diuinus rationẽ ueritatis in dictis,quam opus explebat

Alius locus

Ex uerbis ſenſum ſequa/mur,ex ſenſu rationem in/telligamus,ex ratione ueri/tatem appre/hendamus

Ad patris & filij imaginẽ homo cõditur

in factis, ut hominem ad imaginem dei deus figurans, & deũ ſignificaret, nec ueritatem deo adimeret, cum & in cõmunione imaginis eſſet deus ue-
Als*deus rus, qui in opere efficiendo intelligebatur*dei filius. O deſperatę mentis fu ror perdite, ô ſtulta cæcæ impietatis temeritas. Audis deum & deum, audis imaginem noſtram, quid tu ſubiũcis uerum & non uerum? Quid inſeris na turalem atq; falſum? Quid ſub religionis nomine religionẽ euertis? Quid per unum deum, & unum uerũ deum tentas, ne deus uerus unus ſit? Non dum uæſanos ſpiritus tuos dictis Euangelicis atque apoſtolicis ſuffoco, in quibus pater & filius nõ perſona, ſed natura unus & uerus deus uterq; eſt: interim te lex ſola necat. Nunquid ait deum uerum, & non deum uerum? Nunquid aliter in utroq; præterquam naturæ nomine uſa eſt? Deum & deum dixit, quæ dixit deum unum. Sed quid tantum dixiſſe dico? Deum uerum, & deum uerum, per ueritatem imaginis prædicauit. Vſa eſt in nun cupatione primum naturæ nomine, utitur deinceps in genere ueritate natu ræ. Cum enim qui fit, ſecundum imaginem creatur utriuſq;, non poteſt nõ in utroq; conſiſtere, quòd uterq; deus uerus ſit. Sed pergamus etiam nunc eo prædicationis noſtrę itinere, quo lex ſancta de deo docuit: Angelus dei
Alius locus, ex quo probat filiũ uerum deum ad Agar de deo loquitur, & idem angelus deus eſt. Sed fortè idcirco non deus uerus eſt, quia angelus dei eſt. Inferioris enim naturæ uidetur hoc no men, & ubi nuncupatio eſt generis alieni, ibi exiſtimatur ueritas eiuſdem generis non ineſſe. Et quidem iam ſuperior liber inanitatem huius quæ-
Angelus eſt nomen officij, non naturæ ſtionis oſtendit. In angelo enim officij potius quàm naturæ intelligentia eſt. Et pſalmiſta mihi teſtis eſt, dicens: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem. Vrens autem ignis, illi miniſtri eius ſunt: ſui autem ſpiritus, angeli eius ſunt. Per hæc enim nunciorum, qui angeli nuncupantur, ac miniſtrorum oſtenditur uel natura, uel uirtus. Fit ergo hic ſpiritus angelus, uel hic ignis urens, miniſter dei: & hæc natura eorum ac cipit nuncij & miniſtri officium. Volens igitur lex, imò per legem deus perſonam paterni nominis intimare, dei filium angelum dei loquuta eſt, id eſt, nuncium dei. Significationem enim officij teſtatur in nuncio: naturæ autem ueritatem confirmauit in nomine, cum deum dixit. Hic autem nunc diſpenſationis eſt ordo, non generis. Non enim aliud quàm patrem & fi lium prædicamus, & ita naturam nominum coæquamus, ut ueritatem dei teneat ex innaſcibili deo dei unigeniti natiuitas. Miſſi autem & mittentis ſignificatio hic non aliud quàm patrem & filium docet: cæterum uerita tem non adimit naturæ, neq; in filio perimit natiuæ diuinitatis proprieta tem, quia nemo ambigat naturam autoris in filij natiuitate connaſci, ut ex uno conſiſtat in unum atque per unum, non diſcernatur ab uno, atque ita unum ſint per unum, ut unus ex uno eſt. O impatiens fidei calor, & deſi derati ſermonis incontinens ſilentium. Iam enim & in ſuperioti libro mo-

dum

dum conſtitutæ prędicationis exceſſimus,cum quando impie dictũ unum deum ab hæreticis arguentes, & deũ atq; deum à Moyſe prædicatum docentes, ad unius dei ueram & religioſam confeſſionem pia, quamuis inconſiderata,feſtinatione deſcendimus, nunc quoq; alterius quæſtionis negocio immorantes,non tenuimus ordinem conſtitutum,& dum de deo uero dei filio loquimur, uſq; ad confeſſionẽ dei ueri in patre & filio feruentis ſpiritus ardore prorupimus. Sed tractatui ſuo fidei noſtræ ueritas reſeruetur,quæ cum inchoata ſit ad ſecuritatem legentis, tractanda tamen atque abſoluenda plenius eſt ad deſperationem contradicentis. Non affert itaque demutationẽ naturæ nomen officij.qui enim angelus dei eſt,deus eſt. Non ſit planè deus uerus,ſi nõ res dei & loquutus fuerit,& geſſerit.In gentem enim magnam Iſmael adauget,& nomini eius multiplicationem gentium pollicetur,& quæro ſi hoc angeli opus eſt? Sin uero poteſtas dei eſt, quid naturæ aufers ueritatem,cui ueritatis non adimis poteſtatem? Tenet itaque uirtus naturæ ueritatis fidem, & inter diſpenſationis ſuæ ſalutaria mundo ſacramenta: qui deus uerus eſt neſcit aliquando non eſſe deus uerus.Et primum quæro,quid ſignificationis habeat deus,& nõ deus uerus? Non enim uerbi huius apprehendo rationem ſi dicatur mihi,ignis eſt,ſed non eſt uerus ignis: aut aqua eſt, ſed non eſt uera aqua, & quæro, in quo eiuſdem generis ueritas à generis eiuſdem ueritate diſſentiat? Quod enim ignis eſt, non poteſt eſſe ne uerus ſit: nec natura manens eo poteſt carere quod uera eſt. Perime aquæ quod aqua eſt, & per id poteris abolere ne uera ſit: cæterum ſi aqua maneat, etiam in eo neceſſe eſt perſiſtat ut uera ſit: poteſt ita demũ natura perire,ſi non ſit: uerum non poteſt non uera eſſe ſi maneat. Aut deus uerus eſt filius dei, ut deus ſit, aut ſi non eſt uerus deus,non poteſt id etiam eſſe quod deus eſt:quia ſi natura non ſit, non naturæ competit nomen: ſi autem naturæ in eo nomen eſt,non poteſt ab eo ueritas abeſſe naturæ. Sed fortè in eo cum angelus dei deus dicitur, adoptionis nomen indulgeatur, & ſit in eo nuncupatio dei potius quàm ueritas. Si parum naturam in ſe dei, tum cum angelus dei dictus eſt, edocuit, in inferioris adhuc ab angelo naturæ nomine intellige, an ex ſe dei præſtiterit ueritatẽ. namq; ad Abraham homo loquutus eſt, ſed Abraham deũ adorauit. Et ô peſtifer hæretice, deum Abraham confeſſus eſt, quem tu deum denegas. Quas promiſſas Abrahæ benedictiones impie expectas? Non eſt tibi ille,ut eſt, gentium pater, neque in familiam ſeminis ſui per benedictiones fidei ſuæ renatus euadis. Non de lapidibus Abrahæ filius excitaris, ſed natio uiperarum confeſſionis tuæ hoſtis exiſtis. Non es Iſrael dei, non es Abrahæ ſucceſſio, non iuſtificatus ex fide es, non enim deo credidiſti. Per eam namque fidem iuſtificatus eſt, & conſtitutus eſt Abraham pater gentium, per quam deum cui credidit adorauit.

Verum eſſe, non ſeparatur ab eſſe

Obiectio

Adorauit etenim beatus ille & fidelis patriarcha deũ, & accipe quàm deũ uerum,cui,ut ipſe de ſe ait,nõ impoſſibile eſt omne uerbum. Aut nunquid nõ ſoli deo poſſibile eſt omne uerbũ? Aut cui poſſibile eſt omne uerbum, quæro quid deſit de deo uero, & rogo, quis eſt deus hic Sodomæ & Gomorræ euerſor? Pluit enim dominus à domino. Nunquid nõ uerus dominus à uero domino? aut nunquid aliud quàm dominus à domino? Vel quid præter ſignificationem perſonæ in domino ac domino coaptabis? Et memento, quòd quem ſolum uerum deum noſti, hunc eundem ſolum iuſtum iudicem ſis profeſſus. Et intellige, quòd dominus qui pluit à domino, nõ occidens iuſtum cum impio, omnem iudicans terram, & deus & iudex eſt iuſtus, & pluit à domino. Et inter hæc, quem ſolum iuſtum iudicem dixeris quęro. A domino enim dominus pluit, & hunc iuſtum iudicem nõ negabis, qui pluit à domino. Abraham enim dixit, pater gentium nõ utiq; infidelium: Nullo modo facies hoc uerbum ut occidas iuſtum cum impio, & erit iuſtus tanq; impius. Nullo modo qui iudicas terram, facies hoc iudicium. Hunc ergo deum iuſtum iudicem neceſſe eſt & uerum deũ eſſe. Tuo te impie teneo mendacio. Nondũ ex Euangelijs deum iudicem profero, lex mihi iudicem deum loquuta eſt. Adime filio quòd iudex eſt, ut auferas quòd deus uerus eſt. Eum enim ſolũ uerum deũ, quem ſolum iudicem iuſtum profeſſus es: & quem iuſtum iudicem doces, hunc nõ potes ſecundũ te uerũ deũ negare. Qui iudex eſt, dominus eſt, potens ad omne uerbũ eſt, benedictionum æternarũ ſponſor eſt, piorũ impiorumq; iudex eſt. Abrahæ deus eſt, ab eo adoratus eſt. Ementire ſaltem aliquid per hanc impiam & ſtultam uerbi tui impudentiam, unde nõ uerus eſt. Non perimunt naturæ ueritatem cœleſtis miſericordiæ ſacramenta, ſed nec ſanctorũ fidem ſpecies quę ad fidei uiſionem coaptantur eludunt. Sacramenta enim legis myſterium diſpenſationis Euangelicæ præfigurant, ut patriarcha uideat & credat, quod Apoſtolus contempletur & prædicet. Namque cum lex umbra ſit futurorũ, ueritatem corporis umbræ ſpecies expreſſit. Et deus in homine & uidetur, & creditur, & adoratur, qui ſecundũ plenitudinem temporis eſſet in homine gignendus. Namq; ad uiſum ſpecies præfiguratæ ueritatis aſſumitur. Viſus eſt aũt tum tantũ deus in homine, nõ natus eſt: mox etiã hoc eſt quod eſt uiſus, & natus eſt. Ad ueritatẽ uero naſcendi familiaritas proficit aſſumptæ ad cõtemplandũ formæ. Illic homo per deũ ſecundũ naturæ noſtræ infirmitatẽ uidendus aſſumitur, hic pro naturę noſtræ infirmitate naſcitur quod erat uiſum. Accipit umbra corpus, & ſpecies ueritatẽ, & uiſio naturã. Nõ tamẽ deus à ſe demutatur, cũ in homine nobis aut cõſpicitur, aut naſcitur, familiari inter ſe proprietate & natiuitatis & uiſus, ut quod natũ eſt, uiſum ſit, & quod uiſum eſt naſceretur. Et quia nondũ nobis collationis Euangelicæ ac propheticę locus eſt inſtitutus, interim ex lege ordinẽ

Filius iudex oſtenditur ex lege

Abraham uidit, credidit, & adorauit deum in homine

proſequamur

proſequamur,probaturi poſtea ex Euangelijs, uerũ dei filium natũ in hominem fuiſſe, nunc uiſum interim patriarchis in ſpecie hominis, dei filium deum uerũ doceamus ex lege.Namq; cũ Abrahæ homo uiſus eſt, & deus adoratur,& iudex prædicatur. Et cũ pluit dominus à domino, nõ ambigitur quin quod pluit dominus à domino, ad ſignificationẽ patris & filij lex loquatur.Neq; rurſum exiſtimandum eſt, quòd patriarcha neſcierit, quin deum uerũ adoraret,quem deũ intelligens adorabat.Habet autẽ nõ exigua am perfidię impietas ad intelligentiam ueri fidei difficultatem.Anguſtum enim irreligioſitatis ſenſum religioſæ doctrinæ inſtitutio non adit,ex quo fit,ut quæ ad ſacramentũ ſalutis humanæ deus in hominem naſcendo geſſit,mens irreligioſa nõ capiat,dum opus ſalutis ſuæ nõ intelligit eſſe*uerita tem,& contemplando partum natiuitatis, infantiæ infirmitatem, pueritiæ profectum,iuuentutis ætatem,corporis paſſiones,& paſſionum crucem,& crucis mortem, per hæc nõ ſentiunt deum uerũ, cum hæc in ſe ad naturam genuerit,quæ ſibi nõ erant antea in ueritate naturæ, ita ut naturæ nõ amitteret ueritatem,neq; homo factus deus eſſe deſineret,cum qui deus eſt,homo eſſe cœpiſſet,nõ intelligentes nõ niſi ex ueri dei uirtute eſſe,ut quod nõ eſſet,eſſet:nec tamen quod eſſet eſſe deſineret,cum naturæ infirmæ aſſumptio nõ eſſet,niſi ex potentis uirtute naturæ:quæ cum in eo quod eſſet maneret,poſſet tamen eſſe quod non erat. O hæretica imprudentia, & ſtulta mundi ſapientia,opprobrium Chriſti non intelligens dei eſſe uirtutem, & ſtultitiam fidei nõ ſentiens dei ſapientiam.Deus ergo idcirco tibi Chriſtus nõ eſt,quia qui erat naſcitur:quia qui indemutabilis eſt, creſcit ætate : quia impaſſibilis patitur, quia uiuens moritur, quia mortuus uiuit, quia omnia in eo cõtra naturam ſunt? Rogo hoc quid aliud eſt, quàm omnipotentem eſſe,quod deus eſt? Nondũ uos ô ſacra & ueneranda Euangelia contingo, ut ex nobis Chriſtus Ieſus in his paſſionibus deus ſit.Ex lege enim eſtis,& oportet eam docere,quòd per aſſumptam infirmitatem nõ*admittat deus eſſe,qui deus eſt. Sacramentum enim fidei ueſtræ myſteriorum ſuorũ uirtute teſtata eſt.Adeſto nunc mecum fidei tuæ ſpiritu aduerſus uenenata infidelitatis ſibila,ſancte & beate patriarcha Iacob, & in lucta hominis inualeſcens,benedici te ab eo fortior deprecare. Quid iſtud eſt,quod imbecillũ oras,quod ab infirmo expectas? Hunc cuius benedictionẽ rogas, complexu tuo ualidior elidis.A geſtis corporis tui,mentis tuæ opus diſſidet. aliud enim quàm agis ſentis.Tenes in geſtis luctæ tuæ hominem infirmum, ſed hic tibi homo deus uerus eſt,nõ ex nuncupatione,ſed ex natura. Nõ enim adoptiuis benedictionibus benedici te poſtulas patriarcha,ſed ueris.Cum homine luctaris,ſed deum facie ad faciem uides:non hoc oculis tui corporis cernis,quod * uſu fidei tuæ ſentis. Infirmus ſecundum te homo eſt, ſed anima tua ſecundum uiſum deum ſaluata eſt.Iacob in lucta es, poſt fidem poſtulatæ

Als*uirtutem

Als*adimas

Deus uideri uoluit homo infirmus,ante quam eſſet homo natus

Als*uiſu

poſtulatæ benedictionis Iſrael es. Subditur tibi ſecundum carnem homo ad myſterium paſſionis in carne: deum in carnis infirmitate non neſcis ad ſacramentū benedictionis in ſpiritu. Nec aſpectus impedit, quin fides maneat, nec infirmitas auocat, quin benedictio poſtuletur. Nec homo efficit, quin qui homo eſt, deus ſit, nec qui deus eſt, non deus uerus eſt, quia non poteſt non deus uerus eſſe, qui deus eſt, & benedicit transferens nuncupando. Tenet adhuc ſacramenti Euangelici ordinem legis umbra, & apoſtolicæ doctrinæ ueritatem myſteriis ſuis ueri æmula præfigurat. In uiſu ſomni beatus Iacob deum uiderat: in ſomnio ſacramenti reuelatio eſt, non corporalis cōtemplatio. Nam & per ſcalam deſcenſus & aſcenſus angelorum ad cœlum demonſtratur, & ſuper ſcalam incumbens deus oſtenditur, & interpretatio uiſionis, reuelationē ſomnij prophetauit: nam patriarchæ dictis, & domus dei, & porta cœli, locus eſſe hic uiſionis oſtenditur. Et poſt multam geſtorum eius enarrationem ſequitur: Dixit autem deus ad Iacob: Surge & deſcende in locum Bethel, & habita ibi, & offer ſacrificium deo, qui uiſus eſt tibi cum recederes à facie Eſau. Si Euangelica fides per deū filium, ad deum patrem habet aditum, & non poteſt deus niſi per deum intelligi, nunc deus qui honorē deo incumbenti in ſcalam cœli poſtulat, docete unde non uerus ſit, aut quæ in utroq; naturæ diuerſitas eſt, ubi eiuſdem naturæ unum atq; idem nomen eſt? Deus uiſus eſt, deus de uiſo deo loquitur. Non poteſt deus niſi per deum intelligi, ſicut nec honorem à nobis deus niſi per deum accipit. Namq; honorandus eſſe non intelligetur, niſi iſte docuerit honorandum: nec deus ſcietur, niſi hic deus ſcitus ſit. * Hic ianua eſt, ut de ſe in Euangelijs teſtatus eſt: hinc Dauid cœli portam profitetur in pſalmo. * Habet ergo diſpenſatio ſacramentorū ſuorum ordinem. Ad dei honorem, per deum, qui & uita eſt & porta, docemur. Tenet natura ſuū nomen. Nō aliud uterq; quàm deus eſt, & inter patris & filij naturæ unius nomen unum. Quæro quomodo deus filius honorem ſibi dei poſtulans, à ſe poſſet degenerare ne uerus ſit, quū præſumptio diuini honoris naturæ in ſe diuinæ proteſtata ſit ueritate? Hanc autem poſt ſacramentum in initio cum Iacob iuſte loquutus eſt, qui etiam ante aſſumptionem carnis & uiſus eſt, & uia dei deus adorandus eſſet, & porta nō eſt de deo. Non eſt de deo humanis iudicijs ſentiendum. Neq; enim nobis ea natura eſt, ut ſe in cœleſtem cognitionem ſuis uiribus efferat. A deo diſcendū eſt, quid de deo intelligendum ſit, quia non niſi ſe autore cognoſcitur. Adſit licet ſecularis doctrinæ elaborata inſtitutio, adſit uitæ innocentia, hæc quidem proficiēt ad conſcientię gratulationem, nō tamen cognitionem dei conſequentur. Moyſes in reginæ filium adoptatus & omnibus Aegyptiorum doctrinis eruditus, cum utiq; ex naturæ affectu Hebræi iniuriam morte Aegyptij ultus eſſet, deum tamē paternarum benedictionum neſciebat. Namq; ob metum

offer ſacrificium deo qui uiſus eſt tibi &c.

Deus non intelligitur niſi per deum

**Hæc ab hic ianua uſq; ad*

**Habet ergo diſpenſ. addita reperi in uno quodam exemplari, mihi uidentur aſſuta*

cædis

cædis proditæ Aegyptũ derelinquens,cum in terra Madian paſtor ouium eſſet,ignem in rubo ſine concremationè rubi contuens,deum audiuit,& nomen interrogauit,& naturam cognouit.Neq; enim hęc de deo niſi per deũ cognita eſſe potuiſſent. Loquendũ ergo non aliter de deo eſt,quàm ut ipſe ad intelligentiam noſtram de ſe locutus eſt. Angelus dei eſt qui in igne de rubo apparuit, & de rubo in igne deus loquitur: habes diſpenſationem in angelo,quia in angelo officiũ eſt nõ natura: habes in naturæ nomine deũ, qua angelus dei deus eſt.Sed fortè non uerus eſt. Nunquid non uerus eſt deus Abrahæ & deus Iſaac & deus Iacob? Horũ enim angelus de rubo loquens deus in æternũ eſt.Et ne adoptiui nominis utereris occaſione,loquitur ad Moyſen deus ille qui eſt. Ita enim ſcriptum eſt: Dixit autem dominus ad Moyſen:Ego ſum qui ſum.Et dixit:Sic dices filijs Iſrael:Qui eſt,miſit me ad uos. Cœptus ab angelo dei ſermo eſt,ut ſacramentum intelligatur humanæ ſalutis in filio. Idẽ deus Abrahæ & deus Iſaac & deus Iacob eſt,ut ei naturæ ſuæ nomen ſit. Mittit deinde ad Iſrael deus qui eſt, ut uere intelligeretur eſſe quod deus eſt. Quid ad hæc inefficax hæreticæ impietatis ſtultitia uæſano ſpiritu mentiris, & contra tantorum patriarcharũ ſcientiam generoſi ſeminis tritico urendam zizaniam ſator nocturnus interſeris? Sed ſi Moyſi crederes, crederes & deo dei filio, niſi fortè negabis quòd de deo Moyſes locutus ſit. Qui cũ negare uolueris,audies uerbis dei: Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit. Arguit te planè,arguit ille toto legis uolumine, quã manu mediatoris per angelos diſpoſitam ſuſcepit.Et quęre an qui legem dederit, deus uerus ſit,cũ utiq; mediator ſit ille qui dederit.Aut nũquid nõ obuiam deo Moyſes populũ eduxit ad montẽ? Aut nunquid nõ deus deſcendit in montem? Aut fortè falſum hoc & adoptiuum*potius naturæ ſuæ nomen eſt. Intelli- *Als*potius quàm
ge perſonantes tubas, & lampadum flammas, & è monte æſtuante fornacium fumum, & ad aduentum dei conſciam humanæ infirmitatis trepidationem,& à populo * orato ad loquendum Moyſi confeſſam ſub uoce dei mortem.Tibi hæretice nõ eſt deus uerus,quo Iſrael tantum loquente mori timuit,& uocem eius humana infirmitas non tulit.Tibi idcirco deus non eſt,quia ut audires & uideres per infirmitatem hominis eſt locutus? Moyſes in montem adijt, diuinorũ & cœleſtium ſacramentorum cognitionem quadraginta dierum ac noctium tempore adeptus eſt. Omnia ſecundum ſpeciem oſtenſæ ſibi in monte ueritatis inſtituit.Per familiaritatem loquentis ad ſe dei gloriam claritatis inconſpicabilis ſumpſit, & corruptiuam uultis ſui ſpeciem lux intolerabilis uicinæ maieſtatis impleuit.Deum teſtatur, de deo loquitur. Ad hunc adorandum cum lætitia gentiũ angelos dei aduocat.Huius placitas benedictiones Ioſeph uertici imprecatur.Et poſt hęc ſolo conceſſo ei nomine, audet quiſquam negare quod uerus eſt? Nunc quia

Ex rubo loquebatur deus filius,qui eſt angelus dictus dei patris, ratione officij

*Als*coacto*

Concluſio autoris

quia omni hoc ſermone noſtro demonſtratũ exiſtimamus, nullam interpoſitam intelligentiæ rationẽ fuiſſe, ut deus uerus & deus falſus in ſenſum humanæ mentis incideret,cum deum & deum,dominum & dominum lex locuta ſit,neq; in nominibus naturisq; ſignificatam diuerſitatem fuiſſe, ne nõ ſecundum nomen naturæ & natura nominis poſſet intelligi, cum uirtus dei,poteſtas dei,res dei,nomen dei in eo eſſet,quem deum lex prædicabat, quæ ſecundum ſacramenti Euangelici diſtributionem ad perſonæ ſignificationem demonſtraret, & in creando mundo obedientẽ dictis dei deum, & in figurando homine cõmunis ſecum & dei imaginis dominum creatorem,& in iudicandis Sodomitis iudicem dominũ à domino, & in largiendis benedictionibus & in decernendis myſterijs legis angelũ dei deum, ut ad ſalutarem confeſſionem in patre deo & in filio deo deus ſemper oſtenſus,naturæ ueritatem ipſo naturæ nomine edoceret,cum lex deum utrunq; ſignificans ambiguitatem non relinqueret ueritatis, tempus iam nunc eſt, ut quod pie religioſeq; lex docuit, non impie furto hæreticæ ſtultitiæ prædicari ſinamus,quæ dei filium deum negatura ſic cœpit:Audi Iſrael,Dominus deus tuus unus eſt.Ei quia impietas eius periclitaretur in nomine,cum deum & deum lex eſſet locuta, ut naturam nominis per autoritatem dicti prophetici negaret,adiecit:Benedicent te deũ uerum. Vt per id unũ deum locuta lex eſſet,eſſetq; in filio dei dei nomen potius quàm ueritas,uno tantum uero deo intelligendo.Et fortè contradicere nos dictis tuis ò ſtulte arbitraris, ut negemus unum deum uerum. Non planè negamus ſecundum te confitendo.Hæc eſt enimfides noſtra,hęc conſcientia,hic ſermo eſt.Sed intelligimus unum & eundem uerum deum. Nec confeſſio noſtra periclitatur in nomine,quæ in natura filij unum & uerum deum prædicat. Diſce confeſſionis tuæ intelligentiam, & unum ac uerum deũ cognoſce, ut unum ac uerum deum pie prædices. Rapis enim ad impietatem tuam religionis noſtræ profeſſionem, & quod eſt negas, dum quod eſt non negas. Sic ſtulta mundi ſapientia fallis, ut ueritatem perimas ſpecie ueritatis. Vnum uerum deum confiteris, ut unum uerum deum deneges. Profeſſio enim tua ſic putatur pia, quòd magis impia eſt: ſic uera, quòd falſa eſt. Sic à te unus & uerus deus prædicatur, ut non ſit. negas enim dei filium deum uerum, cum tamen deum non neges, deum tantum non natura confitendo ſed nomine.Si natiuitas eius nominis potius eſt quàm ueritatis, potes auferre nominis ueritatem. Si autem uere deus natus eſt, quæro quomodo poſſit non uerus eſſe quòd natus eſt? Aut nega eſſe ne ſit,aut ſi eſt,quomodo quod eſt non erit,cũ quod eſt non poſſit eſt ut non ſit? Ac de natiuitate quidem mox erit ſermo: interim tamen de ueritate naturæ dei impietatem mendacij tui prophetica profeſſione conuincam, ita tamẽ ut unum & uerum deum prædicari à nobis neq; Sabellij hæreſis ipſum patrem ſibi & filij

filij professa præsumat,neq; tu ueritatem de filio dei unum tantum uerum deum prædicans mentiaris. Nihil*planè in se habet sapientiæ impietas & dei timor,qui sapientiæ initiũ est,ubi deest, aufert secum omne exordium prudentiæ. Ad infirmandam enim dei ueri in filio fidem propheticus sermo profertur,quo dictum est: Et benedicent te deum uerũ. Primum hæc impietatis stultitia fuit, ut quæ superius dicta sunt aut non intelligerentur, aut intellecta cum essent tacerentur. Tum deinde ad quam se fraudem syllabæ adiectione, quæ in libris non extat, instruxit, stultitiæ suæ in eo usa mendacio,tanq; dictis suis eousq; adhibẽda fides esset, ut requirendã esse ipsam dictorum propheticorũ autoritatem nõ putaret. Non enim ita scriptum est:Benedicent te deum uerum: sed,benedicent deum uerum. Nam non exiguum ambiguitatis momentum est inter te deum uerum, & deum uerum.Personæ enim alterius uidetur esse pronomen,ubi te est: cæterum ubi pronominis syllaba nõ erit,ibi ad autorem dicti refertur & nomen. Et ut absoluta intelligendæ ueritatis ratio sit, ipsa illa ex solido prophetæ dicta subdentur.Propterea sic dicit dominus:Ecce qui seruiunt mihi manducabunt, uos uero esurietis: ecce qui seruiunt mihi bibent, uos uero sitietis: ecce qui seruiunt mihi exultabunt in lætitia,uos autem clamabitis propter dolorem cordis uestri,& à contritione spiritus ululabitis. Relinquetis ergo uos nomen uestrum in lætitia electis meis,uos autem interficiet dominus. Seruientibus uero mihi uocabitur nomen nouũ, quod benedicetur super terram,& benedicent deum uerum:& qui iurant super terram, iurabunt in deum uerum.Nunq; non ex causa est, cum consuetudo prædicationis excediturus,& rationem nouitatis ratio*falsitatis inducit.Cum enim antea*tantum de deo prophetiæ extitissent, & ad dei dignitatem ac naturã demonstrandam simplex & solum dei nomen commemoratum fuisset, quærendum est,qua ratione nunc per Esaiam benedicendum deum uerum, & iurandum super terram in deum uerum prophetiæ spiritus præloquatur. Et primum noscendum est, sermonem hunc res futuri temporis nunciare, & quæro an deus uerus non sit,qui tum secundum opinionem Iudæorum & benedicebatur & iurabatur.Iudæi nanq; sacramentum mysterij dei nescientes,& per hoc dei filium ignorantes deum tantum non & patrem uenerabantur.Nam utiq; uenerantes patrem uenerabantur & filium. Hi ergo deum benedicebant & iurabant per eum. Sed propheta benedicendũ deum uerum testatur. Verum deum idcirco pronuncians, quia per mysterium assumpti corporis non ab omnibus esset in eo dei ueritas intelligẽda. Et opus fuit ueri cõfirmatione,ubi falsi proruptura esset assertio.Et singulas dictorum eorundem sententias recensеamus. Propterea sic dicit dominus:Ecce qui seruiunt mihi manducabunt,uos uero esurietis:ecce qui seruiunt mihi bibent,nos uero sitietis. Cognosce sub eodem dicto utriusq; tem

*Als*sanè*

Ex prophetis ostendit filiũ esse uerũ deũ

Scriptum est benedicẽt deũ uerum, & nõ te uerũ deum

*Als*ueritatis Als* tantæ*

Ratio quare propheta præ dixerit nõ solum deum,sed deũ uerum benedicendum

poris ſignificationem,ut ſacramentū aſſequaris ætatis. Qui enim ſeruiunt manducabunt.Religionem ſcilicet præſentem futuris præmijs muneratur, ita ut præſentium impietatem futuræ ſitis ac famis pœna conficiat.Deinde adiecit:Ecce qui ſeruiunt mihi exultabunt in lætitia, uos autem clamabitis propter dolorem cordis ueſtri,& à contritione ſpiritus ululabitis. Secundū ſuperiorem ſenſum etiam nunc futuri & præſentis temporis demonſtratio eſt,ut qui ſeruiunt exultaturi ſint in lætitia,qui uero non ſeruiunt,in clamore atq; ululatu per dolorem cordis & contritionē ſpiritus manſuri ſint. Deinde ſubiecit:Relinquetis enim uos nomen ueſtrum in lætitia electis meis, uos autē interficiet dominus.Sermo ad carnalem Iſrael eſt cum futuri temporis ſignificatione, cui exprobratur quod nomen ſuū electis dei relicturus ſit.Quæro quod hoc nomen ſit. Nempe Iſrael, ad quem tum erat ſermo.Dehinc interrogo qui ſit hodie Iſrael.Equidē teſtatur Apoſtolus:Qui ſpiritu non litera:Qui in regula Chriſti procedentes Iſrael dei ſunt. Tum præterea cum ſuperius dictū ſit:propterea ſic dicit dominus, intelligēdum eſt cur ita hoc cōſequatur:Vos autē interficiet dominus. Deinde poſt hæc quid ſibi uelit hic ſermo: Seruientibus uero mihi uocabitur nomen nouū, quod benedicetur ſuper terrā.Nunquid ambigitur in eo quod dictum eſt, propterea ſic dicit dominus: Et in eo quod ſequitur:Vos autem interficiet dominus, id demonſtratum fuiſſe, ut qui loqueretur, & qui interfecturus eſſet,non alius intelligeretur eſſe quàm dominus,qui & poſt ſibi ſeruientes nouo eſſet nomine muneraturus, & non ignoraretur & in prophetis locutus eſſe,& piorum atq; impiorum iudex futurus? Myſterium itaq; ſermo reliquus euangelici ſacramenti,ne quid in domino dicente,& in domino interficiente ambigi poſſit,explicuit.Seruientibus autem mihi uocabitur nomen nouum,quod benedicetur ſuper terrā.Omnis hic futuri temporis ſermo eſt.Et quod eſt hoc nouum nomen religionis, quod benedicitur ſuper terram?*Si à ſeculis Chriſtiani uocabuli antea beatitudo nunq; fuit, nunc nomen nouum eſt. Si uero hoc ſanctificatur pietas noſtra in deū,nouum nomen eſt.Hæc profecto profeſſionis nouitas cœleſtium benedictionum merces ſuper terram eſt.Iam uero totius fidei noſtræ cōſcientiam ſequens ſermo confirmat dicens:Et benedicent deum uerum,& qui iurāt ſuper terram iurabunt in deum uerum.Certe ſi cum benedicent deum uerum,quorum in dei ſeruitute nouū nomen eſt, tum deinde qui iurandus erit deus, deus uerus eſt, an ne ambigitur quis iuretur,quis benedicatur? per quem nouum ipſis ſeruientibus benedictumq; nomen ſit? Conſiſtit mecum aduerſus impiam tuam hæretice prædicationem abſoluta ſermonis*euangelici fides noui per te Chriſte nominis,& per ſeruitutis profeſſionem benedictę ex te ſuper terram nuncupationis te uerum deū iurans. Omne enim os credentium te Chriſte deum loquitur. Omnis credētium fides te deum iurat

Qui ſub nomine Iſrael intelliguntur

Nomen Chriſtianū eſt nomen nouum

*For.*ſic legēdum,ſi à ſeculis Chriſtiani uocabuli antea beatitudo uel tanta beatitudo unq; fuit, nūc nomen nouū non eſt*

*Als*eccleſiaſtici*

iurat,deum uerum eſſe te confitens,deum uerum eſſe te prædicans, deum uerum eſſe te cõſcia. Quanꝯ igitur omnis hic propheticus ſermo nullam reliquerit difficultatem,quin deum ſignificaſſe intelligatur, & cui per nouũ nomen ſeruiatur,& per quem eiuſdem nominis in terris benedicta ſit nouitas,& qui benedicatur deus uerus,& qui iuretur deus uerus, quæ omnia ſecundum temporum plenitudinem eccleſiæ fides pia in deum Chriſtum religione profitetur: Et ita ſe in eo propheticus ſermo coaptauit, ut ſignificationem perſonæ alterius adiectione pronominis non nouaret. Si enim ad didiſſet,te deum uerum, referri ad alterũ dicentis ſermo potuiſſet. ſed cum ait, deum uerum, ſignificationis intelligentiam penes loquentem reliquit. Et quanquam quem præſens ſermo ſignificet,non ambigitur, tamen connexa ſuperius dicta cuius profeſſio iſta ſit intelligenda, demonſtrant. Ait enim Eſaias:Palàm apparui non interrogantibus me, & inuentus ſum non quærentibus me:Dixi ecce adſum genti,qui non inuocauerunt nomen meum. Extendi manus meas tota die ad populum diffidentem & contradicentem. An ne impia furtiuæ prædicationis falſitas in obſcuro eſt, & deus uerus ignorabitur,qui hæc loquitur? Rogo quis apparuit non interrogantibus,& quis inuentus non quærentibus? Et quis gentium eſt, qui non inuocauerunt antea nomen eius? Et quis die tota manus ad diffidentem & contradicentem populum extendit? Confer cum his ſacrum illud & diuinum Deuteronomij canticum,in quo ſuper non deos deus exacerbatus,ſuper non gentem & gentem ſtultam, in zelum incitat infideles, & intellige quis manifeſtus ſit ignorãtibus,& quis *proprius uſurpatur alienis,& quis manus ſuas ante diffidentem contradicentemꝯ populum configens cruci chirographum edicti anterioris *expandit. Hic nanq; prophetæ ſpiritu dixit per continentem ſibi in ordine cõnexumꝯ ſermonem: Seruientibus uero mihi uocabitur nomen nouum,quod benedicetur ſuper terram,& benedicent deum uerum:& qui iurant ſuper terram, iurabũt in deum uerum. Hæc ſi ſtultitia atq; impietas hæretica ad fallendum ignorantes ſimplicioresꝯ dicta eſſe ex perſona dei patris mentietur,ne in deum filium dicti huius intelligentia ſuſcipi poſſit, audiat mendacij ſui reatum, & Apoſtolo & doctore gentium omnia hæc ad ſacramẽtum paſſionis dominicæ & euangelicæ fidei tempora prædicante, tunc cum infidelitatem Iſrael aduentum domini in carne nõ intelligentis exprobrat.Ait enim ita:Omnis enim quicunq; inuocauerit nomen domini,ſaluus erit. Quomodo ergo inuocabũt eum in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei quem non audierunt?Quomodo audient ſine prædicante? Quomodo autem prædicabunt niſi mittãtur?Sicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi ſunt pedes eorum qui annunciant pacem, qui annunciant bona. Sed non omnes obediunt Euangelio:Eſaias enim dicit: Domine quis credit auditui noſtro? Itaq; fi-

Alterius loci teſtimonium

*For.*propius*

*For.*expũgit*

Apoſtolus interpres prophetæ

des ex auditu,auditus autem per uerbũ dei.Sed dico nunquid non audie/runt?Imò in omnem terram exiuit ſonus eorum, & ad terminos orbis ter/ræ uerba eorum. Sed dico: Nunquid Iſrael non ſciuit? Primus Moyſes di/xit:Ego incitabo uos in non gentem,in gentẽ inſenſatam exacerbabo uos. Eſaias autem audet & dicit: Apparui ijs qui me non quærebant, inuentus ſum ijs qui me non interrogabant. Ad Iſrael autem quid dicit? Tota die extendi manus meas ad populum non audientem,& cætera. Quis in terti/um cœlum incorporeus an corporeus ingreſſus fidelior Paulo dictorum propheticorum interpres extitiſti? Quis inenarranda cœleſtium myſterio/rum audiens ſacramenta & tacens, maiore hæc fiducia ꝓuelatæ tibi à deo ſcientiæ prædicaſti? Quis ad plenitudinem dominicæ paſſionis cruci reſer/uandus,antea in paradiſum raptus euadens melius de diuinis ſcripturis ele ctionis uaſe docuiſti, hæc neſciens dicta geſtaq; eſſe à deo uero, & intelli/gentiã dei ueri à uero eius & electo Apoſtolo prædicata? Niſi fortè Apo/ſtolus dictis propheticis nõ ex prophetiæ ſpiritu uſurpatis,temerarius alie ni ſermonis interpres eſt. Omnia quidem per reuelationem Ieſu Chriſti Apoſtolus didicit.Sed Eſaiæ dicta ex dictis Eſaiæ ipſius nouit:in exordio enim ſermonis eius in quo deus uerus à ſeruientibus ſibi benedicendus at/que iurandus eſt, hæc prophetæ oratio legitur: A ſeculo non audiuimus, nec oculi noſtri uiderunt deum præter te,& opera tua quę facies expectan tibus miſericordiam tuam.Loquitur Eſaias,prẽter hunc ſe neminem deum uidiſſe.Vidit enim gloriam dei,cuius*pronunciauerat myſterium incorpo rationis ex uirgine.Ac ſi tu hæretice ignoras quòd in ea gloria unigenitum deum uiderit,audi Ioannem Euangeliſtam dicentem:Hæc autẽ dixit Eſai/as quãdo uidit honorem eius,& locutus eſt de eo. Hinc Apoſtolicis, hinc Euangelicis,hinc propheticis dictis impie hæretice cõcluderis.Eſaias enim deum uidit,& cum ſcriptum ſit,deum nemo uidit unquam, niſi unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris,ipſe enarrauit. Deum tamen propheta uidit,& gloriam eius uſq; ad inuidiam propheticæ dignitatis aſpexit.Nam in iudi cium mortis ob hanc cauſam à Iudæis actus eſt.Deum itaq; nemini uiſum unigenitus filius q in ſinu patris eſt enarrauit. Aut diſſolue unigeniti enar/rationem, aut deum crede qui uiſus eſt, qui apparuit non intelligentibus ſe,& palàm factus eſt genti non inuocanti ſe, & expandit manus ante po/pulum contradicentem.Ita tamen ut & ſeruiẽtibus ſibi nomen nouum uo/cetur,& in terris uerus deus benedicatur atque iuretur. Propheta loquitur, Euangelium teſtatur,Apoſtolus interpretatur, eccleſia confitetur uerũ de/um eſſe,qui uiſus ſit,cum tamen deum patrem uiſum nemo fateatur. Et eò hæretici furoris prorupit inſania,ut dum cõfiteri ſe ſimulat denegaret. Ne/gat enim nouo cõfeſſionis impioq; cõſilio, & arte ſubdola fidẽ dũ mentit eludit. Cum enim cõfeſſo uno deo eodẽq; uero & ſolo iuſto,ſolo ſapiẽte,

ſolo

*Als*prænun/ciauerat*

Propheta uidit deum ſcilicet filium,ſed nõ patrẽ, quoniam uidit ſolus filius qui eſt in ſinu patris

ſolo indemutabili,ſolo immortali,ſolo potente,ſubijcitur & filius in diuerſitate ſubſtantiæ,non ex deo natus in deum, ſed per creationem ſuſceptus in filium, non naturæ habens nomen, ſed adoptionis ſortitus appellationem,neceſſe eſt ut his omnibus ſimul careat filius quæ ad priuilegium ſolitariæ in patre maieſtatis ſunt prædicata. Neſcit hæretica peruerſitas unũ deum uerum noſſe & confiteri,& extra impietatis ſenſum confeſſionis huius eſt & fides & intelligentia.Prius confitendus eſt pater & filius, ut unus uerus deus poſſit intelligi.Et cognitis ſacramentis ſalutis humanæ, quæ in nobis per regenerationis uirtutem in patre & filio conſummãtur ad uitam legis & prophetarum ſunt myſteria conſequenda.Vnum deum uerũ non apprehendit ignara euangelicæ & apoſtolicæ prædicationis impietas.Cuius quamuis intelligentiam uſq; ad abſolutiſſimam ueræ pietatis profeſſionem ex ipſis eorum doctrinis præſtabimus,ut indiuiſus atq; inſeparabilis non ex perſona ſed ex natura ſubſiſtens, ex patre unigenitus intelligatur, & per id unus ſit deus,quia ex natura dei deus ſit,tamen ex propheticis dictis perfectæ huius unitatis fides eſt aſtruenda,& hinc euangelicæ domus ſunt ponenda fundamina, ut per eandem naturam diuinitatis unius unus deus per id intelligatur,quod in deum alterum deus unigenitus non refertur.Tenuimus enim omni hoc ſermonis noſtri libello eum ordinem, ut in quibus ſuperiori libro deum filium docueramus,in ipſis nunc deum uerum oſtenderemus.Et ut ſpero ea dictorum omnium abſolutio fuit,ut deus uerus intelligeretur qui deus eſſe non negabatur. Reliquus autem nunc omnis ſermo ad id proficiet,ut qui deus uerus eſſe intelligitur,non in deum alterum deputetur,& quod in alterum non proficit,id unum intelligatur.Vnum autem illud,non ſubſiſtentem naturam perimat in filio, ſed in deo & in deo naturam dei conſeruet unius.Veritatis ratio poſtulat ab eo initium intelligentiæ iſtius ſumi, per quem manifeſtare ſeculo deus cœptus eſt. Moyſes nanq;, cuius ore hæc de ſe unigenitus deus profeſſus eſt,ait:Videte uidete,quoniam ego ſum deus, & non eſt deus præter me. Ac ne forte dicti huius ueritatem hæretica impietas ad patrem innaſcibilem deum referat,& ipſa dicti ratio & Apoſtolus autor occurrit, qui ex perſona unigeniti dei ſicut ſuperius docuimus, intelligendi totius huius ſermonis interpres eſt, & hoc quod dictum eſt: Lætamini gentes cum plebe eius,proprium eius eſſe demonſtrauit ſubijciens ad fidem dicti: Et erit radix Ieſſe, & qui ſurget regere gentes, in eum gentes ſperabũt. Demonſtrato igitur per Moyſen eo qui dixerat:Non eſt deus præter me.In eo quod ait: Lætamini gentes ſimul cum eo. Et Apoſtolo id ipſum in dominum noſtrum IESVM CHRISTVM unigenitum deum intelligente, in quo ſecundum carnem ex radice Ieſſe ſurgente rege gentium ſpes eſt, ipſa nunc dicti ratio tractanda eſt,ut quia dictum nõ ambigitur,quatenus dictum ſit poſſit

Cum oſtẽſum ſit quòd filius ſit uerus deus, relinquitur probandum, quòd nõ ſit alius deus à patre

intelligi. Verum & abſolutum & perfectum fidei noſtræ ſacramentum eſt,
Quõ deus de deo ex lege et prophetis
deum ex deo, & deum in deo confiteri non corporalibus modis, ſed diui-
nis uirtutibus, nec naturę in naturam transfuſione, ſed myſterio & poteſta
te naturæ: Non enim per deſectionem aut protenſionem aut per deriuati-
onem ex deo deus eſt, ſed ex uirtute naturæ in naturam eandem natiuitate
ſubſiſtit. Res ipſas plenius conſequens liber euangelicorum atq; apoſtoli-
corum dictorum interpres loquetur. Sed interim ex lege & prophetis hoc
quod & loquimur & credimus eſt docendum. Natiuitas igitur dei non po
teſt non eam ex qua profecta eſt, tenere naturam. Neq; enim aliud quàm
deus ſubſiſtit, quod non aliunde quàm ex deo deus ſubſiſtit. Eandem au-
tem naturam inde ita, nõ ut natus ſit ipſe qui genuit, (Nam quomodo erit
ipſe, cum genitus ſit?) ſed ut in his ipſis ſubſiſtat ille qui genitus eſt, in qui-
*Aß*deus* bus* totus eſt ipſe qui genuit. Quia non ex *alia genitus, neq; aliud quàm
*Aß*alio* deus eſt, quia non eſt aliunde quod genitus eſt. Et per hoc non refertur ad
aliud, quod in unum ſubſiſtit ex uno. Neq; nouum in ſe eſt, quòd uiuit ex
uiuo, neq; abeſt ex ſe, quòd uiuus genuit uiuum. Ac ſic in generatione filij
& naturam ſuam, ut ita dixerim, ſequitur incorporalis atque indemutabi-
lis deus incorporalem atque indemutabilem deum gignens, nec naturam
ſuam deſerit ex incorporali atque indemutabili deo incorporalis & inde-
mutabilis dei perfecta natiuitas, per hoc utique ſubſiſtentis ex deo dei ſa-
cramentum? Hæc ita unigenitus deus per ſanctum Moyſen teſtatur. Vi-
dete uidete, quoniam ego ſum dominus, & non eſt deus præter me. Non
*Aß*ullus* eſt enim natura diuinitatis alia, ut pręter eam* alius deus ſit. Nam cum ipſe
deus ſit, tamen etiam per naturę uirtutem in eo deus eſt, ut per id quod ipſe
deus, & in eo deus eſt, & non eſt deus præter eum, cum non extet aliunde
quod deus eſt, & in eo deus ſit, habens in ſe & quod ipſe eſt, & ex quo ipſe
ſubſiſtit. Confirmat autem fidei noſtræ ueram & ſalutarem profeſſionem
idem atque unus in plurimis ſpiritus prophetiæ, per ſucceſſiones & inter-
ualla temporum non demutans religioſæ doctrinæ prædicationem. Vt
enim per Moyſen ex perſona unigeniti dei dicta pleniore ad intelligenti-
am confirmarentur profectu, rurſum ſermone dei patris ex perſona uiro-
rum excelſorum idem prophetiæ ſpiritus per Eſaiam loquitur: Quoniam
in te eſt deus, & non eſt deus præter te. Tu enim es deus & neſciebamus,
deus Iſrael ſaluator. Inſerat ſe in hanc & naturæ & nominis inſeparabilem
profeſſionem hæreticæ impietatis deſperatus furor, & hæc ſi poteſt, dictis
ac rebus unita, rabido uæſaniæ ſuæ ore concerpat. In deo deus eſt, & præ-
ter eum deus nõ eſt. Diſſoluat eum qui ineſt, ab eo in quo eſt, & ſacramen-
ti huius intelligentiam diuidat generum uarietate. Nam in eo quod ait: In
te eſt deus, naturæ dei patris, in deo filio docuit ueritatem, cum in eo deus
intelligeretur eſſe qui deus eſt. In eo uero quod ſubiecit: & præter te non

eſt

eſt deus,oſtendit prẹter eum deũ non eſſe,quia in ſe deo deus ineſſet.Hoc uero quod tertium eſt,tu es deus & neſciebamus,humanæ intelligentiæ pi am & fidelem teſtatur profeſſionem, quæ cognitis natiuitatis myſterijs & nomine ad Ioſeph per angelum nunciato conficeretur. Tu enim es deus & neſciebamus, deus Iſrael ſaluator ſubſiſtentem in eo dei naturam intel/ligens, cum in deo deus inſit, nec præter eum qui eſt deus quiſquam deus alius ſit,quia ipſe deus, & in eo deus alterius nobis cuiuſquam dei non re/linquat errorem. Et hæc quidem Eſaias indiuiduam atque inſeparabilem patris & filij diuinitatem teſtatus ita prophetauit. Hieremias uero non di/ſpari prophetiæ uirtute indiſcretæ à deo patre naturæ unigenitum eſſe de/um ita docuit dicens:Hic deus noſter eſt,& non deputabitur alter ad eum, qui inuenit omnem uiam ſcientiæ & dedit eam Iacob puero ſuo & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc ſuper terram uiſus eſt, & inter homines conuerſa/tus eſt.Quid alium deum in filio dei deo hæretice ſupponis? Diſce unum deum uerum intelligere & confiteri.Non alius deus ad Chriſtum deputa tur ut deus ſit. Deus eſt ex natura, ex natiuitate, ex deo. Quod enim de/us eſt ex deo eſt, non etiam deus alius eſt. Alius enim ad eum non depu/tatur,quia non eſt in eo alia præterquã quæ dei eſt ueritas.Quid uerum & non uerũ, quid degenerem & nobilem, quid diuerſum & indiuerſum ſub unius dei ementita religione componis? Deus eſt pater, & deus eſt filius, in deo deus eſt, præter eum deus non eſt, non alter ad eum deputatur ut deus ſit.In his ergo ſi unum magis quàm ſolitarium deum intelligis, eccle/ſiæ religionem profiteberis,quæ patrem in filio confitebitur.Sin uere unũ deum ad ſolitarij ſignificationem ſacramenti cœleſtis ignarus obtendis,ex/tra cognitionem dei es,deum in duo eſſe non confitens.

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER SEXTVS

NOn ſum neſcius difficillimo me aſperrimoq; tempore ſcribere hæc aduerſum uęſanam impiorum hæreſim, dei filium creaturam eſſe affirmantem,aggreſſum fuiſ/ſe, multis iam per omnes fermè Romani imperij pro/uincias eccleſijs morbo peſtiferæ huius prædicationis infectis,& uelut ad piæ fidei huius male uſurpatã per/ſuaſionem longo doctrinę uſu,& ementito nomine ue ræ religionis imbutis,non ignorans difficilem eſſe ad emendationis profe ctum uoluntatem, quam in erroris ſui ſtudio per plurimorum aſſenſum autoritas publicæ iam ſententiæ contineret.Grauis enim & periculoſus eſt error in plurimis,& multorũ lapſus,etiam ſi ſe intelligat, tamen exurgendi pudore

Quare error multorum eſt periculoſus

pudore autoritatem ſibi præſumit,ex numero habens hoc impudentiæ,ut quod errat,prudentiam uelit exiſtimari: & quod cum multis errat, intelligentiam eſſe aſſerat ueritatis, dum minus erroris eſſe exiſtimat in multis. Ac mihi quidem præter ſtudij mei atq; officij neceſſitatem, qua hoc eccleſiæ epiſcopus prædicationis euangelicæ debeo miniſteriũ, tameo propenſior cura ad ſcribendum fuit, quo magis plures periculo infidelis intelligentiæ detinebantur,uberius gaudiũ conſectans ex ſalute multorũ, ſi cognitis ſacramentis perfectæ in deum fidei impia humanæ ſtultitiæ inſtituta deſererent, & ſe deo redderent,hæreticis repudiatis: atq; à cibo mortis, quo in laqueum aues ſolent illici,in uolatũ ſe liberæ ſecuritatis erigerent,ſequerenturq; Chriſtũ ducẽ,prophetas nuncios,Apoſtolos præuios,fidem conſummatã,& ſalutem in patris & filij confeſſione perfectam, & cum dictum meminiſſent ore domini:Qui non honorificat filiũ,non honorificat patrem qui miſit illum, ad honorificandũ patrem per honorem filij ſe referrent.Emerſit enim peſtifera & lætalis populis proxima lues,quæ ingenti graſſata cõtagio ruinam miſerandæ mortis inuexit. Non enim tantũ aut cõſidentium in chaos cum populis ſuis repens urbiũ uaſtitas, aut frequens bellorũ & funeris mortis, aut immedicatæ ægritudinis populoſa contagia deſæuierunt,in quantũ ad exitiũ generis humani hęreſis hæc funeſta graſſata eſt.Deo enim cui omnia in mortuis uiuunt,hoc ſolũ perit quod ſibi deperit.Nam iudicaturus ipſe de omnibus,& pro maieſtatis ſuæ miſericordia pœnæ meritum ignoranti moderaturus errori,negantes ſe non iam iudicabit utiq;,ſed negabit.Negat enim,negat furens hæreſis ſacramentũ ueręfidei,ad impietatis ſuæ doctrinam religionis uſa principijs,cum infidelitatis ſuæ expoſitionem,ut in ſuperioribus libris continetur, ita cœpit: Nouimus enim unũ ſolum deum infectũ,ſolum ſempiternũ,ſolum ſine initio, ſolum uerum, ſolũ immortalitatem habentem, ſolum optimũ,ſolum potentem. Ad id enim uſurpatũ proficit piæ confeſſionis exordium, quo ait,unũ deum,& ſolũ infectũ,& ſolũ ſine initio, ut per hæc quæ religioſe uerbis oſtentarentur,cætera impie ſubderentur. Nam poſt multa alia quæ de filio pari quoq; ſimulatæ religionis profeſſione protulerat ſubiecit: Creaturã dei perfectam,ſed non ſicuti unum de creaturis:facturam, ſed non ſicuti cæteras facturas.Et poſt multa alia quibus ueritatis interiectis confeſſionibus, huius hæreticæ impietatis obumbraretur intentio,ut ſubſiſtere eum de nõ extantibus argutæ interpretationis ſubtilitate defenderet,ait: Et ante ſecula creatus & fundatus,non erat antequã naſceretur. Poſtremo quaſi rebus iam omnibus ualidiſſime ad impietatis* profeſſionẽ communitis,ne uel filius uel deus intelligeretur adiecit:Si enim quod ex ipſo, & quod ex utero, & quod ex patre exiui & ueni,uelut patrem eius unius ſubſtantiæ, & quaſi prolationem extendens intelligitur, compoſitus erit pater & diuiſibilis & conuertibilis

Commemoratio ſententiæ Arianorũ ſeu fides Arianorum circa trinitatem

*Al's*defenſionem*

conuertibilis & corporeus ſecundū illos,& quantum in ipſis eſt, conſequentia corporis ſuſtinēs,ſine corpore deus.Et quia nobis ex integro aduerſum hanc impiiſſimæ doctrinæ expoſitionem euangelicus nunc erit ſermo,conſequens exiſtimauimus*in quarto iam libro, licet omnē æditionem huius hæreſeos conſcriptam,nunc quoq; huic ſexto inſerere,ut recens lectio & reſponſionis ad ſingula collatio ſubiecta, per euāgelicas atq; apoſtolicas inſtitutiones inuitis licet & contradicentibus ſenſum ueritatis eliciat. Dicunt ergo:Nouimus unum deum ſolum infectum,ſolum ſempiternum, ſolum ſine initio,ſolum uerum,ſolum immortalitatem habentē,ſolum optimum. ſolum potentem,omnium creatorem,ordinatorem & diſpoſitorem, inconuertibilem,immutabilem,iuſtum & optimū,legis & prophetarum & noui teſtamenti,hunc deum genuiſſe filium unigenitum ante omnia ſecula, per quem & ſeculū & omnia fecit.Natum autem non putatiue, ſed uere obſecutum uoluntati ſuæ,immutabilem & inconuertibilem, creatutā dei perfectam, ſed non ſicuti unum de creaturis:facturam,ſed non ſicuti cæteras facturas.Nec ut Valentinus prolatione natum patris commentatus eſt,Nec ſicut Manichæus partem unius ſubſtantiæ patris natū expoſuit. Nec ſicut Sabellius qui unionem diuidens,ipſum dicit filium quem & patrem. Sed nec ſicut Hierachas lucernam dixit de lucerna,uel lampadam in duas partes.Nec eum qui fuit ante,poſtmodum natum uel ſapercreatum in filium, ſicuti & tu ipſe beatiſſime papa media in eccleſia & in confeſſu frequenter eos qui talia introducūt renuiſti.Sed ſicuti diximus,uolūtate dei ante tempora & ſecula creatū,& uiuere & eſſe accipiens à patre, & glorians cum ſubſiſtente patre. Neq; enim pater dans ei omniū hæreditatem fraudauit ſemetipſum ab his,quæ non facta ab ipſo habentur,fons eſt autē omnium. Quapropter tres ſubſtātiæ ſunt,pater & filius & ſpiritus ſanctus .Et quidē cauſa eſt omnium deus pater,omnino ſine initio ſolitarius. Filius autē ſine tempore æditus à patre,& ante ſecula creatus & fundatus, non erat antequā naſceretur.Sed ſine tempore ante omnia natus,ſolus à ſolo patre ſubſiſtit. Nec enim eſt æternus aut coæternus,aut ſimul nō factus cū patre fuit ſemper,nec ſimul cum patre habet eſſe,ſicut quidā dicunt.Aut aliqui, duo non nata principia introducentes,ſed ſicut unio eſt principiū omnium,ſic & deus ante omnia eſt. Propter quod & ante filium eſt, ſicut & à te didicimus papa media in eccleſia prædicante. Secūdum quod itaq; à deo eſſe habet, & gloriari & uiuere, & omnia ei ſunt tradita, ſecundum hoc, principium eius eſt deus. Principatur autem utpote deus eius, cum ſit ante ipſum. Si enim quod ex ipſo, & quod ex utero, & quod ex patre exiui & ueni, uelut partem eius unius ſubſtantiæ, & quaſi prolationem extendens intelligitur, compoſitus erit pater & diuiſibilis & conuertibilis & mutabils & corporeus ſecundum illos, & quantum in ipſis eſt, conſequentia corporis ſuſtinens

Supra libro 3 pag. 47

*Als*primo,ut quarto licet libro. Als primo licet libro Ego uero non dubito quin legendū ſit,in quatuor iam libris, nā primus nihil habet præter præfationē et argumenta.*

Valentinus Manichæus Sabellius Hierachas

ſuſtinens ſine corpore deus. Quis non in his ſentiat lubricos ſerpentinę uię flexus, uel tortuoſi ſpiritus nodos uipereos non intelligat, quibus uenenati oris principalis poteſtas collecto inflexi corporis orbe concluditur? Sed extenſis omnibus atq; abſolutis totum occultati capitis uirus patebit. Ingerunt enim nobis primum nomina ueritatis, ut uirus falſitatis introeat. Bonum in ore eſt, ut de corde malum ſubeat. Et inter hęc nuſquã audio ab his deum dei filium dici. Nuſquã inuenio filiũ ita prędicatum eſſe, quòd filius ſit. Nomen filij ingeritur, ut natura taceatur. Natura adimitur, ut nomẽ ſit alienum. Hæreſes cæteræ prætenduntur, ut de ſe hæreſis mentiatur. Vnus ſolus deus, & ſolus uerus* ingeritur, ne uerũ ac proprium dei filio relinquatur eſſe quod deus eſt. Quanq̃ igitur ſuperioribus libellis de deo & deo, & deo uero ac deo uero, & in deo uero patre, & in deo uero filio, uno uero deo intelligendo ſecundũ naturæ unitatem, non ſecundum perſonæ unionem ex legis ac prophetarum prædicationibus docuerimus, tamen perfecta fidei huius abſolutio ex euangelicis atq; apoſtolicis eſt præſtanda doctrinis, ut uerus dei filius deus nõ alienę à patre diuerſæq́ naturę, ſed eiuſdem eſſe diuinitatis per ueritatem natiuitatis exiſtens poſſit intelligi. Nec ſanè quenq̃ tam amentẽ poſſe eſſe exiſtimo, qui dei de ſe profeſſiones aut cognitas non intelligat, aut intellectas à ſe nolit intelligi, aut emendandas putet humanę opinionis prudẽtia. Sed anteq̃ res ipſas ſalutariũ ſacramentorum loqui incipiamus, ne in aliquo ſibi ęditis hæreticorum nominibus, hæreſis profeſſio blandiatur, demonſtrandum eſt omne huius argutæ maliciæ uelamen, ut per quod ſe uirus latens contegit, per id ipſum proditum ſit & reuelatum, & ad blandientis ueneni intelligentiã publicę conſcientiæ ſenſus introeat. Volentes igitur hæretici dei filium ex deo eſſe, neq; de natura & in naturam dei ex deo deum natum, cum iam ſuperius commemoraſſent unum deum ſolum uerum, neq; adieciſſent & patrem, ut unius ueritatis eſſe patrem & filium excluſa proprietate natiuitatis negarent, dixerunt. Nec ut Valentinus prolatione natum patris commentatus eſt, ut ſub ſpecie hæreſeos Valentinianæ, nomine prolationis improbato, natiuitatẽ dei ex deo improbarent. Valentinus enim quædam ridicula & fœda commentans, cum præter principem deũ familiam deorũ & numeroſas æternitatum poteſtates introduxiſſet, tunc prolatum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum myſterio occultatæ uoluntatis aſſeruit. Hanc ergo inanem prolationem temerarij ac ſtulti autoris furore quęſitam euãgelica atq; apoſtolica eccleſiæ fides neſcit. Ignorat enim Valentini bythonas & ſilentium & ter denos ęonas. Neſcit enim aliud q̃ unum deum patrem, ex quo omnia ſunt, & unum dominum noſtrum Ieſum per quem omnia, natum ex deo deum. Sed quia ex deo deus, neq; per natiuitatem ſuam deo ademit eſſe quod deus eſt, neque ipſe in natiuitate non deus eſt, & quod deus eſt, non cœpit

Autoris de prædicta ſententia particulatim eã examinantis

*Als *aſſeritur*

Valẽtini commẽta circa diuinitatem trinitatis

Bythones Aeones Lege Tertul. de hæreſ. & diſces Valentini fabulas

cœpit esse,sed natus ex deo deus est:& quod nascitur,id ipsum secundum humanæ intelligentiæ sensum uidet esse prolatũ, ita ut prolatio ipsa natiui tas esse existimetur, idcirco tentatũ est per Valentini hæresim prolationis nomen excludi,ne natiuitatis ueritas permaneret, quia prolationis intelli/ gentia,opinione terrena non multũ esset à natura terrenæ natiuitatis alie/ na.Naturæ humanæ tarda ac difficilis ad res diuinas intelligẽtia exigit, de his,quæ semel dicta à nobis sunt,frequẽtius admoneri, ne satisfacere sacra mentis diuinæ uirtutis,humanæ comparationis exempla credãtur, sed tan tum ad imbuendũ spiritualiter de cœlestibus sensum,speciem terreni gene ris afferri,ut per hunc naturæ nostræ gradũ ad intelligentiã diuinæ magni/ ficentię prouehamur.Non est autem secundũ humanarũ natiuitatum pro lationes,dei natiuitas existimanda. Vbi enim unus ex uno est, & deus na/ tus ex deo est,affert tantũ significationis intelligentiã terrena natiuitas: cæ/ terum non satisfacit cõparationis exemplo origo nascentiũ, quæ habet in se & coitum & conceptũ & tempus & partum, cum deus ex deo natus ni/ hil aliud intelligendus sit esse q̃ natus.Et quidem de diuinæ natiuitatis,se/ cundum fidem euangelicam atq; apostolicam, ueritate suo loco tractabi/ mus,interim tamen hæreticæ artis ingenium ostendi debuit, quæ ad ueri/ tatem natiuitatis abolendã,prolationis nomen extingueret.Tenet uero eti am in cæteris eiusdem artis suę malignã fraudulentiã dicens:Nec sicut Ma nichæus partem unius substantiæ patris natum exposuit.Negata superius prolatio est,ut natiuitas negaretur: nunc quoq; sub Manichæi nomine ne ganda unius substãtiæ infertur & portio,ne deus ex deo esse credatur. Ma nichæus autem abrupti in improbanda lege ac prophetis furoris & diabo/ li,quantũ in se est,professus assertor,& solius sui nescius cultor, id quod in uirgine fuit,portionem unius substantiæ prædicauit, & id filium uoluit in/ telligi,quod ex dei substãtia parte aliqua deductũ apparuerit in carne. Vt igitur unigeniti filij natiuitas,& unius substantiæ nomen tolleretur, portio unius substantiæ in natiuitate filij prætenditur: ut quia prophane ea,quæ ex portione unius substantiæ natiuitas asserta est,prædicatur,primum na/ tiuitas ipsa nõ esset, quæ in Manichæo esset ex portionis professione dam nata: tum deinde nomen ac fides unius substantiæ tolleretur, quia apud hæreticos ex portione cõpeteret,& per id nõ ex deo deus esset, quòd in eo diuinæ naturæ proprietas nõ inesset. Quid uęsanas solicitudines ementita religionis specie impius furor simulat? Manichæum secundũ hæreticę insa niæ prædicatores,piæ ecclesię fides damnat. Nescit enim in filio portionẽ, sed scit deum totum ex deo toto: scit ex uno unũ non defectum, sed natũ: scit natiuitatem dei nec diminutionem esse gignentis, nec infirmitatẽ esse nascentis.Si ex se scit,infer calumniam temeritati usurpatę scientiæ: si uero de domino suo didicit natiuitatis suæ scientiã,permitte nascenti.Hæc enim

Semel dicta sunt sæpe repe tẽda propter nostram infir mitatem

Manichæi er/ ror cum filij natiuitate

ita

ita ei à deo unigenito cõperta ſunt, quòd & pater & filius unũ ſunt, quòd plenitudo deitatis in filio eſt, per quod & portionem unius ſubſtantiæ addit ad filium, & per natiuitatis ueritatem, ueræ diuinitatis proprietatem ueneratur in filio. Sed ſepoſita pleniore ſingularum reſponſionum abſolutione per reliqua curramus, nanq; id ſequitur: Nec ſicut Sabellius, qui unionem diuidens, ipſum dixit filiũ quem & patrem. Ignorat euangelica atq; apoſtolica ſacramenta, ſic credens Sabellius: ſed nõ hoc ab hæreticis in hæretico ſimpliciter damnatur. Volentes enim nihil inter patrem & filiũ eſſe unum, diuiſæ à Sabellio unionis crimen exprobrant, cuius unionis diuiſio non natiuitatem intulit, ſed eundem diuiſit in uirginem. Nobis autẽ in confeſſione natiuitatis eſt, & unionẽ deteſtantes, unitatẽ diuinitatis tenemus, ſcilicet ut deus ex deo unum ſint in genere naturæ, dum quod per natiuitatis ueritatem ex deo in deum extitit, non aliunde quàm ex deo eſſe ſubſtiterit. Quod autem nõ aliunde quàm ex deo manet, maneat neceſſe eſt in ea ueritate qua deus eſt, ac per hoc unum ſunt, cum qui ex deo deus eſt, neq; aliud ipſe eſt, neq; aliunde quod deus eſt. Idcirco autem unionis in Sabellio impietas prætenditur, ut eccleſiæ fidei unitatis religio auferatur. Perſequar deinde & cæteta hęretici ingenij artificia, ne fortè ſuſpitioſis magis q̃ ueris ſolicitudinibus maleuolus interpres alienæ ſimplicitatis exiſtimer, oſtenſurus totius profeſſionis concluſionem, in quem ſe exitum promiſſio tam ſubdoli ſermonis inſtruxerit. Id enim ſequitur: Sed nec ſicut Hierachas, lucernam de lucerna, uel lampadam in duas partes: nec qui fuit ante, poſtmodum natum, uel ſupercreatum in filium. Hierachas neſciens unigeniti natiuiuatem, nec euangelicorum ſacramẽtorum uirtutem adeptus, unius lucernæ duo lumina prædicauit, ut lychnorũ bipertita diuiſio ſubſtantiam patris & filij æmularetur, quæ ex unius uaſculi *unguine accenderetur in lumen, tanquam eſſet ſubſtantia exterior, ut oleum in lucerna continens luminis utriuſq; naturam, uel certe ut lampas papyro eodem intexta, utroque capite luceret, eſſetq; media materies, lumen ex ſe utrũq; protendens. Hæc ſtultitiæ humanæ error inuexit, dum quod ſapiũt, ex ſe potius quàm deo ſapiunt. Sed quia ueræ fidei profeſſio eſt, ita deum ex deo natũ ut lumen ex lumine, quod ſine detrimento ſuo naturam ſuam præſtat ex ſeſe, ut det quod habet, & quod dederit habeat, naſcaturq; quod ſit, cum non aliud quàm quod eſt natum ſit, & natiuitas acceperit quod erat, nec ademerit quod accepit, ſitq; uterq; unum, dum ex eo quod eſt naſcitur, & quod naſcitur, neq; aliunde, neq; aliud eſt. Eſt enim lumẽ ex lumine. Vt ergo fidei huius intelligentia auerteretur, Hierachæ lampas uel lucerna ad crimen cõfitendi ex lumine luminis obiecta eſt, ne dici religioſe exiſtimetur, quod impie dictum, & nunc & ante damnatum eſt. Abſiſte abſiſte inaniſſime timor hæreticorum, nec patrocinium eccleſiaſticæ fidei falſa ſolicitæ aſſertio-

Sabellij ſententia

Hierachæ opinio ſeu fides

*Ab *unguedine*

assertionis opinione mentire. Nihil corporale secundum nos, nihil inane in dei rebus est: Quod deus est, deus totum est. Nihil in eo, *nisi uirtus, nisi uita, nisi lux, nisi beatitudo, * nisi spiritus est. Materies hebetes natura illa non recipit, neq; ex diuersis constat ut maneat. Deus ut est deus, quod est permanet, permanēs deus deū genuit. Non cōtinent ut lampas & lampas, aut lychnus & lychnus exteriore natura. Vnigeniti ex deo dei natiuitas nō series est, sed progenies, non tractus, sed ex lumine luminis natura. Vnitas est non ex cōnexione porrectio. Iam uero in eo, quanta hęreticæ *stultitiæ, & cq; callida professio fuit: nec qui fuit ante, postmodum natum uel super creatum in filio. Deus qui ex deo natus est, non utiq; natus ex nihilo est, neq; de non extantibus natus est, sed * natiuitatis suæ uiuentem habuit naturam. Nec idem deus qui erat, sed deus ex deo qui erat natus est, Et natiuitas habuit originis suæ in ipsa sua natiuitate naturam. Si ex nostro loquimur, insolentes sumus: sin uero ad loquendum edoctos nos per dominum docebimus, natiuitas dei secundum doctrinā dei est confitenda. Hanc igitur in patre & filio naturæ unitatem, & hoc uiuentis natiuitatis inenarrabile sacramentū excludere hæreticus furor tentans ait: Nec eum qui fuit ante, postmodum natum, nec supercreatum in filium. Quis enim tam uæsanus erit, ut defeciſſe à se patrem putet, ut idem qui fuerat, postea nasceretur uel supercrearetur in filium, & esset abolitio dei, ut succederet de abolitione natiuitas, cum natiuitas manentē testetur autorem? Vel quis tam demens est, ut substitisse filium nisi ex natiuitate fateatur? Quis porrò tam uęcors, qui non extitisse deum ex eo quod deus nascitur, audeat prædicare? Non enim qui manebat deus, sed ex manēte deo deus natus est, tenens in se naturam gignentis in natiuitate naturæ. Natiuitas autem dei, quæ ex deo in deum extitit, non quæ nō erant tenet, sed quæ in deo manebāt & manent, obtinuit ueritate nascendi. Non ergo qui nō erat natus est, sed ex his atq; in his quæ dei erant, deus natus *existit. Omnis igitur hic superior hæreticæ fraudulentiæ sermo, hanc uiam impiissimæ doctrinæ suæ præparauit, ut unigenitum deum negatura tanquam ratione ueritatis ante præmissa, ex nihilo potius cq; ex deo natum prædicaret, natiuitatem eius ad creationis referens de non extantibus uoluntatem. Deniq; post multa ad id tanquam præparato sibi aditu prorupit dicens: Filius autē sine tempore ædi tus & ante secula creatus & fundatus, non fuit antequam nasceretur. Tem perauit se, quantum putat hæreticus sermo, & ad impietatis confirmationem, & ad calumniæ, si quæstio intenderetur, excusationem dicens: Non erat antequam nasceretur. Vt in eo quod non fuit antequā nasceretur, naturam ei subsistentis originis denegaret, & cœpisset esse de nihilo, cui ante natiuitatem suam existens non daretur autoritas. Tum porrò si irreligiose hoc dictum existimaretur, adesset ei prompta defensio, quia nasci qui erat

*Hæc ab nisi uirtus, usq; ad nisi spiritus, addita reperi in quodam co dice

Als *astutiæ

Als *diuinitatis

Nō q nō erat natus est, sed ex ijs &c.

Als *extitit

nō potuit,neq; qui antea eſſet,naſcendi cauſam per quam eſſet, habuiſſet? cum natiuitas ad id proficiat,ut ſubſiſtat eſſe qui naſcitur. O ſtulte atq; impie hæretice,quis natiuitatem expectet in eo, qui ſine natiuitate ſubſiſtat? Aut quomodo qui eſt,naſci exiſtimandus eſt,cum natiuitas naſcendi natura ſit? Sed ſubdole adde negādam ex deo patre unigeniti dei natiuitatem contendens,per id quod non fuit antequam naſceretur, euadere uoluiſti, quòd deus ex quo dei filius natus eſt, erat, maneretq; dei natura, ex qua deus filius natiuitate ſubſiſtit.Si igitur ex deo natus eſt, manentis naturæ confitenda natiuitas eſt,non ut deus qui erat naſceretur, ſed ut ex deo qui erat,dei natiuitas intelligeretur.Sed irreligioſos æſtus ſuos calor hæreticus non continet,& per id quod ait:nō erat antequam naſceretur, id laborans, ut de non extantibus naſceretur,id eſt,non à deo patre in deum filium uera & perfecta natiuitate natus eſſet,in ipſa totius expoſitionis concluſione ad ultimum & prophaniſſimum irreligioſi furoris ſui prorupit ardorem dicens: Si enim quòd ex ipſo, & quòd ex utero, & quòd ex patre exiui & ueni,uelut partem unius eius ſubſtantiæ, & quaſi prolationem extendens intelligitur,compoſitus erit pater, & diuiſibilis & conuertibilis & corporeus ſecundum illos,& quantum in ipſis eſt, cōſequentia corporis ſuſtinens, ſine corpore deus.Grauis & multæ difficultatis labor eſſet, ueritatem religionis aduerſus falſitatis impietatem tueri, ſi quantum audet impietas, in tantum conſuleret prudentia. Sed bene eſt quòd irreligioſitatis uoluntas ex inopia prudentiæ eſt. Et idcirco cum facilis ſit aduerſum ſtultitiam reſponſio, emendatio tamen difficilis ſtultorum eſt,per quam primum & ratio intelligentiæ non quæritur,& deinceps ab intelligente intimata non capitur. Sed ſi quos timor dei & intelligentiæ ignoratio, non impietatis uoluntas,per ſtultitiæ ſenſum detinuerit in errore,ſpero quòd ad emendationem procliues ſint,cum impietatis ſtultitiam abſolutæ ueritatis ſit demonſtratio proditura. Dixiſtis ô ſtulti, quin & hodie idem dicitis, neſcientes in deum ſapere.Si enim quòd ex ipſo,& quòd ex utero,& quòd ex patre exiui & ueni,quæro à te,hoc totū dictū à deo,an ne non dictum ſit? Dictum utiq; eſt,& neceſſe eſt,cum à deo de ſe dictū ſit, non aliter intelligendū eſſe q̄; dictū eſt.De dictis ſuo loco demonſtratis ſingulorum quorumq; uirtutibus tractabimus.Interim tamen uniuſcuiuſq; intelligentiam cōſulo, quid exiſtimet in eo quod dictum ſit,ex ipſo.Vtrúmne ex altero intelligendum ſit,an ne ex nullo,an uero ipſe ille credendus ſit?Ex altero non eſt, quia ex ipſo eſt,*id eſt,ne aliunde præter quàm ex deo deus ſit: Ex nihilo non eſt, quia ex ipſo eſt. Demonſtratur enim natura, unde natiuitas eſt.Ipſe non eſt,quia ubi ex ipſo eſt,natiuitas filij refertur ex patre.Deinde cum ſignificatur ex utero,interrogo an credi poſſit eſſe natus ex nihilo, cum natiuitatis ueritas per corporalium efficientiarum nomina reueletur. Non enim

Fort. idem

corpora-

*corporalium consistens deus,cum generationem filij commemoraret ait: Ex utero ante luciferum genui te? Sed inenarrabilem illam unigeniti ex se filij natiuitatem ex diuinitatis suæ ueritate confirmans, ad intelligentiæ fidem loquutus est, ut de diuinis suis rebus secundum humanam naturam humanæ naturæ sensum ad fidei scientiã erudiret:ut cum ait,ex utero,non ex nihilo creatio substitisse,sed ex se unigeniti sui naturalis doceretur natiuitas.Postremo quod dixit:Ex patre exiui & ueni,utrum ambiguitatem reliquerit,quin intelligeretur non aliunde q̃ ex patre esse quod deus est?Ex patre enim exiens,neq; aliam natiuitatis habuit naturam,neq; nullam,sed eum sibi testatur autorẽ,ex quo se profiteꝛ exisse. De his aũt demonstrandis atq; intelligendis posterior mihi sermo est. Interim tamen hæc uideamus,qua hominis fiducia intelligenda de deo inhibentur, quę quòd à deo de se dicta sint,non negantur. O grauissimum humanæ stultitiæ atq; insolentiæ dedecus,professionis suæ de se deum non modo arguere non credendo, sed emendando damnare, & illud ineffabile in eo naturæ suæ uirtutisq; secretũ humanis contaminare & impugnare doctrinis,& hæc audere loqui:Si,inquit,ex deo est filius,demutabilis & corporeus deus est, qui ex se protulerit uel extenderit, quod sibi esset,in filiũ. Quid solicitus es,ne demutabilis deus sit?Nos natiuitatem confitemur, nos unigenitum prædicamus ex deo docti: tu ne natiuitas maneat, ne unigenitus deus in ecclesiæ fide sit, naturam indemutabilis dei, quæ nec extendi nec protendi possit, opponis.Afferrem tibi infelix error,etiam ex rebus mũdi quarundam naturarum,quæ gignuntur,exemplum, ne natiuitatem protensionem existimares,nec nascentium naturas detrimenta crederes esse gignentium,ut etiam multa sine corporali admixtione ex uiuentibus in uiuentes animas gignerentur,nisi nefas esset deo de se non credidisse: & ultimi furoris uęsania iudicaretur, adimere autoritatem ad fidem, cui uenerationem profitearis ad uitam. Si enim non nisi per eum uita est, quomodo non per eum fides uitæ est?Fides autem uitæ quomodo in eo est, qui sibi de se testis infidelis habeatur?Vsurpas enim impĩssime hæretice natiuitatem filij ad creationis uoluntatem,ut non ex deo natus sit,sed uolente eo qui creauit, ex creatione substiterit.Et tecum idcirco non deus est, quia manẽte deo uno non teneat filius originis suæ in natiuitate naturam,sed in substantiam alteram cõditus ipse tanq̃ unigenitus, cõditionibus & facturis cæteris præstantior sit,substitutus tamen,ut creationis indultæ sibi habeat substitutionem,non dei attulerit ex generatione naturã,& natum dicas, quod substitit ex nihilo.Filiũ autem idcirco nuncupes,non quia ex deo natus est,sed quia per deum creatus est,quia & homines religiosos appellatione huius nominis dignos à deo habitos memineris. Tum porrò ei non alia cõditione dei nomen indulgeas, q̃ ea qua dictũ sit: Ego dixi dij estis, & filij altissimi om-

*Als *membris corporalibus. Modo corporali loquitur deus, ut ab hominibus ueritas spiritualiũ capiatur*

nes,ut utatur dignatione in uocabulo nuncupantis, non naturę in nomine ueritate. Sitq; tecum filius ex adoptione,deus ex nũcupatione,unigenitus ex priuilegio, * primogenitus ex ordine,totius creatio, ex nullo deus, quia generatio eius nõ naturalis ex deo natiuitas sit,sed substantiæ creatura. Ac primũ orata à te impatientissimi doloris mei uenia, loqui me apud te omnipotens deus patere,& me terram ac cinerem charitatis tamen tuæ religioni deuinctum,liberum in hæc uerba permitte. Ego infelix nihil antea fui, & uitæ sensus expers, sine mei intelligentia eo quod sum carebam: sed misericordia tua ad uiuendum mihi causa est,& non ambigo, quin tu bonus bonum mihi statueris esse quod natus sum. Neq; enim qui mei non eges, ad mali me originem inchoasses.Sed cum me in uitam animatum rationis quoq; intelligentem præstitisses,ad cognitionem me tui sacris, ut arbitror, per seruos tuos Moysen & prophetas uoluminibus erudisti, ex quibus te non in solitudine tua uenerandum prodidisti. Cognoui tecum illic deum non alterum in natura,sed in sacramento substantiæ tuæ unum. Cognoui te in deo deum,non ex permixtione confusum,sed ex uirtute naturæ,dum quod tu deus es,in eo qui ex te est,inesses.Non ut idem tu esses & inesses, sed inesse te in eo qui ex te esset,perfectæ natiuitatis ueritas edoceret. Hoc mihi rursum euangelicæ atq; apostolicæ uoces loquuntur, & ex ipso sacro unigeniti tui ore condita in libris uerba testantur.Filium tuum ex te ingenito deo unigenitum deum & hominem ex uirgine ad mysteriũ salutis meæ natum,in quo te generationis ex te ueritas contineret,& quem in te manentis ex te natiuitatis natura retineret.In quod me oro profundum desperati reditus demersisti? Hæc enim ego ita didici, ita credidi, & ita confirmatæ mentis fide teneo,ne aut possim credere aliter,aut uelim. Quid me miserũ de te fefellisti,& infelicem carnem atq; animam alienæ à te cognitionis doctrina perdidisti? Decepit me post rubri maris diuisionem gloria descendentis de monte Moysi,& omnia tecum arcanorum cœlestium secreta cernentis.Huic ego de te uerbis tuis credidi. Perdidit me repertus secundum cor tuum Dauid,& dignus Salomon diuinæ sapientiæ munere, & uiso domino Sabaoth Esaias prædicans,& ante conformationem sanctificatus in utero Hieremias,eradicandarum & plantandarum gentium prophetes, & mysterij resurrectionis Ezechiel testis,& uir desideriorum Daniel,temporum conscius,& prophetarum consecratus chorus, & omne prædicationis euangelicæ sacramentum, electus ex publicano Matthæus in apostolum, & ex illa familiaritate domini,& reuelatione cœlestium mysteriorũ dignus Ioannes,& post sacramenti cõfessionem beatus Simon ædificationi ecclesiæ subiacens,& claues regni cœlestis accipiens,& reliqui omnes spiritu sancto prædicantes, & ex persequutore apostolus uas electionis tuæ Paulus in profundo maris uiuens,in cœlo tertio homo,in paradiso ante martyriũ, in mar-

*Fort. legendum,primogenitus ex ordine totius creationis,ex nullo deus. Nam Hilarius aliquoties usurpat creationẽ pro creatura.

Petrus ædificationi ecclesiæ subiacet

in martyrio perfectæ fidei cõsummata libatio. Ab his ergo quæ teneo edoctus sum, his immedicabiliter imbutus sum. Et ignosce omnipotens deus, quia in his nec emendari possum, sed commori possum. Tarde mihi hos *pijssimos, quantum ego arbitror, doctores ętas nunc huius seculi protulit. Sero hos habuit fides mea quam tu erudisti magistros. Inauditis ego omnibus his in te ita credidi, per te ita renatus sum, & exinde tuus ita sum. Omnipotentem te scio, nec consciæ sibi tantum atq; ipsi unigenito tuo natiuitatis inenarrandæ expecto rationem. Impossibile enim tibi nihil est, & genitum à te filiũ omnipotentiæ tuæ uirtute non ambigo. Ambigens enim, iam omnipotentem te negabo. Bonum te etiam ex natiuitate mea didici, atque ob id non inuidum te bonorum tuorum in unigeniti tui natiuitate esse confido. Credo enim, quòd quæ tua sunt, eius sint, & quæ eius sunt, tua sint. Sapientem te mihi etiam ipsa mundi creatio prodidit. Sapientiam te tuam non dissimilem genuisse ex te, mihi conscius sum. Verus & unus mihi deus es, sed non aliud in eo qui ex te deus est credam inesse, * quàm tu es. Et in eo me iudica, si crimen mihi est, nimium me per filium tuum & legi & prophetis & apostolis credidisse. Sed cesset sermo temerarius, & ex his in quæ demonstrandæ stultitiæ hæreticæ necessitate proruperat, in * redden- dę potius rationis mysterium decidat, ut si qui adhuc salui esse possunt, ad fidem, teneant euangelicæ doctrinæ atq; apostolicæ iter, ac uerum dei filium non ex adoptione, sed ex natura intelligant. Hunc enim responsionis nostræ esse ordinem conuenit, ut primum dei filium esse doceamus, ut natura in eo diuinitatis per quod filius est, absoluta sit. Id enim maxime hæresis, de qua nunc agitur, elaborat, ne dominus noster Iesus Christus uere dei filius, deus uerus sit. Vere dei filium unigenitum deum dominum nostrum Iesum Christum esse ac doceri, multis modis cognitum est: dum de eo testatur pater, dum de se ipse profitetur, dum apostoli prædicant, dum religiosi credũt, dum dæmones confitentur, dum Iudæi negant, dum gentes in passione cognoscunt. Neq; enim ex communione nuncupationis est, quod de proprietatis fide dicitur. Et cũ omnia quæ Christus dominus aut egit, aut docuit, ultra omnia eorũ sint, qui filij nuncupantur, & in his omnibus quæ præcipua Christi sunt, hoc uel potissimũ doceatur esse, quod dei filius est, nõ est in eo filij ex generali familiaritate cognomen. Non cõtamino ueritatis fidẽ, ut hoc uerbis meis astruam. Loquatur, ut sæpe solitus est, de unigenito suo pater, ne sub consummandi baptismi sacramento Iesus Christus ignorabilis possit esse per corpus: Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui. Rogo in quo ueritas deperit, & in quo infirma fides professionis est? Non annunciatus per angelum de spiritu sancto, partus ex uirgine. Non index Magis stella, nec adorati in cunis honor, nec baptizandi sub Baptistæ professione uirtus, satis esse ad demonstrationẽ ma-

Als* impijßimos

Als* quàm quod tuũ est

Als* credẽdæ

ieſtatis exiſtimantur. Pater de cœlo loquitur, & ita loquitur: Hic eſt filius meus. Quid ſibi uult non cognominum, ſed pronominum fides? Cognomina enim nominibus adduntur: pronomina uero obtinẽt in ſe nominum uirtutem. Proprietatis autem ſignificatio eſt, ubi & hic eſt, dictum eſſe auditur: Et meus eſt. Et intellige quæ ſit ueritas & ratio dictorum. Legeras: Filios genui & exaltaui: ſed non legeras, filios meos. Genuerat enim eos ſibi per diuiſionem gentium, & plebem hæreditatis in filios. Ne igitur per communionem adoptiuæ hæreditatis cognomentum filij unigenito deo adderetur, naturæ ueritas per ſignificationem proprietatis oſtenſa eſt. Aſſignetur ſanè hoc communionis in Chriſto nomen, ut filius ſit, ſi de quoquam dictum reperietur: Hic eſt filius meus. Sin uero propriũ ac ſingulare ei eſt, hic eſt filius meus, quid calumniam deo patri profeſſæ de filio proprietatis afferimus? An ne tibi in eo quod dicitur, hic eſt, non hoc ſignificare uidetur, alios quidem cognominatos ab eo in filios, ſed hic filius meus eſt? Donaui adoptionis plurimis nomen, ſed iſte mihi filius eſt. Ne quęras alium, ne non hunc eſſe credas, hunc ego tanquam indice digito, ac uerbi ſignificatione cõtingo, qua dico, & meus eſt, & hic eſt, & filius eſt. Quid poſt hæc intelligentiæ poterit eſſe, ne non eſſe credatur? Et hæc quidem paternæ uocis ſignificatio eo fuit, ne qui ad implendam omnem iuſtitiam baptizandus eſſet, quid eſſet ignoraretur, ſed ut qui ad ſacramẽtum ſalutis noſtræ homo cernebatur, dei uoce noſceretur dei filius, & quia in fidei huius confeſſione credentium uita eſſet, non enim alia æternitatis uita eſt, niſi ut IESVM CHRISTVM unigenitum deum ſciamus eſſe dei filium, uox de cœlis rurſum ab apoſtolis iteratæ huius ſignificationis auditur, ut id firmius crederetur ad uitã, quod nõ credidiſſe mors eſſet. Nanq; cũ dominus in monte maieſtatis ſuæ habitu cõſtitiſſet, Moyſe atq; Helia aſſiſtentibus, & ad uiſionis ac uocis fidem tribus columnis eccleſiarũ teſtibus aſſumptis, hęc uox de cœlo paterna eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene complacui, hunc audite. Non ad confirmationẽ honoris charitas conſpecta ſatis fuerat, uoce deſignatur: Hic filius meus eſt. Apoſtoli gloriam dei non ferunt, & mortales oculi hebetantur ad uiſum, & conſternata ad metum Petri & Iacobi & Ioannis fides concidit. Adeſt autẽ autoritatis paternæ profeſſio, & filius hic per proprietatẽ ſignificantis oſtenditur. Neq; ſolum ueritas filij per hoc quod & hic, & meus eſt, intimatur, ſed additur: Hunc audite. Teſtimoniũ quidem patris è cœlo eſt, ſed teſtimoniũ filij confirmatur in terra, nam audiendus oſtenditur. Et quanq; ambiguitas per profeſſionem paternã non relinquatur, tamen & filij de ſe profeſſio de ſe credenda decernitur, & eo uſq; ueritas in eo filij docetur, ut paternæ uocis confirmatio audiendi à nobis filij poſtulet obſequelã. Igitur quia paternæ uolũtatis hęc uox eſt, ut filius audiatur, audiamus filiũ de ſe quid ſit ipſe, profitẽtem.

Pronomina proprietatem dicunt

Neminẽ

Neminem autẽ tam alienum à cõmuni ſenſu exiſtimo eſſe,ut cum in omnibus euangeliorũ libris ex profeſſione filij aſſumptionẽ corporeæ humilitatis intelligat,cum ait:Pater clarifica me.Et rurſum frequẽtiſſime: Videbitis filium hominis.Et illud:Pater maior me eſt. Sed & hoc: Nunc anima mea turbata eſt ualde. Vel etiam hoc: Deus deus meus,quare dereliquiſti me? & multa alia iſtiuſmodi,de quibus ſuo ordine erit ſermo: tamẽ in hac tam aſſidua humilitatis cõteſtatione inſolentiæ eum arguat, quòd ſibi patrem deum dicat,cum ait: Omnis autem plantatio quã non plantauit pater meus cœleſtis eradicabitur. Vel illud:Domũ patris mei domũ feciſtis negociationis.Et ubicunq; ſemper patrẽ ſibi deũ nominat,temerariæ præſumptionis potius ſit, cũ confidentis naturæ, quæ conſcia natiuitatis ſuæ teneat ueritatis nomen in patre.Humilitatis igitur profeſſio frequens nõ habet hoc inſolentiæ uitiũ,ut ſibi aliena uendicet,& non ſua defendat, & proprie deo coæquanda præſumat.Nec pari temeritate qua patrẽ nuncupat, ſe quoq; filiũ profiteatur dicens: Nec enim miſit deus filiũ ſuum in hunc mundum, ut iudicet mundũ,ſed ut ſaluus fiat mundus per eum. Vel iterũ: Tu credis in filiũ dei? Quid nunc agimus, cõcedentes tantũ Ieſu Chriſto nomen adoptionis, per quod & in patre ſibi deo nuncupando temerariæ eum arguimus præſumptionis? Paterna de cœlo uox eſt: Hunc audite. Audio:Pater gratias ago tibi.Audio:Dicitis quia blaſphemaui,quoniam dixi, filius dei ſum.Si non credo nominibus,ſi naturã uocabuli nõ intelligo,quid credendum & intelligendũ ſit quæro.Non mihi relinquitur alia ſuſpicio. Autoritas de cœlo paterna eſt:Hic eſt filius meus.Profeſſio filij de ſe eſt: Domus patris mei,& pater meus.Profeſſio nominis ſalus eſt, cum interrogatio fidem poſtulat dicens: Tu credis in filium dei? Proprietatis nomina ſequuntur,ubi meus eſt. Tibi quęro hęretice,unde alia præſumptio ſit. Adimis patri fidem,filio profeſſionẽ,nominibus naturã,uim uerbis dei affers, ne ſint quod enunciant.Impietatis tuæ ſola impudẽtia eſt, ut mentitũ de ſe deum arguas. Quanq; igitur ſola ſimplex confeſſio naturæ nomina oſtendat, ut de quo dictum eſt,hic eſt filius meus,& ad quem dictum eſt, pater meus, hoc ſint quod nuncupantur,tamen ne aut adoptionis nomẽ in filio ſit, aut honoris in patre,uideamus quæ proprietates per filium ad filij nomen adiectæ ſint,ait: Omnia mihi tradita ſunt à patre, & nemo nouit filiũ niſi pater, neq; patrem quiſquã nouit niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Ad id quod dictum eſt,hic eſt filius meus,& pater meus, utrum ne ſibi conuenit,nemo nouit filiũ niſi pater,neq; patrem quiſquã nouit niſi filius? Non enim niſi per mutuam teſtificationẽ cognoſci,uel per patrem filius, uel per filium pater potuit. Vox è cælis eſt,ſermo etiã filij eſt. Tam ignorabilis eſt filius quàm & pater. Omnia ei tradita ſunt,& in omnibus nihil intelligitur exceptum. Si poteſtas exæquata eſt, ſi ſecretum cognitionis æquale eſt, ſi

Proprietates ad filij nomen adiectæ

natura in nominibus eſt,quæro quomodo quod uocantur non ſunt, quorum & uis in poteſtate, & difficultas in cognitione non differt? Non fallit itaq; in uocabulis deus,nec ſe aut pater mentitur,aut filius, & accipe quę in his fides nominũ ſit. Ait enim:Opera enim quæ dedit mihi pater, ut perficiam ea,ipſa opera quæ facio,teſtimoniũ perhibent de me,quoniam pater miſit me, & qui miſit me pater, ipſe teſtificatus eſt de me. Vnigenitus deus,non nominis tantũ teſtimonio, ſed etiam ueritatis docet ſe eſſe filium. Opera enim eius quæ facit,teſtantur à patre ſe miſſum. Quæro quam rem opera teſtantur. Miſſum nanq; eſſe. Itaq; & filij obedientia,& paterna autoritas docetur in miſſo, dum alterius opera eſſe nõ poſſunt quæ facit,niſi eius qui miſſus à patre ſit. Sed opera nõ ſufficiunt * incredibilibus ad teſtimonium,quod ſe pater miſerit. Sequitur nanq;:Et qui miſit me pater, ipſe teſtificatus eſt de me,neq; uocẽ eius audiſtis,neq; figurã eius uidiſtis. Quęro quod teſtimoniũ patris de eo fuerit. Reuolue euãgelica uolumina,& totum eorũ opus recenſe. Da teſtimoniũ patris,prætercq; quod auditum eſt: Hic eſt filius meus dilectus,in quo cõplacui.&:Tu es filius meus. Hoc Ioannes,licet nõ ignarus,audiuit,tamen ad doctrinã noſtrã paternæ uocis teſtimonium mittitur, nec hoc ſufficit. Ioannes quidẽ dignus in deſerto hac uoce eſt,ſed & apoſtoli nõ fuerũt huius teſtimonij autoritate priuandi. Eadem de cœlo ad eos uox adeſt,ſed accipiũt plus Ioanne. Ioãnes enim iam ab utero prophetans,nõ eguit hac uoce:hũc audite. Audiã planè,nec quen quam pręter hũc audiã, niſi eum qui audierit ut doceret. Si nullũ aliud patris de filio teſtimoniũ extat in libris, cq; quod hic filius ſuus ſit, teſtimonij huius ueritas eſt,ut opera ipſa patris quæ gerit,ueritatem teſtimonij huius affirment. Quid infertur hodie calumnia,ut adoptio nominis ſit, ut mendax deus ſit,ut nomina inania ſint? Teſtatus eſt pater de filio: operibus ſuis filius teſtimonio ſe patris exæquat. Cur nõ uideatur eſſe in eo quod eſt filij ueritas,quę & dicitur & probatur? Non eſt per deũ patrem filij nomen in Chriſto ex adoptione bonitatis, neq; ſanctitate meruit hoc nomen, ſicut plures poſt cõfeſſionẽ fidei dei filij ſunt. Proprietatis em̃ in his ſignificatio nulla eſt: nominis nanq; tantũ quod deo dignũ eſt, indulta dignatio eſt. Aliud eſt,hic eſt,& hic meus eſt,& hũc audite:in hoc ueritas eſt,natura eſt,fides eſt. Nec ſanè quicq; de ſe minus filius hac paternæ ſignificationis proprietate teſtatur. Vt em̃ in eo quod ait pater:Hic eſt filius meus,naturę demõſtratio eſt,& in eo quod ſubiecit:Hũc audite, ſacramenti & fidei,ob quã de cœlis uenit,auditio eſt,cum eum ad ſalutarem cõfeſſionis doctrinã admonemur audire, ita in eo filius & natiuitatis ueritatẽ docuit & aduentus dicens:Neq; me ſcitis,neq; unde ſim noſtis. Nec enim à me ueni,ſed uerax eſt qui me miſit, quem uos neſcitis,ſed ego noui eum, quoniam ab eo ſum,& ipſe me miſit. patrem non nouit,& frequens hinc profeſſio filij eſt.

*Aß*increduli*

In Chriſto eſt ſignificatio ꝓprietatis filij, ſed nõ in alijs filijs dei dictis

Idcirco

Idcirco autem ſoli ſibi eſſe cognitũ dicit, quia ab eo ſit. Quæro autẽ utrum id quod ab eo eſt, opus in eo creationis an naturam generationis oſtẽdat. Si opus in eo creationis eſt, uniuerſa quoq; quæ creãtur, à deo ſunt. Et quo modo patrẽ nõ uniuerſa nouerũt, cum filius eum idcirco quia ab eo eſt, nõ neſciat? Quòd ſi creatus potius q̃ natus uidebit̃ in eo quod à deo eſt, cum à deo cuncta ſint, quomodo non cum cęteris patrem, quæ ab eo ſunt igno rat? Sin uero idcirco ei quia ab eo ſit, eum noſſe ſit propriũ, quomodo non hoc ei quod ab eo eſt, erit proprium? Scilicet ut uerus filius ex natura deo ſit, cum idcirco deum ſolus nouerit, quia ab eo ſolus ſit. Habes igitur pro prietatem cognitionis de proprietate generationis, & quod ab eo eſt, non creaturæ in eo uirtutem, nam omnia à deo per uirtutem creationis exiſtũt, ſed natiuitatis ueritatem, per quã ſolus patrem nouit, cum cætera eum quę ab eo ſunt ignorent. Tamen ne fortè id quod ab eo eſt, aduentus ſui tem pus hæreſis inuaderet, continuo ſubiecit: Quoniã ab eo ſum, & ipſe me mi ſit. Tenuit ordinem euangelici ſacramenti, natum ſe profeſſus & miſſum, ut & quis eſſet, & unde eſſet, ſecundum ſuperiorem ſententiam noſceretur. Neque enim id ipſum eſt, ab eo ſum, & ipſe me miſit, ſicuti non idem eſt, neque me ſcitis, neque unde ſim noſtis. Nunquid non omnis homo in car ne licet natus, ſecundũ ſenſum communis opinionis ex deo eſt? Et quomo do negat ab his uel ſe ipſum, & unde ipſe ſit ſciri, niſi id unde eſt, ad naturę ſuæ referret autorem? qui idcirco ignorabilis eſſet, quia ipſe eſſe dei filius ignoraretur. Diſcute infelix ſtultitia quid illud ſit: Neq; me ſcitis, neq; unde ſim noſtis. Omnia utiq; ex nihilo, & uſq; adeo ex nihilo, ut etiam unigeni tum deum ex nihilo ſubſtitiſſe ſis auſa mentiri. Quid ergo eſt quòd impij & Chriſtũ neſciunt, & unde ſit neſciunt? Nam id quod unde ſit ignoratur, naturam ex qua eſt, dum unde ſit neſcitur, oſtendit. Ignorari enim unde ſit non poteſt, quicquid ſubſiſtit ex nihilo: quia hoc ipſum quod non igno ratur ex nihilo, ignorationem eius unde ſit non habet. Non ex ſe eſt au tem ille qui uenit, ſed qui miſit illum uerax eſt, quem impij neſciunt. Iam ergo ille qui miſit, ipſe eſt qui miſiſſe ignoratur. Ab eo ergo qui miſit eſt ille qui miſſus eſt. Ab eo eſt, unde eſſe neſcitur, & ob hoc qui ſit ipſe neſci tur, dum ignoratur à quo ſit. Non nouit Chriſtum, qui unde Chriſtus ſit neſcit: nec filium confitetur, qui negat natum: nec natum intelligit, qui pu tabit ex nihilo. Ex nihilo autem uſque adeo non eſt, ut impij unde ſit neſ ciant. Neſciunt planè, neſciunt, quia naturam nomini adimunt, quia neſci entes non amant ſcire, & audiunt filium ſcientiæ huius ignorationem im pijs exprobrantem, tum cum ſibi patrem deum Iudæi dicerent. Ait enim: Si deus pater ueſter eſſet, diligeretis utiq; me, ego enim à deo exiui & ue ni: nec enim à me ueni, ſed ille me miſit. Religioſi nominis aſſumptionem dei filius in his, qui ſe dei filios confitentes patrem ſibi deum dicerent non impro

Proprietas cognitionis arguit proprietatem generationis

improbauit,ſed temerariam Iudæorũ uſurpationem,patrem ſibi deũ præſumentium, per id quod ſe non diligerent, obiurgat: Si deus pater ueſter eſſet,diligeretis utique me, ego enim à deo exiui & ueni. Omnibus quibus per fidem deus pater eſt, per eam fidem pater eſt,qua Ieſum Chriſtũ dei filium confitemur. Confiteri autem filiũ ſecundum generale ſanctorũ nomen,quid habet fidei,ut dicamus,unus ex filijs eſt? Sed nunquid & cæteri in hac creaturę ſuæ infirmitate non filij ſunt? In quo ergo filium dei Ieſum Chriſtum fides confeſſa prȩcellit,cum ei ſecundum*filios,filij non natura, ſed nomen ſit. Sed Chriſtum perfidia iſta non diligit,nec hæc impia profeſſio pie ſibi aſſumit deum patrem,quia ſi ſibi pater deus eſſet,Chriſtum ob id diligerent, quia exiſſet ex deo. Exiſſe ex deo,quid ſit requiro. Non utiq; dici poteſt,id ipſum eſſe ex deo exire,quod & ueniſſe,nam utrunq; ſignificat: Quoniam à deo exiui & ueni. Et oſtendens quid eſſet,à deo exiui, & quid eſſet,& ueni,continuo ſubiecit: Nec enim à me ueni,ſed ille me miſit. Non ſe ſibi eſſe originẽ docuit cum ait: Nec enim à me ueni. Et rurſum ſe ex deo exiſſe, & ab eo miſſum eſſe teſtatur. Sed cum ab ijs qui ſibi deũ patrem dicerent,idcirco ſe diligendum ait, quia ex deo exiſſet, cauſam dilectionis ex cauſa docuit eſſe naſcendi. Exiſſe enim ad incorporalis natiuitatis retulit nomen, quia religio profitendi ſibi patrem deum ex dilectione Chriſti, qui ex eo genitus eſt,ſit merenda. Nam cum ait: Qui me odit,& patrem meum odit. meum cum ait,communionem nominis per ſignificationem proprietatis excluſit. Cæterũ profitentem ſibi patrem deum,& ſe non diligentẽ,in paterni nominis uſurpatione cõdemnat, quia qui ſe odit, oderit & patrem: nec in deum patrem ſit religioſus, qui non diligat filium: cum diligendi filij non alia cauſa ſit,q̃ quòd ex deo ſit. Ex deo igitur filius eſt,non aduentu ſed natiuitate,& dilectio in patrem hinc erit omnis,ſi filius ex eo eſſe credat. Teſtatur hoc dominus dicens: Non dicam uobis quoniam ego rogabo patrem pro uobis. Ipſe enim pater amat uos, quoniam uos me amatis,& creditis quoniam ego à deo exiui, & à patre ueni in hunc mundum. Caret apud patrem interceſſionis neceſſitate perfecta de filio fides,quæ quod à deo exierit credat atque amet, & per ſe ipſa iam & audiri meretur & amari,natum ex deo filium miſſumq; confeſſa. Natiuitas itaq; eius & aduentus oſtendit cum abſolutiſſima ſignificatæ proprietatis ueritate. A deo ait exiui, ne in eo alia q̃ natiuitatis natura eſſe exiſtimaretur, cum exire à deo,id eſt,ex natiuitate ſubſiſtere,quid aliud q̃ deus poſſit? Et à patre,inquit,ueni in hunc mundum,ut exitio illa à deo,natiuitas ſignificata eſſe intelligeretur ex patre,à patre ſe in hunc mundum profeſſus eſt ueniſſe. Alterum itaq; in diſpenſatione,alterum in natura eſt. Nec patitur exitionem aduentũ exiſtimari,cum poſt exitionem à deo,aduentum commoret à patre. A patre enim ueniſſe & ex deo exiſſe,non eſt ſignificationis

Fort. illos

Quid exire à deo

eiuſdem

eiuſdem, & quantum intereſt inter naſci & adeſſe, tantũ à ſe uterq; ſermo diſcernitur, cum aliud ſit à deo in ſubſtãtia natiuitatis exiſſe, aliud eſt à patre in hunc mundũ ad cõſummanda ſalutis noſtræ ſacramenta ueniſſe. Et quidem ſecundũ propoſitę à nobis reſpõſionis ordinem opportuniſſimus hic nobis locus eſt, ut tertio nunc doceamus filium dei dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum ab Apoſtolis traditũ, non ex nuncupatione, ſed ex natura, neq; ex adoptione, ſed ex natiuitate. Quaq; enim plures & maxime adhuc unigeniti de ſe dei extent profeſſiones, quibus generationis ſuæ ueritatem ſine leui ſaltem ementiendæ licet calumniæ occaſione teſtetur, tamen quia neq; legentium onerandus eſt ſenſus coaceruatis ad copiam dictis, & cum iam nõnulla de proprietate natiuitatis oſtenſa ſint, cætera omnia alijs erũt quæſtionibus reſeruanda. Nunc uero quia hic ſermonis noſtri ordo inſtitutus eſt, ut poſt patris conteſtationem, poſt filij profeſſionem, fidem quoque Apoſtolorum de uero & ſecundum natiuitatem confitendo dei filio doceremus, uidendum eſt an in eo quod ait dominus: Ex deo exiui, aliud in eo aliquid potius q̃ naturã intellexit natiuitatis. Poſt multas nanq; prouerbiorum obſcuritates, quibus in parabolis locutus eſſet*quem iam antea Chriſtum ſciebant annunciatũ à Moyſe & prophetis, confeſſum quoq; à Nathanaele & dei filium & regem Iſrael, obiurgato etiam Philippo cum de patre requireret, cur per operum uirtutem patrem in ſe, & ſe in patre eſſe neſciret, cumq; ſe à patre miſſum frequentibus dictis ante docuiſſet, tamen cum profitentem eum audiſſent ſe à deo exiſſe, hæc eorum reſponſio fuit. Connexus enim hic ſibi ſermo eſt. Dicunt ei diſcipuli eius: Nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis, nunc ergo ſcimus quia noſti omnia, & non habes neceſſe ut aliquis te interroget. In hoc credimus quia à deo exiſti. Quę rogo hęc uerbi huius admiratio eſt, quòd ſe exiſſe à deo profeſſus ſit? Tanta & tam propria uos ô ſancti & beati uiri ob fidei ueſtrę meritum claues regni cœlorum ſortiti, & ligandi atq; ſoluendi in cœlo & in terra ius adepti geſta eſſe per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum dei filium uideratis, & ad id quod à deo exiſſe dixit, nũc primum uos ueri intelligentiam aſſecutos proteſtamini? Videratis utiq; nuptiales aquas, & in eiſdem nuptiale uinum, & naturæ in naturam uel demutationem, uel profectum, uel creationem. Quinq; etiam panes ad cibum tantæ multitudinis fregeratis, & ſatiatis omnibus in plenitudinem duodecim cophinorũ fragmenta panum creuerant,* & naturæ paruitas famem pellens profecerat in eiſdem copiam naturæ. Reuiruiſſe manus aridas conſpexeratis, & in uocem mutorum linguas ſolutas, & in curſum claudorum pedes alacres, & cæcorũ oculos cernentes, & mortuorum uitas reuertentes, fætens Lazarus conſtiterat ad uocem, & ſepultus uocatur in nullo interuallo uocis & uitæ, cito fuerat egreſſus, & adhuc odorem mortis in ſenſum nariũ ſpiritu agente ipſe iam uiuus

A patre uenire & ex deo exire nõ ſunt idem

Alis, quoniam

Apoſtoli ſortiti ſunt claues regni cœlorum ob confeſſionem diuinitatis Chriſti

** Suſpicor ita legendum, & materiæ paruitas famem pellens profecerat in eiuſdem copiam naturæ*

uiuus extiterat. Taceo de cæteris magnarum uirtutum & diuinarum operationibus. Nunc ergo primum intelligitis quis sit hic missus è cœlis postq; audistis: De patre exiui? Et hoc uobis primum iam sine prouerbio dictum est, & per naturæ uirtutem intelligitis uerum esse quòd à deo exiuit, cum uoluntatum uestrarum cogitationes tacitas intuetur, cum de nonnullis tanquam ignarus interrogat, cum omnium cognitor est? Per hęc enim omnia quæ*ueritate ac natura dei agit, à deo exisse credendus est. Non hic sancti Apostoli à deo exisse, id est, à deo missum esse intellexerunt. Nam omni superiori sermone confitentem missum se esse frequenter audierant, sed audientes à deo exisse, naturam in eo dei operibus cernentes, naturæ ueritatem per id quod à deo exiuit recognoscũt cum dicunt: Nunc ergo scimus, quia nosti omnia, & non habes necesse ut aliquis te interroget. In hoc credimus quòd à deo existi. Per id enim credunt quòd à deo exĳt, per quod ea quæ dei sunt potest atq; agit, plenaq; fide testificantur. Non enim naturam dei à patre uenisse, sed à deo exisse consummat. Deniq; hoc quod nunc primũ audiunt confirmatur ad fidem. Nam cum dominus utrunq; dixisset: Ego à deo exiui, & à patre ueni in hunc mundum, nihil admirationis in eo habuerunt, quòd frequenter audierant, & à patre ueni in hunc mundum. Responsio autem eorum fidem & intelligentiam huius dicti contestata est: Ego à deo exiui. Non ad id tantum responsum est cum dicunt: In hoc credimus quia à deo existi. Neque addunt, & à patre uenisti in hunc mundum: & cum alterum in professione, alterum in silentio est, professionis causam dicti nouitas exegit. Profitendi enim contestationem intelligentia ueritatis elicuit. Sciebant quidem eum omnia ut deum posse, sed nondum rationem natiuitatis acceperant: & qui sciebant à deo missum, exisse tamen à deo nesciebant. Inenarrabilem illam & perfectam filĳ natiuitatem per uirtutem dicti istius intelligentes, nunc primũ cœperunt aduertere, cum illum sine prouerbĳs profitentur esse locutum. Non enim per cõsuetudinem humani partus deus ex deo nascitur, neq; per elementa originis nostræ ut homo ex homine propellitur. Integra illa & perfecta & incontaminata natiuitas est, cuius à deo exitio potius q̃ partus est. Est enim unus ex uno, non est portio, non est desectio, non est diminutio, non est deriuatio, non est protensio, non est passio, sed uiuentis naturæ ex uiuente natiuitas est, & deus ex deo exiens est, non creatura in dei nomen electa, non ut esset cœpit ex nihilo, sed exĳt à manente: & exĳsse significationem habet natiuitatis, non habet inchoationis. Non enim idem est subsistãtiam cœpisse & deum exĳsse de deo. Et natiuitatis huius scientia licet non subiecta uerbis sit, cum inenarrabilis sit, habet tamen in doctrina filĳ fidei securitatẽ à deo se manifestantis exisse. Non est euangelica & apostolica fides, filium dei nomine potius q̃ natura credidisse. Si enim adoptionis hæc nuncupatio est, &

non

Al's *uirtute

Prius deũ nouerãt, sed rationẽ natiuitatis non acceperant

non idcirco filius eſt,quia exierit à deo,quęro unde beatus Simon bariona eſt confeſſus: Tu es Chriſtus filius dei uiui. An ne cum omnibus poteſtas ſit per ſacramentum regenerationis in filios dei naſci, ſi ſecundū hanc nuncupationem filius dei Chriſtus eſt, interrogo quid illud ſit quod Petro nō caro neq; ſanguis reuelauit, ſed pater qui in cœlis eſt. Generalis profeſſio quid habet meriti? aut quæ reuelationis eſt gloria in publica conſcientia? Si ex adoptione filius eſt,unde hæc in Petro beata cōfeſſio eſt,hoc filio deferente quod eſt commune ſanctorum? Vltra humanam autem intelligentiam ſe fides apoſtolica protendit. Audierant utiq; frequenter: Qui recipit uos me recipit,& qui me recipit, recipit eū qui me miſit. Miſſum ergo iam non ignorabat,& quem miſſum iam nō ignorabat, audierat profitentem: Omnia mihi tradita ſunt à patre. Et nemo nouit filium niſi pater, neq; patrem quis nouit niſi filius. Quid iſtud eſt quod nūc in Petro pater reuelat, quod beatæ cōfeſſionis gloriam ſumit? Nunquid patris & filij nomen neſciebat? Atqui frequenter audierat. Sed loquitur quod uox humana nondum protulerat: Tu es Chriſtus filius dei uiui. Nam tametſi in corpore manens dei filium ſe eſſet profeſſus, tamen Apoſtolica fides nunc primum in eo naturam diuinitatis agnouit. Neq; enim Petro tantum ex confeſſo honore laus reddita eſt,ſed ex agnitione myſterij, quia nō Chriſtum ſolum, ſed Chriſtum dei filium eſſe confeſſus eſt. Nam utiq; ad confeſſionem honoris ſuffecerat dixiſſe: tu es Chriſtus. Sed inane fuerat, Chriſtum ab eo confeſſum fuiſſe,niſi dei filium confiteretur. In eo enim quod ait: tu es,uirtutem & proprietatem naturalis ueritatis explicuit. Et pater dicēdo: hic eſt filius meus,Petro reuelauit ut diceret: tu es filius dei. Quia in eo quod dicitur: hic eſt,reuelantis indicium eſt. In eo uero quod reſpondetur: tu es,confitentis agnitio eſt. Super hanc igitur confeſſionis petram eccleſiæ ædificatio eſt. Sed ſenſus carnis & ſanguinis cōfeſſionis huius intelligentiam non reuelat. Hoc eſt diuinæ reuelationis ſacramentum, Chriſtum dei filiū non ſolum nuncupare,ſed credere. Aut nunquid nuncupatio potius quàm natura Petro reuelata eſt? ſi nuncupatio, iam hanc à domino frequenter audierat,ſe eſſe dei filium confitente. In quo ergo reuelationis eſt gloria? naturæ ſcilicet non nominis, cum frequentata nominis profeſſio iam fuiſſet. Hæc fides, eccleſiæ eſt fundamentū,per hanc fidem infirmę aduerſus eam ſunt portæ inferorū. Hæc fides regni cœleſtis habet claues. Hæc fides quæ in terris ſoluerit aut ligauerit,& ligata ſunt in cœlis & ſoluta. Hæc fides paternæ reuelationis eſt munus, Chriſtum non creaturā nouit ex nihilo mentiri,ſed ſecundum proprietatis naturam dei filium cōfiteri. O miſeræ ſtultitiæ furor impius,nō intelligens beatæ ſenectutis fideiq; martyrem, & martyrem Petrū,pro quo pater rogatus eſt,ne fides eius in tentatiōe deficeret, qui iterata à ſe dilectionis in deū poſtulata profeſſione tētari ſe adhuc tan

Super confeſſionis petram eſt eccleſiæ ædificatio

Fides eccleſiæ fundamentum habet claues regni cælorū, & ſoluit & ligat Martyr teſtis

quam ambiguum & incertum tertia interrogatione congemuit. Per id quo que à domino poſt tertiam tentationis infirmitatem, paſce oues meas, ter
Als *meruit *meritus audire, qui in cunctorum Apoſtolorum ſilentio dei filium reuela tione patris intelligens ultra humanæ infirmitatis modũ, ſupereminentem beatæ fidei ſuæ confeſſione locum promeruit. In quam nunc interpretan dæ uocis ſuæ deducimur neceſſitatem? Ille confeſſus eſt Chriſtum filium dei. At mihi tu hodie noui apoſtolatus mendax ſacerdotium ingeris Chri ſtum ex nihilo creaturam. Quam uim affers dictis glorioſis? filiũ dei con feſſus, ob hoc beatus eſt. Hæc reuelatio patris eſt, hoc eccleſiæ fundamen tum eſt, hæc ſecuritas æternitatis eſt, hinc regni cœlorũ habet clauem, hinc terrena eius iudicia cœleſtia ſunt. Sacramentũ occultatum à ſeculis per reue lationem didicit, fidem locutus eſt, naturam enunciauit, dei filiũ confeſſus eſt. Hoc qui creaturam dei potius confitens negat, prius eſt ut neget Petri apoſtolatum, fidem, beatitudinem, ſacerdotium, martyrium, & poſt hæc ſe alienũ à Chriſto eſſe intelligat, quia Petrus eum filium dei confeſſus hæc meruit. An ne ô miſer quiſquis hodie es, ô hæretice beatiorem Petrũ futu rum fuiſſe exiſtimas, ſi dixiſſet: Tu es Chriſtus perfecta dei creatura, & ſu pereminens facturis omnibus factura, & qui ex nihilo cœpiſti eſſe, & per bonitatem dei qui bonus ſolus eſt, nomen filij adoptione meruiſti, & quia nõ ex deo es natus? Et quæro à te quid auditurus fuerit hæc dicens, qui au dita paſſione reſpondens: Propicius tibi dominus, non erit iſtud, audierit ſibi dici: Vade retro poſt me ſatanas, ſcandalũ mihi es? Nec Petro tamen humana ignorantia proficit ad crimen. Nõ enim ei pater adhuc omne paſ ſionis myſteriũ reuelauerat. Sed fides parua ſententiã damnationis exce pit. Cur igitur non hanc confeſſionis fidem pater Petro reuelauit, creaturã ſcilicet & adoptionem? Inuidit credo hic Petro deus, ut in tempora poſteri ora diſſimulans, hæc nunc nobis uobis prædicatoribus reſeruaret. Sit ſanè fides alia, ſi aliæ claues regni cœlorũ ſunt. Sit fides alia, ſi eccleſia alia eſt fu tura, aduerſum quam portæ inferi nõ præualebunt. Sit fides alia, ſi erit ali us apoſtolatus ligata & ſoluta per ſe in terra, ligans in cœlo atq; ſoluens. Sit fides alia, ſi Chriſtus filius dei alius præter c̃p̃ qui eſt, prędicabitur. Sin uero hæc ſola fides confeſſa Chriſtũ dei filiũ omnium beatitudinum glo riam meruit in Petro, neceſſe eſt ut ea quæ creaturã potius ex nihilo confi tebitur, claues regni cœlorũ non adepta, & extra fidem ac uirtutem apoſto licam cõſtituta, nec eccleſia ſit ulla, nec Chriſtus. Proferamus itaq; omnes Apoſtolicæ fidei profeſſiones, in quibus dei filiũ confitentes non adoptio nis in eo nomen, ſed naturæ proprietatem cõfitentur, neq; creationis in eo ignobilitatem, ſed natiuitatis gloriam proteſtatur. Loquatur Ioannes ſic uſq; ad aduentum domini manens, & ſub ſacramento diuinæ uoluntatis relictis deputatus, dum non neq; mori dicitur & manere. Loquatur ergo

ſua

ſua,ut ſolet,uoce:Deum nemo uidit unquam,niſi unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris. Naturæ fides non ſatis explicata uidebatur ex nomine filij, niſi proprietatis extrinſecus uirtus per exceptionis ſignificantiam addere/tur.Præter enim filium & unigenitum nihil cognominans ſuſpitionem pe/nitus adoptionis execuit,cum ueritatem nominis,unigeniti natura præſta/ret.Nondũ quæro quid ſit,qui eſt in ſinu patris,habet interrogatio iſta ſu um ordinem: quæro quid ſignificatio iſta unigeniti ſibi poſtulet,& uidea/mus an hoc ſit,quod tu eſſe profiteris,id eſt,creaturã dei perfectam,ut per fecta pertineat ad unigenitum,creatura uero referatur ad filiũ. Sed deum unigenitum filium Ioannes dixit,nõ creaturam perfectã. Non enim igno/rauit hæc blaſphemiæ nomina dicens: Qui eſt in ſinu patris. Et à domino ſuo audiens:Sic enim dilexit mundũ deus,ut filium ſuum unigenitum da/ret,ut omnis qui credit in eum non pereat,ſed habeat uitam æternam.De/us mundum diligens, hoc dilectionis ſuæ in eum teſtimonium protulit,ut unigenitum filium ſuum daret.Si dilectionis hinc fides eſt,creaturam crea turis præſtitiſſe,& pro mundo id quod mundi eſt dediſſe, & ad ea quæ ex nihilo ſunt ſubſtituta redimenda,eũ qui ex nihilo ſubſtitit præbuiſſe, non facit magni meriti fidem uilis & ſpernenda iactura. Precioſa autem ſunt quæ cõmendant charitatem,& ingentia ingentibus æſtimantur.Deus dili/gens mundũ filium non adoptiuum,ſed ſuum,ſed unigenitum dedit*Hinc pietas eſt,natiuitas eſt,ueritas eſt,non creatio eſt,non adoptio eſt,non fal/ſitas eſt.Hinc dilectionis & charitatis fides eſt,mundi ſaluti & filium & ſu/um & unigenitum præſtitiſſe,prætermitto omnes de filio nuncupationes. Non eſt damnoſa diſſimulatio,ubi de copia eſt electio. Rei profectus ſem per ex cauſa eſt, & omne opus manifeſtam habet ſuſcepti negocij neceſſi/tatem.Scribens utiq; Euangeliſta, ſcribendi afferre debuit rationem, & ui/deamus quam oſtenderit dicens: Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis quo/niam Ieſus eſt Chriſtus filius dei.Scribendi igitur euangelij non aliam prę tulit cauſam,quàm ut omnes crederent Ieſum eſſe Chriſtum filium dei. Si ſufficit ad ſalutem Chriſtum credere,cui adiecit filium dei? Si uero Chri/ſtum credere ea demum fides eſt,non Chriſtum tantummodo, ſed Chri/ſtum filium dei credidiſſe:nõ eſt nomen filij in Chriſto unigenito deo ex adoptionis conſuetudine, quod proprium eſt ad ſalutem. Si ergo ſalus in confeſſione nominis eſt, quęro cur in nomine ueritas nõ ſit? quòd ſi in no mine ueritas eſt,qua autoritate creatio eſſe dicitur, cum nõ creationis con/feſſio ſalutẽ ſit præſtitura,ſed filij? Hæc igitur ſalus uera eſt, hoc perfectæ fidei meritum,Ieſum Chriſtum filium dei credidiſſe. Non enim eſt in no/bis dilectio ad deũ patrẽ,niſi per filij fidem. Et audiamus eum per epiſto/lam loquentem:Omnis qui diligit patrem,diligit eum qui ex eo natus eſt. Quid eſt ergo ex eo naſci? Nunquid id ipſum eſt quod per eũ creari? Aut

Al's bic pie/tas eſt

Neceſſe ẽ cre/dere Chriſtũ eſſe filiũ dei

cur Euangeliſta mentitur,ut ex eo natum dicat,quem per eum creatũ poti/ us hæreticus doceat? Et audiamus omnes quis ſit hic doctor. Dictũ nanq; eſt:hic eſt antichriſtus,qui negat patrem & filiũ. Quid ais tu aſſertor crea/ turę,& de non extantibus Chriſti nouus conditor? Si profeſſionem tenes, profitentis nomen recognoſce. An cum creatorem & creaturam patrem & filium prædicabis,per aſſimulatas nominum uoces excludere te poſſe cre/ dis,ne eſſe antichriſtus intelligaris? Si in fide tua per naturam pater eſt,& per naturam filius eſt,maledicus ego ſum,opprobrium in te alieni referens nominis. Sin uero ſimulata omnia ſunt,& potius nũcupata quàm propria, fidei tuæ ab Apoſtolo diſce cognomen,& audi quæ ſit crediti filij fides,ſe/ quitur enim:Qui negat filium,nec habet patrem,qui confitetur filium,& fi lium habet & patrem. Negans filium,caret patre. Confitens filium atq; ha bens habet & patrem. Quæro hic quid adoptiua nomina loci habeant. Nunquid non naturę res iſta omnis eſt? & quàm naturæ res ſit accipe. Ait enim idem: Quia ſcimus quòd filius dei uenit, & concarnatus eſt propter nos,& paſſus eſt,& reſurrexit à mortuis,aſſumpſit nos & dedit nobis intel lectum optimum,ut intelligamus uerum, & ſimus in uero filio Ieſu Chri/ ſto,hic eſt uerus deus & uita æterna & reſurrectio noſtra. O infelix intelli/ gentia, & ſpiritu dei carens, & in antichriſti ſpiritum ac nomen proficiens, & neſciens ad ſacramentũ ſalutis noſtræ dei filium ueniſſe. Ac per hoc in/ digna optimæ huius intelligentiæ ſenſu,creaturæ potius adoptiuũ nomen quàm uerum filium dei Ieſum Chriſtum eſſe confeſſa. Quibuſnam hoc ar canorum myſteriorum ſecretis edocta es? uel quis hodie nouus huius ſci/ entiæ tuæ autor eſt? An ne ſecreto tibi hoc per familiaritatẽ amoris recum/ benti in pectus ſuum dominus oſtendit? aut ſolus ad crucem ſequens in/ ter cætera ſuſcipiendæ tibi in matrẽ Mariæ præcepta,hæc quoq; in illa ſpe cialis in te amoris cõteſtatione didiciſti? uel ad ſepulchrũ prior quoq; Pe/ tro currens adeptus es? uel intra cõſeſſus angelorũ & ſignatorũ librorum inſolubiles nexus,& ſignorum cœleſtium multiformes poteſtates,& noua rum atq; incõprehenſibilium cantionum hymnos ſempiternos tam pia ti/ bi hæc per agnum ducem reuelata doctrina eſt,ne pater pater ſit, ne filius filius ſit,ne natura natura ſit,ne ueritas ueritas ſit? Hæc eñ apud te omnia demutantur in falſa. Apoſtolus conceſſa ſibi optima intelligentia uerũ dei filium dicit,tu affirmas creationem,tu prædicas adoptionem, tu negas na/ tiuitatem,& cum hic uerus dei filius nobis ſit, & uita æterna & reſurrectio, nec uita æterna eſt ei,nec reſurrectio,cui ille nec uerus eſt. Et hæc quidẽ Io/
Als ex perſe cutore* annes diſcipulus à domino dilectus. Sed nihil ab his diſſimile * executor Apoſtolus & uas electionis prædicauit. Quis enim ſermo eius nõ ſub filij confeſſione eſt? Quę epiſtola non de ſacramẽto ueritatis ipſius cœpta eſt? in quo nomine nõ proprietatis ſignificatio eſt?. Cũ enim dicit: Recõciliati

ſumus

ſumus deo per mortem filij ſui. Et rurſus: Deus filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati. Et rurſum: Fidelis deus per quē uocati eſtis in communionem filij eius. Quid hic hæreticorū furto loci relictum eſt? Filius ſuus eſt, filius eius ſit, non adoptio eius eſt, non creatura eius eſt. Nomen naturam loquitur, ueritatem proprietas enunciat, fidem confeſſio teſtatur. Non intelligo quid addi poſſit ad naturam filij q̄ quòd filius eius eſt, qui eſſe pater creditur. Nō incerta & infirma ille, qui electionis eſt uas, locutus eſt. Nec magiſter gentiū, & Apoſtolus Chriſti ambiguæ doctrinæ ſuæ errorem reliquit. Scit qui ſint adoptionis filij, & qui hoc eſſe ac nūcupari per fidem meriti ſunt, ait nanq̄: Quotquot enim ſpiritu dei agūtur, hi filij ſunt dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater. Fidei noſtræ per ſacramentum regenerationis hoc nomen eſt, & profeſſio noſtra nobis præſtat adoptionem: filios enim dei, opera ſecundū ſpiritū dei geſta cōnuncupant, & clamat' à nobis potius abba pater, q̄ ex naturæ manet proprietate, quia extra naturæ proprietatem eſt uocis officiū, & dici atq̄ eſſe non idem eſt. At uero quæ de filio dei Apoſtoli fides ſit intelligamus. Nam cum omnem habuit ad eccleſiæ doctrinā ſermone, nunc̄ patrem ſine filij cōfeſſione loqueretur, tamen ut ueritatem nominis huius quanta poſſet humani ſermonis ſignificatione monſtraret, ait: Quid ad hęc? Si deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio ſuo nō pepercit, ſed tradidit eum pro nobis. Nunquid nam etiā nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis eſt nomen? Apoſtolus enim uolens charitatē erga nos dei oſtendere, ut magnificentia dei dilectionis ex comparationis genere noſceretur, non pepercisſe deum proprio filio ſuo docuit. Neq̄ utiq̄ pro adoptandis adoptiuo, neq̄ pro creatis creaturæ, ſed pro alienis ſuo, pro connuncupandis proprio. Quære uirtutem dicti, ut magnitudinem charitatis intelligas. Quid ſit proprium expende, ne ignores ueritatem. Nunc enim Apoſtolus ad Romanos proprium ait filium, cum in multis uel ſuum, uel eius ſæpe dixiſſet. Et q̄uis multi codices per translatorum ſimplicem intelligentiam, in hoc loco pro proprio filio, ſuo filio, conſcriptū habeant, tamen Græcitas, qua lingua Apoſtolus eſt locutus, proprium nunc magis quàm ſuum nuncupat. Et licet communis intelligentiæ ſenſu nō ſatis inter propriū & ſuum differat, uerum Apoſtolus cum in cæteris dictis ſuum commemoraſſet filium, quod eſt Græce: τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν: tamen in hoc loco ſecundū quod ait, ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο. Qui proprio filio ſuo non pepercit, naturæ ueritatem ſignificanter expreſſit, ut qui ſuperius filios plures per ſpiritum adoptionis demōſtraſſet, nunc unigenitū deū filium proprietatis oſtenderet. Non eſt humanus hic error, neq̄ in negādo dei filio uitiū eſt ignorantiæ, ubi ignorari nō licet quod negatur. Creatura ex nihilo ſubſiſtens, dei

filius dicitur,hoc ſi nec pater locutus eſt,nec filius teſtatus eſt, nec Apoſtolus prædicauit,tamen audere eloqui, hoc eſt Chriſtum non ignorare tantummodo,ſed odiſſe.Cum enim pater de filio ſuo dicat: Hic eſt filius meus,& filius de ſe dicat:Qui tecū loquitur,ipſe eſt, & Petrus confiteatur: Tu es filius dei,& Ioannes teſtetur:Hic uerus eſt,ſed Paulus nō deſiſtat prędicare de proprio,non intelligo aliud q̄ negandi eſſe odiū,ubi imperitiæ error non excuſatur in crimine.Loquitur hæc interim,loquitur planè per aduentus ſui prophetas ac prę uios ipſe ille, qui poſtea erit in antichriſto locuturus,ſalutarem fidei confeſſionē his tentamentis nouis inquietans, ut primum conſcientiæ noſtræ,qua ita credimus,intelligentiā filij naturalis euellat,deinde ipſum illud quod adoptiuū erit,reliquū nomen excludat. Nam cum quibus creatura eſt Chriſtus, neceſſe eſt ut cum his antichriſtus ipſe ſit Chriſtus,quia & filij proprietatē creatura nō habeat,& dei ſe ille filium mentiatur,& per hoc à quibus hic dei filius iam negatur,ab his tunc Chriſtus ille credatur. Quas oro ſpes inanis furor expetis?& qua ſalutis tuæ fiducia creaturā eſſe Chriſtum potius q̄ filium blaſphemo ore contendis? Oportuerat te ex euangelijs noſſe ac tenere fidei huius ſacramentū. Nam cum dominus poſſet omnia, tamen in uno quoq; eorum qui orabant operationis ſuæ effectum,meritum uoluit eſſe confeſſionis. Neq; enim ei uirtutem,quia deus uirtus eſt,cōfeſſio orantis addebat,ſed fidei erat præmium, hoc mereri.Nanq; cum Martham rogantem pro Lazaro interrogaret,an eos qui in ſe credidiſſent,mori non crederet in æternum, at illa conſcientiæ ſuæ fidem elocuta eſt dicens:Vtiq; domine,ego credidi,quia tu es CHRISTVS filius dei uiui, qui in hunc mundum ueniſti. Confeſſio hæc æternitas eſt,& fides iſta non moritur. Martha deprecans fratris ſui uitam, interrogata an ita crederet, credidit ita. Quam rogo uel à quo uitam expectat hoc denegans,cum ſola ſit uita ſic credere?Magnum eſt enim huius fidei ſacramentum,& perfecta confeſſionis iſtius beatitudo eſt,& cæco à natiuitate dominus uiſum indulſerat, & naturæ damnum naturæ dominus exemerat,& quia cæcus hic ad gloriam dei natus fuerat, ut in Chriſti opere dei opus poſſet intelligi,non expectata ab eo fuit fides cōfeſſionis. Sed qui in receptis oculis autorem ſibi tanti muneris neſciebat, meruit hoc poſtea, ut fidem diſceret. Non enim cæcitatis depulſio uitæ æternitatem afferebat. Ob quod dominus iam ſanum, & de ſynagoga eiectum interrogat dicens: Tu credis in filium dei? Ne damnum ſibi putaret eſſe, ſe carere ſynagoga,cui immortalitatem fides hæc confeſſa redhiberet.Et cum ille incertus etiam nunc reſpōdiſſet. Quis eſt domine,ut credam in eum?Ignorationem eius,quem poſt oculorum recuperationem tantę fidei intelligentia munerabatur, nolens manere, ita ait: Et uidiſti eum,& qui loquitur tecum,ipſe eſt.Nunquid ab hoc ſicut à cæteris dominus, qui orabant ſanita-

tes

tes,cõfeſſionem ꝛidei ad ſalutem merendam popoſcit? Non utiq;.Nam hæc iam ad cæcum uidentem locutus eſt,ſed ob id tantum, ut reſponderet ille: Credo domine. Quia reſponſionis fides non cæcitatis ſanitatem eſſet allatura,ſed uitæ.Et uirtutẽ dicti huius diligenter retractemus. Interrogat dominus:Tu credis in filium dei? Si utiq; ſola Chriſti qualiſcunq; confeſſio,fidei eſſet conſummatio,dictum fuiſſet:Tu credis in Chriſtũ?Sed quia hæreticis penè omnibus hoc nomen in ore eſſet futurũ,ut Chriſtum confiterentur,& filium tamen negarẽt,id quod Chriſto proprium eſt ad fidem poſcit,id eſt,ut credatur in dei filiũ. Credidiſſe aũt in dei filium quid profi/cit,ſi credatur in creaturam,cum à nobis fides in Chriſto non creaturæ dei filij dei poſtuletur? An ne huius nominis proprietatẽ dæmones neſcierũt? Dignum enim eſt hæreticos*non iam Apoſtolicis doctrinis,ſed dæmonũ clamore conuinci.Clamant enim & ſæpe clamant:Quid mihi & tibi eſt Ieſu fili dei altiſſimi?Inuitis ueritas elicuit confeſſionẽ, & naturæ poteſtatem teſtatur dolor obediendi.Virtute uincuntur, cum poſſeſſa diu corpora deſerunt:honorẽ reddunt,dum naturam confitentur. Dei ſe inter hæc filium Chriſtus & opere teſtatur & nomine. Vnde tibi inter iſtas confitentiũ dæmonum uoces ô hæretice præſumis nomen creaturæ & indulgentiam adoptionis? Quid ſit Chriſtus ab his ſaltem qui neſciũt diſce,ut impietatem tuam ipſa illa ignorantium neceſſaria profeſſio arguat. Nanq; cum Iudæi Chriſtum corporeum neſcirent, ſcirent tamen eum qui Chriſtus eſſet, eſſe filiũ dei, cum falſis aduerſus eum teſtibus ſine ulla ueritatis aſſertione uterent, ſacerdos eum ita interrogat:Tu es CHRISTVS filius dei benedicti? Sacramentum neſcientes, naturam tamen non ignorant. Neque interrogant an CHRISTVS filius dei ſit, ſed an hic ſit CHRISTVS filius dei. Error in homine eſt, non in dei filio.Nam non quod CHRISTVS dei filius ſit ambigitur, atque ita dum interrogatur an hic ſit, tamen quòd CHRISTVS ſit dei filius non negatur. Et qua tandem rogo tu iſtud fide denegas,quod ne ipſi quidem negant qui neſciunt? Cum enim perfecta ſcientia ſit, CHRISTVM dei filium ante ſecula manentem,etiã ex uirgine natum noſſe,ipſi quoque qui de Maria natum neſciunt, dei tamen filium eſſe non neſciunt. Et uide in quod te negando filium dei, Iudaicæ impietatis conſortium miſcuiſti. Quam enim illi damnationis in eum cauſam detulerint teſtantur dicentes: Et ſecundum legem debet mori, quoniam filium dei ſe fecit.An ne non hoc etiam impiæ tuæ uocis opprobrium eſt,cur ſe filium dei dicat,quem tu aſſeris creaturam? Ille dei confitendo ſe filium, reus mortis ab his iudicatur:tu eum dei filium negando, quæro quid iudices? Profeſſio enim eius ita Iudęis ut tibi diſplicet.Interrogo an diuerſæ ab eis ſententiæ maneas,à quibus non diuerſus ſis uoluntate. Eadem enim filium dei eum eſſe impietate tu negas. Illi tamen eo crimine minore quod

Additũ in uno.Nã etiam dæmones confiterentur qꝫ hæretici negant

neſciunt. Neſciunt enim de Maria Chriſtum, ſed Chriſtum dei filium eſſe non ambigunt. Tu quia Chriſtum non potes neſcire de Maria, Chriſtum tamen dei filium eſſe non prædicas. Illis in eo quod neſciunt, poteſt adhuc in tuto ſalus eſſe ſi credant: tibi iam omnia clauſa ſunt ad ſalutem, qui negas quod ignorare iam nō potes. Non enim ignoras eſſe filium dei, uſque adeo ut adoptionis nomen indulgeas, ut creaturam cōnuncupandam filium mentiaris. Naturam autem, quātum in te eſt, auferens, auferres quoq; ſi tibi liceret & nomen: ſed quia id non licet, naturā nominis non relinquis, ne quod filius dicitur, uerus dei filius ſit. Habueras in cōfeſſione eorum* ut crederes, quibus deſæuiente uento turbato mari, in uerbi iuſſu erat reſtituta tranquillitas, ut & tu uerum dei filium confitereris, & eorū uoce utereris: Vere filius dei eſt. Sed te ſæuiens ſpiritus in naufragiū uitæ rapit, & mentis tuæ motibus tanc̄ fluctuoſo mari incumbens procella dominatur. Si tibi hæc nauigantiū ex eo incerta fides uidebitur, quia exiſtimabitur eſſe Apoſtolorum, mihi tamen & ſi minus præſtat admirationis, plus tamen affert autoritatis. Veruntamen etiam gentium in eo fidem ſume, audi enim inter ſæuas crucis cuſtodias Romanæ cohortis edomitum ad fidem militē. Loquitur nanq; cōſpectis tantæ uirtutis operibus cēturio: Vere dei filius erat iſte. Hoc poſt emiſſum ſpiritum, diſſciſſum templi uelum, & mota terra, & ſciſſa ſaxa, & ſepulchra patentia, & mortui reſurgentes teſtantur, & homo gentilis perfidiæ confitetur, uirtutis naturam agnoſcit in geſtis, naturæ ueritatem profitetur in nomine. Tanta ratio ueritatis, & tanta uis fidei eſt, ut uincat uoluntatem ueri neceſſitas, & Chriſtum dominum gloriæ æternæ uere dei filium eſſe, nec qui crucifixerat denegaret.

Vt crederes in uetuſtiſſimo codice non erat

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER SEPTIMVS

SEptimus hic nobis aduerſum nouę hęreſeos uęſanam temeritatem liber ſcribitur, cæteris quidē anterioribus numero poſterior, ſed ad perfectæ fidei ſacramentum intelligendū aut primus aut maximus, in quo nō ignoramus c̄ difficile aut arduum iter doctrinæ euangelicæ ſcandamus. A quo quamuis conſcientiæ infirmitatis noſtrę trepidatione reuocemur, tamen fidei ęſtu incitati, & hæreticorum furore commoti, & periculo ignorātium perturbati, qui loqui non audemus, ſilere non poſſumus: utriuſque diſcriminis metui ſubditi, ne deſtitutę ueritatis rea in nobis ſit aut taciturnitas aut prędicatio. Incredibilibus etenim ſe corrupti ingenij artibus hęretica ſubtilitas circumegit

egit,primum ut fingeret religionem, deinde ut omniũ ſimplicium aurium ſecuritatem uerbis falleret, tum præterea ut ſe prudentiæ ſeculi coaptaret, poſtremo ut ueritatis intelligentiam per ſpeciem æditæ rationis auerteret. Nam proteſtata deum unum,mentita pietatem eſt. Profeſſa rurſus dei filium,audientes fefellit in nomine.Dicens etiam non fuiſſe antequam naſceretur,mundi ſapientiæ ſatisfecit.Indemutabilem quoq; & incorporeum deum confitens,natiuitatem dei ex deo,per demonſtrationem ſubdolæ rationis excluſit, noſtris aduerſum nos uſa doctrinis,& eccleſiæ fide contra eccleſiæ fidem pugnans,grauiſſimo aduerſus nos uel reſponſionis uel ſilentij periculo cõparato,dum per ea quæ non negantur, ea prædicat quæ negantur. Et quidem cæteris ſuperioribus libris admonitos à nobis legentes meminimus,ut totius blaſphemiæ æditionem pertractantes, animaduerterent nihil aliud laborari,q̃ ut dominus noſter Ieſus Chriſtus neq; dei filius,neq; deus eſſe credatur,dum ei conceſſis tantum ex quadam adoptione nominibus, & dei natura negatur & filij, cum & indemutabilis atq; incorporeus deus,ſicuti & eſt,idcirco affirmetur, ne filius natus ex deo ſit, & deus pater ob id tantum in confeſſione deus unus ſit, ne in fide noſtra deus Chriſtus ſit, quia nec natiuitatis intelligentiam natura incorporalis admittat,& dei ex deo fidem unus tantum nobis deus in confeſſione diſſoluat.Sed ſuperioribus iam libellis fallacem eorum hanc atq; inutilem prædicationem ex lege ac prophetis docentes, eam reſponſionis formã tenuimus,quæ in deo ex deo prædicato,& uno ac uero deo profeſſo,neq; in unius ueri dei unione deficeret,neq; ad fidẽ dei alterius excederet, dum neque ſolitarius nobis deus in confeſſione,neq; duo ſunt,& inter hæc unum, neq; negando neq; cõfitendo,fidei conſeruata perfectio eſt,dum & quòd unũ ſunt refertur ad utrunq;,& uterq; nõ unus eſt. Hoc igitur perfectæ fidei indiſſolubile ſacramentũ,euangelicis ac apoſtolicis doctrinis abſolutori,nõ aliud primũ q̃ dei filium ueræ natiuitatis ſubſiſtentem natura,cognitioni audientiũ debuimus intimare,neq; aliunde,neq; ex nihilo,ſed ex deo filium eſſe manifeſtare. Quod quia ſecundum ea quæ anteriori libro ædita ſunt,ambigi nõ poteſt,quin ceſſante adoptionis nomine, uerus filius ex natiuitatis ueritate ſit,eam nunc quoq; ex euangelijs proferimus,ut qui filius uerus eſt,uerus quoq; deus eſſe noſcatur.Quia neq; uerus filius erit, niſi uerus & deus eſt, neq; uerus deus,niſi uerus & filius eſt. Nihil humanæ naturæ grauius eſt periculi cõſcientia. Nam ea quæ aut ignorata aut repentina ſunt,habent quidem*mirabilem ſecuritatem,ſed non habent metũ futuri, quia non ignaro accidentium anxietas ipſa, pœna patiendi eſt. Non ego nunc nauem è portu ſoluo naufragij ignarus, neque iter ineo infeſtos neſciẽs latronibus ſaltus,nec Libyæ arenas incertus ſcorpiões ubiq; & aſpides & baſiliſcos adeſſe tranſcurro.Nihil ſolicitudini meæ, nihil conſcientiæ

Als miſerabilem

uacat

uacat, ſub ſpecula enim omnium hæreticorum ad occaſiones ſingulorum uerborum in os meum pendentiũ loquor, & omnis ſermonis mei iter aut anguſtijs præruptũ eſt, aut foueis inciſum eſt, aut laqueis prætenſum eſt. Iam ſ[illegible]d arduum aut difficile ſit minus conqueror, non meis enim, ſed Apoſtolicis ſcando gradibus. Mihi uero aut anguſtijs decidere, aut in defoſſa incidere, aut plagis illaqueari, ſemper in periculo, ſemper in metu eſt. Prædicaturo enim ſecundum legem & prophetas & Apoſtolos unum de-
Sabellius um, adeſt mihi Sabellius, totum me ſub uerbi huius profeſſione tanq; deſideratum cibum morſu fæuiſſimo tranſuorans. Negãtem me rurſum contra Sabellium unum deum, & confitentem uerum deũ dei filium, expectat me noua hæreſis, ut à me duos deos arguat rædicari. Natum quoq; dei
Hebion Photinus filium ex Maria dicturo Hebion, qui eſt Photinus, aſſiſtit, autoritatẽ mendacij ſui ex profeſſione ueritatis ſumpturus. De cæteris taceo, qui ab omnibus extra eccleſiam eſſe non ignorantur. Hoc uero damnatũ & abiectum licet frequenter, ſed internum hodie adhuc malũ eſt. Impie multos ad uni-
Galatia us dei profeſſionem Galatia nutriuit. Male in totum penè orbem quos ne-
Alexandria gat deos ſuos Alexandria protulit. Peſtifere natum Ieſum Chriſtũ ex Ma-
Pannonia ria Pannonia defendit. Eccleſia inter hæc periclitatur ueritatem non tenere per uera, dum ea ei ad irreligioſitatem ingeruntur, quibus religio confirmatur & perit. Non enim unum deum pie poſſumus prædicare, ſi ſolum: quia non erit dei filius in ſolitarij fide. At uero dei filiũ, ſicut eſt, deum prædicantes, periclitamur fidem dei unius nõ tenere, & eiuſdem periculi res eſt unum deum negare, cuius eſt & ſolitarium cõfiteri. Et hæc quidem mundi ſtulta non ſentiunt, dum his neq; in non ſolo ſignificari unus uidetur, neq; in uno non ſolus intelligi. Sed eam, ut ſpero, eccleſia doctrinæ ſuæ lucem
*Aſs*impudentiæ* etiam*imprudentiæ ſeculi inuehit, ut licet fidei ſacramentum non ſuſcipiat, tamen aduerſus hæreticos ueritatem ſacramenti à nobis intelligat prædicari. Magna enim uis eſt ueritatis, quæ cum per ſe intelligi nõ poſſit, per ea tamen ipſa quæ ei aduerſantur elucet, ut in natura ſua immobilis manens, firmitatem naturæ ſuæ quotidie dum attentatur acquirat. Hoc enim eccleſiæ proprium eſt, ut tum uincat cum læditur, tum intelligatur cũ arguitur, tum obtineat cum deſeritur: omnes quidem illa ſecum atq; intra ſe uellet manere, nec ex tranquilliſſimis ſinibus ſuis aliquos abijcere aut perdere, dum indigni fiunt tantæ matris habitaculo. Sed diſcedentibus ex ea hæreticis uel abiectis, quantũ amittit occaſionis largiendæ ex ſe ſalutis, tantũ aſſequitur ad fidem expetendæ de ſe beatitudinis. Cognoſci enim hoc ex ipſis hæreticorum ſtudijs promptiſſimũ eſt. Nanq; cum à domino eccleſia inſtituta, & ab apoſtolis cõfirmata, una omniũ ſit, ex qua ſe diuerſarũ impietatũ furens error abſciderit: nec negari poſſit ex uitio malæ intelligentiæ, fidei extiſſe diſſidium, dum quod legitur ſenſui potius coaptatur, quàm lectioni

ſenſus

ſenſus obtemperat,tamen dum ſibi partes ſingulæ aduerſantur, nō ſolum ſuis, ſed etiam aduerſantium eſt intelligēda doctrinis, ut dum aduerſus unam eam omnes ſunt,impiſſimū tamen errorem omnium per id quod ſola eſt atq; una confutet.Hæretici igitur omnes contra eccleſiā ueniunt, ſed dum hæretici omnes ſe inuicem uincunt,nihil tamen ſibi uincunt.Victoria enim eorum,eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt,dum in eo hæreſis contra alteram pugnat, quod in hæreſi altera eccleſiæ fides damnat. Nihil enim eſt quod hæreticis commune eſt.Et inter hæc fidem noſtram dum ſibi aduerſantur affirmant.Vnum deum Sabellius prædicat filij natiuitate ſublata,dum per naturæ uirtutem,quæ operata in homine eſt,deū eſſe non ambigit. Sacramento etenim filij ignorato, per geſtorum admirationem fidem ueræ generationis amiſit.Et dum audit: Qui me uidet,uidet & patrē, indiſcretæ & indiſſimilis in patre & filio naturæ impie eripuit unionē, non intelligens,naturalē unitatem ſub natiuitatis ſignificatione monſtrari, cum per id quod in filio pater uidetur,confirmatio diuinitatis ſit, non natiuitatis abolitio. Cognitio itaq; alterius in altero eſt,quia non differt alter ab altero natura.Et in quo nihil differtur,in eo differens cōtemplatio eſt de proprietate naturæ.Nec ſanè ambigi poteſt,quin ex ſe ſpeciem dei formæ,qui in forma dei manebat,oſtenderet.Succedit quoq; ad huius prauæ opinionis ſtultum furorem hoc dictum domini: Ego & pater unum ſumus. Naturæ enim indiſſimilis unitas,irreligioſe ad unionis profecit errorem, & rationem dicti,uirtus ſola intellecta nō tenuit. Non enim ſolitariū ſignificat, ego & pater unū ſumus. Nam cōiunctio ea quæ ſignificat,& patrem,intelligentiam nō admittit unius,& illud quod ſumus,non patitur ſingularem. Hoc uero quod unum ſumus,non natiuitatem adimit,ſed naturam nō diſcernit in genere:dum neq; unum diuerſitatis eſt,nec ſumus,unius eſt.Compinge huius furori præſentium hæreticorum furorem, ut aduerſus Sabellium ſibi adſint.Legiſſe ſe aſſerunt:Pater maior me eſt. Et nihil uel ex natiuitatis ſacramento,uel ex myſterio euacuati à ſe dei, & aſſumptę carnis intelligentes naturæ faciunt diminutionē profeſſione maioris. Contendunt enim aduerſum Sabelliū, filium eſſe eo uſq;,ut & minor patre ſit,& honorem præteritū repoſcat,& mori timeat,& mortuus ſit. Contrà uero ille naturam dei defendit in geſtis, & cum unū deū nouella hæc nunc hæreſis nō negabit,ne filiū deum credat.Sabellius tamen deum unū,ne filius omnino extet,in profeſſione retinebit.Hic filiū operantem ingeret,hic deum in operibus eſſe cōtendet.Hic unū dicet,hic unum deum negabit. Sabellius ſe ita tuebitur dicens:Opera quæ geſta ſunt,præter q̄ dei natura non efficit.Peccatorum remiſſio,curatio infirmitatum,claudorum curſus, cæcorum uiſus, mortuorum uita à deo ſolo eſt.Non alia natura quàm quæ ſui conſcia eſt, diceret:Ego & pater unum ſumus.Quid me in ſubſtantiam alteram rapis? quid

Hæreticorum diſſenſio fidē confirmat

Cōfutatio Sabellij

Quomodo Sabellius & Arriani diſſentiunt

quid in deum alium ſolicitas? Geſta quæ proprie dei ſunt, deus unus hæc geſſit. Clamabunt uero contra hæc, diſſimilem deo patri filium prædicantes non minus ore uipereo. Sacramentum ſalutis tuę neſcis. Credendus eſt filius, per quem ſecula facta ſunt, per quem formatus eſt homo, qui per angelos legem dedit, qui de Maria natus eſt, qui miſſus à patre eſt, qui crucifixus eſt, mortuus & ſepultus eſt, qui de mortuis reſurgēs in dextris dei eſt, qui uiuorum iudex eſt & mortuorum. In hunc renaſcendum eſt, hic confitendus eſt, huius regnum eſt promerendum. Vterq; hoſtis eccleſiæ, res eccleſiæ agit, dum Sabellius deum ex natura in operibus prędicat, hi uero ex ſacramento fidei filium dei confitentur. Iam uero quæ fidei noſtræ uictoria, Hebion, qui Photinus eſt, aut uincit aut uincitur, dum Sabelliū arguit, quur hominem neget filium dei, dum ab Arriomanitis cōfutatur, quur in homine neſciat dei filium, aduerſum Sabellium Euangelia ſibi ex filio Mariæ defendit. Arrius ei Euangelia per ſolū filium Mariæ non relinquit. Aduerſum hunc qui filium negat, homo ab eo uſurpatur in filium. Ad hoc ei qui ante ſecula filium neſciat, filius dei ſolum negatur ex homine. Vincant ut uolunt, quia ſe inuicem uincendo uincuntur, dum & hi qui nunc ſunt, de natura dei confutantur, & Sabellius de ſacramento filij refellitur, & Photinus natum ante ſecula dei filium, uel ignorare arguitur, uel negare. Sed inter hæc eccleſiæ fides euangelicis atq; apoſtolicis fundata doctrinis, & aduerſum Sabelliū tenet filij profeſſionem, & aduerſus Arriū dei naturam, & aduerſus Photinum ſeculi creatorem. Et hoc uerius, quòd hæc ab his inuicem non denegātur. Naturam enim dei in operibus Sabellius prædicat, ſed operantem filium neſcit. Hi uero filium nuncupant, ſed ueritatem in eo naturæ dei non confitentur. Hominē autem Photinus uſurpat, ſed in uſurpato ſibi homine natiuitatē dei ante ſecula ignorat. Itaq; dum unuſquiſq; defendit aut damnat ueritatem fidei noſtræ, hæc ipſa pro ut ſunt, religioſe & defendentes & damnantes oſtendunt. Hæc igitur à me demonſtranda paucis fuerunt, non copiæ ſtudio, ſed ratione cautelæ: primum ut hæreticorum incerta eſſe omnia & erratica noſcerentur, tum quoniam ſibi pro nobis inuicem diſſiderent: tum deinde, ne me horum qui nunc ſunt blaſphemis profeſſionibus obnitentem, & deum patrem ac filium dei deum prædicantem: deinde ut unius nominis atq; naturæ indiſſimili genere diuinitatis, patrem & filium eſſe profitentem, quiſquam aut in duum deorū, ac contra in unici ac ſolitarij dei teneret errore, cum quando neq; unio in prędicato deo patre & deo filio reperiretur, neque ſub indiſcretæ naturæ demonſtratione deorum diuerſitas conueniret. Nunc quia negantibus dei filium à deo ex natiuitatis ueritate ſubſiſtentem, libro ſuperiore ſecundum euangelia reſponſum eſt: demonſtrādum eſt eum, qui uere ex natura filius dei eſt, uere quoq; per naturā deum eſſe, ita tamē, ut neq; ad ſingularem neq;

Photinus ab utroq; diſſentit

Quæ uera ſit fides

Opiniões prædictorū hæreticorum de Chriſto

ad

ad alterum deum fides noſtra depereat, cum neq; unum deum ſit ſic prædicatura quaſi ſolum, neq; quaſi non unum ſit confeſſura, ne ſolum. Deum igitur dominum noſtrum Ieſum Chriſtum his modis nouimus, nomine, natiuitate, natura, poteſtate, profeſſione: ſed de nomine nihil puto ambigui tatis remanſiſſe. Legimus enim: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Quid calumniæ eſt, quur non ſit quod nuncupatur? Aut nunquid nomen nō naturæ ſignificatio eſt? Et quia contradictio omnis ex cauſa eſt, nunc hic negandi dei quæro cauſam. Simplex namq; nuncupatio eſt, & caret offendiculo adiectionis alienæ. Verbum enim quod caro factum eſt, nihil aliud quàm deus eſt. Non eſt hic deputatæ aut aſſumptæ nuncupationis relicta ſuſpicio, ut ei quod deus eſt, nō ex natura ſit nomen. Reſpice ad cæteras aut deputatiuas, aut aſſumptiuas appellationes. Ad Moyſen dictum eſt: Dedi te deū Pharaoni. Sed nunquid non adiecta nominis cauſa eſt cum dicitur, deum Pharaoni? Aut nunquid dei naturam ei intulit, & non potius in eum qui metueret terrorem, cū dracones magicos draco Moyſi mox uirga manens, deuorat? cum cynomyiam quam immiſerat abigit? cum grandinem poteſtate qua euocauerat auertit? cum locuſtas ea uirtute qua inuexerat repulit? cum in operationibus eius Magi confitentur digitum dei eſſe? Sic Moyſes Pharaoni deus datus eſt, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur. Et aliud eſt deum dari, aliud eſt deum eſſe. In Pharaonem enim deus datus eſt, cæterum nō ei eſt & natura, & nomē, ut deus ſit. Memini quoq; & alterius nuncupationis, ubi dicitur: Ego dixi, dij eſtis. Sed in eo indulti nominis ſignificatio eſt: & ubi refertur, ego dixi, loquentis eſt potius ſermo, quàm rei nomen, quia rei nomen intelligentiam rei affert: cæterū uoluntas appellationis ex alio eſt. Et ubi ſe nuncupationis autor oſtendit, ibi per ſermonē autoris eſt nuncupatio, non naturale nomen in genere. At uero hic uerbum deus eſt, res exiſtit in uerbo, uerbi res enunciatur in nomine. Verbi enim appellatio in dei filio, de ſacramento natiuitatis eſt myſteriū, ſicuti ſapientiæ & uirtutis eſt nomen, quæ cum in dei filium cum ſubſtantia ueræ natiuitatis extiterint, deo tamē ut ſua propria, quamuis ex eo in deū ſint nata, non deſunt. Non enim, ſicut frequenter dictum à nobis eſt, dei naturam diuiſam eſſe aſſerimus in filio, ſed natiuitatis ſacramentum prædicamus. Nec ſeparatio fuit imperfecta, ſed progenies perfecta, quia natiuitas nō habet detrimentum generandi, cum profectū teneat naſcendi. Et idcirco earum rerum unigenito deo aptata cognomina ſunt, quæ cum eum ſubſiſtentem ex natiuitate conſumment, tamen patri non deſint ex indemutabilis uirtute naturæ. Vnigenitus enim deus & uerbum eſt, ſed innaſcibilis pater nunquam omnino ſine uerbo eſt. Non quòd prolatio uocis natura ſit filij, ſed ex deo deus, cum ueritate natiuitatis ſubſiſtens, ut à patre proprius, & per

Chriſtus eſt deus nomine, natiuitate, natura, poteſtate, & profeſſione

naturæ indifferentiam inſeparabilis doceretur,ſignificatus in uerbo eſt.Si/cut Chriſtus ſapientia & uirtus eſt dei,non ille ut intelligi ſolet internæ po teſtatis, aut ſenſus efficax motus,ſed natura tenens per natiuitatẽ ſubſtan/tiæ ueritatem,his internarum rerum ſignificata nominibus eſt. Non enim id quod naſcendo ſubſiſtit,poteſt id ipſum uideri eſſe quod unicuiq; ſem/per internum eſt. Sed ex æterno deo patre unigenitus filius in ſubſiſtentẽ deum natus, ut non alienus eſſe à natura paternæ diuinitatis poſſet intelli/gi,per hæc proprietatũ nomina ſubſiſtens oſtenſus eſt,quibus,ex quo ſub ſtiterat,non carebat.Deus igitur qui eſt,non eſt aliud quàm deus.Nam cũ audio:Et deus erat uerbum,non dictum ſolum audio uerbum, ſed demon ſtratum intelligo eſſe quod eſt, quia nõ ſicuti ſuperius in Moyſe deo, & in cognominatis diis per appellationem nomen adiectum ſit. Hic autem res ſignificata à ſubſtantia eſt, cum dicitur: Deus erat. Ecce enim non eſt acci/dens nomẽ,ſed ſubſiſtens ueritas,& manens cauſa,& naturalis generis pro prietas. Et uideamus an hanc Euangeliſtæ prædicationem, apoſtoli Tho/

Thomas mæ confeſſio conſequatur,cũ ait:Dominus meus,& deus meus. Deus igi/tur ſuus eſt,quem deum confitetur,& certe dictum non ignorabat à domi no:Audi Iſrael.Dominus deus tuus,deus unus eſt. Et quomodo apoſtoli/ca fides principalis immemor eſt facta mandati,ut deum Chriſtum confi/teretur, cum in unius dei eſſet confeſſione uiuendũ? Sed apoſtolus totius ſacramenti fidem per uirtutem reſurrectionis intelligens, cum frequenter audiſſet:Ego & pater unum ſumus,&: Omnia quæ patris ſunt, mea ſunt. &:Ego in patre, & pater in me, iam ſine fidei periculo naturæ nomen con/feſſus eſt. Quia ab unius dei patris profeſſione religio nõ excederet deum confeſſa dei filium, cum in filio dei non niſi paternæ naturæ ueritas crede/retur, neq; ſub alterius dei impia confeſſione fides naturæ periclitaretur unius,quia non alterius dei naturam perfecta dei natiuitas attuliſſet. Veri/tatem igitur Euangelici ſacramenti Thomas intelligens, dominum ſuum,

Deus aliquan do honoris nomen eſt & deum ſuum eſſe confeſſus eſt. Non hic honoris eſt nomen, ſed naturæ confeſſio eſt:rebus enim ipſis atq; uirtutibus deũ credidit, & dominus pro feſſionis huius religionem,non honoris eſſe docuit,ſed fidei,dicens: Quia uidiſti me credidiſti, beati qui non uiderunt & crediderunt. Videns enim Thomas credidit, ſed quid credidit quæris. Et quid aliud credidit quàm profeſſus eſt: dominus meus & deus meus? Reſurrexiſſe enim per ſe ex mortuis in uitam,niſi natura dei non potuit, & creditæ religionis fides hoc eſt profeſſa, quod deus eſt. An ne ergo nomen dei non naturæ res exiſti/mabitur, cum profeſſio nominis fidem naturæ creditæ ſit ſequuta? Nam utiq; religioſus filius, & qui non uoluntatem ſuam, ſed eius qui ſe miſerat, faceret: & qui non honorem ſuum,ſed eius à quo uenerat,quæreret, hono/rem huius in ſe nominis recuſaſſet,ne quod ipſe unum prædicauerat,ſolue

retur

retur, ſed ueræ & apoſtolicæ fidei myſterium confirmans, & naturæ in ſe paternæ nomen agnoſcens, beatos eſſe docuit, qui cum ſe reſurgentem à mortuis non uidiſſent, deum tamen per reſurrectionis intelligentiam crediſſent. Nomen igitur naturæ, fidei noſtræ nō deſerit profeſſionem. Nomen enim quod rem unamquanq; ſignificat, rem quoq; eiuſdem generis oſtendit. Et iam nō res duæ ſunt, ſed res generis eiuſdem eſt. Filius namq; dei deus eſt, hoc enim ſignificatur ex nomine. Non duos deos cōnumerat unum nomen, quia unius atq; indifferentis naturę unum deus nomen eſt. Cum enim & pater deus eſt, & filius deus eſt, & proprium naturæ diuinæ nomen in utroq; ſit, uterq; unum ſunt. Quia cum ſubſiſtat filius ex natiuitate, naturæ unitatem conſeruat in nomine, nec ad profeſſionē duūm deorum natiuitas filijs credentium fidem cogit, quæ patrem & filium ut unius naturæ, ita unius profitetur & nominis. Eſt itaq; deo filio nomen ex natiuitate, hic enim nobis ſecundus ad demonſtrationem gradus eſt, ut deus ſit ex natiuitate. Quanquam mihi adhuc de proprietate nominis ſuperſit apoſtolica autoritas, ſed interim Euangelicū placet tractare ſermonem. Et primo quæro, quam natiuitas filij naturæ nouitatem potuerit inferre, ne deus ſit? Intelligentię iſtud humanę ſenſus excludit, ut aliquid à natura originis ſuæ naſcendo diuerſum ſit, niſi fortè quod ex naturarum diuerſitate conceptum nouum aliquid* in ſe, & ita ſit generis utriuſq;, quod neutrū ſit, ueniat in uitam, quod in pecoribus ac beſtijs uſitatum eſt: ſed ea ipſa nouitas non ineſt, niſi ex cognatis proprietatibus ſub diuerſitate naturæ, & diuerſitatem eorum natiuitas non intulit, ſed accepit, dum id tenet, quod ex utroq; ſibi unum eſt. Et cum hæc in his corporalibus cauſis & paſſionibus ita ſint, quis rogo furor eſt, natiuitatē unigeniti dei ad degenerem ex deo referre naturam, cū natiuitas nominis ex proprietate naturæ ſit? & iam natiuitas non erit, ſi proprietas naturæ in natiuitate nō inerit. Hinc ille omnis æſtus & furor eſt, ut in filio dei non natiuitas ſit ſed creatio, ut nō naturæ ſuæ originem ſubſiſtens teneat, ſed alienam à deo de nō extantibus ſumat. Quia ſecundum quod ait: Quod de carne naſcitur caro eſt, & quod de ſpiritu ſpiritus eſt, quia deus ſpiritus eſt, nō ambiguum ſit naſcenti diuerſum atq; alienum aliquid ab eo, ex quo natum ſit, nō ineſſe. Natiuitas igitur dei deū perficit, ut deus nō cœptus intelligatur eſſe, ſed natus: quia & cœptum eſſe poteſt nō idipſum eſſe quod naſci, dum omne cœptum aut ex nihilo in aliquid exiſtit, aut ex alio in aliud proficit, & deſinit, ut ex terra aurū, ut ex aquis animantia, ut ex inanimis uiuentia, ut ex ſolidis liquida, ut ex frigidis feruentia, ut ex albis punicea. Dei autē filius neq; ex nihilo deus cœpit eſſe, ſed natus eſt, neq; aliud aliquid fuit anteq; deus eſſet. Atque ita qui in deū natus eſt, nec cœpit quod deus, nec quod deus eſt profecit. Tenet itaq; natiuitas eam ex qua ſubſiſtit naturam, & filius dei non aliud quàm quod

Secundus gradus, oſtendere filiū eſſe deū natiuitate

Fort. inſit, *pro* inſe legendum

deus est subsistit. Aut quisquis hinc ambigit, discat à Iudæis intelligentiam naturæ, uel potius agnoscat ab Euangelio ueritatem natiuitatis, in quo scriptum est: Propter hoc magis quærebant eum Iudæi interficere, quia nõ solum soluebant sabbatũ, sed & quod* propriũ patrem dicebat deum, æqualem se faciens deo. Non nunc, ut in cæteris solet, Iudæorũ sermo ab his dictus refertur, expositio potius hæc Euangelistæ est, causam demonstantis quur dominum interficere Iudæi uellent. Cesset ergo per impietatem blasphemantium uitiosæ intelligentię excusatio, cum per apostoli autoritatem sub significatione natiuitatis, proprietas naturalis ostensa sit. Patrem suum dicebat deum, ęqualem se faciens deo. An ne naturalis natiuitas nõ est, ubi per nomen patris proprij, naturæ æqualitas demonstratur? Non enim ambigitur quin ęqualitas nihil differat. Quis porrò dubitabit, quin indifferentem naturam natiuitas consequatur? Hinc enim est sola illa, quæ uere possit esse æqualitas, quia naturæ æqualitatem sola possit præstare natiuitas. Aequalitas uero nunquam ibi esse creditur, ubi unio est: nec tamen illic reperietur, ubi differat. Ita similitudinis æqualitas, nec solitudinem habet, nec diuersitatem, quia omnis æqualitas, nec diuersa, nec sola sit. Quanq̃ igitur huius intelligentiæ nostræ * iudicia cum humani sensus opinione cõmunia sint, ut & natiuitas naturæ habeat æqualitatẽ, & ubi æqualitas est, neq; alienum à se aliquid possit esse, nec solũ, tamen ex ipsis dictis dominicis huius quoq; sermonis nostri fides affirmanda est, ne temeritas cõtradicendi sub libertate diuersę in hominibus intelligẽtię audeat professionibus diuini de se testimonij contraire. Respondebit enim dominus: Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod uiderit patrem facientem: quæcunq; enim ille facit, eadem & filius facit similiter. Pater enim diligit filiũ, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & maiora horum opera demonstrabit ei, ut uos admiremini. Sicut enim pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Nec enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filiũ sicut honorificant patrem. Qui nõ honorificant filium, nõ honorificant patrem, qui misit illum. Propositionis quidem ordo id exigebat, ut singula quæq; genera singularũ quarumq; causarum pertractarentur, ut quia deum esse dominũ nostrũ Iesum Christũ dei filium, nomine, natiuitate, natura, potestate, professione docuissemus, demonstratio nostra gradus singulos dispositionis propositæ percurreret: sed id natiuitatis natura nõ patitur, quæ in se & nomen, & naturam, & potestatem, & professionẽ sola complectitur. Sine his enim natiuitas nõ erit, quia in se hæc omnia nascendo cõtineat. Hanc igitur tractantes incidimus in eam necessitatem, ut superius commemorata ad ordinem tractatus proprij differre non liceat. Respondens enim dominus ad Iudæos, quòd eum interficere ob hoc magis uellent, quia patrẽ suũ dicens deũ, ęqualem se deo

fecisset

* Alij habent, suum patrem

Als* indicia

feciſſet, omne ſacramentũ fidei noſtræ dum impijs eorum motibus contra dicit, expoſuit. Dixerat enim ſuperius, cum paralytico curato uiolati ſabbati reus, etiam mortis iudicio cõſtitueretur: Pater meus uſq; adhuc operatur, & ego operor. Et hinc omnis accendebatur inuidia, quòd ſe deo exæquaſſet, paterni nominis uſurpatione. Volens itaq; & natiuitatem ſuam confirmare, & naturæ uirtutem profiteri, ait: Non poteſt quicq; à ſe facere filius, niſi quod uiderit patrem facientẽ. Exordiũ reſponſionis aduerſus Iudæorum impium motum, per quem uſq; ad uoluntatem inferendæ mortis exagitabantur, aptatum eſt. Nam ad uiolati ſabbati obiectum ſibi reatum dixerat: Pater meus uſq; adhuc operatur, & ego operor. Vt uſurpaſſe hoc ex autoritate intelligeretur exempli, ſignificans tamen hoc quod ipſe ageret, patris eſſe opus intelligendum, quia ipſe in ſe operaretur operante. Et rurſum aduerſum eam inuidiam qua ſe per paternũ nomen deo exæquaſſet, hæc ſubdidit: Amen amen dico uobis, nõ poteſt filius à ſe facere quicq;, niſi quod uiderit patrem facientem. Ne igitur exæquatio illa per nomen naturamq; filij fidem natiuitatis auferret, ait filium à ſe facere nihil poſſe, niſi quod patrem facientem uidiſſet. Et ut maneret ſalutaris in patre & in filio confeſſionis noſtræ ordo, naturam natiuitatis oſtendit, quæ poteſtatẽ efficiendi nõ per incrementa indultarum ad unumquodq; opus uirium ſumeret, ſed de cognitione præſumeret: præſumeret autem nõ aliquo operis corporalis exemplo, ut aliquid prius pater faceret, ad quod poſtea filius facturus eſſet, ſed cum natura dei in naturam dei ſubſtitiſſet, id eſt, ex patre filius natus eſſet, per uirtutis ac naturæ in ſe paternæ conſcientiam, nihil ab ſe, niſi quod patrem facientem uidiſſet, filiũ facere poſſe teſtatus eſt. Et cum unigenitus deus paternæ uirtutis operationibus operaretur, tantũ ſibi ad faciendum præſumeret, quantũ in conſcientia ſua eſſet, inſeparabilem à ſe dei patris, quam per legitimam natiuitatem obtinebat, poſſe naturam. Non enim corporalibus modis uidet, ſed uiſus ei omnis in uirtute naturæ eſt. Deniq; ſubiecit: Omnia enim quæcunq; pater facit, eadem & filius facit ſimiliter. Similiter illud ad ſignificationem natiuitatis adiecit, omnia uero, & eadem, ad oſtendendam naturę ueritatem loquutus eſt. In his enim, quæ, & quæcunq;, & eadem ſunt, nec diuerſitas poteſt eſſe, nec reliquum. Atq; ita in natura eadem eſt, cui eadem omnia poſſe naturæ ſit. Vbi uero ſimiliter per filium eadem omnia fiunt, ſimilitudo operum ſolitudinem operantis excluſit, ut omnia quæ pater facit, eadem omnia ſimiliter faciat & filius. Hæc eſt ueræ natiuitatis intelligentia, & fidei noſtræ, quæ ex naturę diuinę unitate, unius indifferentiſq; diuinitatis ueritatem in patre & in filio cõfitetur abſolutiſſimum ſacramentum, ut eadem faciendo, filius ſimiliter faciat, & ſimiliter faciendo, eadem ſint ipſa quæ faciat: quia ſub una hac ſignificatione teſtentur, & ſimiliter facta natiuitatẽ, & eadem facta naturam. Tenet

Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor

Quæ ſit uera natiuitatis filij intelligẽtia

itaq; reſponſionis dominicæ ordo eccleſiaſticæ fidei integrum ordinem,ut nec diſcernat naturam,& ſignificet natiuitatem.Hoc namq; ſequitur:Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei,quæ ipſe facit, & maiora horũ opera demonſtrabit ei, ut uos admiremini. Sicut enim pater ſuſcitat mortuos,& uiuificat,ſic & filius quos uult uiuificat. An ne demonſtratio operũ aliud hic nobis præter quàm natiuitatis fidem ingerit,ut ſubſiſtentem filiũ ex ſubſiſtente deo patre credamus? Niſi fortè per ignorationẽ credendus eſt unigenitus deus doctrina demonſtrationis eguiſſe, ſed temeritas impiæ huius exiſtimationis non admittitur. Non enim doceri eget,qui quid quis docendus ſit ſciat.Nam poſtea quàm ait: Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit,ut oſtenderet omnem hanc patris demonſtrationem,fidei noſtræ eſſe doctrinam,ut ſcilicet pater nobis in confeſſione eſſet & filius, & ne qua hic ignoratio in filio poſſit intelligi, cui pater opera omnia quę ipſe faceret,demonſtraret,continuo ait:Et maiora horum opera demonſtrabit ei, ut uos admiremini. Sicut enim pater ſuſcitat mortuos,& uiuificat,ſic & filius quos uult uiuificat.Demonſtratio ergo futuri operis non ignoratur à filio,cui hoc demonſtrandũ eſt, ut exemplo paternæ naturæ mortuos uiuificet. Ea enim patrem demonſtraturum filio dicit,quæ mirentur,& quæ eadem eſſent illa,mox docuit: Sicut pater ſuſcitat mortuos,& uiuificat,ſic & filius quos uult uiuificat.Exęquata uirtus eſt per naturę indiſſimilis unitatem.Et demonſtratio operum nõ ignorationis inſtructio eſt,ſed noſtræ fidei,quæ non filio ſcientiam ignoratorum, ſed nobis confeſſionem natiuitatis inuexit,confirmans eam per id quod ſibi omnia eſſent demonſtrata quæ poſſet. Neq; enim nõ circunſpectum ſe cœleſtis ſermo egit,ne fortè diuerſæ naturæ ſignificatio ſub occaſione dicti ambigui ſubreperet. Demonſtrata enim ei potius opera patris eſſe ait, quàm ad operationem eorũ naturam uirtutis adiectam, ut demonſtratio ipſa natiuitatis eſſe ſubſtantia doceretur,cui per dilectionem patris operum paternorum,quæ per eum effici uellet,eſſet cognata cognitio.Porrò autẽ ne per demonſtrationis profeſſionem,ignorantis in eo naturæ diuerſitas credere/tur,ea ipſa quæ profitetur demonſtranda,nõ neſcit.Vſq; adeo non de exempli autoritate geſturus eſt, ut uiuificet quos uelit. Velle enim naturæ libertas eſt, quæ ad perfectæ uirtutis beatitudinem cum arbitrij uoluntate ſubſiſtat.Ac ne deinceps,quod quos uult uiuificat, non natiuitatis in ſe naturam habere uideretur, ſed nõ natæ potius iure poteſtatis ſubſiſtere,cõtinuo ſubiecit: Nec enim pater iudicat quenq;, ſed omne iudiciũ dedit filio. Et in eo quod omne iudicium datum eſt, naturæ demonſtratur natiuitas, quia & omnia habere ſola natura poſſit indifferens, neq; natiuitas aliquid poſſit habere,niſi datum ſit.Datum autem omne iudicium eſt, quia uiuificat quos uult. Neq; adempum patri iudicium poteſt uideri,cum ipſe non

Demonſtratio operũ ingerit fidem natiuitatis

Remotio obiectionis

Velle naturæ libertas eſt, quæ ad perfectæ uirtutis beatitudinem cũ arbitrij uoluntate ſubſiſtat

iudicet

iudicet,quia filij iudicium ex iudicio ſit paterno. Ab eo enim datum omne iudicium eſt,ſed dati iudicij cauſa nō tacita eſt. Sequitur enim:Sed iudiciū omne dedit filio,ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium,non honorificat patrem,qui eum miſit. Quid igitur,oro,derelictum eſt ſuſpicionis, aut quid relictum eſt ad impietatem occaſionis? Pater nō iudicat quenquam,ſed omne iudicium dedit filio. Iudicij autem dati ea cauſa eſt,ut filius exæquati honoris ad patrem ſit,& inhonorificus filio inhonorificus & patri ſit. Et quomodo poſt hæc intelligitur natiuitatis differre naturam,quam non ſolum operatio, uirtus, honor, ſed etiam contumelia negati honoris exæquat? Nihil ergo aliud quàm ſacramentum natiuitatis,ſermo nunc diuinæ reſponſionis oſtendit. Neq; aliter potuit aut debuit filius à patre diſtingui, quàm ut & natus eſſet, nec tamen differens doceretur. Pater igitur uſq; modo operatur, & filius operatur. Habes naturæ nomina,cum & pater operatur & filius,intellige & naturam dei,per quam deus operatur, operantem. Ac ne fortè duas operationes naturarū diſſimilium exiſtimes intelligendas, memento de cæco dictū fuiſſe: Sed ut manifeſtarentur opera dei in eo, me oportet operari opera eius,qui miſit me. In eo ergo quod operatur filius, opus patris eſt: & opus filij,opus dei eſt. Et de operibus ſermo adhuc ſequens eſt. Interim nunc nil aliud ſtuduit reſponſio,quàm ut omne opus referret ad utrunque,utriuſq; autem natura nō differret operandi,cū in eo quod uſq; adhuc pater operatur,operatur & filius,ne qui dominus ſabbati eſt,dominus eſt enim ſabbati filius hominis,impie operari ſabbato crederetur,cuius opus per natiuitatis naturam paterni in ſe operis eſſet autoritas. Nō cōfunditur itaq; aut aboletur natura,ne ſit filius:nec tamē rurſum adimitur natura,ne deus ſit. Nec diſcernuntur diuerſitate,ne unū ſint:neq; quòd unū ſunt, id poteſt præſtare,ne uterq; ſit. Et primū filiū cognoſce,cū dicitur:Nō poteſt filius à ſe facere quicq̄,niſi quod uiderit patrem facientē. Habes natiuitatē filij, quæ ab ſe nihil poteſt facere,niſi uideat. In eo autē quod à ſe nihil poteſt, innaſcibilitatis admit errorem. Ab ſe enim nō poteſt poſſe natiuitas. Quod autē uidet,cōſciæ in ſe naturę ſignificatur agnitio,& in eo nūc ueram dei cognoſce naturam. Quæcunq; enim ille facit,eadē & filius facit ſimiliter. Per naturæ autē uirtutem,naturæ per id indiſſimilis intellige unitatem,ut omnes honorificent filiū,ſicut honorificant patrē,qui miſit illum. Ac ne te naturę unitas in ſolitarij unione contineat,ſacramentū in eo fidei diſce: Qui non honorificat filiū,nō honorificat patrem,qui miſit illū. Concluſa ſunt omnia aduerſum hæretici furoris ingenia: filius eſt,quia à ſe nihil poteſt: deus eſt,quia quæcunq; pater facit,& ipſe eadem facit:unum ſunt,quia exæquatur in honore,& eadem facit,nō alia. Nō eſt pater ipſe,quia miſſus eſt. Habet igitur hoc ſacramenti ſola natiuitas,ut cōplectatur in ſe & nomen, & naturam,&

Opus patris, & opus filij, unum opus dei eſt

poteſtatem,& profeſſionem:quia uniuerſa natiuitas nõ poteſt nõ in ea eſſe natura,unde naſcitur.Non affert externi generis ſubſtantiam,quia ex uno nõ ſubſiſtit alienũ. Quod autẽ alienũ à ſe nõ eſt, id unũ eſt genere naturæ. Et quicquid unũ eſt per natiuitatẽ, nõ habet ſolitudinem, quia & ſolitudo ſingularis eſt,& natiuitatis eſt unitas ad utrunq;.Et ſuper hoc aſciſcit ſibi diuinæ de ſe ſententię teſtimoniũ.Ait enim:Qui ſunt ex ouibus meis,uocem meam audiunt,& ego noui eas,& ſequuntur me,& ego uitam ęternam do eis,& nõ perient in ſempiternum,nec quiſq; rapiet eas de manu mea.Pater quod dedit mihi,maius eſt omnibus, & nemo poterit rapere de manu patris mei.Ego enim & pater unũ ſumus. Quis,rogo,intelligentiam noſtram ſtupor hebetis mentis obtundit, ut hæc in ſenſum noſtrũ tam abſolute dicta nõ ſubeant? Aut quis infirmitatem humanam tumor animi inſolentis illudit,ut dei cognitionem ex his adepti, deũ putent nõ his intelligendum eſſe quibus cognitus eſt? Aut enim alia ſunt Euangelia proferenda quæ doceant, aut ſi de deo ſola iſta docuerunt, quur non ita credimus ut docemur? Quòd ſi ex his tantum ſumpta cognitio eſt,quur nõ fides exinde ſit unde cognitio?Sed cum fides cognitioni eſſe aduerſa detegitur, iam nõ cognitionis fides illa, ſed criminis eſt, irreligioſam ſibi fidem aduerſum religionem confeſſæ cognitionis aſſumens. Vnigenitus igitur deus naturæ in ſe ſuę conſcius,natiuitatis propriæ inenarrabile ſacramentũ,ad fidei noſtrę confeſſionem,quanta poteſt uerborũ abſolutione ſignificat,ut & natus intelligatur,& in dei natura eſſe credatur,& cũ patre unum ſit, & unũ ſe profitendo cum patre, nõ tamen ut unus ſolus tantũ, atq; ipſe pater intellectus, amittat eſſe quod filius eſt. Teſtatur enim primum naturæ uirtutem, cum de ouibus ſuis ait:Nec quiſquam rapiet eas de manu mea. Conſciæ poteſtatis hæc uox eſt, imperturbatæ uirtutis libertatẽ per id quod nemo oues de manu ſua abripiat,confiteri.At uero ut in natura licet dei,naturæ tamen ex deo ſit intelligenda natiuitas,ſubiecit: Pater quod dedit mihi, maius eſt omnibus.Non occultat ex patre eſſe ſe natũ:quod enim à patre accepit,maius eſt omnibus,& quia accepit,eſt in eo quod accepit naſcendo,nõ poſtea tamen ex alio eſt,dũ accepit.Sed qui ex alio accipit,ne aliud quid potius & nõ in eius intelligeretur natura,à quo accipit,exiſtere,ait: Nemo poterit rapere de manu patris mei. De manu ſua nemo rapit, quia à patre, quod eſt omnibus maius,accepit.Quid ſibi uult tam diuerſa profeſſio,ut rurſum de manu patris ſui nemo rapiat? Filij manus eſt, quæ accepit à patre. Patris manus eſt,quæ dedit filio.Et quomodo quod nõ rapitur de manu filij,nõ rapitur de manu patris?Quomodo ſi quæris,intellige: Ego & pater unum ſumus.Manus filij,manus patris eſt.Non enim degenerat per natiuitatem natura,ne eadem ſit: neq; rurſum quia eadem eſt, intelligentiam natiuitatis offendit,quia natiuitas nihil in ſe admittit alienum. Vt uero per corporalem

Pater quod dedit mihi, maius eſt omnibus

Manus patris eſt manus filij,& contrà

ralem ſignificationem uirtutem poſſis eiuſdem noſſe naturæ,cõmemorata eſt filij manus,manus patris, quia natura & uirtus patris eſt etiam in filio. Poſtremo ut per ſacramentũ natiuitatis ueritatẽ naturæ indifferentis agnoſceres,dictũ eſt: Ego & pater unũ ſumus: ut quod unũ ſunt, nec diuerſum, nec ſolitarium crederetur, non alia in utroq; per natiuitatis & generationis proprietatem exiſtente natura.Manet quantũ intelligi licet, & mentiũ uaſanarum uoluntas,ceſſante licet uoluntatis effectu,& malignũ animũ male uolentiæ ſtudium abſiſtente mali operis occaſione nõ deſerit. Nunc enim hæreticorũ furor iam dominũ in cœlis ſedentem, quia exemplo Iudæorũ in crucem agere nõ poſſunt,pari tamen infidelitate hoc eum quod eſt, denegant,& cum nõ poſſint negare quæ dicta ſunt,tamen dictis nõ obedientes,odiũ impietatis exercẽt,uerborũ lapides inijciunt, & ſi poſſent,de throno eum ſuo in crucem retraherent. Et de Iudæis quidem ad dicti huius notitatem cõmotis, ita ſcribitur: Tulerũt igitur lapides Iudæi, ut eum lapidarent.Reſpondit eis:Multa bona opera oſtendi uobis à patre,propter quod eorũ opus me lapidatis?Reſponderunt autẽ ei Iudæi: Pro bono opere nõ lapidamus te,ſed pro blaſphemia,& quia tu cũ ſis homo,facis te deũ.At tu uero hæretice,quid agas ac profitearis agnoſce, & eorũ te intellige eſſe conſortem,quorum in te refers perfidię exemplum.Ad id enim quod dictum eſt:Ego & pater unum ſumus,Iudæi lapides eleuauerunt,& eorum impius dolor ad ſacramentum fidei ſalutaris impatiens,uſq; ad impetum inferendæ mortis erupit.Quid tu nõ habendo quem lapides,negando minus efficis? Non differt uoluntas, ſed uoluntatem tuam inefficacem eſſe cœleſtis thronus efficit. Quanto tu irreligioſior Iudæo? Lapides ille in corpus eleuat,tu in ſpiritum:ille in hominem ut putabat,tu in deum:ille in diuerſantẽ in terris, tu in throno uirtutis ſedentem: ille in ignoratum, tu in confeſſum: ille in moriturũ, tu in iudicem ſeculorum. Ille dicit,cum ſis homo: tu dicis, cum ſis creatura:uterq; autem dicitis: Facis te deum, hoc commune in eum impij ueſtri oris opprobriũ eſt. Negas enim deum ex generatione dei, negas filium ex natiuitatis ueritate. Negas hoc quòd ego & pater unum ſumus, confeſſionẽ unius in utroq; atq; conſimilis eſſe naturæ. Subijcis ſubſtantiæ nouæ,& externæ,& alienæ deũ, ut aut alterius generis deus ſit,aut omnino nec deus ſit,quia nõ ex dei natiuitate ſubſiſtat. Sed quia ad ſacramentum dicti huius cõmotus es:Ego & pater unũ ſumus,ut Iudæo dicente: Cum ſis homo, facis te deum : tu pari impietate dicas, cum ſis creatura facis te deum.Dicis enim,nõ es filius ex natiuitate,non es deus ex ueritate. Creatura es præſtantior cunctis,ſed nõ es in deum natus,quia ex incorporali deo nõ natiuitatem admitto naturæ. Non modo tu & pater nõ unum eſtis, ſed nec filius es, nec ſimilis es,nec deus es. Iudæis quidẽ dominus reſpondit,ſed magis ad impietatẽ tuam omnis hęc apta reſponſio eſt.Nõne

ſcriptum

Quoniã ego dixi dij eſtis

ſcriptum eſt in lege: Quoniam ego dixi dij eſtis? Si ergo illos dixit deos, ad quos uerbum factum eſt dei, & nõ poteſt ſolui ſcriptura, quem pater ſanctificauit & miſit in hũc mundum, uos dicitis: quia blaſphemaui, quoniam dixi: filius dei ſum? Si nõ facio opera patris, nolite credere mihi: ſi autem facio, & mihi nõ uultis credere, operibus credite, ut ſciatis & cognoſcatis, quoniam pater in me eſt, & ego in patre. Cauſa reſponſionis cauſam obiectæ ei blaſphemiæ intulit. Id enim ad crimen deputabatur, quod ſe cum homo eſſet deum faceret. Deum autẽ ſe facere per id arguebatur quod dixiſſet: Ego & pater unum ſumus. Demonſtraturus itaque hoc, quod ipſe & pater unum eſſent, ex natiuitatis uſurpatum eſſe natura, in eo primum ineptiam ridiculi opprobrij confutat, quur in reatum uocaretur, quòd ſe cum homo eſſet, deum faceret. Cum enim lex huius nominis appellationẽ ſanctis hominibus decerneret, & ſermo dei indiſſolubilis confirmaret hanc impertiti nominis profeſſionem, quomodo hic quẽ pater ſanctificaſſet, & quem in hunc mundum miſiſſet, blaſphemus eſſet, dei ſe filium confitendo, cum cognominatos per legem deos, indiſſolubilis dei ſermo ſtatuiſſet? Iam ergo nõ eſt criminis, quòd ſe deum cum homo ſit, faciat, cum eos qui homines ſint, lex deos dixerit. Et ſi à cæteris hominibus non irreligioſa huius nominis eſt uſurpatio, ab eo homine quem pater ſanctificauit: omnis enim hic de homine reſponſio eſt, quia dei filius etiam hominis filius eſt, nõ imprudenter uſurparari uidetur, quod dei ſe filiũ dixerit, cum præcellat cæteros, qui cognominare ſe nõ irreligioſe deos poſſunt, per id quod ſanctificatus in filiũ eſt, beato Paulo ſcientiam nobis nominis iſtius intimante, cum ait: Qui ante promiſit per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei de ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius dei in uirtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis. Ceſſat ergo blaſphemiæ crimen, cum ſit homo: deũ ſe facit, cum hoc nomen plurimis dei ſermo detulerit, & ſanctificatus ac miſſus à patre, nihil aliud ſe quàm dei filium ſit profeſſus. Nõ eſt relictus, ut arbitror, ambigendi locus, quin de natura natiuitatis dictum ſit: Ego & pater unum ſumus. Nam cum Iudæi arguiſſent illum, quod per hoc dictum, homo ipſe cum eſſet, ſeſe deum faceret, reſponſio eius confirmat, quod dei ſe filium per id quod, ego & pater unũ ſumus, oſtenderit, primũ nomine, deinde natura, poſtremo natiuitate. Nam ego & pater rerũ nomina ſunt: unũ uero naturæ profeſſio eſt, quia in eo quod eſt uterq; non differat: ſumus autem nõ patitur unionem. Et ubi quod ſumus, unio nõ eſt, unum eos efficit eſſe natiuitas, hoc enim totum ex eo eſt, quod dei ſe filium ſanctificatus à patre profitetur, & profeſſio dei filij hoc ego & pater unum ſumus confirmat, quia natiuitas non aliam poſſit niſi eam ex qua ſubſiſtit, afferre naturam. Conſummauit autẽ totius fidei noſtræ ſacramentũ uigeniti dei ſermo. Namq; cum reſponſum ad id fuiſſet,

Pater & filius ſunt nomina rerum, ſed unum eſt naturæ profeſſio

cus

cur ſe cùm homo eſſet, deum faceret, ut dictum illud: Ego & pater unũ ſumus, abſolutæ & perfectæ intelligentiæ ordinem ſumeret, hæc conſequenter ſubiecit: Vos dicitis quia blaſphemaui, quoniam dixi, filius dei ſum. Si non facio opera patris, nolite credere mihi: ſi autem facio, & mihi non uultis credere, operibus credite, ut ſciatis & cognoſcatis, quoniam pater in me eſt, & ego in patre. Infrenis audaciæ eſt deſperata iam per conſcientiam ſalus, & extra pudorem eſt profeſſa omnis impietas. Nam iam quiſquis nec erubeſcit ſtultitiæ, ubi perdidit religionem, ei non contradicere, amentia potius quàm ignoratio eſt. Dominus dixerat: Ego & pater unũ ſumus. Natiuitatis hoc ſacramentũ eſt, ut pater & filius in unitate naturæ ſint. Et quia naturæ præſumptio uocaretur in crimen, præſumendi ratio docetur ex cauſa. Ait enim: Si non facio opera patris, nolite credere mihi. Si non opera patris facit, non credendum ei eſt profitenti dei eſſe ſe filium. Non habet ergo natiuitas nouam externamq; naturam, quia per id filius eſſe credendus eſt, quod opera patris efficiat. Quid hic adoptio, quid indulgentia nominis loci inuenit, ne ex natura dei filius ſit, cum dei filius ex naturæ paternæ operibus credendus ſit? Non exæquatur ac ſimilis eſt deo creatura, neque ei naturæ alienę poteſtas comparatur. Sola ei natiuitas filij non improprie per ſimilitudinem creditur æqualis. Nam quicquid extra eum eſt, cum contumelia ei honoratæ uirtutis ęquabitur. Si enim aliquid quod non ex ipſo eſt, reperiri poteſt ſimile ei, ac uirtutis eiuſdem, amiſit priuilegium dei ſub conſortio coæqualis, iamq; non erit deus unus, à quo indifferens ſit deus alius. At uero non habet contumeliam, proprietatis æqualitas, quia ſuum eſt quod ſui ſimile eſt: & ex ſe eſt, quod ſibi ad ſimilitudinem comparatur: nec extra ſe eſt quod quæ ſua ſunt poteſt: & profectus dignitatis eſt, genuiſſe poteſtatem, nec alienaſſe naturam. Opera patris efficit filius, & per id credi ſe dei filium poſtulat. Non eſt præſumptio arrogans, quia probari ſe non niſi ex his quæ gerat poſcit. Gerere autem ſe non ſua, ſed quæ patris ſunt teſtatur, ne per magnificentiam geſtorum naturæ natiuitas aufertur. Et quia ſub ſacramento aſſumpti corporis, & nati ex Maria hominis, dei filius non intelligebatur, fides nobis intimatur ex geſtis cum ait: Si autem facio, & ſi mihi non uultis credere, uel operibus credite. Credi ſibi primum quòd dei filius ſit, niſi ex operibus patris quæ ipſe efficit, non uult. Quòd ſi facit opera, & per humilitatẽ corporis, fide profeſſionis indignus eſt, operum fidem poſtulat. Cur enim ſacramentũ nati hominis, intelligentiam diuinæ natiuitatis impediat, cum diuina natiuitas omne opus ſuum, ſub * myſterio aſſumpti hominis exequat? Si igitur homini per opera nõ creditur quòd dei filius ſit, credat operibus quòd dei filij ſint, quia negari quòd dei ſint non poſſunt. Omne enim in ſe filius dei habet naſcendo, q dei eſt, & idcirco opus filij, opus patris eſt, quia natiuitas nec extra naturã eam

Facere opera dei nõ poteſt conuenire creaturæ

Als × miniſterio

eam eſt ex qua manat, & naturam eam in ſe habet unde ſubſiſtit. Faciens igitur opera patris,& poſtulans,ut ſi ſibi non crederetur,uel operibus ipſis crederetur, demonſtrare debuit quid eſſet operibus credendum, nempe quod ſequitur: Si autẽ facio,& ſi mihi non uultis credere,operibus credite, ut ſciatis, & cognoſcatis, quoniam pater in me, & ego in eo. Hoc eſt illud: dei filius ſum.hoc eſt illud:ego & pater unum ſumus,hæc natiuitatis natura,hoc ſalutaris fidei ſacramentum,non diuidere quod unum ſunt,nec natiuitatis adimere naturam,& ex uiuente deo uiuentis dei ueritatem confieri. Nõ enim ex compoſitis atq; inanimis deus qui uita eſt,ſubſiſtit. Neq; qui uirtus eſt,ex infirmioribus continetur: neq; qui lux eſt,ex obſcuris coaptatur:neq; qui ſpiritus eſt,ex diſparibus formabilis eſt. Totũ in eo quod eſt, unum eſt. Vt quod ſpiritus eſt,& lux & uirtus & uita ſit:& quod uita eſt,& lux & uirtus & ſpiritus ſit.Namq; qui ait: Ego ſum,non demutor: non demutatur ex partibus,nec fit diuerſus ex genere. Hæc enim quæ ſuperius ſignificata ſunt,non ex partibus in eo ſunt,ſed totum hoc in eo unum & perfectum omnia deus uiuens aſt. Viuens igitur deus,& naturę æternæ uiuentis poteſtas eſt,& quod cum ſacramento ſcientiæ ſuæ ex eo naſcitur, nõ potuit aliud natum eſſe quàm uiuens.Nam cum ait: Sicut miſit me uiuens pater,& ego uiuo propter patrem, docuit uitam in ſe per uiuentẽ patrem ineſſe.Deinde cum dicit:Sicut enim pater habet uitam in ſemetipſo, ſic & filio dedit uitam habere in ſemetipſo,omnia uiua ſua ex uiuente teſtatus eſt. Quod autem ex uiuo uiuum natum eſt, habet natiuitatis profectum ſine nouitate naturæ.Non enim nouum eſt,quod ex uiuo generatur in uiuum, quia nec ex nihilo ad natiuitatem uita quæſita eſt, & uita quæ natiuitatem ſumit ex uita, neceſſe eſt per naturæ unitatem, & perfectæ atq; inenarrandæ natiuitatis ſacramentum,ut & in uiuente uiuat,& in ſe habeat uitam uiuentem. Admonuiſſe nos in exordio ſermonis noſtri meminimus,humanas comparationes diuinis non ſatisfacere exemplis, tamen pro parte intelligentiæ noſtræ ſenſum formis corporalibus erudiri.Humanæ natiuitatis conſcientiam conſulo,utrum nõ intra patres maneat origo naſcentium.

Quomodo homo genitus manet in patre gignente

Nam tametſi elementa illa inanima ac turpia,quibus naſcendi cauſę inchoantur,in hominem alterum effluant, per naturæ tamẽ uirtutem intra ſe inuicem manẽt,dum & per datam à ſe naturæ eiuſdem originem naſcentem ſequitur ille qui gignit,& per acceptam natiuitatem cuius uirtus & ſi deriuetur,non tamen aufertur, in gignente ſe manet ille qui naſcitur. Et hoc quidem tantum ad humanæ natiuitatis intelligentiam commemoratum à nobis ſit,non etiam ad perfectum in unigenito deo natiuitatis exemplũ,quia naturæ humanæ infirmitas ex diſparibus comparatur, & ex inanimis continetur ad uitam, nec ſtatim in ea quod gignitur uiuit, neq; totum uiuit ex uita,cum in ea multa ſint,quæ ſine naturæ ſuæ ſenſu cum excreuerint deſecentur.

centur. In deo uero totum quod eſt uiuit. Deus enim uita eſt, & ex uita nõ poteſt quicquam eſſe niſi uiuum. Neq; ex deriuatione, ſed ex uirtute natiuitas eſt. Ac ſic dum totum quod eſt uiuit, & dum totum quod ex eo naſcitur, uirtus eſt, habet natiuitatem, nõ habet demutationem, & impertit profectum, nec amittit naturam, dum & natiuitatem quam dedit, per indiſcretæ naturæ ſimilitudinem ſequitur, & natiuitas eam quæ uiuens ex uiuente eſt, naturam naſcendo nõ deſerit. Affert autem pro parte fidei huius ſignificationem, ignis in ſe ignem habens & in igni ignis manens. Nam cum ſit in eo ſplendor luminis, naturæ calor, uirtus urendi, mobilitas æſtuandi, totum tamen ignis eſt. Et hæc uniuerſa, una natura eſt. Habet quidem ex infirmitate quod per materiam ſubſiſtit ac uiuit, & cum ea per quam uixerat deficit. Sed hoc quod dei eſt, comparatione ex parte cognoſcimus, ut non incredibile in deo ſit, quod pro parte aliqua in terrenis reperiatur elementis. Quæro itaq; nunc utrum diuiſio ac ſeparatio ſit, cum ignis ex igne eſt. Aut nunquid abſcinditur natura ne maneat, aut non ſequitur natura ne inſit, cum accenſo lumine ex lumine per quendam quaſi natiuitatis profectũ naturæ nulla*defectio ſit, & tamen ſit lumen ex lumine? Aut nunquid hoc non manet in eo quod ex ſeſe ſine * defectione ſubſiſtit? Aut hoc nõ eſt in eo unde non reciſum eſt, ſed cũ unitate ſubſtantiæ naturalis exiuit? Et quæro an non unum ſint, cum lumen ex lumine nec diuiſione ſeparabile ſit, nec genere naturæ? Et hæc, ut dixi, ad intelligentiam fidei tantum comparata ſint, nõ etiam ad dei dignitatem, ut nos potius intelligentiam inuiſibilium ex comparabilibus ſumeremus, non utique ut aliquod naturæ dei ſatisfaceret comparationis exemplum, cum dignum & iuſtum eſſet teſtanti de ſe deo credere: ſed quia ſimpliciorum fidem furor hæreticus turbaret, ut id de deo credi non oporteret quod difficile, niſi per corpoream comparationem poſſit intelligi, idcirco ſecundũ illud quod iam etiam ſuperius memoratum à nobis eſt, domini dictum: Quod de carne naſcitur, caro eſt: quod atem de ſpiritu, ſpiritus eſt, quia deus ſpiritus eſt: utile exiſtimauimus hæc pro parte inſerere comparationis exempla, ne mentiri de profeſſione ſua exiſtimaretur, cum diuinæ nobis profeſſionis intelligentiam ex aliquo naturalia creaturarũ exempla præſtarent. Igitur ex uiuente deo patre uiuens dei filius, & ex deo deus, & naturæ inſeparabilis atq; indiſſimilis unitatem & ſacramentũ natiuitatis oſtendens, ait: Ego & pater unum ſumus. Et quia calumnia dicti tanquam inſolentis exiſtiret, ut conſcientiam potius naturæ demonſtraret in dicto, ſubiecit: Dicitis quia blaſphemaui, quoniam dixi: Filius dei ſum, unitatem naturæ ex natiuitate eſſe conteſtans. At uero, ut natiuitatis fidem profeſſio abſoluta firmaret, nec naturæ tamen afferret natiuitas profeſſa diſſidium, hanc totius reſponſionis ſuæ tenuit abſolutionem: Operibus credite, quoniam pater in me, & ego in patre. Quid hic non na-

*Als*defectio*

Vtitur his ad fidei intelligentiam non dei dignitatem

turale ac propriũ ſub ſacramento natiuitatis oſtenſum eſt? Inſunt ſibi inuicem, dum non eſt niſi ex patre natiuitas, dum in deum alterum natura, uel exterior, uel diſſimilis non ſubſiſtit, dum deus ex deo manens, non eſt aliunde quod deus eſt. Infer duos, ſi occaſio patet, fidei eccleſiæ deos. Aut ſolitarium deum, uel falſa ſaltem ementire ratione, filium ſi potes, à patre abſque natiuitatis tantum confeſſa ueritate diſcerne. Filius in patre eſt & in filio pater, nõ per transfuſionem refuſionemq; mutuam, ſed per uiuentis naturę perfectam natiuitatẽ. Ita in deo patre & in filio neq; duos connumeres deos, quia unum uterq; ſunt, neque ſingularem prædicabis, quia uterq; nõ unus eſt. Non habet igitur fides Apoſtolica duos deos, quia nec duos patres habet, nec duos filios: confitendo patrem confeſſa filium eſt: credens in filium credidit & in patrem, quia & nomẽ patris habet in ſe filij nomen. Non enim niſi per filium pater eſt: & ſignificatio filij, demonſtratio patris eſt, quia nõ niſi ex patre ſit filius. In unius itaq; confeſſione nõ unus eſt, dum & patrem conſummat filius, & filij ex patre natiuitas eſt. Non demutatur autem per natiuitatem natura, ne ſecundum ſimilitudinem generis ſui eadem ſit. Eadem autem ita eſt, ut per natiuitatem & generationem uterq; potius unũ confitendus ſit eſſe, nõ unus. Duos itaq; prædicet deos, qui poteſt unum prædicare ſine uno: aut ſingularem deũ doceat, qui poſſit negare unum uni per naturę uirtutem, & per ſacramentum generationis & natiuitatis nõ ineſſe. Naturam quoq; diuerſam deputet ad utrunq;, qui neſciat patrem & filiũ quod unum ſint, prædicatos. Deleant hæretici Euangelicam filij de ſe profeſſionem: Ego in patre, & pater in me, ut poſſint uel duos deos prædicare, uel ſolum. Non ſunt naturarum ſignificationes in naturæ unius proprietate, nec duos deos dei ex deo ueritas perficit, nec ſingularem deum dei patitur natiuitas, nec non unum ſunt, qui in inuicem ſunt. In inuicem aut ſunt, cum unus ex uno eſt, quia neq; unus uni aliud per generationem quàm quod ſuum eſt dedit, neq; unus ab uno aliud per natiuitatem obtinet quàm *unus. Apoſtolica igitur fides, ſiue patrem prædicabit, prædicabit deum unum, ſiue filiũ confitebitur, cõfitebitur deum unum, quia eadem atq; indiſſimilis dei natura ſit in utroque, quod dum & pater deus, & filius deus eſt, & unum ſit naturæ nomen utriſq;, unum utrunq; ſignificat. Nam ex deo deus, uel in deo deus, nec duos deos perficit, cũ unus ex uno in naturæ & nomine unius maneat. Nec in ſolitarium deum deficit, cum unus & unus in ſignificatione nõ ſolus ſit. Non incertam aut dubiam dominus tanti ſacramenti doctrinam reliquit, nec nos in ambiguæ intelligentię deſeruit errore. Et audiamus eum omnem fidei huius cognitionem Apoſtolis reuelantem, ait enim: Ego ſum uia & ueritas & uita, nemo uenit ad patrem niſi per me. Si ſcitis me, & patrem meum ſcitis, & amodo ſcietis eum, & uidiſtis eum. Ait illi Philippus: Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit

Filius in patre & pater in filio per uiuentis naturæ perfectam natiuitatem

Pater & filius unũ ſunt non unus

*Alĩ *unius*

ſufficit nobis. Dicit ei Ieſus: Tanto tempore uobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe qui uidet me, uidet & patrē, quo modo tu dicis oſtende nobis patrē? Nō credis mihi, quoniam ego in patre, & pater in me eſt? Verba quæ ego loquor uobis, nō à me loquor, ſed pater qui in me manet, ipſe facit opera ſua. Credite mihi, quoniam ego in patre, & pater in me eſt. Sin autem, uel propter opera ipſa credite. Non nos in erratica atq; in inuia deducit ille qui uia eſt, neq; illudit per falſa qui ueritas eſt, neq; in mortis relinquit errore qui uita eſt. Et quia hæc benigna ad ſalutē noſtram diſpenſationis ſuæ nomina ipſe conſtituit, ut nos tanquam uia in ueritatem deduceret, & ueritas conſtitueret in uita, cognoſcendum eſt, quod illud obtinendæ uitę ſacramentū eſſe demonſtrarit. Nemo uenit ad patrem niſi per me. Iter ad patrem per filium eſt. Et quærendum eſt utrum hoc per doctrinæ admonitionem, an per naturæ fidem ſit, quia uideri poſſumus per doctrinam filij potius ad patrem, quàm per confeſſionem paternę in eo diuinitatis uenire. Intelligentiæ igitur ſenſum in conſequentibus requiramus. Non enim fides ex arbitrio noſtro, ſed ex dictorū eſt ineunda uirtutibus, nam hoc ſequitur: Si ſcitis me, & patrem meum ſcitis. Homo Ieſus Chriſtus cernitur, & quomodo ſi ipſe cognitus ſit erit cognitus pater, cum naturæ ſuæ, id eſt, hominis in eo habitum Apoſtoli recognoſcant, & liber à corporali deus carne nō in hac corporalis carnis infirmitate noſcendus ſit? Sed in ſacramento aſſumpti corporis diuinitatis paternæ naturam in ſe dominus confirmans, hunc ordinem tenuit: Si ſcitis me, & patrem meū ſcitis, & amodo ſcietis eum, & uidiſtis eū. Tempus uiſionis ſeparauit à tempore cognitionis. Nam quem cognoſcendum ait, eundem iam dixit & uiſum, ut naturæ iam pridem in ſe conſpectæ ſcientiam ex tempore nunc huius reuelationis acciperent. Sed commouit Apoſtolum Philippum nouitas dictorum, homo cernitur, dei ſe filiū confitetur, cognito ſe cognoſcendū patrem fatetur. Patrem uiſum ſe uiſo dicit, & per id cognoſcendū eſſe quia uiſus ſit, humani iſtud animi infirmitas non capit, nec fidem ſumit tam diuerſarum rerum profeſſio, ut qui tunc uiſus ſit non cognoſcendus ſit, cum uidiſſe cognitio ſit, ut ſi filius cognitus ſit, & pater cognitus ſit, cū cognitionem filij ipſe ſecundum hominem corporalis & uiſus & tactus ingeſſerit. Cognitionem autem ex eo patris ipſa illa differens ab eo conſpecti hominis natura non præſtet, & frequenter filius patrem à nemine uiſum eſſe teſtatus ſit, proruppit igitur Apoſtolica familiaritas & conſtantia dominū interrogans: Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. Non fides nunc periclitatur, ſed ignorationis hic error eſt. Viſum enim iam & amodo cognoſcendum dominus patrem dixerat, ſed uiſum eſſe Apoſtolus non intellexerat. Deinde non uiſum negauit, ſed oſtendi ſibi rogauit. Neque oſtenſionem ueluti corporalis contemplationis deſiderauit, ſed demonſtrationem intelligendi

Philippus

eius qui uiſus eſt,poſtulauit.Filiũ enim hominis in habitu uiderat,ſed quo modo per id patrẽ uiderit neſcit.Nam ad id quod dixerat.Domine oſten de nobis patrẽ,ut oſtenſio illa intelligendi potius eſſet demonſtratio quàm uidendi,ſubiecit:Et ſufficit nobis. Nõ adempta eſt fides dicto,ſed cognoſcendi demonſtratio eſt poſtulata,quæ ſufficeret ad fidẽ dicti, quia per domini profeſſionẽ autoritas eſſet nõ incerta credendi.Hinc autẽ oſtendendi patris petitio orta eſt,quia dictũ eſſet uiſum eſſe, & per hoc noſcendũ eſſe, quia uiſus ſit.Nec impudens erat oſtenſionem eius,qui uiſus eſt,poſtulare. Dominus itaq; dictis Philippi hæc reddidit: Tanto tempore uobiſcũ ſum, & nõ nouiſti me Philippe? Arguit Apoſtoli in cognoſcendo ſe ignorationem,quia ſuperius ſe cognito, patrẽ quoq; cognitũ eſſe dixiſſet. Sed quid illud eſt quod queritur ſe tanto tempore cognitum non fuiſſe? ſcilicet quia ſe cognito,paternæ in ſe naturæ eſſet intelligenda diuinitas,cum ea quæ gereret propria deo eſſent,calcare undas,iubere uentis,*in intellecta demutatione uini,incremẽtoq; panum cum geſtorum fide gerere,fugare dæmones, morbos depellere, damna corporum rependere,emendare uitia natiuitatis,peccata dimittere,uitam mortuis reddere, & hæc agere carnalem,& dei ſe filium inter iſta profitentem,hinc querelæ omnis orta cõqueſtio eſt, quòd in ſacramento natiuitatis humanæ geſſiſſet hæc. In homine aſſumpto,dei non intellecta natura eſt,& idcirco arguens,cur cum hæc tanto tempore gereret, agnitus non fuiſſet,poſtulantibus ut ſibi patrem oſtenderet, ait: Qui me uidet,uidet & patrem. Non hic ille contemplationem corpoream, & uiſum oculorum carnalium ſignificat, ſed eorum de quibus dixerat.Nónne uos dicitis, quoniam adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis uenit? Ecce dico uobis, leuate oculos ueſtros, & aſpicite regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem.Nec tempus patitur,nec albentium ad meſſem regionum ſignificatio permittit, aliquid terrenum hic & corporeum intelligi,ſed ad perfectorum fructuum beatitudinem contuendam, intelligentiæ iuſſit oculos eleuari ut nunc,dicens: Qui me uidet,uidet & patrem.Nõ enim hoc quod ex partu uirginis carnale eſt,ad cõtemplandam in eo dei formam & imaginem proficit, neq; ad incorporalis dei naturam uidendam aſſumpti hominis ſpecies in exemplo eſt.Sed agnitus in eo deus eſt, ſi quibus tamẽ ipſe agnitus eſt, ex uirtute naturæ, & intellectus deus filius id præſtat, ut intellectus & pater ſit,dum ita imago eſt,ut non differat genere,ſed ſignificet autorem. Imagines autem cæteræ,ex diuerſis metallis,aut fucis, aut generibus,aut artibus,reddunt eorum ſpecies, quorum ſunt imagines inſtitutæ.Sed nunquid ut imagines ueræ ſint, exæquari poſſunt inanima uiuentibus,& uel picta,uel ſculpta,uel fuſa natiuis: filius autẽ patri non ſecundum hæc imago eſt, quia uiuentis uiuens imago eſt, & ex eo natus non habet naturæ diuerſitatem, & in nullo diuerſus tenet naturæ eius ex qua non diuerſus

Quomodo intelligendũ,domine oſtende nobis patrem

Hoc loco uariebant exemplaria, etiam uetuſta, ſed hinc atq; hinc collatis coniecturis legendũ arbitror: Inintellectam demutationẽ uini,incremẽtáq; panũ cõgeſtorum fide gerere,ut congeſtorum referatur ad fragmenta collecta. Quanq; non diſplicet ut fides geſtorum declaret rẽ antè nõ intellectã, pòſt compertam

uerſus eſt,poteſtatem? Qui ergo imago eſt,eò proficit, ut deũ pãtrem uni/
geniti dei ſignificet natiuitas. Significet autem,ut forma ipſa & imago inui
ſibilis dei,& per hoc non amittat naturæ * unitam ſimilitudinem, quia nec *Alis natiuitas
careat uirtute naturæ,& hinc illud eſt: Tanto tempore uobiſcũ ſum,& non
noſti me Philippe? qui uidet me,uidet & patrem. Quomodo tu dicis oſten
de nobis patrem? Nõ credis mihi quia ego in patre,& pater in me eſt? Nõ *Non relictus*
relictus eſt hominum eloquijs de dei rebus alius præter quàm dei ſermo. *eſt hominum*
Omnia reliqua & arcta & concluſa & impedita ſunt & obſcura. Si aliquis *eloquijs de*
alijs uerbis demonſtrare hoc,quàm quibus à deo dictum eſt uolet, aut ip/ *dei rebus ali/*
ſe nõ intelligit, aut legentibus nõ intelligendum relinquit. Dominus dixit *us præterq;*
cũ rogaretur,ut oſtenderet patrem: Qui me uidet uidet & patrem. Hoc de/ *dei ſermo*
mutare antichriſti, hoc negare Iudæi eſt,hoc neſcire gentilis eſt. Sed fortè
intelligentię ſenſus in crimine ſit,ſi in fide noſtra uitium,ſi in dictis dei reſe
dit obſcuritas. Nam nec ſolitarium ſermo ſignificat, & indifferentem tamẽ
naturam profeſſio docet. Viſum enim in filio patrem, nec ſingularis po/
teſt eſſe,nec diſparis. Per hunc ille uiſus,neq; non unum ſunt in ſacramenti
profeſſione,neq; unus. Et quæro quid ſignificaſſe in eo dominus creditur,
cum dicit: Qui me uidet,uidet & patrem? Non tenes unionem,ubi per con/
iunctionem ipſam paterni nominis ſignificatur adiectio. Etenim cum dici/
tur,& patrem, excluſa eſt ſingularis atq; unici intelligentia, & quid reliquũ
eſt,niſi ut per naturæ unitam ſimilitudinem,pater per filium uiſus ſit? Et ne
hoc incertum nobis ad fidem relinqueretur,dominus ſubiecit: Quomodo
tu dicis, oſtende nobis patrem? Quæ enim ignorandi patrem aut oſten/
dendi ignorantibus neceſſitas relinquebatur, cum pater in filio uiſus eſſet?
Viſus autem adeo eſt ex proprietate naturæ, dum ex indifferentia atq; in
genere ueritatis unum ſunt natus & generans,ut hic domini ſermo ſequere
tur: Non credis,quia ego in patre & pater in me eſt? Inſeparabiles eſſe per
naturalem ſimilitudinem patrem & filum, non poſſumus alijs uerbis doce
re,niſi filij. Non enim hic per demutationem nominum atq; ſpecierum fi/
lius,qui uia & ueritas & uita eſt, mimis theatralibus ludit, ut in aſſumpto
homine ſe filium dei nuncupet,in natura uero deum patrem,& unus ac ſo/
lus perſonali demutatione ſe nunc in alio mentiatur. Non itaq; ipſe ſolita/
rius,nunc ſibi filius eſt,nunc ſe ſibi profitetur in patrem, & naturæ nomina
infert ceſſante natura. Alia hic uerborum ſimplicitas eſt: nam & pater pa/
ter eſt, & filius filius eſt. Sed in his nominibus ac rebus nihil nouum,nihil
diuerſum, nihilq; peregrinum eſt. Tenet enim naturæ proprietas ueritatis
proprietatem,ut quod ex deo eſt,deus ſit,& nec diminutionis ſit natiuitas,
nec diuerſitatis,dum & filius non in naturam externam ac diſſimilem patri
deo ſubſiſtit,nec pater alienum quid à ſe natiuitati unigeniti acquirens, ſed
uniuerſa potius quæ ſua ſunt ſine damno impertientis indulſit. Atq; ita nec

natura dei caret,dum non aliunde quàm ex deo deus eſt:nec à deo differt, dum nō aliud ipſe quàm deus eſt, quia & natiuitas dei conſiſtit in filio,nec
Ab*ex ſe per natiuitatem dei amiſit*eſſe dei natura quòd deus eſt. Pater igitur in filio eſt,& filius in patre,deus in deo.Non per duplicem conuenientium generum coniunctionem,neq; per inſitiuam capacioris ſubſtantiæ naturam, quia per corporalem neceſſitatem exteriora fieri his quibus cōtinentur, interiora nō poſſunt, ſed per natiuitatē uiuentis ex uiuente naturæ.Dum res non differt,dum naturam dei non degenerat natiuitas, dum non aliud aliquid quàm in deum ex deo deus naſcitur: dum nihil in his nouum eſt,nihil alienum, nihil ſeparabile: dum in patre & filio credere duos deos impium eſt: dum patrem & filium ſingularem deum prædicare ſacrilegū eſt: dum deū ex deo quod in ſimilitudine generis unum ſint negare blaſphemum eſt. Ac ne dubium hoc atq; ambiguum ſacramentū fides Euangelica ſuſciperet,hunc doctrinæ ſuæ dominus ordinem tenuit:Non creditis mihi quoniam ego in patre,& pater in me eſt? Verba quæ ego loquor uobis, nō à me loquor,ſed pater qui in me manet ipſe facit opera ſua.Quibus rogo alijs in patre & filio naturæ proprietas demonſtrari quàm his ipſis uerbis potuit & poteſt, natiuitatis tamen in omnibus ſignificatione prælata?
Quomodo pater in filio nō tanquam aliud in alio
Verba quæ ego loquor uobis,non à me loquor
Cum enim ait:Verba quæ ego loquor uobis,non à me loquor, nō exemit perſonam,neq; ſe filium denegauit, nec naturam in ſe paternæ uirtutis abſcondit. Nam dum loquitur, ipſe in ſubſtantia manens loquitur: dum autem non ab ſe loquitur,natiuitatem in ſe dei ex deo patre teſtatur ipſe,inſe parabilis ab eo atq; indiſſimilis unitate naturæ,quia quamuis ab eo loquatur,ipſe tamen loquitur.Nam qui nō à ſe loquitur & tamē loquitur,nō poteſt nō eſſe dum loquitur: & dum nō à ſe loquitur,oſtendit nō ſuū tantum eſſe quod loquitur,ſubiecit enim:Sed pater qui in me manet, ipſe facit opera ſua. Manere in filio patrem, non eſt ſingularis atq; unici. Operari uero per filium patrem,non eſt differentis aut exteri. Sicuti non unius eſt, non ab ſe loqui qui loquitur, neq; rurſum alieni ac ſeparabilis ſit, loqui per loquentem, ſed hoc horum ſacramentum eſt, qui unum ſunt,qui uterq; non aliud ſunt, qui per naturæ proprietatem in ſeſe ſunt: quorum hæc unitas eſt,ut loquens non à ſe loquatur,neq; qui non à ſe loquitur,non loquatur. Et quia in ſe patrem & loqui & operari docuerat,perfectæ huius unitatis fidem ſtatuit,dicens:Sed pater qui in me manet, ipſe facit opera ſua. Credite mihi quia ego in patre & pater in me.Sin autem, uel propter opera ipſa credite. Pater operatur in filio, ſed & filius opus patris operatur. Ne ergo per uirtutis efficientiam,& non per naturæ,quę ſecundum natiuitatem eſt, proprietatem,pater in filio & operari crederetur & loqui,ait:Credite mihi quoniam ego in patre,& pater in me eſt.Quid eſt iſtud rogo: Credite mihi? certe ad id refertur quod dictum eſt:Oſtende nobis patrem.Fides confirmatur

firmatur ex credendi præcepto,& ea fides qua patrem ſibi oſtendi popoſ/ cerat. Non enim ſuffecerat dixiſſe: Qui me uidet,uidet & patrem: niſi intel/ ligentiam noſtram eouſq; protenderet,ut cum patrem noſceremus in filio, filium tamen eſſe meminiſſemus in patre, ne transfuſio potius alterius in al terum exiſtimaretur, quàm per generationem natiuitatemq; unitas eiuſ/ dem in utroq; naturæ. Credi itaq; ſibi dominus uult, ne forte per aſſum/ pti hominis diſpenſationem fidei conſcientia periclitaretur. Certe ſi quid af ferat ambiguitatis caro & corpus & paſſio,uel operibus credatur, deum in deo eſſe,& ex deo deum eſſe, unum eos eſſe, dum naturæ uirtute uterq; in ſe eſt, & neuter ſine altero eſt: dum & pater nihil ex ſuis amittit in filio, & filius totum ſumit ex patre quod filius eſt. Nō eſt corporalium naturarum iſta conditio, ut inſint ſibi inuicem, ut ſubſiſtentis naturæ habeant perfe/ ctam unitatē, ut manens unigeniti natiuitas, à paternæ diuinitatis ſit in ſe/ parabilis ueritate. Vnigenito tantū iſtud deo proprium eſt,& in ſacramen/ to ueræ natiuitatis fides iſta eſt,&* ſpecialis uirtutis hoc opus eſt, nihil dif/ ferre & eſſe & ineſſe. Ineſſe autem non aliud in alio, ut corpus in corpore, ſed ita eſſe ac ſubſiſtere,ut in ſubſiſtente inſit: ita uero ineſſe, ut & ipſa ſubſi ſtat. Nam uterq; ſubſiſtens, per id non ſine alio eſt,dum ſecundum gene/ rationem & natiuitatem * ſubſiſtens,natura nō alia eſt, hinc enim illud eſt: Ego & pater unū ſumus,& qui me uidet uidet & patrem. &: Ego in patre, & pater in me. Quia non differt nec degenerat natiuitas, quia unius in pa/ tre & filio diuinitatis ſacramentum natiuitatis natura conſummat, dum dei filius non aliud quàm deus eſt. Et idcirco nō in deos duos unigeniti ge/ neratio deputatur,quia in deum filius dei naſcens, naturam in ſe dei ſe gig/ nentis exhibuit.

*Als*ſpiri/ tualis*

*Als*ſubſi/ ſtentis*

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER OCTAVVS

BEatus Apoſtolus Paulus formam conſtituendi epiſco pi* figens,& planè nouum eccleſiæ hominem præcep/ tis ſuis condens,hanc ueluti ſummam cōſummatarum in eo uirtutum eſſe docuit dicens: Obtinentem ſecun/ dum doctrinam fidei uerbum, ut potens ſit exhortari ad doctrinam ſanam,& cōtradicentes reuincere. Sunt enim multi non ſubditi, uaniloqui & ſeductores. Ita enim quæ propria diſciplinæ ac morum ſunt, ad ſacerdotij meritum utilia eſſe ſignificat, ſi enim hæc quæ ad docendæ ac tuendæ fidei ſcientiam ne/ ceſſaria ſunt,inter reliqua non deerunt. Quia non ſtatim boni atque utilis

*Als*fingens*

Summa con/ ſummatarum uirtutū in epi ſcopo ſecūdū Apoſtolum

Bonus pastor debet esse bonus & simul doctus

sacerdotis est,aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare,cum & innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit: & doctus sine doctrinæ sit autoritate, nisi innocens sit. Non enim apostolicus sermo probitatis honestatisq; præceptis hominem tantum seculo conformat ad uitam, neq; rursum per doctrinæ scientiam scribam synagogæ instituit ad legem, sed perfectum ecclesiæ principem perfectis maximarum uirtutum bonis instruit,ut & uita eius ornetur docendo,& doctrina uiuendo. Deniq; ipsum illum ad quem ei sermo erat, Titum istiusmodi decreto consummandæ religionis instruxit: In omnibus te ipsum bonorum factorum præbens exemplum, docentem cum ueneratione uerbum sanum, irreprehensibile, ut aduersarius reuereatur, nihil habens turpe aut malum de nobis dicere. Non ignorauit doctor hic gentium & ex conscientia loquentis atque habitantis in se Christi, ecclesiæ electus magister, morbidi eloquij grassatura esse contagia, & aduersum sanitatem uerborum fidelium desæuituram doctrinæ pestiferæ corruptionem, quæ impiæ intelligentiæ suæ uirus usque ad ipsam sedem animæ demergens, profundo serperet malo: Ex his enim ait,quorum sermo ut cancer serpit, latenti semper

*Als*persuasæ*

subrepentiq; contagio sanitatem * peruasæ mentis inficiens, ob quod sani sermonis in episcopo uoluit esse doctrinam,fidei conscientiam,& exhortationum scientiam,aduersum impias & mendaces & uæsanas contradictiones obnitentem. Multi enim sunt qui simulantes fidem non subditi sunt fidei,sibiq; fidem ipsi potius constituũt,quàm accipiunt,sensu humanæ inanitatis inflati, dum quæ uolunt sapiunt, & nolunt sapere quæ uera sunt,

Sapientiæ ueritas est interdum sapere quæ nolis

cum sapientiæ hæc ueritas sit,ea interdum sapere quæ nolis. Sequitur uero hanc uoluntatis sapientiam sermo stultitiæ. Quia necesse est quod stulte sapitur,stulte & prædicetur. Iam uero stulta prædicatio quantum malum est audientium, cum seducuntur in sententiam stultitiæ sub opinione sapientiæ? Et idcirco Apostolus hunc de his ordinem tenuit dicens: Sunt enim multi non subditi,& uaniloqui, & seductores. Contradicendum itaq; est, & impietati insolenti, & insolentiæ uaniloquæ, & uaniloquio seducenti, & contradicendũ per doctrinæ sanitatem,per fidei ueritatem, per uerborum synceritatem,ut & sanitas ueritatis sit,& ueritas sanitatis. Ac mihi quidem ea nunc cõmemorandæ huius sententiæ apostolicæ fuit causa, quia homines mente peruersi,& professione fallaces,& spe inanes,& sermone uiperei, contradicendi nobis necessitatem imponũt,dum letales doctrinas, & mor-

*Als*uoluntates*

bidas intelligentias, & corruptas * uoluptates,simplicitati audientium per speciem religionis insinuant. Id apud eos prætermissa apostolicæ prædicationis synceritate agentes, ne pater pater sit, ne filius filius sit, ne deus deus,sit,ne fides fides sit. Quorum uæsanis mendacijs renitentes usque eò

iam

iam ſermonem reſponſionis noſtræ extendimus,ut cum deum & deum & uerum deũ in uero deo demonſtraſſemus ex lege, tum deinde perfectam ac ueram unigeniti dei natiuitatem ex Euangelicis atq; Apoſtolicis doctrinis oſtenderemus,poſtremo ut uerum deum dei filium & indifferentis naturæ à patre,eodem prædicationis noſtrę curſu doceremus,ita ut nec ſingularem deum fides eccleſiæ, nec duos deos profiteretur, cũ nec natiuitas dei ſolitarium deum ſineret, nec natiuitas perfecta diuerſarum naturarum nomina in diſs duobus admitteret. Duplex autem nobis in refellendis eorum uaniloquiſs cura eſt,ut primum quæ ſunt ſancta & perfecta & ſana doceamus,neq; ſermo noſter per deflexus quoſdam atq; anfractus oberrans, & ex deuiſs atq; erraticis cuniculis emergens, ueritatem potius quærat quàm oſtendat:tum deinde ut quæ ab illis inanium ac fallacium ſententiarum argutiſs ad ſpeciem ueri blandientis aptantur, ea ipſa conſcientiæ omnium ridicula eſſe & inepta pandamus. Non enim ſufficit nobis docuiſſe quæ pia ſunt,niſi piſſima ea eſſe per id intelligantur, dum quæ impia ſunt refelluntur. Vt uero bonis & prudentibus uiris naturæ ac ſtudij eſt,totos ſe ad beatę ſpei alicuius obtinendam,uel rem,uel tempus pręparare, ne in aliquo minor ſit expectatione procinctus, ita iſtis hæretico furore amentibus ſolicitudinis maximæ eſt,toto aduerſus piæ fidei ueritatem impietatis ſuæ ingenio laborare,ut aduerſus eos qui religioſi ſunt,uincant eſſe irreligioſi,& ultra ſpem uitæ noſtræ, uitæ ſuæ deſperatione potiores ſint, & plus impendant cogitationis ad falſa,quàm nos doctrinæ aptamus ad uera. Piis enim fidei profeſſionibus has impiæ perfidiæ ſuæ contradictiones elaborauerunt, ut primum requirant, utrum ne nobis in fide deus unus ſit, deinde ſubijciant,an etiam Chriſtus deus ſit,poſtremo,an pater maior ſit filio, ut cũ audierint in profeſſione deũ unũ,utantur ea ad id, ne Chriſtus deus ſit. Nõ enim de filio quærunt an deus ſit, ſed id tantũ uolunt de Chriſto interrogando ne filius ſit,ut ſimplicis fidei hominẽ captantes, per unius eũ dei fidem à Chriſti dei confeſſione depellant,dum iam nõ unus deus ſit, ſi ſit deus confitendus & Chriſtus. Iam uero hic quanta ſecularis ingenij ſubtilitate contendunt,cũ dicunt:Si unus eſt,quiſquis ille alius uidebitur eſſe,iam non erit. Quòd ſi alius eſt, iam unus hic non erit, cum natura non ſinat, ut ubi alius eſt,ibi unus ſit: aut ubi ſit unus,ibi alius ſit. Dehinc cũ facilitatem credentis atque audientis, arte ſubdolæ huius aſſertionis eluſerint, tum id tanquam iam faciliore uia obtineant, ut deus Chriſtus ex nomine potius quàm ex natura ſit, quia hoc generale in eo nomen in nullo eam quæ uera ſola eſt,unius dei fidem deſtruat,& per hoc pater filio maior ſit,quia differente natura,cum non niſi deus unus eſt, maior pater ſit proprietate naturæ,ſitq; hic nuncupatus filius,& creatio ex dei uoluntate ſubſiſtens, quia & minor patre ſit,& deus nõ ſit, quia deus unus deum alium eſſe nõ patitur.

Interrogationes hæreticorum cum ſuis obiectionibus quòd filius nõ eſt deus

Et

Et qui minor eſt, neceſſe eſt ut naturæ ab eo qui ſe eſt maior alienæ ſit. Et hi quidem quàm ridiculi in eo ſunt præſcribentes deo, cũ aſſerunt, ex uno naſci nihil poſſe, quia uniuerſarũ rerum ex duorũ coniunctione natiuitas eſt. Deum autem indemutabilem nullam ex ſe natiuitatem tribuere poſſe naſcenti, quia nec acceſſioni id quod nõ demutatur obnoxium ſit, nec ſolitarij atq; unius natura id in ſe habeat conditionis, ut generet. Nos autẽ Euangelicam atque Apoſtolicam fidem doctrinis ſpiritualibus aſſecuti, & beatæ æternitatis ſpem in patris & filij confeſſione ſectantes, demonſtrato dei & dei ex lege ſacramento, neq; unius dei fidem excedentes, neq; non & deum Chriſtũ prædicantes, hunc ex Euangelijs reſponſionis ordinẽ ſumpſimus, ut ueram ex deo patre natiuitatem unigeniti dei doceremus, quia per eam & deus uerus eſſet, neq; à natura unius dei ueri eſſet alienus, ac ſic neq; deus negari poſſet, neq; ipſe alius deus dici, quia & deũ natiuitas præſtaret, & natura in eo unius dei, ex deo eum in deum alterũ non ſepararet.

Commuis ſenſus dicit, quòd unum ſunt in natura, quæ eadem nomina habent naturarũ

Et quanquam ad id nos cõmunis intelligentiæ ſenſus impelleret, ne in natura eadem naturarum nomina conuenirent, & nõ unum eſſent, quibus id quod ſunt non differret in genere, tamen ipſis hoc domini nunc profeſſionibus placuit oſtendi, qui cum frequenter fidei ac ſpei noſtræ deum unum intimaſſet, ut per ſacramentũ unius dei ſe quoq; deo profeſſo probatoq; firmaret, dixit: Ego & pater unum ſumus. Si ſcitis me, ſcitis & patrem meũ. Et qui me uidet, uidet & patrem. Et pater qui in me manet, ipſe facit opera ſua. Et credite mihi, quia pater in me, & ego in patre. Sin autẽ, uel propter opera credite. Natiuitatem ſuam in nomine patris expreſſit, cognoſci patrem in ſe cognito docet. Vnitatem naturæ fatetur, cum pater in ſe uiſo uidetur. Inſeparabilem ſe à patre teſtatur, cum in manente in ſe manet pater. Fiduciam cõſcientiæ tenet, cum his dictis ſuis credi poſtulet ex operatione uirtutis. Atq; ita in hac perfectæ natiuitatis beatiſſima fide, uicium omne & duũm deorum, & dei ſingularis extinguitur, cum qui unum ſunt, non ſit unus, & qui non unus eſt, non tamen ab eo qui eſt, ita ex aliquo differat, ut uterq; non unum ſint. Hæc igitur quia hæretici negare nõ poſſunt, quippe cũ ſint tam abſolute dicta atq; intellecta, tamen ſtultiſſimo impietatis ſuæ mendacio negando corrumpunt. Id enim quod ait: Ego & pater unum ſumus, tentant ad unanimitatis referre conſenſum, ut uoluntatis in his unitas ſit, non naturæ, id eſt, ut non per id quod idem ſunt, ſed per id quod idem

Obiectiones contra unitatem deitatis filij cum patre

uolunt, unum ſint. Et illud quod eſt in Actibus apoſtolorum, huic*diffinitioni ſuę aptant: Multitudinis autẽ credentium erat anima una & cor unũ, ut animarũ & cordium diuerſitas in cor unum atq; animam unam per conuenientiam eiuſdem uoluntatis unitas ſit. Vel illud quod ad Corinthios ſcribitur: Qui plantat autem & qui rigat, unum ſunt: ut nõ differente miniſterio ad ſalutem, & in eiuſdem ſacramenti profectũ, uoluntatis ſit unitas

in

in duobus. Vel id quod dominus ad ſalutem credituratum in ſe gentium à patre poſtulans,ait:Nō pro his rogo tantum, ſed & pro his qui credituri ſunt per uerbū eorum in me,ut omnes unū ſint, ſicut tu pater in me,& ego in te, ut & ipſi unum ſint in nobis: ut quia homines refundi in deū nō poſſunt,uel ipſi inuicem in unum atq; indiſcretum aceruum coire,id quod unū ſunt,ex unitate ſit uoluntatis, cū & omnes deo placita agant, & ipſi nō diſſidentibus inter ſe animorū motibus coeant. Atq; ita unum eos eſſe nō natura efficiat,ſed uoluntas. Neſcit ſanè ſapere, qui deū neſcit:& cum ſapientia Chriſtus ſit, neceſſe eſt ut extra ſapientiam ſit,qui Chriſtū aut ignorat, aut odit, ut iſti qui maieſtatis dominū, & regem ſeculorū, & unigenitū deū creaturam dei uolunt potius eſſe quàm filiū:& cum ſtulte mentiantur,ſtultius tamē in defenſione mendacij ſui ſapiunt. Dilata enim paululum etiam nūc ea,quæ in deo patre,& in deo filio eſt unitatis proprietate, ex his ipſis quibus utuntur refellendi ſunt. Namq; quorū anima & cor unum omniū erat,quęro utrum per fidem dei unum erat. Vtiq; per fidem,per eam enim anima una & cor unū omniū erat. Et interrogo, utrum fides una, an ne altera ſit? Vna certe,etiam ipſo Apoſtolo autore, unam fidem ſicuti unū dominum,& unū baptiſma,& unam ſpem,& unū deum prædicante. Si ergo per fidem, id eſt,per unius fidei naturam,utiq; unū omnes erāt,quomodo nō naturalem in his intelligis unitatem, qui per naturam unius fidei unum ſunt? Omnes enim renati erant ad innocentiam,ad immortalitatē,ad cognitionem dei,ad ſpem fidei. Et nō poſſunt hęc ſibi eſſe diuerſa,quia & ſpes una eſt,& deus unus eſt, ſicuti & dominus unus eſt,& baptiſma regenerationis unū eſt. Si hæc aſſenſu potius unū ſunt quàm natura, his quoq; qui in hæc renati ſunt,unitatē uoluntatis aſſcribe. Sin uero regenerati in unius uitæ atq; æternitatis naturam ſunt, per quod anima eorū & cor unum eſt, ceſſat in his aſſenſus unitas,qui unum ſunt in eiuſdem regeneratione naturæ. Non noſtra loquimur, neq; ad illudendas audientium aures corrupto dictorum ſenſu aliqua ex his ementita compingimus, ſed ſanæ doctrinæ formam tenentes, quæ ſyncera ſunt ſapimus & prædicamus. Docet enim Apoſtolus, ex natura ſacramentorum eſſe hanc fidelium dei unitatem, ad Galatas ſcribens: Quotquot enim in Chriſto baptizati eſtis,Chriſtum induiſtis,non ineſt Iudæus neq; Græcus,non ineſt ſeruus neq; liber,non ineſt maſculus neq; fœmina, omnes enim unum uos eſtis in Chriſto Ieſu. Quod unum ſunt in tanta gentium,conditionum,ſexuum diuerſitate,nunquid ex aſſenſu uoluntatis eſt,aut ex ſacramenti unitate,quia his & baptiſma ſit unum,& unum Chriſtum induti omnes ſunt? Quid ergo hic animorum concordia faciet, cum per id unum ſint, quòd uno Chriſto per naturam unius baptiſmi induantur? Aut cū qui plantat & qui rigat,unum ſint, nunquid non per hoc unum ſunt, quia ipſis in uno baptiſmo renatis una

Quomodo intelligitur multitudinis credentium erat anima una &c.

Qui plantat, & qui rigat unū ſunt

unius

Als*regenerantis

unius * regenerationis baptiſmi diſpenſatio ſit? Nunquid nõ & idẽ agunt? nunquid non in uno unum ſunt? Itaq; qui per rem eandem unum ſunt, natura etiam unum ſunt, non tantum uoluntate: quia & ipſi res eadem effecti ſunt, & eiuſdem rei atq; efficientiæ ſunt miniſtri. Proficit autem ſemper contradictio ſtultorum ad ſtultitiæ demonſtrationem, quia quæ ingenio inſipientis aut peruerſæ intelligentiæ aduerſus ueritatem coaptantur, dum & inconcuſſa & immobilis eſt, neceſſe eſt, ut quæ è diuerſo ſunt, & falſa intelligantur & ſtulta. Laborantes enim hæretici fallere per id quod dictum eſt: Ego & pater unum ſumus, ne naturæ in his unitas & indifferens diuinitatis ſubſtantia crederetur, ſed ex dilectione mutua, & ex uoluntatũ cõcordia unũ eſſent, exemplũ unitatis iſtius, ut ſuperius demonſtrauimus,

Vt omnes unum ſint, ſicut & tu pater in me & ego in te

etiam ex dictis Dominicis protulerunt, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipſi ſint in nobis. Extra Euangelica promiſſa eſt, quiſquis extra fidem eorum eſt, & impiæ intelligentiæ crimen ſpem ſimplicem perdidit. Habet enim non tam ueniam quàm præmiũ ignorare quod credas, quia maximũ ſtipendium fidei eſt, ſperare quæ neſcias: at uero ultimæ impietatis furor eſt, aut intellecta non credere, aut intelligentiam corrupiſſe credendi. Sed licet ipſum intelligentiæ ſuæ ſenſum impietas demutet, non tamen poteſt intelligentia non extare dictorum. Dominus patrem orat, ut qui in ſe crediturí ſint, unum ſint, ſicut ipſe in patre eſt, & pater in eo eſt, ita omnes in his unũ ſint. Quid hic æquanimitatem, quid per uoluntatis aſſenſum animæ & cordis unitatẽ introducis? Fuerat namq; in uerborum copia & proprietate, ut ſi uoluntas unum eſſe eos faceret, dominus ità precaretur: Pater ſicut nos unum uolumus, ita & illi unũ uelint, & unum per concordiam ſimus omnes. Aut fortè qui uerbũ eſt, ſignificationem uerbi ignorauit? & qui ueritas eſt, loqui uera neſciuit? & qui ſapientia eſt, in ſtultiloquio errauit? & qui uirtus eſt, in ea fuit infirmitate, ne poſſet eloqui quæ uellet intelligi? Loquutus planè ille eſt uera & ſyncera fidei Euangelicæ ſacramenta. Neq; ſolum loquutus eſt ad ſignificationem, ſed etiam ad fidem docuit, ita dicens: Vt omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipſi unum ſint in nobis. Pro his primum precatio eſt, de quibus dicitur: Vt omnes unum ſint: tum deinde unitatis profectus exemplo unitatis oſtenditur, cũ ait: Sicut tu pater in me, & ego inte, ut & ipſi unum ſint in nobis, ut ſicut pater in filio & filius in patre eſt, ita per huius unitatis formam, in patre & filio unum omnes eſſent. Sed quia ſoli patri & filio ex natura proprium eſt ut unũ ſint, quia deus ex deo, & unigenitus ex innaſcibili, nõ poteſt niſi in originis ſuæ eſſe natura, ita ut & in ſubſtantia natiuitatis ſuæ qui unigenitus eſt, exiſtat, neq; aliam ac diuerſam diuinitatis natiuitas habeat, quàm ex qua profecta eſt, ueritatem. Nihil nobis ambiguũ dominus ad fidem relinquens, abſolutæ unitatis huius toto conſequenti ſermone

docuit

docuit naturam. Id enim ſequitur: Vt & mundus credat, quia tu me miſiſti. Per id ergo mũdus crediturus eſt filium à patre miſſum eſſe, quod omnes qui crediturí in eum ſunt, unum in patre & filio erunt: & quomodo erunt, mox docemur: Et ego honorem quem dediſti mihi, dedi eis. Et nunc interrogo, utrum id ipſum ſit honor quod uoluntas, cum uoluntas motus mentis ſit, at uero honor naturæ, aut ſpecies, aut dignitas. Honorem ergo acceptum à patre filius omnibus qui in ſe crediturí ſunt dedit, non utiq; uoluntatem, quæ ſi data eſſet, non haberet fides præmium, cum fidem nobis neceſſitas affixę uoluntatis inferret. Accepti autem honoris datio, quo profi ceret oſtendit: Vt ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ob eam ergo cauſam acceptus honor datus eſt, ut omnes unum ſint. Iam igitur unum ſunt omnes in honore, quia non alius quàm qui acceptus eſt honor datus eſt: neq; ob aliud datus eſt, quàm ut omnes unũ eſſent. Et cum per honorem datum filio, & à filio præſtitum credentibus, omnes unũ ſunt, quæro quomodo filius diuerſi honoris à patre ſit, cum credentes omnes honor filij ad unitatem paterni honoris aſſumat? Et inſolens quidem hic fortè humanæ ſpei erit ſermo, ſed nõ erit infidelis, quia quamuis hoc ſperare temerarium ſit, tamen non credidiſſe irreligioſum eſt, cum idem atq; unus nobis & ſpei autor ſit & fidei. De hoc quidem planius & copioſius ſuo, ut cõgruit, loco tractabimus. Interim tamen etiam ex præſenti ſermone neq; inanis, neque temeraria eſſe hæc ſpes noſtra intelligitur. Per acceptum igitur & datũ honorem unũ omnes ſunt. Fidem teneo, atq; cauſam unitatis accipio, ſed non dum apprehendo rationem, quomodo datus honor unũ omnes eſſe perficiat. Sed dominus nihil fidelium conſcientiæ incertum relinquens, ipſum illum naturalis efficientiæ docuit effectum dicens: Vt ſint unũ, ſicut & nos unum ſumus, ego in his, & tu in me, ut ſint perfecti in unum. Eos nunc qui inter patrem & filium uoluntatis ingerunt unitatẽ, interrogo utrũm ne per naturæ ueritatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam uoluntatis? Si enim uere uerbum caro factum eſt, & nos uere uerbum carnem cibo dominico ſumimus, quomodo nõ naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento nobis cõmunicandæ carnis admiſcuit? Ita enim omnes unum ſumus, quia & in Chriſto pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. Quiſquis ergo naturaliter patrem in Chriſto negabit, neget prius non naturaliter uel ſe in Chriſto, uel Chriſtum ſibi ineſſe, quia in Chriſto pater, & Chriſtus in nobis, unum in his eſſe nos faciũt. Si uere igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & uere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, nosq; uere ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus, & per hoc unũ erimus, quia pater in eo eſt, & ille in nobis, quomodo uoluntatis unitas aſſeritur, cum natura-

lis per ſacramentum proprietas, perfectæ ſacramentũ ſit unitatis? Non eſt humano aut ſeculi ſenſu in dei rebus loquendum, neq; per uiolentam atq; impudentem prædicationem cœleſtium dictorum ſanitati alienæ, atq; impiæ intelligentiæ extorquenda peruerſitas eſt. Quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tunc perfectę fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti ueritate quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtulte atq; impie dicimus. Ipſe enim ait: Caro mea uere eſt eſca, & ſanguis meus uere eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De ueritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus, nunc enim & ipſius domini profeſſione & fide noſtra uere caro eſt, & uere ſanguis eſt. Et hæc accepta atq; hauſta id efficiũt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. An ne hoc ueritas non eſt? Contingat planè his uerum non eſſe, qui Chriſtum Ieſum uerũ eſſe deum negant. Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc quod nos ſumus, in deo eſt. Quod autem in eo per ſacramentum communicatæ carnis & ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur dicens: Et hic mundus iam me non uidet, uos autem me uidebitis, quoniã ego uiuo, & uos uiuetis, quoniã ego in patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Si uoluntatis tantum unitatem intelligi uellet, quur gradum quendam atq; ordinem conſummandæ unitatis expoſuit, niſi ut cum ille in patre per naturam diuinitatis eſſet, nos cõtra in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rurſum in nobis per ſacramentorum ineſſe myſteriũ crederetur, ac ſic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum nobis in ſe manentibus ipſe maneret in patre, & in patre manens ipſe maneret in nobis, & ita ad unitatẽ patris proficeremus, cum qui in eo naturaliter ſecũdum natiuitatem ineſt, nos quoq; in eo naturaliter inneſſemus, ipſo in nobis naturaliter permanente. Quòd autem in nobis naturalis hæc unitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt: Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meũ, in me manet, & ego in eo. Nõ enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit, eius tantũ in ſe aſſumptã habens carnem, qui ſuã ſumpſerit. Perfectæ autem huius unitatis ſacramentum ſuperius iam docuerat dicens: Sicut me miſit uiuens pater, & ego uiuo per patrem, & qui manducat meam carnem, & ipſe uiuet per me. Viuit ergo per patrem, & quomodo per patrem uiuit, eodem modo nos per carnem eius uiuemus. Omnis enim cõparatio ad intelligentiæ formã præſumitur, ut id de quo agitur, ſecundũ propoſitum exemplũ aſſequamur. Hęc uero uitę noſtræ cauſa eſt, quod in nobis carnalibus manẽtem per carnem Chriſtũ habemus uicturis nobis per eum ea conditione qua uiuit ille per patrem. Si ergo nos naturaliter ſecundum carnem per eum uiuimus, id eſt, naturã carnis ſuæ adepti, quomodo non naturaliter ſecundum ſpíritum in ſe patrem habeat, cum uiuat ipſe per patrem? Per patrem autem uiuit, dum natiuitas non alienam ei intulit diuerſamq;

Caro mea uere eſt eſca, & ſanguis meus uere eſt potus

Quomodo uiuit Chriſtus p patrẽ, & nos uiuimus per eius carnem

uerſamq; naturam,dum quod eſt,& ab eo eſt, nec tamen ab eo per aliquã incidentem naturæ diſſimilitudinem ſeparatur, dum in ſe habet patrẽ per natiuitatem in uirtute naturæ. Hæc autem idcirco à nobis commemorata ſunt, quia uoluntatis tantum inter patrem & filiũ unitatem hæretici mentientes,unitatis noſtræ ad deum utebantur exemplo, tanquam nobis ad filium & per filium ad patrem obſequio tantum ac uoluntate religionis unitis,nulla per ſacramentum carnis & ſanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur,cum & per honorem nobis datum dei filij, & per manentem in nobis carnaliter filium,& in eo nobis corporaliter & inſeparabiliter unitis,myſterium ueræ ac naturalis unitatis ſit prædicandum. Reſponſum igitur à nobis eſt ſtultitiæ furentium, ad demonſtrationem tantũ inanis mendacij,ne imperitos fallerent uanæ ac ridiculæ aſſertionis errore. Cęterum fides euangelica reſponſionis noſtræ neceſſitate nõ eguit, unitatem noſtram ad deum dominus pro nobis precatus eſt,ſuam uero obtinet ille, & in ea manet. Nec per ſacramentum diſpenſationis unum ſunt,ſed per naturæ natiuitatẽ,dum nihil in eo ex ſe deus eum gignendo degenerat. Vnũ ſunt,dum quæ de manu eius non rapiuntur, nõ rapiuntur de manu patris, dum eo cognito pater cognitus eſt, dum eo uiſo pater uiſus eſt,dum quæ loquitur,pater in ſe manens loquitur, dum in operante ſe operatur pater, dum ipſe in patre eſt,& pater in eo eſt. Hoc nõ præſtat creatura, ſed natiuitas: non efficit uoluntas, ſed poteſtas: nõ loquitur unanimitas, ſed natura. Quia nõ eſt unum creari & naſci,neq; uelle id ipſum eſt quod & poſſe,neque concordare idem eſt quod manere. Non negamus igitur unanimitatem inter patrem & filium,nam hoc ſolent hæretici mentiri, ut cum ſolum concordiã ad unanimitatem non recipimus,diſcordes eos à nobis affirmari loquãtur. Sed audiant cęp à nobis unanimitas nõ negetur. Vnum ſunt pater & filius natura, honore, uirtute: nec natura eadem poteſt uelle diuerſa. Et audiant ad hoc naturę ſibi cum patre unitatem filiũ teſtantem,ait enim: Cum uenerit aduocatus ille quem ego mittam uobis à patre ſpiritũ ueritatis,qui à patre meo procedit,ipſe teſtificabitur de me. Aduocatus ueniet,& hunc mittet filius à patre,& ſpiritus ueritatis eſt,qui à patre procedit. Excutiat ingenij ſui aculeos omnis hæreticorum ſchola, & quærat nunc, quod uel mentiri ab ignorantibus poſſit, & doceat quid ſit hoc quod filius mittit à patre. Qui mittit,poteſtatẽ ſuã in eo quod mittit, oſtendit: ſed quod à patre mittit quid intelligimus, utrũ acceptũ ac dimiſſum aut genitũ? Nam horum neceſſe eſt unum aliquid ſignificet, quod à patre miſſurus eſt, & miſſurus à patre eſt eum ſpiritum ueritatis,qui à patre procedit. Iam ergo non eſt acceptio, ubi demonſtrata proceſſio eſt: ſupereſt ut confirmemus in eo ſententiam noſtram,utrum in hoc conſiſtentis egreſſionem, an geniti proceſſionem exiſtimemus. Neq; in hoc nunc calumnior libertati intel-

Intellectus huius,ut & ipſi unũ ſint in nobis

Quomodo ſpiritus ſanctus à patre procedit, & à filio mittitur, & ſimilia

ligentiæ, utrum ex patre an ex filio ſpiritum paracletum putent eſſe. Non enim in incerto dominus reliquit, nam ſub iſdem dictis ita loquutus eſt: Adhuc multa habeo uobis dicere, ſed nō poteſtis portare illa modo: Cum uenerit ille ſpiritus ueritatis, diriget uos in omni ueritate. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audierit loquetur, & futura annunciabit uobis. Ille me honorificabit, quoniam de meo accipiet, & annunciabit uobis. Omnia quæcunq; habet pater, mea ſunt, propterea dixi, de meo accipiet, & annunciabit uobis. A filio igitur accipit, qui & ab eo mittitur, & à patre procedit, & interrogo utrum id ipſum ſit à filio accipere, quod à patre procedere. Quòd ſi nihil differre creditur inter accipere à filio, & à patre procedere, certe id ipſum atq; unum eſſe exiſtimabitur, à filio accipere, quod ſit accipere à patre. Ipſe enim dominus ait: Quoniam de meo accipiet, & annunciabit uobis. Omnia quæcunq; habet pater mea ſunt, propterea dixi, de meo accipiet, & annunciabit uobis. Hoc quod accepit, ſiue poteſtas eſt, ſiue uirtus, ſiue doctrina eſt, filius à ſe accipiendum eſſe dixit: & rurſum hoc ipſum ſignificat accipiendum eſſe à patre, cum enim ait: Omnia quæcunq; habet pater, ſua eſſe, & idcirco dixiſſe ſe de ſuo accipiendum eſſe, docet etiam à patre accipienda, à ſe tamen accipi, quia omnia quæ patris ſunt, ſua ſint: non habet hæc unitas diuerſitatem, nec differt à quo acceptū ſit, quod datum à patre, datum referatur à filio. Nunquid & hic uoluntatis unitas afferetur? Omnia quæ habet pater, filij ſunt: & omnia quæ filij ſunt, patris ſunt. Ipſe enim ait: Et mea omnia tua ſunt, & tua mea. Nondum loci eſt, ut demonſtrem quur ita dixerit, quoniam de meo accipiet: futuri enim temporis ſignificatio eſt ubi accepturus eſſe oſtenditur: nunc certe ideo à ſe accepturum ait, quia omnia patris ſua eſſent. Diſſeca naturæ huius, ſi potes, unitatem, & aliquam diſſimilitudinis infer neceſſitatem, per quam filius non ſit in unitate naturæ. A patre enim procedit ſpiritus ueritatis, ſed à filio mittitur, & à patre: omnia quæ patris ſunt, filij ſunt, & idcirco quicquid accipiet, à filio accipiet ille mittendus, quia filij ſunt uniuerſa quæ patris ſunt. Natura itaque in omnibus tenet ſuam legem, & quod unum ambo ſunt, eiuſdem in utroq; per generationem natiuitatemq; diuinitatis ſignificatio eſt, cum id quod accipiet à patre ſpiritus ueritatis, id filius dandum à ſe fateatur. Non permittenda itaq; ad impiæ intelligentiæ libertatem hæretica peruerſitas eſt, ut dictum hoc domini quod quia omnia quæ patris ſunt, ſua ſunt, idcirco à ſe accipiet ſpiritus ueritatis, non ad unitatem confiteatur referendum eſſe naturæ. Loquatur enim ille, qui electionis eſt uas, & gentium prædicator, ſecundum ueritatis intelligentiam fide Romanæ plebis ante laudata. Volens enim naturæ unitatē in patre & filio docere, ita ait: Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi quidem ſpiritus dei in uobis eſt. Si quis autem ſpiritū Chriſti non habet, hic non eſt eius. Si autē Chriſtus

in uobis

in uobis eſt,corpus quidem mortuum eſt per peccatum, ſpiritus autem uita eſt per iuſtitiam. Si autem ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in uobis,qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis: uiuificabit & mortalia corpora ueſtra propter ſpiritum ſuum, qui habitat in uobis. Spirituales omnes ſumus, ſi in nobis eſt ſpiritus dei, ſed hic ſpiritus dei & ſpiritus Chriſti eſt. Et cum Chriſti ſpiritus in nobis eſt, eius tum ſpiritus in nobis eſt, qui Chriſtum ſuſcitauit à mortuis: & qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, corpora quoq; noſtra mortalia uiuificabit propter habitantem ſpiritum eius in nobis. Viuificamur ergo propter habitantem in nobis ſpiritũ Chriſti, per eum qui Chriſtum ſuſcitauit à mortuis. Et cum eius qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis,in nobis eſt ſpiritus,& ſpiritus tum in nobis eſt Chriſti, nec tamen non dei eſt ſpiritus, qui in nobis eſt. Diſcerne igitur ô hæretice, ſpiritum Chriſti ab ſpiritu dei, & excitati à mortuis ſpiritum Chriſti ab ſpiritu dei, Chriſtum à mortuis excitantis, cum qui inhabitat in nobis ſpiritus Chriſti, ſpiritus dei ſit: & cum ſpiritus Chriſti à mortuis excitati, ſpiritus tamen dei ſit,Chriſtum à mortuis excitantis.Et quæro nunc in ſpiritu dei utrum ne naturam, an rem naturæ ſignificatam exiſtimes. Non idem eſt enim natura,quod naturæ res:ſicuti non idem eſt homo, & quod hominis eſt. Nec idem eſt ignis,& quod ignis ipſius eſt: & ſecundum hoc non idem eſt deus, & quod dei eſt. Memini enim in ſpiritu dei ita filium dei ſignificari, ut in eo deus pater demonſtratus eſſe intelligatur,& ad cuiuſuis demonſtrationem poſſe ſignificatum dei ſpiritum pertinere: neque tantum hoc ex prophetica, ſed ex euangelica autoritate monſtrari, cũ dicitur:Spiritus domini ſuper me,propterea unxit me. Et rurſum: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo complacuit animæ meæ, ponam ſuper eum ſpiritum meum:Et ipſo de ſe domino teſtante: Si autem in ſpiritu dei ego eĳcio dæmonia, utiq; appropiauit in uobis regnum dei: hæc enim uidentur non ambigue uel patrem ſignificare,uel filium, uirtutem tamen naturæ manifeſtantia. Nanq; idcirco dictum exiſtimo,in utroq; ſpiritum dei, ne ſecundum corporales modos ita ineſſe filium in patre,uel patrem in filio crederemus,ſcilicet ne loco deus manens, nuſquam alibi extare uideretur à ſeſe.Homo enim,aut aliquid aliud ei ſimile,cum alicubi erit, tum alibi non erit,quia id quod eſt illic,continetur ubi fuerit, infirma ad id natura eius,ut ubiq; ſit,qui inſiſtens alicubi ſit. Deus autem immenſæ uirtutis uiuens poteſtas,quæ nuſquam nõ adſit,nec deſit uſquam, ſe omnem per ſua edocet,& ſua non aliud quàm ſe eſſe ſignificat,ut ubi ſua inſint,ipſe eſſe intelligatur, non autem corporali modo, cum alicubi ſit, non & ubiq; eſſe credatur,cum per ſua in omnibus eſſe nõ deſinat, nõ aliud autem ſint quàm quod eſt ipſe,quæ ſua ſunt.Et hæc quidem ad naturę intelligentiam dicta ſunt.In ſpiritu autem dei patrem deum ſignificari, ita exiſtimo intel-

De ſpiritu Chriſti,qui idem eſt etiã ſpiritus dei

Spiritus domini ſuper me

In ſpũ aũt dei pater deus ſignificatur

ligi oportere, quòd ſpiritum domini ſuper ſe eſſe dominus Ieſus Chriſtus profeſſus ſit, propter quod eum ungat, & mittat ad euangelizandũ. Paternæ enim naturæ uirtus in eo manifeſtatur. Naturæ ſuæ communionem in filio etiam incarnato per ſacramentum ſpiritualis huius unctionis oſtendens, cum poſt conſummati baptiſmi natiuitatem hæc proprietatis ſignificatio eſt audita, uoce teſtante de cœlo: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Non enim uel ipſe ſuper ſe eſſe, uel ſibi de cœlis adeſſe, uel ipſum ſe cognominaſſe ſibi filium intelligendus eſt. Sed omnis hæc fidei noſtræ fuit demonſtratio, ut ſub perfectæ ac ueræ natiuitatis ſacramento unitatem naturæ paternæ manentis in filio, qui etiam homo eſſe cœperat, noſceremus. Et patrem quidem in dei ſpiritu ita ſignificari repertum eſt, filium uero hoc modo demonſtratum intelligamus cum dicit: Quòd ſi in ſpiritu dei ego eiſcio dæmones, utiq; appropiauit in uobis regnum dei, ſe ſcilicet, id eſt, naturæ ſuæ poteſtate dæmones eiſcere demonſtrans, qui non niſi dei ſpiritu eiſci poſſint. Eſt autem & in ſpiritu dei ſpiritus paracleti ſignificatio, neque ſolum prophetica, ſed apoſtolica ueritate, cum dicitur: Sed hoc eſt quod dictum eſt per prophetã: Erit in nouiſſimis diebus dicit dominus, effundam de ſpiritu meo in omnem carnem, & prophetabunt filij eorum & filiæ eorum. Conſummatum hoc tunc in apoſtolis totum fuiſſe docetur, cum miſſo ſpiritu ſancto, omnes linguas gentium ſunt loquuti. Hæc autem idcirco ſunt demonſtrata neceſſario, ut in quamcunq; ſe licet partem hæretica falſitas contuliſſet, finibus tamen atq; præſcripto ueritatis euangelicæ concluderetur. Habitat enim in nobis Chriſtus, & habitante Chriſto habitat deus, & cum habitat in nobis ſpiritus ſanctus, habitat tum in nobis ſpiritus Chriſti, nõ alius tamen ſpiritus habitat quàm ſpiritus dei. Quòd ſi per ſpiritum ſanctum Chriſtus in nobis eſſe intelligitur, hunc tamen ita ſpiritum dei, ut ſpiritum Chriſti eſſe noſcendum eſt. Et cum per naturam dei natura ipſa habitet in nobis, indifferens natura filij eſſe credetur à patre, cum ſpiritus ſanctus, qui & ſpiritus Chriſti & ſpiritus dei eſt, res naturæ demõſtratur unius. Quæro nunc igitur, quomodo nõ ex natura unum ſunt. A patre procedit ſpiritus ueritatis, à filio mittitur, & à filio accipit. Sed omnia quæ habet pater, filij ſunt, & idcirco qui ab eo accipit, dei ſpiritus eſt, ſed idem & ſpiritus Chriſti eſt. Res naturæ filij eſt, ſed eadem res & naturæ patris eſt, & dei excitãtis Chriſtũ à mortuis ſpiritus eſt, ſed idem ſpiritus Chriſti eſt à mortuis excitati. In aliquo differat Chriſti & dei natura ne eadem ſit, ſi præſtari poteſt, ut ſpiritus qui dei eſt, non ſit & Chriſti. Sed te hæretice furentem, & ſpiritu doctrinæ mortiferæ circumactum tenet & coartat Apoſtolus, Chriſtũ nobis fundamentũ ponens fidei, dicti huius quoq; domini ci nõ neſcius: Si quis diligit me, ſermonem meũ ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionẽ apud eum faciemus. Per id eñ

In ſpiritu dei eſt etiã ſignificatio ſpiritus paracleti

ſpiritu

ſpiritu in nobis Chriſti manente, dei ſpiritũ in nobis manere teſtatus eſt: nec diuerſum à ſe eſſe ſpiritum à mortuis excitati Ieſu, & ſpiritum à mortuis excitantis Ieſum. Veniunt enim atq; habitant in nobis, & rogo utrũ comitatu diuerſitatũ uenient, manſionemq; facient, an unitate naturæ? Sed obnititur doctor gentium, non duos ſpiritus, dei ſcilicet & Chriſti, ſed ſpiritũ Chriſti, qui & ſpiritus dei eſt, ineſſe credentibus. Non eſt cohabitatio, ſed habitatio eſt. Sub ſacramento tamen cohabitationis habitatio, dum neq; duo habitant, neq; ab alio diuerſus habitator eſt. Eſt enim in nobis ſpiritus dei, & eſt in nobis ſpiritus Chriſti: & cũ ſpiritus Chriſti ineſt, ineſt ſpiritus dei. Ita cum quod dei eſt, & Chriſti eſt, & cum quod Chriſti eſt, & dei eſt, nõ poteſt aliud quid diuerſum Chriſtus eſſe q̃ deus eſt. Deus igitur Chriſtus eſt unus cum deo ſpiritus. Et illud euangelicum: Ego & pater unum ſumus. Docet Apoſtolus unitatem eſſe naturæ, nõ ſolitudinem unionis, ſcribens Corinthijs: Propter quod notũ uobis facio, quòd nemo in ſpiritu dei loquens, dicit anathema Ieſum. Scis ne nunc hæretice, in quo ſpiritu dicas Chriſtũ creaturam? Cum enim in anathemate ſint, qui ſeruierũt creaturæ potius q̃ creatori, Chriſtũ creaturam cõfitens, quid ſis intellige, & qui non ignoras, quin in maledicto ſit religio creaturæ, & quid ſequatur, aduerte: Nemo poteſt dicere dominũ Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. Sentis ne quid tibi deſit, Chriſto negando quod ſuũ eſt? Si per naturã dei Chriſtus tibi dominus eſt, habes ſpiritũ ſanctum: ſi uero per adoptiuũ nomen hic dominus eſt, ſpiritu ſancto carens, ſpiritu erroris animaris, quia nemo niſi in ſpiritu ſancto dominũ Ieſum poteſt dicere, & tu creaturam eum potius q̃ deum dicis? Dominum licet nuncupes, dominũ tamen eſſe non dicis, quia tibi ex communi genere potius, & familiari nomine, quàm ex natura ſit dominus. Sed à Paulo, & dei ſpiritu in eo diſce naturam, ſequitur enim: Diuiſiones autem donorum ſunt, idem autem ſpiritus eſt: & diuiſiones miniſteriorum ſunt, idem autem dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem autem deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad id quod utile eſt. In præſenti ſermone quadrimoda ſignificatio intelligitur, cum in diuiſione donorum idem ſpiritus eſt, & in diuiſione miniſteriorum idem ipſe dominus eſt, & in diuiſione operationum idem deus eſt, & in utilitatis datione manifeſtatio ſpiritus eſt. Atq; ut datio utilitatis in manifeſtatione ſpiritus noſceretur, continuo ſubiectum eſt: Huic quidem per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alij autem fides in eodem ſpiritu, alij donum curationum in eodem ſpiritu, alij operatio uirtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonũ, & quidem id quod quartum eſſe diximus, id eſt, in datione utilitatis ſpiritus manifeſtationum, abſolutam habet intelligentiam. Commemoratum eſt enim,

Deus eſt Chriſtus, unus cum deo ſpiritus

Probat Chriſtũ deum, quia Chriſti & dei idem eſt ſpũs

per quas dationum utilitates hæc eſſet ſpiritus manifeſtatio. In his nanq; diuiſionum uirtutibus non incerta doni huius oſtenſio eſt, de quo dominus ad apoſtolos dixerat,præcipiens his, ne ab Hieroſolymis diſcederent, ſed expectarent promiſſionem patris, quã audiſtis ex ore meo. Quoniam Ioannes baptizauit aqua,uos autem ſpiritu ſancto tingemini,quem & accipietis non poſt multos hos dies.Et rurſum: Sed accipietis uirtutem ſuperueniente ſpiritu ſancto in uos,& eritis mihi teſtes in Hieruſalem,& in omni Iudæa & Samaria,& uſq; ad ultimũ terræ.Promiſſionem patris quæ de ore eius audita eſt,expectari iubet.Certe etiam nunc paternę eius promiſſionis eloquium eſt. Per has igitur uirtutum efficientias manifeſtatio ſpiritus eſt:neq; enim in occulto eſt ſpiritus donum,ubi ſermo ſapientiæ eſt, & uerba uitæ audiuntur: uel ubi diuinæ cognitionis ſcientia eſt, ne pecudum modo per ignorationẽ dei,uitæ noſtræ ignoremus autorem:uel per fidem dei,ne non credentes euangelio dei,extra euangelium dei ſimus:uel per donum curationum,ut gratiam eius quæ hæc tribuit, infirmitatum curatione teſtemur:uel per operationem uirtutum, ut quod agimus, dei eſſe uirtutis intelligatur:uel per prophetiam,ut per doctrinam intelligamus ex deo eruditi:uel per diſcretionem ſpirituum,ne ignari ſimus,ſancto an peruerſo ſpiritu quis loquatur:uel per genera linguarũ, ut in ſignũ dati ſpiritus linguarum ſermo donetur:uel in interpretatione linguarum,ne ignoratione fides audientium periclitetur, cum linguam ignorantibus linguæ interpretator abſoluat.In his igitur omnibus modis ad utilitatem unicuiq; diuiſis manifeſtatio ſpiritus eſt,per has ſcilicet datæ unicuiq; utilitatis adminiſtratione, dono ſpiritus non latente. Tenuit autem beatus Apoſtolus Paulus in hoc difficillimo ad humanam intelligentiam cœleſtium ſacramentorum myſterio,& abſolutam demonſtrationem, & ſolicitam cautelam, ut per ſpiritum in ſpiritu dari hæc diuiſionum dona monſtraret,ne fortè nõ per Chriſtum, & in Chriſto omnia crederentur, quia datio doni quæ obtinetur in ſpiritu,hæc tamen indulta per ſpiritum ſit. Conſummat autem has dationum diuiſiones hoc modo: Hæc autem omnia operatur unus & idem ſpiritus, diuidens unicuique pro ut uult. Nunc igitur quæro, quis hæc ſpiritus operetur,diuidens unicuique pro ut uelit. Vtrum Ieſus Chriſtus deus ſpiritus, per quem & in quo donorum diuiſio eſt. Quòd ſi non id ipſum ſignificatum eſſe loqui aliquis audebit,contradicet Apoſtolus,quur ſe uitioſe lector intelligat,ait enim ſuperius:Et diuiſiones operationum ſunt,idem autem deus qui operatur omnia in omnibus. Alius eſt ergo qui diuidit,& alius eſt in quo indulta diuiſio eſt. Et intellige operantem hæc omnia ſemper deum,ita tamẽ,ut Chriſtus operetur, ut paterno opere operatus filius fungatur.Et ſi in ſpiritu ſancto Ieſum dominũ confiteris, intellige tripartitę ſignificationis in Apoſtolo uirtutem,cum in diuiſionibus donorũ idem

Nota hic multa de ſpiritu ſancto

ſpiritus

ſpiritus eſt,& in diuiſionibus miniſteriorũ idem dominus eſt, & in diuiſionibus operationum idem deus eſt. Et rurſum omnia operatur unus ſpiritus unicuiq; ſicut uult diuidens. Et apprehende, ſi potes, dominum in diuiſione miniſteriorũ,& deum in diuiſione operationum, hũc eundem unum eſſe ſpiritum,& hæc inoperantem,& pro ut uult,diuidentem, quia in diuiſionibus donorum unus eſt ſpiritus,& idem operatur ac diuidit. Aut ſi diſplicet in deo & in domino unus hic eiuſdem per natiuitatis ſacramentum, & diuinitatis ſpiritus,oſtende quis ſpiritus,& in quo ſpiritu has nobis diuiſiones & operetur & diuidat. Sed nihil aliud quàm quod fidei noſtræ eſt oſtendes,quia Apoſtolus qui eſſet intelligendus oſtẽdit dicens: Sicut enim unum eſt corpus,membra autem habet multa, omnia autem membra ex uno corpore cum ſint multa,unũ eſt corpus,ſic & Chriſtus. Diuiſiones ergo chariſmatum ex uno domino Ieſu Chriſto qui corpus eſt omniũ, eſſe ſignificat: quia cum oſtendiſſet dominum in miniſterio, oſtendiſſet etiam deum in operationibus,unum tamen hęc omnia ſpiritum & operari & diuidere demonſtrat,membra hæc gratiarum in perfectionem unius corporis diuidentem: niſi fortè nõ tenuiſſe rationem unitatis in eo Apoſtolũ exiſtimas quod dixit: Et diuiſiones miniſteriorũ ſunt, idem autem dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idem autem deus. Vt quia miniſteria ad dominum retulit,& operationes ad deum, nõ unum atq; idipſum in miniſteriis atq; operationbus uideatur intelligi. Accipe quàm hæc membra miniſteriorum membra operationum ſunt,cum ait: Vos eſtis corpus Chriſti & membra. Et quoſdam quidem poſuit deus in eccleſia, primum apoſtolos,in quibus eſt uerbum ſapientiæ: ſecundo prophetas,in quibus eſt donum ſcientiæ: tertio magiſtros,in quibus eſt doctrina fidei: deinde uirtutes,in quibus ſunt curationes infirmitatum,auxiliorum poteſtates, gubernationes prophetales,& dona,genera linguarũ, uel loquendi uel interpretandi. Certe hęc eccleſiæ & miniſteria ſunt & operationes,in quibus eſt corpus Chriſti,& hæc deus ſtatuit. Aut profitere non per Chriſtum ſtatuta, quia ea deus ſtatuit,ſed audies ipſum dicentem: Vnicuiq; autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Et iterum: Qui deſcendit ipſe eſt,qui & aſcendit ſuper omnes cœlos,ut adimpleat omnia, & ipſe dedit quoſdam apoſtolos, quoſdam autem prophetas, quoſdam autem euangelizantes,quoſdam autem paſtores & doctores,ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij. Nunquid miniſteriorum dona non Chriſti ſunt, cum tamen & inoperantis dei dona ſint? Sed ſi id ſibi uſurpauit impietas, ut quia ait: idem dominus & idem deus,non ſint in unitate naturæ,adiungam uero huic intelligentiæ tuæ,ut putas,firmiora præſidia. ipſe enim Apoſtolus ait: Sed nobis unus deus pater eſt, ex quo omnia, & nos in ipſo. Et unus dominus Ieſus, per quem omnia, & nos per

ipſum

ipſum.Et rurſum: Vnus dominus,una fides,unum baptiſma. Vnus deus & pater omnium,qui ſuper omnia,& per omnes,& in omnibus nobis. Per id enim quod dicitur,unus deus & unus dominus,deo tantum quaſi uni deo proprium deputari uidetur ut deus ſit, cum proprietas unitatis cõſortium non patiatur alterius.O planè rara ac difficilia chariſmatum dona, & uere in hac utilitatum datione manifeſtatio ſpiritus conſtituta, & merito hic diuidendarum gratiarum ordo ſeruatus eſt,ut principalis eſſet ſermo ſapientiæ.Vere enim illud eſt,& nemo poteſt dicere dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto,quia niſi per hoc ſapientię uerbum Chriſtus dominus non poteſt intelligi. Tum deinde ſequens eſſet ſermo ſcientiæ, ut quod ſapimus, ſcienter loquamur, ita ut ſapiamus ſapientiæ uerbum. Tertium uero donum in fide eſſet,quia illa principalia & ſuperiora utilitatem doni niſi deus crederetur,amitterent, ut nunc in huius maximi & pulcherrimi dicti apoſtolici ſacramento,hæreticis omnibus nec uerbum ſapientiæ eſt, nec ſermo ſcientiæ, nec religionis fides, quia impietas quæ non capit intelligentiam, extra ſermonis ſcientiam & extra ſimplicitatẽ fidei eſt. Nec enim quiſquã quod non ſapit loquitur,nec quod loqui nõ poteſt,poteſt credere. Vnum itaq; deũ Apoſtolus prędicans,& ex lege ueniens,atq; in Euangeliũ Chriſti uocatus,perfectæ fidei tenuit confeſſionem.Et ne aliquã hæreticis occaſionem tanquam incauti ſermonis ſimplicitas præſtaret, ut natiuitatem filij per unius dei prædicationem negarent, unum deum ſub proprietatis ſignificatione confeſſus eſt, dicens ita: Vnus deus pater, ex quo omnia, & nos in ipſo, ut qui deus eſt, & pater crederetur. Dehinc quia nudum hoc in unum deum credere, non proficeret ad ſalutem,ſubiecit: Et unus dominus noſter Ieſus Chriſtus per quem omnia,& nos per ipſum,ſyncerítatem fidei ſalutaris in unius dei & in unius domini prædicatione demonſtrans, ut nobis & unus deus pater,& unus dominus Ieſus Chriſtus in fide eſſent. Non enim dictum ignorabat à domino: Hæc eſt enim uoluntas patris mei,ut omnis qui uidet filium & credit in eum,habeat uitam ęternam.Sed fidei eccleſiaſticæ ordines ponens,fidem noſtram in patre & filio ſtatuens, inſeparabilis illius atque indiſſolubilis unitatis & fidei ſacramentum locutus eſt dicens: Vnus deus & unus dominus. Ac primum extra Apoſtolicum ſpiritum uiuens,ſtultitiam tuam hæretice intellige.Si enim profeſſionem unius dei ad id uſurpas,ne deus Chriſtus ſit,quia ubi unus eſt, ſolitarius ſit intelligendus, & id quod unus eſt, proprium ei ſit & ſingulare,qui unus eſt, quid de eo profiteberis quod Ieſus Chriſtus unus eſt dominus? Si enim ſecundum te quod unus pater deus eſt, Chriſto non relinquit ut deus ſit,neceſſe eſt,ut etiam ſecundum te unus dominus Chriſtus deo non relinquat ut dominus ſit,quia quod unus eſt,propriũ ei uelis eſſe qui unus eſt. Si enim itaque unum dominum Chriſtum eſſe etiam deum negabis,

unum

unum quoq; deum patrem esse negabis & dominũ, & quid erit in dei uir/
tute,nisi dominus est,& in domini proprietate,nisi deus est, cum deũ perfi
ciat id esse quod dominus est, dominum id constituat esse quod deus est?
Sed sacramentũ dicti dominici Apostolus tenens quod est, ego & pater
unum sumus:dum utrunq; unũ profitetur,unum utrunq; significat, nõ ad
solitudinem singularis, sed ad spiritus unitatem, quia unus deus pater, &
unus Christus dominus,cum uterq; & dominus & deus sit, deus tamen in
fide nostra nec deos patitur esse nec dominos. Vnus igitur uterque est,&
unus cum sit,uterq; non solus est.Nec loqui sacramentũ fidei,nisi apostoli
ca uoce poterimus: Vnus est deus, & unus est dominus.Et per id quod u/
nus est deus,& unus est dominus,in deo demonstratur dominus,sicut de/
us demonstratur in domino,ut in uno deo patre unũ significaret & domi/
num,*non tenẽs unionẽ,ut deus singularis sit, nec tamen diuidis spiritum, *Als non reti/
ut uterq; non unũ sint,neq; in uno deo, & in uno domino discernere pote/ nens uterq; u/
ris potestatẽ,ne qui dominus est,non sit & deus,uel qui deus est,non sit & nionem ut de/
dominus.Cauet enim Apostolus per eloquia nominũ duos uel deos præ/ us singularis
dicare uel dominos,& idcirco usus est eo genere doctrinæ, ut in uno domi sit,nec tamen
no Christo unum significaret & deum,& in uno deo patre unum significa diuidens spiri
ret & dominũ.Ne tamen impiam nobis ad perimendam unigeniti dei na/ tum
tiuitatem inueheret unionem, & patrẽ professus est & Christũ. Nisi fortè
eousq; ultimæ desperationis furor audebit erumpere, ut quia Christũ do/
minum Apostolus dixerit,nemo aliud eum præter cq̃ dominũ debeat con
fiteri,& habens domini proprietatem,non habeat dei ueritatem. Sed non
ignorat Paulus Christum dominum dicens: Quorum patres & ex quibus Quorũ pa/
Christus,qui est super omnia deus. Non hic creatura in deum deputatur, tres & ex qui
sed creaturarum deus est,qui super omnia deus est. Quòd uero super om/ bus Christus,
nia deus & inseparabilis sit à patre spiritu, discе etiam de hoc ipso de quo qui est super
nunc agitur Apostoli dicto.Confessus enim unum deum patrem, ex quo omnia deus
omnia sunt,& unum dominum Iesum Christum,per quem omnia, quero
quid diuersitatis attulerit dicens:Ex deo omnia,per Christũ omnia? An ne
possit separabilis à se natura & spiritus intelligi, ex quo,& per quẽ omnia.
omnia enim per filium ex nihilo substiterunt: & ad deum,ex quo omnia:
ad filiũ uero, per quem omnia Apostolus retulerit.Et nõ inuenio quid dif/
ferat, cum utrunq;*apposuit uirtutis eiusdem.Si enim ad uniuersitatis sub/ Als*per opus
stantiam propriũ ac sufficiens creaturis esset quòd ex deo sunt,quid habuit sit
necessitatis memorare,quòd quę ex deo sunt,per Christum sint,nisi quòd
unum idemq; est per Christum esse,& ex deo esse? Sed quemadmodum
dominũ & deum utriq; eorum,ut mutuũ esset, ascriptum est, ita ex quo &
per quem,relatũ ad utrunq; est, & ad demonstrationem unitatis utriusq;,
nec ad intelligentiam singularis.Non patet ad occasionem impietatis pius

sermo

ſermo,& apoſtolica fides non eſt extra prædicationis diligẽtiam.His enim ſe uerborum proprietatibus temperauit, quibus nec duos deos intelligere/ tur ſignificare,neq; unicum,dum & unionem deteſtatur,nec ſeparat unita/ tem.Hoc enim ex quo omnia,& per quẽ omnia, licet non ſingularem con ſtitueret in poteſtate uirtutis, non tamen diuerſum demonſtraret in effici/ entiæ poteſtate,cum ex quo omnia, & per quẽ omnia,eiuſdem naturæ ad id demonſtraret autorem: utrunq; autem eiuſdem naturæ proprium eſſe declarat.Nanq; poſt illud diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei poteſtatum profundum,& inſcrutabilium iudiciorum confeſſam inintelligentiã, & in/ inueſtigabilium uiarum demonſtratam ignorationem, humanæ tamen fi/ dei uſus officio, hunc honorem ininueſtigabiliũ & imperſcrutabilium cœ/ leſtium ſacramentorum profundo reddidit dicens: Quoniam per ipſum, & ex ipſo, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula ſeculorum. Id nunc ad unius naturæ ſignificationem referens,quod nõ niſi opus unius poſſit eſſe naturæ.Cum enim ſpecialiter deo id aſcripſerit,ut ex eo omnia, ut propri/ um Chriſto detulerit,ut per eum omnia,& nũc honor dei ſit quòd ex ipſo, & per ipſum,& in ipſo ſint omnia, & quum ſpiritus dei idem ſit & ſpiritus Chriſti,uel cum in miniſterio domini & in operatione dei,ſpiritus unus o/ peretur & diuidat,nõ poſſunt non unum eſſe, quorum propria unius ſunt, cum in eodem domino filio,& in eodem deo patre unus atq; idem ſpiritus in eodem ſpiritu diuidens,uniuerſa perficiat. O dignus ille magnorum & cœleſtium arcanorum conſcientia,& aſſumptus ſecretorum diuinorum ele ctuſq; particeps,& ea ipſa illiciti eloquij ſilentio neceſſario*ſtatuens, & ue/ re Apoſtolus Chriſti, quali humanæ peruerſitatis ingenia abſoluti ſermo nis ſui prædicatione concluſit,unum patrem deum,& unum dominum Ie/ ſum Chriſtum confitendo,ut inter hæc nec duos quiſquam poſſit prędica re,neq; unicum,cum qui non unicus eſt,nõ in duos proficeret, nec qui duo non ſunt,ſolitarius poſſet intelligi,& inter hæc perfectam Chriſti natiuita/ tem pater demonſtratus oſtenderit. Extendite nũc uibratas ſibilis linguas hæretici ſerpentes,ſiue Sabelli,ſiue Photine,ſiue qui nunc creaturã eſſe uni genitum deum prædicatis.Audiat unum deum patrem, quiſquis negat fi/ lium:quia cum pater non niſi per filium pater ſit,filius per id ſignificatur in patre.Qui uero unitatẽ naturæ indifferentis filio adimit, cognoſcat unum dominum Ieſum Chriſtum:niſi enim per unitatem ſpiritus unus eſt domi/ nus, deo patri non relinquitur ut dominus ſit. At qui de tempore atq; ex carne filium deputat,cognoſcat quia per eum omnia, & nos per ipſum, & extra tempora ſit, condens omnia intemporalis immenſitas. Et interea re/ legat,quia una eſt ſpes uocationis,unũ baptiſma, & una fides. Et poſt hæc aduerſans prædicationi Apoſtoli ipſe anathema cõſtitutus, cum aliter ex ſenſu ſuo ſapiat,nec uocatus,nec baptizatus eſt,nec fidelis:quia in uno deo

Quid ſit,ex quo omnia & per quẽ omnia

*Als*tacens*

patre

patre,& in uno domino Ieſu Chriſto unius ſpei atq; baptiſmi fides una ſit. Nec doctrinarum diuerſarum eſſe poterit gloria,quæ unius & dei & domi ni & ſpei & baptiſmi ſit & fidei. Vna igitur fides eſt, patrẽ in filio & filium in patre per inſeparabilis naturæ unitatem confiteri: non confuſam,ſed in/ diſcretam:neq; permixtam,ſed indifferentem:neq; cohærentẽ,ſed exiſten tem:neq; in conſummatã,ſed perfectam.Natiuitas eſt enim, nõ diuiſio: & filius eſt, non adoptio:& deus eſt,non creatio. Neq; alterius generis deus eſt, ſed pater & filius unum ſunt: non enim innouata eſt natura naſcendo, ut ab originis ſuæ proprietate eſſet aliena. Tenens hanc itaq; manentis in patre filij, & patris in filio fidem, unum deum patrem & unum dominum Chriſtum ſibi eſſe Apoſtolus prædicat, cum in domino Chriſto & deus eſſet, & in deo patre eſſet & dominus, & unũ eſſet uterq; quod deus eſt,& unum eſſet uterq; quod dominus eſt,quia imperfectũ eſſet deo, niſi domi nus ſit,& domino intelligat deeſſe,niſi deus ſit. Atq; ita cũ uterq; unus eſt, & unus ſignificatur in utroq;,& nõ eſt uterq; ſine uno, nõ excedit euange/ licam prędicationẽ Apoſtolus docens:nec loquẽs in Paulo Chriſtus diuer ſus ab his eſt,quæ corporeus in mundo manens locutus eſt. Dixerat enim in euangelijs dominus: Operamini eſcam non quæ interit,ſed eſcam quæ permanet in uitam æternam,quam filius hominis dabit uobis. Hunc enim pater ſignauit deus. Dixerunt igitur ad eum: Quid faciemus ut operemur opera dei? Et dixit illis: Hoc eſt opus dei,ut credatis ei quem miſit ipſe. Sa/ cramentum & concorporationis & diuinitatis ſuæ dominus exponit, fidei quoq; noſtræ & ſpei doctrinam locutus eſt,ut eſcam non pereuntem, ſed permanentem in æternum operemur, ut hanc æternitatis eſcam dari nobis à filio hominis meminiſſemus, ut filium hominis ſignatum à deo patre ſci/ remus,ut hoc eſſe opus dei noſceremus,credere in eum quẽ miſiſſet.Et quis eſt quem pater miſit? nempe quẽ ſignauit deus:& quis eſt quẽ ſignauit de/ us? filius utiq; hominis,eſcam ſcilicet præbens uitę æternæ. Qui tandẽ ſunt quibus præbet eam? Illi nanq; qui operabuntur eſcam non intereuntem. Atq; ita quæ operatio eſcæ eſt,eadem operatio dei eſt,in eum ſcilicet credi/ diſſe quem miſit. Sed hæc loquitur filius hominis. Et quo modo eſcam ui/ te æternæ filius hominis dabit? Sed ſacramentum ſalutis ſuæ neſcit,qui ne/ ſcit filium hominis dantem eſcam in uitam æternam,à deo patre eſſe ſigna tum. Hic nunc quæro qui tandem intelligentiæ ſenſus ſit,filium hominis à patre ſignatum deo. Ac primum cognoſci oportet,deum non ſibi,ſed no/ bis locutum,& in tantum ad intelligentiam noſtram eloquij ſui temperaſſe ſermonem, quantũ comprehendere ad ſentiendum naturæ noſtræ poſſit infirmitas.Nanq; cum ſuperius à Iudæis increpatus fuiſſet,cur ſe æqualem deo filium ſe dei profitendo feciſſet,reſponderat:Omnia ſe quæ faceret pa ter,facere,& omne ſe à patre adeptum eſſe iudicium,etiam ſe ut patrem ho

Hoc eſt opus dei,ut credatis ei quem miſit ipſe

norandum.Et in his omnibus profeſſus ante,ſe filium patris, exęquauerat honore,poteſtate,natura.Dehinc dixerat,ut patrem uitam in ſe habere,ita eum filio uitam in ſe habendam dediſſe, in quo ſignificauerat naturæ eius per ſacramentũ natiuitatis unitatem.Per id enim quod habet pater, ipſum illud ſignificat habendo, quia nõ humano modo ex compoſitis deus eſt, ut in eo aliud ſit quod ab eo habetur, & aliud ſit ipſe qui habeat, ſed totũ quod eſt,uita eſt.Natura ſcilicet pfecta & abſoluta & infinita, & nõ ex diſparibus conſtituta,ſed uiuens ipſa per totum,quæ cum qualis habetur, talis & data eſt, & ſi natiuitas eius intelligatur ſignificari cui data eſt, non tamen diuerſitatem generis affert,cum talis data eſt,qualis & habetur. Poſt hanc ergo tam multiplicem ac propriam demonſtrandæ in ſe paternæ naturæ ſignificationem ad Apoſtolos uſus hoc dicto eſt:Hunc enim ſignauit pater deus. Signaculorũ ea natura eſt, ut omnem impreſſæ in ſe ſpeciei exꝓlicent formam,& nihil minus ex eo in ſe habeant unde ſignentur, & dum totum accipiunt quod imprimitur, totum ex ſe præferũt quicquid impreſſum eſt. Verum hoc ad diuinæ natiuitatis nõ proficit exemplum, quia in ſignaculis & materies ſit,& diuerſitas & impreſſio, per quam mollioribus naturis ualidiorum generum ſpecies imprimuntur. Vnigenitus uero deus, & per ſacramentum ſalutis noſtræ,hominis filius, uolens proprietatis nobis paternę in ſe ſignificare ſpeciem,ſignatum ſe à deo ait,& hoc ideo,quia uitæ æternæ eſcam filius hominis eſſet daturus, ut per hoc poteſtas in eo dandæ ad æternitatem eſcæ intelligi poſſit,quia omnem in ſe paternæ formæ plenitudinem ſignantis ſe dei contineret, ut quod ſignaſſet deus, non aliud ex ſe quàm formam dei ſignantis afferret.Hæc quidem dominus ad Iudæos ob infidelitatem ſuam dicti iſtius incapaces locutus eſt.Sed nobis euangelij prædicator proprietatis huius intelligentiam ſpiritu Chriſti per ſe loquentis inſinuat dicens: Qui cum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo,ſed ſe exinaniuit,formam ſerui accipiens. Quem enim ſignauerat deus, aliud prætercꝫ dei forma eſſe non potuit.Et ideo quod ſignatũ in dei forma eſt, hoc neceſſe eſt totum in ſe coimaginatum habere quod dei eſt. Et idcirco Apoſtolus eum quẽ ſignauit deus, in dei forma manentem deum prædicauit.Nam aſſumpti & cõnati in eo corporis ſacramentũ locuturus ait:Non rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formã ſerui accipiens. Quod enim in forma dei erat,per ſignantem ſe deũ deus manebat.Sed quia ſuſcipienda erat forma ſerui, & obediens eſſet futurus ad mortem, non niſi rapiens eſſe ſe æqualem deo ad ſuſceptionem formæ ſeruilis, per obedientiã exinaniuit. Non exinaniuit autẽ ſe ex dei forma, id eſt, ex eo quod æqualis deo erat. Non tamen æqualem ſe deo per rapinã exiſtimans, cꝫuis in forma dei, & æqualis deo,per deũ ſignatus extaret.Nunc nõ quęro utrũ alterius generis

Hunc enim ſignauit pater deus

Qui cũ in forma dei eſſet

deus

deus,& qui in forma dei deus maneat, ut ſecundum cõſignatas conſignan teſq; ſpecies in ſignaculis cernimus,cum impreſſum plumbo ferrũ, & gem ma ceræ ſpeciem,uel cõcauæ in ſe imaginis fingat, uel extantis de ſe expri/ mat formæ.Sed ſi quis extiterit tam ſtultus & uęcors, ut putet quod aliud ex ſe deus in deum cꝫ deum formet,& qui in forma dei ſit, aliud aliquid to tus ipſe cꝫ deus ſit poſt ſacramenta hominis aſſumpti,& per obedientiam conſummatæ uſq; ad crucis mortem humilitatis, audiet cœleſtium & terre ſtrium & infernorum,& omnis linguæ cõfeſſionem,Ieſum in gloria dei pa tris.In hac igitur gloria, ſi cum iam forma ſeruilis fuerit manebit, tunc cum in forma dei eſſet quæro quid manſerit,utrúmne in natura dei,quæ ſignifi catur,in gloria Chriſti ſpiritus fuerit, cum in gloria dei patris Chriſtus Ie/ ſus*id eſt,homo extaret. Tenet in omnibus beatus Apoſtolus fidei euan/ fielicæ indemutabilem prædicationem,ita dominum noſtrum Ieſum Chri ſtum deum prædicans,ut neq; per alterius generis deũ, in duos deos fides apoſtolica depereat, neq; inſeparabilis à patre filius deus unici ac ſingula/ ris dei prędicandi occaſionem impiam prębeat.Dicens enim,in forma dei, & in gloria dei patris,neq; differre docuit,neq; non exiſtentem exiſtimari permiſit.Nam qui in forma dei eſt,neq; in alterum deum proficit,neq; eti/ am ipſe non deus eſt:quia nec ſeparari poteſt à dei forma,cum in ea ſit,nec qui in dei eſt forma,nõ deus eſt.Sicut qui in dei gloria eſt, nõ poteſt aliud eſſe cꝫ deus eſt,& dum in gloria dei deus eſt,alterius dei atq; à deo diuerſi non habet prędicationem,quia per id quod in gloria dei eſt, ex eo in cuius gloria eſt habet in ſe naturale quod deus eſt. Non periclitatur per plures prędicationes fides una,ne una ſit.Euangeliſta enim dictum à domino do cuerat, Qui me uidet,uidet & patrem.Sed nunquid doctor gentium Pau/ lus uirtutem dicti dominici aut ignorauit aut tacuit dicens: Qui eſt imago dei inuiſibilis? Et interrogo utrum uiſibilis imago eſt inuiſibilis dei deus:& utrum infinitus deus per formam circunſcriptam & imaginem coimagina/ ri poſſit ad ſpeciem.Imago enim formã neceſſe eſt eius reddat, cuius ima/ go eſt.Qui uolunt autem alterius generis filio eſſe naturam,conſtituant cu ius modi filium imaginem eſſe inuiſibilis dei uelint. An ne corpoream & contemplabilem,& ex locis in loca motu inceſſuq; circunuagam.Memine/ rint tamen ſecundum euangelia & prophetas,& Chriſtum ſpiritum & de/ um ſpiritum. Qui ſi circunſcriberent hunc ſpiritũ formali & corporali mo/ do,non erit inuiſibilis dei imago corporea,nec *indefinitæ ſpeciei, definita moderatio.Sed neq; dominus incertum reliquit:Qui me uidet,uidet & pa trem.Neq; Apoſtolus tacuit qualis eſſet,qui eſt imago dei inuiſibilis. Do/ minus enim dixerat:Si nõ facio opera patris mei,nolite mihi credere.Hinc uideri in ſe patrem docens, quòd opera eius efficeret, ut intellecta naturæ uirtus naturam intellectæ uirtutis oſtenderet, per quod Apoſtolus hanc

Obiectionis excluſio

*Als *idem natus*

Qui eſt imago dei inuiſibilis

*Als*indifferenti*

imaginem dei eſſe ſignificans,ait: Qui eſt imago dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipſo conſtituta ſunt omnia in cœlis & in terra,uiſibilia & inuiſibilia,ſiue throni,ſiue principatus,ſiue poteſtates,ſiue dominationes,omnia per ipſum & in ipſo cõdita ſunt,& ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant,& ipſe eſt caput corporis eccleſiæ,qui eſt initium primogenitus ex mortuis,ut fieret in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipſum reconciliari omnia in eum. Per horum igitur operum uirtutem imago dei eſt. Nam utiq; inuiſibilium conditor nõ eſt in ea naturæ neceſſitate, ut inuiſibilis dei imago uiſibilis ſit. Ac ne formæ potius quàm naturæ imago eſſe intelligeretur,idcirco inuiſibilis dei imago eſt,natura in eo dei per naturę ſuæ uirtutem intelligenda, non uiſibili qualitate. Primogenitus itaq; omnis creaturę eſt,quia in ipſo omnia creata ſunt.Et ne quòd in ipſo omnia creata ſunt, non ad ipſum quiſquam auderet referre,ait: Omnia per ipſum & in ipſo condita ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia ipſi conſtant,quia ante omnia eſt, & in quo omnia ſunt. Et hæc quidem ad exordia pertinent creaturarum. Cæterum ob diſpenſationem corporis noſtri ait: Et ipſe eſt caput corporis eccleſiæ,qui eſt initium primogenitus ex mortuis, ut fieret in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo cõplacuit omnem plenitudinem habitare,& per ipſum omnia reconciliari in eum. Reddidit Apoſtolus ſpiritualibus ſacramentũ cõcorporationis. Nam qui imago dei inuiſibilis eſt, ipſe eſt caput corporis eccleſiæ. Et qui primogenitus omnis creaturæ eſt, idem initium, primogenitus ex mortuis eſt, ut in omnibus teneat primatum,dum nobis concorporalis eſt,qui dei imago eſt, dum qui primogenitus creaturæ eſt, idem progenitus ad æternitatem eſt, ut cui ſpiritualia debent, in primogenito creata quòd maneant, ei & humana debeant, quòd in primogenito ex mortuis renaſcantur uitæ æternæ. Ipſe eſt enim initium, qui cum filius ſit, imago dei eſt. Primogenitus quoque omnis creaturæ eſt,continens in ſe uniuerſitatis exordium. Et rurſum ipſe caput corporis eccleſiæ eſt, & primogenitus ex mortuis,ut in omnibus teneat ipſe primatum capitis.Et quia omnia ei cõſtant, in ipſo complacita plenitudo conſiſtit, dum in eo per ipſum, & in eum reconciliantur omnia, in quo per ipſum & in ipſo omnia ſunt creata. Sentis ne iam quid ſit eſſe imaginẽ dei? Creari utiq; omnia in eo & per eum. Cum in eo creantur omnia, intellige etiam eum cuius imago eſt creantem in eo omnia. Cum autem quæ in eo creantur per ipſum creantur, in hoc quoq; qui imago eſt naturam eius cuius imago eſt,cognoſce.Et per ſe enim creat,quæ in ipſo creantur,ſicuti per ipſum reconciliantur in eo omnia. Cum in eo reconciliantur,paternæ uirtutis in eo apprehende naturam reconciliantem ſibi in eo omnia. Et cum per eum reconciliantur omnia,ipſum patri reconciliantem in ſe omnia quæ

Quõ filius imago dei

per

per ſe reconciliat intellige. ait enim idem Apoſtolus: Omnia autem à deo qui reconciliauit nos ſibi per Chriſtũ, & dedit nobis miniſteriũ reconciliationis, quoniam quidem deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Confer cum his omne euangelicæ fidei ſacramentum. Qui enim uidetur in uiſo, qui operatur in operante, qui loquitur in loquente, idem in reconcilian te recõciliat, & idcirco in eo & per eum recõciliatio eſt, quia per indifferentem naturam pater in eo manens mundum ſibi ipſe per eum & in eo, *reconciliatione reddebat. Conſulens itaq; humanæ infirmitati deus, non incerta uerborum nuditate fidem docuit. Namq; cum credendi neceſſitatem dicti dominici autoritas ſola præſtaret, tamen ſenſum noſtrum per intelligentiam æditæ rationis inſtituit, ut id quod dixerat: Ego & pater unum ſumus, per cauſam ipſam unitatis expoſite noſceremus. Dicens enim ſe per loquentem loqui, & per operantẽ operari, & per iudicantem iudicare, & per uiſum uideri, & per reconciliantem reconciliari, & manere ſe in eo qui in ſe maneret, quæro quo alio ad intelligentiæ noſtræ ſenſum expoſitionis ſuæ uti potuerit apertiori ſermone, ut unum eſſe intelligerentur, quàm iſto, quo per natiuitatis ueritatem, & naturæ unitatem, quicquid filius ageret & diceret, id in filio pater & loqueretur & ageret? Non eſt hoc itaq; naturæ ſpecie à ſe alienæ per creationem in deum comparatæ, neq; ex portione dei in deum natæ, ſed perfecta natiuitate in deum perfectum genitæ diuinitatis, cuius hæc naturalis conſcientiæ fiducia eſt, ut dicat: Ego in patre, & pater in me. Et rurſum: Omnia quæ patris ſunt, mea ſunt. Nihil enim ei ex deo deeſt, quo operante & loquente & uiſo, deus & operatus & locutus & uiſus ſit. Non ſunt duo in unius uel operatione, uel ſermone, uel uiſione. Nec ſolitarius deus eſt, qui in operante & loquente & uiſo deo deus & operatus & locutus & uiſus ſit. Hoc eccleſia intelligit, hoc ſynagoga non credit, hoc philoſophia non ſapit, unum ex uno, & totum à toto, deum & filium, neq; per natiuitatem patri ademiſſe quod totus eſt, neq; hoc ipſum totum non ſecum naſcendo tenuiſſe. Et quiſquis in hac infidelitatis ſtultitia detinebitur, aut Iudæorum ſectator, aut gentiliũ eſt. Vt autem dictum domini intelligas quod ait: Omnia quæ patris ſunt, mea ſunt, Apoſtoli & doctrinam & fidem diſce dicẽtis: Videte ne quis uos ſeducat per philoſophiam & inanem deceptionem ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. De mundo eſt, qui doctrinam hominum ſapit: & philoſophiæ præda eſt, quiſquis Chriſtum uerum deum neſcit, quiſquis in eo plenitudinem diuinitatis ignorat. Humana mens hoc ſolum ſapit quod intelligit, & mundus hoc tantum quod poteſt credit, ſecundum elementorum naturas, id tantum poſſibile exiſtimans, quod aut uideret, aut ageret. Elementa enim mundi ex nihilo ſubſtiterunt. ſed Chriſtus non

Forte reconciliatũ legendum pro recõciliatione*

Quõ intelligendũ, omnia quæ patris ſunt, mea ſunt

De humana ſapientia

de extantibus manet, nec cœpit ab origine, ſed originem ab origine ſumpſit æternam. Elementa enim mundi aut inanima ſunt, aut in animam profecerunt, ſed Chriſtus uita eſt, ex deo uiuente in uiuentem deum deus natus. Elementa mundi ex deo ſunt inſtituta, non deus ſunt. Chriſtus ex deo deus, hoc totum eſt ipſe quod deus eſt. Elementa mundi cum intra ſint, nō poſſunt à ſe extare, ne intra ſint. Deum ſub ſacramēto in ſe habens Chriſtus in deo eſt. Elementa mundi cum ex ſe ſui generis generant ad uitam, per corporales quidem paſſiones præbent ex ſe initia naſcendi. Cæterum non inſunt*uiua ipſa naſcentibus. Omnis uero corporaliter plenitudo diuinitatis in Chriſto eſt. Et interrogo cuius in eo diuinitatis plenitudo eſt? Quæ ſi non patris eſt, quem mihi deum alium unius dei fallax prædicator imponis, cuius diuinitatis plenitudo habitet & in Chriſto? Si uero patris eſt, edoce quo modo corporaliter hæc in eo inhabitet plenitudo. Si enim corporali modo patrem in filio recludis, pater in filio habitans non extabit in ſeſe. Sin uero quod eſt potius, corporaliter in eo manens diuinitas, naturæ in eo dei ex deo ſignificat unitatem, dum in eo deus eſt, non autem per dignationem, aut per uolūtatem, ſed per generationem uerus & totus corporalis ſecundum ſui plenitudinem manens, dum quod ipſe eſt, id etiā per natiuitatem dei in deum natus eſt, neq; diuerſum, aut diuiſum, aut differēs aliquid deus in deo eſt, cum id quod eſt, corporaliter habitet in Chriſto, & quicquid inhabitat corporaliter, id ipſum ſecundum diuinitatis eſt plenitudinem. Quid humana ſectaris? quid inaniū deceptionum doctrinis inhæres? quid mihi affers, *unitatē, concordiā, creaturam? Plenitudo diuinitatis in Chriſto eſt corporaliter. Tenuit autem etiā in hoc Apoſtolus fidei ſuæ legem, ut corporaliter in Chriſto inhabitare plenitudinē diuinitatis doceret, ne ad unionē impiam fidei ſermo decideret, ne in alterius naturæ intelligentiam furor irreligioſus erumperet. Habitans enim in Chriſto plenitudo diuinitatis corporaliter, nec ſingularis, nec ſeparabilis eſt, dum nec ſe patitur à corporali plenitudine corporalis plenitudo diſcerni, nec habitans diuinitas, ea ipſa intelligi poteſt eſſe diuinitatis habitatio. Atq; ita*Chriſtus eſt, ut corporaliter plenitudo diuinitatis in Chriſto ſit, ficq; uere in Chriſto ſit diuinitatis corporaliter plenitudo, ut in eo inhabitans nihil aliud intelligatur eſſe q̄ Chriſtus. Furare quas uoles uerborū occaſiones, & irreligioſi ingenij aculeos exagita. Ementire ſaltem cuius plenitudo diuinitatis in Chriſto inhabitet corporaliter. Eſt enim Chriſtus, eſt & inhabitās in eo diuinitatis corporaliter plenitudo. Et quæ ſit ſi quæras habitatio corporalis, intellige quid ſit loqui in loquēte, & in uiſo uideri, & in operāte operari, & in deo deū, & ex toto totū, & ex uno unū, & ita corporalis diuinitatis plenitudinem recognoſce, cuius hæc diuinitatis corporaliter inhabitans plenitudo ſit, memento Apoſtolū non tacere dicentem: Ea enim quæ inuiſibilia

Al's una

Quō plenitudo diuinitatis in Chriſto corporaliter

Al's unanimitatem

Al's Chriſti

Quæ ſit habitatio corporalis

ſunt

ſunt eius à conſtitutione mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, æterna quoq; eius uirtus & diuinitas. Huius itaq; diuinitas corporalis in Chriſto eſt, nõ ex parte, ſed tota: neq; portio eſt, ſed plenitudo: ita corporaliter manens, ut unũ ſint: ita unũ ſint, ut à deo non differat deus: ità indifferens à deo deus, ut perfectũ deũ ſubſtituerit perfecta natiuitas: ita autem perfecta natiuitas ſubſiſtat, quia in deo ex deo nato corporaliter diuinitatis inhabitet plenitudo.

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER NONVS



RActantes ſuperiori libro de indifferenti natura dei patris & dei filij, & id quod dictũ eſt: Ego & pater unũ ſumus, demonſtrantes non ad ſolitariũ deum proficere, ſed ad unitatẽ indiſcretæ naturæ, ſecundũ generationẽ diuinitatis, dum neq; aliunde q̃ ex deo deus natus eſt, & ex deo deus nõ poteſt nõ id eſſe quod deus eſt, percurſisq; & ſi nõ omnibus, tamen ad intelligentiã ſuffícientibus dictorũ diuinorum atq; apoſtolicorũ teſtimoniis, quibus inſeparabilis natura ac poteſtas patris ac filij docebatur, uſq; ad hunc Apoſtolicę fidei locũ uenimus, quo ait: Videte ne quis uos ſeducat per philoſophiam & inanem deceptionem ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtũ, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. In quo per corporaliter habitantem in eo diuinitatis plenitudinem, uerum & perfectum & paternæ naturæ deũ demonſtrari docuimus, ita ut inhabitans plenitudo nec diuerſum intelligeretur ſignificare, neque unicum: cum & incorporalis dei, corporalis habitatio proprietatem naturalis unitatis in deo qui ex deo ſubſtitiſſet doceret, & habitans in Chriſto deus ſubſiſtentis Chriſti natiuitatem, dum eius eſt habitator oſtenderet, per quod impietati eorum ſatis ſuperq; arbitror fuiſſe reſpõſum, qui id quod à domino dictum eſt: Qui me uidet, uidet & patrem. Et pater in me & ego in patre. Et ego & pater unum ſumus: Et omnia quæ patris ſunt, mea ſunt, ad*unitatem & concordiam uoluntatis referrent, ut quia dicti fides maneret, dicti tamen intelligentiam fallacis doctrinæ religio ementita corrumperet. Et cum negari non poſſit uoluntatum aſſenſus in his in quibus naturæ unitas prædicatur, ad abolendã tamen eam quæ ſecundũ natiuitatem eſt unitatẽ, ſocietas tantũ cõcordiæ crederet. Sed beato Apoſtolo poſt multa naturalis ueritatis nõ ambigua præconia, corporaliter habitãtis diuinitatis plenitudinẽ in Chriſto docente, abſciſſa eſt omnis impiæ temeritatis aſſertio, cum naturalẽ unitatem incorporalis diuinitatis

*Als unanimitatem

habitatio corporalis efficeret,ut id quod non ſolus filius eſt,ſed quod in eo manet pater,neq; ſolũ manet,ſed & operatur & loquitur, neq; ſolum operatur & loquitur,ſed & uidetur, nõ ſunt nuncupatiua,ſed uera, dum habet in ſe per ſacramentũ natiuitatis & uirtus uirtutem, & poteſtas poteſtatem, & natura naturã,tenens per natiuitatẽ ipſa quod ſuum eſt,& ex ſe per ipſius imaginẽ referens quod in ſe eſt,dum & imago eſt autoris & ueritas,quia perfecta natiuitas perfectã imaginem præſtat, & plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitans naturalem obtinet ueritatẽ.Et hæc quidem q̃uis ita ſe ut ſint habeant, quia naturalis ex deo deus non poteſt niſi in ea natiuitatis ſuæ natura eſſe qua deus eſt,& uiuentis naturæ indifferens unitas,inſeparabilis à ſe eſt ſub uiuentis natiuitate naturæ,tamen per fidei euangelicæ ſalutarem confeſſionem ſubrepunt hæretici* in aduerſitatis excidiũ, ut naturalem filio detrahant unitatem,dum aliter atq; in aliud dicta,aliter atq; in aliud intelligenda cõponunt. Negantes itaq; dei filium,utuntur ea autoritate qua dixerat: Quid me dicis bonum? Nemo bonus niſi unus deus. Vt quia unũ deum profeſſio eius locuta ſit,quicquid illud in dei nomine erit,non in natura dei maneat, quia deus unus eſt: atque ut id quod ipſe deus dicitur, nuncupatione potius q̃ ueritate ſit,hinc confirmare nituntur, quia dixerit: Hæc eſt autem uita æterna,ut cognoſcant te ſolum & uerũ deum. Et ut extra proprietatem ueri dei ſit,id adijciũt: Non poteſt filius ab ſe facere quicquam,niſi quod uiderit patrẽ facientem. Tentant quoq; & illud: Pater maior me eſt. Poſtremo iam tanq̃ indiſſolubili abnegatę diuinitatis profeſſione ſubuertiſſe ſe fidem eccleſiæ gloriantur,cum relegunt: De die autẽ illa & hora nemo ſcit,neq; angeli in cœlis,neq; filius,niſi pater ſolus. Nõ enim uidetur exæquabilis per natiuitatẽ eſſe natura,quæ ignorationis ſit neceſſitate diuerſa, & pater ſciendo ac filius neſciendo manifeſtent diſſimilitudinem diuinitatis,quia & ignorare deus nihil debeat, & ignorans non cõparandus ſit ad ſcientẽ. Sed hæc omnia,nec ratione intelligentes,nec temporibus diſcernẽtes,nec ſacramentis euãgelicis apprehendentes,nec dictorũ uirtutibus ſentientes, ſtulto atq; imperito furore aduerſus diuinitatis naturã loquũtur,adimplentes aures ignorantiũ,ſola hæc & nuda memorãtes, aut abſolutionibus eorũ tacitis,aut cauſis,cum dictorũ intelligentia,aut ex præpoſitis,aut ex cõſequentibus expectetur. Atq; horũ quidem ſuperius memoratorum rationẽ ex ipſis uel euangelicis, uel apoſtolicis profeſſionibus præſtaturi,admonendos eſſe omnes cõmunis fidei exiſtimamus,ut in qua cõfeſſione æternitas uitæ eſt,in eadem ſit intelligẽtia ęternitatis. Neſcit,planè uitã ſuam neſcit,qui Ieſum Chriſtũ ut uerum deum,ita & uerum hominem ignorat. Et eiuſdem periculi res eſt,Chriſtũ Ieſum uel ſpiritum deum, uel carnẽ noſtri corporis denegare: Omnis ergo,inquit,qui cõfitebitur me coram hominib,cõfitebor & ego eũ coram patre meo qui eſt in cœlis. Qui autem

Al's in,ſiue ad ueritatis excidium,legendũ ſuſpicor in diuerſitatis excidium

Dictorũ intelligẽtia aut ex præpoſitis aut ſequentib. expectanda

autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo,qui eſt in cœlis. Verbum caro factū loquebatur,& homo Ieſus Chriſtus dominus maieſtatis docebat. Mediator ipſe in ſe ad ſalutē eccleſię conſtitutus, & illo ipſo inter deum & homines mediatoris ſacramēto utrunq; unus exiſtens,dum ipſe ex unitis in idipſum naturis,naturę utriuſq; res eadem eſt,ita tamen ut neutro careret in utroq;, ne fortè deus eſſe homo naſcendo deſineret,& homo rurſum deus manendo non eſſet.Hæc itaq; humanæ beatitudinis fides uera eſt,deum & hominem prædicare,uerbum & carnem confiteri,neq; deum neſcire quòd homo ſit, neq; carnem ignorare quòd uerbum ſit.Cum autem contra naturam ſenſus noſtri, deus manens homo naſcitur,iam non eſt contra naturam ſpei noſtræ,ut natus homo deus maneat,cum potior natura in inferiorem nata fidem prętſtet,inferiorem in naturam naſci poſce potiorem.Et quidem ſecundum legem & conſuetudinem mundi promptior magis ſpei noſtræ quàm diuini ſacramenti effectus eſt . Nanq; mundus in his quæ naſcuntur habet incrementi uirtutem, non habet diminutionis poteſtatē . Gramen,arbores,ſata,pecudes, ipſum quoq; participem rationis hominem contuere,ſemper proficit augmento, nunc̄q; uero diminutione contrahitur , nec ſeſe caret quod excreuit ex ſeſe. Nam tametſi aut ætate marceſcat,aut morte perimatur, habet quidem aut demutationem in tempore, aut finem in conſtitutione uiuendi,cæterū hoc quod ſit nō habet in*ueritate non eſſe, ut nouū ſe per imminutionem condat ex eodem,id eſt,ut ex ſene decidat in paruulū.Naturæ ergo noſtrę neceſſitas in augmentum ſemper mūdi lege prouecta, non imprudenter profectum naturæ prioris expectat, cui & incrementum ſecundum naturā eſt, & imminutio contra naturam eſt . Deo itaq; propriū fuit eſſe aliud quàm manebat,nec tamen non eſſe quod manſerat:naſci in hominem deum,nec tamen deum eſſe deſinere : contrahere ſe uſq; ad cōceptum & cunas & infantiam,nec tamen dei poteſtate decedere:hoc nō ſibi, ſed nobis eſt ſacramentum:neq; aſſumptio noſtra deo profectus eſt, ſed cōtumeliæ ſuæ uoluntas , noſtra profectio eſt, dum nec amittit ille quod deus eſt,& homini acquirit ut deus ſit.Natus igitur unigenitus deus ex uirgine homo,& ſecundum plenitudinem temporū in ſemetipſo prouecturus in deū hominem, hunc per omnia euangelici ſermonis modū tenuit,ut ſe filium dei credi doceret:& hominis filium prædicari admoneret,locutus & gerens homo uniuerſa quæ dei ſunt , loquens deinde & gerens deus uniuerſa quæ hominis ſunt,ita tamen,ut in ipſo illo utriuſq; generis ſermone nunc̄q; niſi cum ſignificatione & hominis locutus & dei ſit,uno tamē deo patre ſemper oſtenſo, & ſe in natura unius dei per natiuitatis ueritatem profeſſo, & tamen ſe deo patri & filiȷ̄ honore & hominis conditione ſubdente , cum & natiuitas omnis ſe referat ad autorem , & caro ſe uniuerſa ſecundum deum profiteatur

*Als uirtute

infirmam

Vnde occasio hæreseos

infirmam. Hinc itaq; fallendi ſimplices atq; ignorantes hæreticis occaſio eſt,ut quæ ab eo ſecundum hominem dicta ſunt, dicta eſſe ſecũdum naturæ diuinæ infirmitatẽ mentiantur,& quia unus atq; idem eſt loquens omnia quæ loquitur,de ſemetipſo omnia eum locutum eſſe contendant. Nec ſanè negamus totum illum qui eius manet,naturæ ſuæ eſſe ſermonem, ſed ſi Ieſus Chriſtus & homo & deus eſt,& neq; cum homo,tum primũ deus, neq; cum homo, tum non etiam & deus, neq; poſt hominem in deo non totus homo,totus deus,unũ atq; idem neceſſe eſt dictorum ſacramentum eius eſſe quod generum.Et cum in eo ſecundũ tempus diſcernis hominem à deo, dei tamen atq; hominis diſcerne ſermonem, & cum deum atq; hominem in tempore confiteberis,dei atq; hominis in tempore dicta dijudica.Cum uero ex homine & deo rurſum totius hominis,totius etiã dei tempus intelligis, ſi quid aliud ad demõſtrationem eius temporis dictum eſt, tempori coaptato quæ dicta ſunt,ut cum aliud ſit ante hominẽ deus,aliud ſit homo & deus,aliud ſit poſt hominem & deum totus homo totus deus, non cõfundas temporibus & generibus diſpenſationis ſacramentum, cum pro qualitate generum ac naturarum alium ei in ſacramento hominis neceſſe eſt ſermonem fuiſſe non nato,alium adhuc morituro,alium iam æterno.Noſtri igitur cauſa hæc omnia Ieſus Chriſtus manens, & corporis noſtri homo natus,ſecundũ conſuetudinem naturæ noſtræ loquutus eſt,non tamen omittens naturæ ſuæ eſſe quod deus eſt. Nam tametſi in partu ac paſſione ac morte naturæ noſtræ rem peregerit, res tamẽ ipſas omnes uirtute naturæ ſuæ geſſit,dum ſibi ipſe origo naſcẽdi eſt, dum pati uult quod eum pati non licet,dum moritur qui uiuit.Et tamen cum hæc deus per hominem agit,ex ſe natus,per ſe paſſus,& ex ſe mortuus,nónne hominem ſe nõ egit,dum & natus & paſſus & mortuus eſt? Hæc autem omnia iam ante cõditionem mundi ſacramẽta ſunt cœleſtium myſteriorum cõſtituta, ut unigenitus deus homo naſci uellet,mãſuro in æternũ in deo homine,ut deus pati uellet,ne paſſionibus humanæ infirmitatis diabolus deſæuiens, legem in nobis peccati deo infirmitatem noſtrã aſſumente retineret: ut deus mori uellet,ne qua inſolens poteſtas aduerſus deum eſſet,neq; creatæ in ſe uirtutis poſſet uſurpare naturã,cum ſe immortalis deus intra legem mortis habuiſſet.Naſcitur itaq; deus aſſumptioni noſtræ, patitur uero innocẽtiæ, poſtremo moritur ultioni, dum & homo noſter in deo permanet,& infirmitatum noſtrarũ paſſiones deo ſociæ ſunt, & ſpirtales nequitiæ ac malitię poteſtates triumpho carnis deo per carnẽ moriẽte ſubdũtur. Huius igitur ſacramenti Apoſtolus conſcius,& per dominũ ipſum fidei ſcientiam adeptus,cum nõ ignoraret incapacem eſſe eius & mundum & homines, & philoſophiam,ait: Videte ne quis uos ſeducat per philoſophiã, & inanem deceptionem ſecundum traditionem hominum, ſecũdum elementa mũdi,& non

non ſecundū Ieſum Chriſtum, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,& eſtis in illo repleti,qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.Expoſita itaq; habitantis corporaliter diuinitatis in eo plenitudine,ſacramentum aſſumptionis noſtræ cōtinuo ſubiecit dicens: Et eſtis in eo repleti. Vt enim in eo diuinitatis eſt plenitudo, ita in eo & nos ſumus repleti. Neq; ſanè ait,eſtis repleti,ſed,in eo eſtis repleti,quia per fidei ſpem in uitam æternam regenerati ac regenerandi omnes, nūc in Chriſti corpore manent,replendis poſtea ipſis,nō iam in eo, ſed in ipſis ſecundum tempus illud,de quo Apoſtolus ait:Qui transfigurauit corpus humilitatis noſtræ,cōforme corpori claritatis ſuæ. Nunc igitur in eo repleti ſumus,id eſt, per aſſumptionem carnis eius,in qua diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat.Et huius ſpei noſtræ nō exigua in eo poteſtas eſt. Nanq; quod repleti in eo ſumus,hoc eſt caput ac principium omnis poteſtatis, ſecundum illud: Vt in nomine ſuo omne genu flectatur, cœleſtium,terreſtrium & infernorum,& omnis lingua cōfiteatur,quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt dei patris.Confeſſio itaq; hæc erit,Ieſum in gloria dei patris, & natum in hominem deum, iam nō in infirmitate corporis noſtri manere, ſed in dei gloria. Et hoc lingua omnis cōfitebitur, & cum cœleſtia & terreſtria genu flectent,hoc caput omnis principatus & poteſtatis eſt, ut ei uniuerſa genu flectendo ſubiecta ſint, in quo ſumus repleti, & qui per habitantem in ſe corporaliter, diuinitatis plenitudinē in dei patris gloria ſit cōfitendus. Demōſtrato autem & naturæ ſuæ & aſſumptionis noſtræ ſacramēto,cum in eo plenitudine diuinitatis manente, nos in eo per id quod homo natus eſt repleamur,reliquā diſpenſationem humanæ ſalutis exequitur dicēs: In quo & circunciſi eſtis circunciſione nō manufacta in deſpoliatione corporis carnis,ſed in circunciſione Chriſti conſepulti ei in baptiſmate, in quo & cōſurrexiſtis per fidē operationis dei,qui excitauit eum à mortuis. Circuncidimur itaq; nos nō circunciſione carnali,ſed circūciſione Chriſti, id eſt,in nouū hominem renati. Cum enim cōſepelimur baptiſmate eius, mori nos neceſſe eſt ex ueteri homine, quia regeneratio baptiſmi reſurrectionis eſt uirtus:& hæc circunciſio Chriſti eſt,nō expoliari carne præputij, ſed totos cōmori ei, & per id totos poſtea ei uiuere. In eo enim reſurgimus per eius dei fidem,qui eum ſuſcitauit à mortuis. Credēdus ergo deus eſt,cuius operatione Chriſtus excitatus à mortuis eſt, quia fides iſta correſurgit in Chriſto. Cōſummatur deinde ita omne hominis aſſumpti ſacramētum: Et uos cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis ueſtræ,uiuificauit cū illo, donatis uobis omnibus delictis,delens quod aduerſum nos erat chirographum in ſentētijs, quod erat cōtrariū nobis,& ipſum tulit è medio affigēs illud cruci,exutus carnē,& poteſtates oſtentui eſſe fecit, triumphatis his in ſemetipſo. Apoſtolicā fidē ſeculi homo nō capit,&*ex ſenſus ſui dicta alius præter

Duplex circūciſio,carnalis & ſpiritualis

*For.*excéſſus*

prẹter quàm ipſius ſermo non explicat. Deus Chriſtum à mortuis excitat, & Chriſtũ in quo corporaliter diuinitatis plenitudo inhabitat. Sed cõuiui/ficauit nos cum illo, donans nobis peccata, & delens chirographũ legis pec cati, quod per ſententias anteriores contrarium nobis erat. Hoc tollens de medio, & cruci affigens mortis lege carne ſeſe ſpolians, poteſtates oſtentui reddens, triumphatis his in ſemet ipſo. Et de triumphatis poteſtatibus in ſemet ipſo, atque oſtentui redditis, deletoq; chirographo, uiuificatisq; no/bis, iam ſuperius tractauimus. Hoc uero ſacramentum, quis uel apprehen/det, uel eloquetur? Suſcitat dei operatio Chriſtum à mortuis, & hæc ea/dem dei operatio nos uiuificat cum Chriſto, & hæc eadem dei operatio donat peccata, chirographum delet & affigit cruci. Carnem ſe exuit, pote/ſtates oſtentui reddit, ac de his in ſemet ipſo triumphat. Habes operatio/nem dei Chriſtum à mortuis excitantis: habes & Chriſtum hęc ipſa in ſe, quæ deus operatur operantem. Chriſtus enim mortuus eſt, carne ſe ſpoli/ans. Tene ergo Chriſtum hominem à deo ex mortuis excitatum, tene de/um Chriſtum ſalutis noſtræ operationem cum eſſet moriturus operantẽ. Et cũ hæc deus operatur in Chriſto, operetur licet deus, ſpolians ſe tamen Chriſtus carne, moriturus ſit: & cum mortuus eſt Chriſtus, operans ante mortem deus, mortuum tamen Chriſtum operatio dei excitet, cum ipſe ſit Chriſtus à mortuis excitatus, qui eſt ante mortem Chriſtus operatus, & idem ſit ſpolians ſe carne moriturus. Iam' ne apoſtolicæ fidei ſacramentum intelligis? Iam' ne Chriſtũ habes cognitum? Quæro enim à te, quis ſit car/ne ſe ſpolians, & quæ ſit caro illa ſpoliata? Duplicis enim intelligentiæ ab Apoſtolo teneo ſignificationem, ſpoliatæ carnis, ſeq; carne ſpoliantis, & in ter hæc Chriſtum audio per operationem dei à mortuis excitatũ. Et cum ſit Chriſtum à mortuis excitans deus, ſitq; & Chriſtus excitatus à mortu/is,, interrogo quis eſt carne ſe ſpolians, & quis eſt Chriſtum à mortuis ex/citans, nosq; uiuificans cum Chriſto? Si enim non idem eſt Chriſtus mor tuus, qui eſt caro ſpoliata, carnis expoliatæ nomen oſtende. Et rurſus, natu ram eius qui ſe carne ſpoliauit, expone. Eundem enim eſſe inuenio deum Chriſtum à mortuis excitatum, qui ſe carne ſpoliauit, & rurſum ſpoliatam carnem Chriſtũ à mortuis eſſe excitatum, deinde principatus & poteſtates oſtentui reddentẽ & triumphantem reperio in ſemetipſo. Intelligis' ne hũc triumphantem poteſtates in ſemetipſo? Sentis' ne quod à ſe non differat caro ſpoliata, & carne ſe ſpolians? In ſemetipſo enim triumphat, id eſt, in ea qua ſe carne ſpoliauit. Vidés ne ita deum & hominem prædicari, ut mors homini, deo uero carnis excitatio deputetur? Non tamen ut alius ſit qui mortuus eſt, & alius ſit per quẽ mortuus reſurgit. Spoliata enim caro Chri ſtus eſt mortuus, & rurſus Chriſtum à mortuis excitans, idem Chriſtus eſt carne ſe ſpolians. Naturam dei in uirtute reſurrectionis intellige, diſpenſa/tionem

Carne ſe ſpo/lians

Chriſtus mor tuus eſt caro ſpoliata

tionem hominis in morte cognoſce. Et cum ſint utraque ſuis geſta naturis, unum tamen Chriſtum Ieſum eum memento eſſe, qui utrunq; eſt. Quanquam enim memineris frequenter ad deum patrem per Apoſtolum referri, Chriſtum à mortuis eſſe* ſuſcitatum, ſed non eſt Apoſtolus extra Euangelicam fidem dictis ſuis ipſe cõtrarius, maxime domino dicente: Propter hoc me pater diligit, quòd ego pono animam meam, & iterum recipiam eam. Nemo tollet eam à me, ſed ego pono eam à me. Poteſtatẽ habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum accipiendi eam. Hoc enim mandatum accepi à patre. Vel cum poſtulatũ ab eo eſſet, ut ſignum ad fidem de ſe oſtenderet, ait de templo corporis ſui: Soluite templum hoc, & ego in triduo excitabo illud. Cũ enim per accipiendæ animæ poteſtatem, & per ſuſcitandi templi uirtutem ipſum ſe ſibi reſurrectionis ſuæ deum doceat, totũ hoc tamen ad mandati paterni refert autoritatem. Non contrarie intelligitur Apoſtolus, Chriſtum dei uirtutem & dei ſapientiam * prædicans, omnemq; operis ſui magnificentiam per id ad patris gloriam retuliſſe, quia quicquid Chriſtus gerit, uirtus dei & ſapientia gerit: & quicquid uirtus & dei ſapientia gerit, ſine dubio deus gerit, cuius & ſapientia eſt Chriſtus & uirtus. Deniq; nunc per operationem dei excitatus Chriſtus à mortuis eſt, quia per opera dei patris ipſe naturæ à deo non differentis operatus eſt. Et in eo reſurrectionis fides eſt, qui Chriſtũ ſuſcitauit à mortuis. Hanc igitur beatus Apoſtolus geminæ in Chriſto ſignificationis tenuit prædicationẽ, ut & infirmitatem in eo hominis, & uirtutem dei ac naturam doceret, ſecundum illud Corinthijs dictum: Nam & ſi crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed uiuit ex uirtute dei, mortem infirmitatis humanæ, uitam uero dei uirtutis oſtendens. Et illud ad Romanos: Quod enim mortuũ eſt peccato, mortuũ eſt ſemel: quod autem uiuit uiuit deo. Sic & uos deputate uoſmet ipſos mortuos quidem eſſe peccato, uiuere autem deo in Chriſto Ieſu: mortem peccato, id eſt, corpori noſtro adſcribens, uitam autem deo, cui eſt naturale quod uiuit. Et per id nos corpori noſtro mori oportere, ut deo uiuamus in Chriſto Ieſu, qui peccati noſtri corpus aſſumens, totus iam deo uiuit, naturæ noſtræ ſocietate in communionem* diuinæ immortalitatis unita. Hæc igitur demonſtranda à me paucis fuerũt, ut utriuſq; naturæ perſonam tractari in domino Ieſu Chriſto meminiſſemus, quia qui in forma dei manebat, formam ſerui accepit, per quam obediens uſq; ad mortẽ fuit, obedientia enim mortis non eſt in dei forma, ſicuti nec dei forma ineſt in forma ſerui. Per ſacramentum autem Euangelicæ diſpenſationis non alius eſt in forma ſerui, quàm qui in forma dei eſt, cum tamen ſerui formam accipere, & in forma dei manere non idem ſit, cumq; accipere formam ſerui niſi per euacuationem ſuam non potuerit qui manebat in dei forma, non conueniente ſibi formæ utriuſq; concurſu. Sed non alius atq; diuerſus eſt,

Als* excitatũ

Als* prædicaſſe

Als* ſubſtantiæ immortalis

Obedientia mortis nõ eſt in dei forma

qui ſe exinaniuit, & qui formam ſerui accepit. Accepiſſe enim non poteſt eius eſſe qui non ſit, quia eius ſit qui ſubſiſtat accipere. Ergo euacuatio formæ non eſt abolitio naturæ, quia qui ſe euacuat, nō caret ſeſe, & qui accipit manet. Et cum ipſe ſit euacuans & accipiens, habet quidem in eo ſacramentum quod ſe euacuat & accipit, non habet tamen interitū, ne non extet euacuans, & ne non ſit accipiens. Itaq; euacuatio eo proficit, ut proficiat forma ſerui, nō ut Chriſtus qui in forma dei erat, Chriſtus ex ſe non maneat, cum formam ſerui nō niſi Chriſtus acceperit. Qui cū ſe euacuauerit, ut manens ſpiritus Chriſtus, idē Chriſtus homo eſſet in corpore, demutatio habitus & aſſumptio naturæ, naturam manentis diuinitatis non perimit, quia unus atq; idem Chriſtus ſit, & demutans habitū, & aſſumens. Oſtenſa itaq; ſacramentorum diſpenſatione, per quā hæretici ignorantes quoſq; fallerent, ut ea quæ per aſſumpti hominis naturam dicta geſtaq; ſunt omnia, infirmitati diuinitatis adſcriberent, & formæ dei deputarent, quicquid formæ ſerui propriæ aptatum eſt, nunc ipſis propoſitionibus eorum reſpondendum eſt. In totum enim iam dictorum ſingulorū genera dijudicabuntur, cum uerbum & carnem, id eſt, deum & hominem Ieſum Chriſtum ſola fides ſit confiteri. Deum igitur dominum noſtrum Ieſum Chriſtū ex eo negandum per naturam hæretici exiſtimant, quia dixerit: Quid me dicis bonum? Nemo bonus eſt niſi unus deus. Omnis reſponſionum ratio neceſſe eſt, ut ex interrogationum cauſis proficiſcatur. Ad id enim reſpondebitur, unde quęritur. Et primum requiro à dicti huius calumniatore, utrum ne id arguere dominum exiſtimet, quur bonus dictus ſit, quia ſeſe maluerit malum dici. Id enim ſignificari uideatur hoc dicto, quid me bonum dicis? Nō opinor quiſquam tam uæcors erit, ut malitiæ profeſſionem ei uelit adſcribere, qui dixerit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meū ſuper uos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus ueſtris: Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue eſt. Mitem ſe profitetur & humilem, & iraſci creditur, quur bonus dictus ſit? Profeſſionum hęc diuerſitas diſſidet, ut bonitatis ſuæ teſtis nomen in ſe bonitatis accuſet. Non ergo iraſci intelligitur ſe bonum dici. Quærendū eſt, quam aliam de ſe profeſſionem arguat, qui nō credendus eſt nomen in ſe bonitatis arguere. Videamus itaq;, quid præter bonū interrogans dixerit, ait enim: Magiſter bone, quid boni faciam? Duas igitur res cōnuncupauit, & bonum, & magiſtrum. Et quia nō arguit bonum ſe dici, hoc neceſſe eſt arguat, quòd magiſter bonus dictus ſit. Ita autem arguit ſe magiſtrum bonū dici, ut fidem interrogantis potius, quàm uel magiſtri in ſe, uel boni nomen argueret. Iuuenis enim inſolens, per obſeruantiam legis, & finem legis, qui Chriſtus eſt, neſciens, & iuſtificatum ſe in operibus exiſtimans, & nō intelligens ueniſſe eum ad oues perditas domus

Quomodo nemo bonus niſi deus

Iuuenis Euangelicus arrogans ex obſeruatione mandatorū legis

mus Iſrael, & impoſſibile eſſe legi per fidem iuſtificationis ſaluare creden/tes,tanquam communium præceptorum,& in lege ſcriptorum magiſtrum interrogat dominum legis, & unigenitū deum. Deteſtatus itaq; dominus hanc de ſe irreligioſę fidei profeſſionem,quòd tanquam magiſter legis in/terrogaretur,reſpondit: Quid me dicis bonū? Atq; ut ſignicaret quatenus intelligendus & profitendus bonus eſſet,ſubiecit: Nemo bonus niſi unus deus. Non reſpuit bonitatis nomen, ſi ſibi hoc tanquam deo deputaretur. Deniq; oſtendens ſe magiſtri in ſe boni,per fidem eius, qui tanq; hominē interrogat,nomen arguere,poſt iactantiam iuuenis & gloriam legis imple tæ,ita reſpondit: Vnum tibi deeſt,uade,uende quæcunq; habes,& da pau/peribus,& habebis theſaurum in cœlo,& ueni ſequere me. Non refugit bo nitatis de ſe nomen, qui cœleſtem theſaurum pollicetur: nec magiſtrum ſe non uult uideri,qui ducem ſe perfectæ huius beatitudinis præſtat. Terrenę autem de ſe opinionis fidem arguit,bonitatem in ſolo deo docens eſſe. Et ut ſe & deum & bonum ſignificaret,bonitatis eſt uſus officijs, cœleſtes the ſauros pandens,& ſe ad eos præuium tribuens. Ita & quę ſibi tanquam ho mini tantū deferebantur, deteſtatur, neq; ſe ab his quæ in deo deputabat, profeſſus alienum eſt,cum unum deum bonum confitens,ea*ipſe loquere tur atq; ageret, quæ unius dei uirtutis, bonitatis atq; naturæ ſunt. * Quòd igitur non bonitatis nomen refugerit, ſed neq; magiſtri honorem recuſa/uerit, ſed fidem eius qui in ſe nihil niſi corporeum & carnale ſapuiſſet, ar/guerit,hinc intelligitur, quòd aliter ad apoſtolos magiſtrum ſeſe confiten/tes loquutus eſt,dicens: Vos me uocatis magiſtrum & dominum, & bene dicitis,ſum etenim. Et alibi cum dixiſſet: Ne uocemini magiſtri,quia magi/ſter ueſter Chriſtus eſt. Vbi cū fide magiſter eſt,ibi adeo laudat,ut & pro/fiteatur hoc nomen,hic uero boni magiſtri nomen nō recognoſcit, ubi nec dominus intellectus eſt eſſe,nec Chriſtus,ſolum unum deum bonum præ dicans,non ſe utiq; à deo ſecernens,qui & dominū ſe profeſſus eſt,& Chri ſtum ducem cœleſtis theſauri oſtendat. Tenuit autem hunc ſemper domi/nus fidei eccleſiaſticæ modum,ut patrem deū unum prædicans à ſacramen to ſe dei non ſepararet unius,dum per naturam natiuitatis, neque alium ſe deum profiteretur eſſe,neq; ipſum: quia eum nec diuerſi generis deum eſſe natura in eo unius dei patitur, neq; natiuitas admittit nō perfectum ei eſſe quod filius eſt. Ita nec ſeparabilis à deo poteſt eſſe,neq; ipſe eſt. Per quod ita omnem ſermonis ſui ſignificationem temperat, ut quicquid deo patri honoris proteſtaretur, id modeſtiſſima confeſſione etiam ſibi proprium eſſe demonſtraret. Cum enim ait: Credite in deum,& in me credite, quæro in quo ſe in natura diſcreuerit,qui non diſcreuit in honore? Dicens enim,& in me credite,cum dixiſſet,& in deū credite: an ne per id quod ait, & in me, non & ſuam intelligitur ſignificaſſe naturam? Naturam planè ſapara,ſi fi/

Als*ipſa

Als*Quàm

Ne uocemini magiſtri,quia magiſter ueſter Chriſtus eſt

dem ſeparas. Si credidiſſe ſine Chriſto in deum uita ſit, Chriſtum à dei & nomine & proprietate diuelle. Quòd ſi uitam perficit credere in Chriſto eos, qui in deum credunt, uerbi uirtutem diligens lector expendat: Credite in deum, & in me credite. Cum enim ait: Credite in deum, & in me credite, uniens ſe fidei dei, & naturæ eius uniuit, cum memorato deo in quem credi oporteret, & in ſe docuerit eſſe credendum, deum ſe per id docens, cum credendum in eum ſit ab his, qui in deum credant. Occaſionem tamen irreligioſæ unionis excluſit, quia cum & in deum, & in ſe credendū profeſſus ſit, fidem de ſe ſolitariȝ non reliquit. Quanctȝ igitur in plurimis, ac penè omnibus dictis ſacramenti huius præſtiterit abſolutionem, ne quando cōfeſſus deū patrem, ab eius ſe unitate diſcerneret, neqȝ ſe in unitate ipſius collocās, eundem tamen unum & ſolitariū profiteretur, tamen etiam ex hoc uel maxime intelligitur ſacramentum & unitatis & natiuitatis doceri, cum ait: Ego autem habeo teſtimoniū maius Ioanne. Opera enim quæ dedit pater mihi ut perficiam ea, ipſa opera quæ facio, teſtimoniū perhibent de me, quoniam pater me miſit, & qui miſit me pater, ipſe teſtificatus eſt de me. Neqȝ uocem eius unquam audiſtis, neqȝ figuram eius uidiſtis, & uerbum eius nō habetis in uobis manens: quoniam quem miſit ille, huic uos nō creditis. Patrem teſtatum eſſe de filio quomodo uere intelligitur, cū nec ipſe uiſus ſit, nec uox eius audita ſit? Memini quidem de cœlis auditam uocem fuiſſe, dicentis: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, hunc audite. Et quomodo uox dei audita nō eſt, cum paternæ uocis ſignificationem in ſe uox audita contineat? Sed fortè in Hieroſolymis manentes nō audierant, quia in deſertis Ioannes ſolus audierit. Quærendū eſt ergo in Hieroſolymis quomodo teſtatus eſt pater. Nō enim teſtimonio iam Ioannis uti tur uocem è cœlo audientis, ſed habet teſtimoniū maius Ioanne, & quod hoc eſſet, cōtinuo ſubiecit: Opera enim quæ dedit mihi pater ut perficiam ea, ipſa opera quæ facio, teſtimoniū perhibent de me, quoniam pater me miſit. Agnoſco teſtimonȝ autoritatem, neqȝ enim quiſquam niſi filius à patre miſſus hæc ageret. Opus ergo ſuū teſtimonium eſt. Sed quid tandem ſequitur? Et qui me miſit pater, ipſe teſtificatus eſt de me. Neqȝ uocem eius unquam audiſtis, neqȝ figuram eius uidiſtis, & uerbum eius nō habetis in uobis manens. Extra crimen ergo ſunt ignorantes teſtimoniū patris, qui in his nunquam auditus ac uiſus ſit, & in his nō maneat uerbum eius, ſed nō ſunt ſub uenia incogniti ſibi teſtimonȝ, quia teſtimonium de ſe patris, operum ſuorum teſtimoniū eſſe profitetur. Opera igitur de eo teſtantur quòd à patre ſit miſſus, ſed hoc operum teſtimonium patris eſt. Et cum operatio filȝ, patris teſtimonium ſit, eam neceſſe eſt operari in Chriſto naturam intelligendam eſſe, per quam teſtis & pater eſt. Atqȝ ita Chriſtus operans, & in eius opere pater teſtans, oſtenduntur inſeparabilis ſecundū natiuitatem

eſſe

eſſe naturæ,cum dei de Chriſto teſtimonium, ea ipſa Chriſti eſſe ſignifice tur operatio.Non ſunt itaq; extra reatum non cogniti ſibi teſtimonij, cum opus Chriſti teſtimoniũ de eo patris ſit. Neq; in eo quòd teſtantis uocem non audierint,& figuram non uiderint, & uerbum eius manens in ſe nõ ha buerint, idcirco ſine teſtimonij ſunt conſcientia . Ad id enim refertur quod dictum eſt:Neq; uocem eius audiſtis, neq; figuram eius uidiſtis, & uerbũ eius manens non eſt in uobis.Et cum teſtatus de eo pater fuiſſet,ut cauſa ta men neq; uocis auditæ,neq; uiſæ figuræ,& uerbi in his non manentis poſ/ ſit intelligi,continuo ſubiecit:Quoniam quem miſit ille,huic uos non credi tis.Secretò & uocem dei audiendam, & figuram uidendam, & uerbũ eius in his qui credunt ineſſe demonſtrans, cum per naturæ unitatem in ſe pa/ ter & loqueretur,& uideretur,& haberetur, nunquid non & patrem ſignifi cat,cum miſſus ab eo eſt? Nunquid ſe per aliquam naturæ differentiam à patre diſcreuit,cum hinc pater teſtans de eo,neq; auditus ſit,neq; uiſus ſit, nec intellectus ſit,quia miſſo ſibi à patre nõ creditum ſit? Non ſe ergo uni/ genitus deus à deo ſeparat, patrem deũ confitens, ſed per ſignificationem patris deo patre demonſtrato,ſe quoq; in dei honore conſtituit.Namq; in hoc ipſo eodemq; ſermone,in quo operibus ſuis teſtari ſe miſſum eſſe à pa tre docet,& patrem teſtantem, quod ab eo miſſus ſit,ſignificat, cum dixiſ/ ſet:Et honorem eius qui eſt ſolus deus,non quæritis,non tamen hoc dictũ nudum,& non antea ad unitatis fidem præparatũ reliquit.Superius enim ita ait:Nõ uultis uenire ad me,ut uitam habeatis: honorem ab hominibus non accipio,ſed cognoui uos quoniam dilectionem dei non habetis in uo/ bis.Ego ueni in nomine patris mei, & non accepiſtis me : ſi alius uenerit in nomine ſuo,illum recipietis.Quomodo poteſtis uos credere,qui honorem ab hominibus accipitis , & honorem eius qui eſt ſolus deus,non quæritis? Honorem improbat hominum, quia honor potius quærendus à deo eſt, & infideliũ eſt honorem ab altero accipere. Quid enim homo homini ho/ noris impartiet?Cognitum itaq; ſibi ait,dilectionem dei in his non eſſe, & non manentis in his dilectionis dei hanc docet cauſam, quia ſe uenientem in nomine patris ſui nõ accipiunt. Quid rogo eſt,in nomine patris eum ue/ nire?Nunquid aliud quàm in nomine dei?Aut nunquid non idcirco in his dilectio dei nõ eſt,quia non ſuſceptus ſit in nomine dei ueniens? Aut nun/ quid in ſe non & naturam dei ſignificauerat, dicens: Non uultis uenire ad me,ut uitam habeatis?Nam & in eodem ipſo ſermone iam dixerat:Amen amen dico uobis, quoniam uenit hora,& nunc eſt, in qua audient mortui uocem filij dei,& qui audierint,uiuent.Cum in nomine patris uenit,neque ipſe pater eſt,nec tamen non in ea eſt diuinitatis natura qua pater eſt,quia & filio & deo propriũ eſt in nomine dei patris uenire. Deinde accipiendus eſt alius in nomine eodem ueniens.Sed hic homo eſt,à quo ſibi honorem

Honorẽ eius qui eſt ſolus deus,non quæritis

homines ſperabunt, & cui honorem reddent uiciſſim, cum tamen ſe idem in nomine patris ueniſſe fallet. Et hic quidem antichriſtum ſignificari non obſcurum eſt, mendacio paterni nominis gloriantem. Et cum hunc honorabunt, atq; ab eo honorabuntur, tunc enim ſpiritum erroris accipient, honorem eius qui eſt ſolus deus nō quærent. An ne cum ob hoc dilectionem dei nō habeant, quia uenientem ſe in nomine patris non acceperint, & rurſum uenientē alium in eodem nomine recipientes, & honorē ab alterutro accipientes, honorem eius qui ſolus deus eſt nō requirant, ſeparare ſe Chriſtus ab honore unius dei potuerit intelligi, cum idcirco nō quæratur honor ſolius dei, quia antichriſtum ſuſcipiendo non ſit ille ſuſceptus? Nam cuius repudiatio honoris ſolius dei prætermiſſio eſt, in huius honore neceſſe eſt honorem ſolius dei eſſe, in cuius ſi ſuſceptione manſiſſent, honorem ſolius dei quæſiſſent. Et hic idem ipſe ſermo teſtis eſt nobis, in cuius exordio continetur, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, nō honorificat patrem qui miſit illum. Nunquam enim natura alia exæquatur in honore, neq; exęquatus honor ſeparat honorandos, cum ſacramento tamen natiuitatis poſcitur honoris æqualitas, cum filius ita honorandus ut pater ſit. Et cum eius qui ſolus eſt deus, honor non quæritur, non eſt extra ſolius dei honorem, cuius honor idem atq; unus & dei eſt, quia ut non honorificans filium, nō honorificat & patrem, ita & ſolius dei honorem non quærens, non quærit & Chriſti. Inſeparabilis itaq; eſt à dei honore honor Chriſti. Et quàm unus atq; idem utriuſq; ſit, etiam ex eo docet, cum ait nunciata ſibi Lazari infirmitate: Infirmitas hæc nō eſt uſq; ad mortem, ſed pro gloria dei eſt, ut honorificetur filius dei per eum. Pro gloria dei Lazarus moritur, ut filius dei glorificetur per Lazarū. Nunquid ambigitur, in gloria filij dei eſſe gloriam dei, cū mors Lazari quæ deo ſit glorioſa, gloriam ſit dei filio paritura? Atq; ita & naturalis per natiuitatem unitas dei patris in Chriſto docetur, cum infirmitas Lazari pro dei gloria eſt: & ſacramentum fidei retinetur, cum per Lazarum glorificandus eſt dei filius, deo perinde dei filio intelligendo, neq; ita deo intelligendo, ut nō etiam dei filio confitendo, cum glorificando per Lazarum deo, dei ſit filius glorioſus. Inſeparabilis ſacramento diuinæ naturę eſt uiuentis à uiuente natiuitas, nec demutationem generis accipit filius dei, ne non in eo paternæ naturæ ueritas maneat. Nam & his ipſis ſignificationibus, quibus confeſſo uno tantū deo abnegaſſe in ſe dei naturam uidetur, ſub ſolius demonſtratione, in unitate ſe tamen paternæ naturæ unius dei fidem non conuellens locauit. Interrogatus enim à ſcriba, quod in lege eſſet principale mandatū, reſpondit: Audi Iſrael, Dominus deus tuus deus unus eſt. &: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis uiſceribus tuis, & ex tota uirtute tua. Hoc eſt primum mandatum. Secundum autem

Honor Chriſti eſt inſeparabilis ab honore dei

tem ſimile eſt huic:Diliges proximum tuum tanquam te ipſum. Maius autem horum mandatuum non eſt. Alienaſſe ſe à natura & religione unius dei exiſtimatur,cum principalis mandati hæc ſit profeſſio:Audi Iſrael, Dominus deus tuus deus unus eſt.Deinde ne in conſequentis ſe quidem mandati religione conſtituat,cũ ad proximi nos dilectionem lex ſicut ad unius dei fidem uocaret. Et quidem reſponſio ſcribæ nõ eſt negligenda,dicentis: Bene dixiſti magiſter in ueritate,quòd unus ſit deus,nec eſt alius præter illum.Ita diligendus ex toto corde,& ex totis uirtutibus, & ex tota anima,& diligere proximum tanquam ſeipſum,hoc maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs. Reſponſio ſcribæ uidetur cum dictis domini conuenire,unius dei charitatem intimam internamq; profitentis, & dilectionem proximi ſecundum propriæ dilectionis ueritatem pollicentis,& ſupra ſacrificiorum holocauſtomata charitatem in deũ atq; hominem eſſe intelligentis. Sed quid ſequatur uidendum eſt: Videns autem Ieſus quòd ſapienter reſpondiſſet,dixit illi:Non es longe à regno dei. Quid ſibi uult tam moderatę reſponſionis profeſſio? cum hominem ad cœlorum regnum fides iſta conſummet,unum deum credere,& eum tota anima, & totis uirtutibus, & toto corde diligere,proximũ quoq; ita ut ſeipſum amare,ſcriba hic nõ iam in regno dei ſit,ſed non longe à dei regno ſit? Alia iſtud ſignificatione nudum ueſtientibus,& eſurientem alentibus,& ſitientem potantibus,& ęgrotum uiſitantibus,& clauſum cercere frequentantibus datur: Venite benedicti patris mei, poſſidete præparatum uobis regnum à conſtitutione mundi. Vel illis quibus hæc pauperis ſpiritus merces eſt:Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.Perfectus hic fructus eſt,& abſoluta*profeſſio eſt,& præparati regni nõ incerta traditio.Aut nunquid adoleſcens minus aliquid horum confitebatur? Nam exæquata ad amorem ſuum dilectione proximi,quid de boni operis conſummatione nõ egerat? Interdum enim indulgentem officioſumq; eſſe, non perfectæ eſt charitatis:perfecta autem charitas omne huiuſcemodi indulgentiæ implebit officium,cum non reliquerit quod alteri debeat,qui tantum alteri quantum ſibi reddat.Sed ignoratione conſummati ſacramenti detentum ſcribam,per *profeſſionem fidei dominus collaudans, & non longe eum à dei regno eſſe reſpondens,non tamen eum in ipſa iam beatæ ſpei poſſeſſione conſtituit.Tendebat enim felici curſu, etſi ignoranti,& prælata omnibus dilectione dei,& charitate proximi ſuæ ipſius dilectioni exæquata, cum tamen ei ipſi proximi charitati amorem dei prętuliſſet,iam non holocauſtomatum & ſacrificiorum præſcriptis continebatur. Non erat longe iſtud ab Euangelico ſacramento: & quur non longe à dei regno ſit, qui futurus magis in dei regno ſit,ex ipſis dictis domini intelligendum eſt.Sequitur enim:Et nemo audebat iam eum interrogare.Et reſpondens Ieſus dixit docens in tem

Quare ſcribæ dominus dixit,non longe es à regno dei

Als poſſeßio*

*Als*promiſſionem*

plo: Quomodo dicunt ſcribæ Chriſtum filium eſſe Dauid? Ipſe enim Dauid dicit in ſpiritu ſancto: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Ipſe Dauid dicit eum dominum, & unde eſt filius eius? Non longe igitur à dei regno eſt ſcriba unum deum confitens, qui ultra omnia eſſet diligendus: ſed admonetur ſua ipſius profeſſione, cur ſacramentum legis ignoret, & Chriſtum dominum filium dei neſciat per natiuitatis naturam in fide unius domini confitendum. Et quia per unius domini ſacramentum manere, non relinqui uidebatur, ſcribam admonet, quomodo Chriſtum Dauid filium eſſe diceret, cum Dauid eum dominũ ſuũ eſſet profeſſus, nec natura ſineret, ut qui tanto patriarchę eſſet filius, eſſet & dominus. Hoc ideo, ut ſcriba ſecundum carnem & partum Mariæ quòd ex Dauid eſſet, ſolum eum intelligens, dominum potius ſecundum ſpiritum Dauid meminiſſet eſſe, quàm filium. Et id quod dictũ eſt: Audi Iſrael. Dominus deus tuus deus unus eſt, à domini unius ſacramento Chriſtum non ſepararet, cum tantus patriarcha & prophetes eum, qui ex utero domini ante luciferum genitus fuiſſet, dominum ſibi profiteretur. Nõ utiq; immemor legis, neq; ignorans dominum alium nõ confitendum, ſed eum qui ſacramento naturalis natiuitatis ex incorporali dei utero ſubſtitiſſet, abſq; uiolatæ legis fide dominum eſſe intelligendum, cum unus ex uno per unius domini naturam haberet in ſe naturale quod dominus eſt. Quis ergo etiam nunc relictus eſt ambigendi locus? Dominus ipſe præcipuum mandatum legis in unius domini confeſſione ac dilectione docens eſſe non ſuo ad ſcribam, ſed prophetę teſtimonio eſt uſus, eſſe ſe dominum, dominum ſe tamẽ ſemper per id quod dei filius eſt eſſe ſignificans. Per id enim in ſacramento dei unius per natiuitatem manet, quia dei in ſe naturam dei natiuitas tenens, in deum alterum non excedat diuerſitate naturæ, & ueritas generationis nec patri adimat ne nõ deus ſit, nec filio non perficiat ne non ſit & dominus. Atq; ita neq; autoritatem pater amittit, nec naturam filius non tenet, per quod nec deus pater nõ dominus unus eſt, neq; unigenitus deus dominus ſeparatur ab uno, cum ex uno domino unus ipſe ſubſiſtat in dominum, dominum unum eſſe ita ex lege docens, ut ſe quoq; dominum, propheta teſtante confirmet. Tendat per cæteras impĩj furoris propoſitiones fidei Euangelicæ reſponſio, & his ipſis quibus impugnatur repugnet, & armis excidĩ ſui uincens, unius ſpiritus dicta, unius quoq; fidei demonſtret eſſe doctrinam. Neq; enim alius eſt Chriſtus, quàm qui eſt prædicatus, deus ſcilicet uerus, & in dei unius ueri gloria manens: & ſicut ſe dominũ ex lege dũ negare uideretur, profeſſus, ita & in Euangelĩs uerum ſe deũ dum nõ confiteri exiſtimatur, oſtendens. Hoc enim ſe dicto eius, ne eũ uerũ deũ eſſe hæretici confiteantur, excuſant: Hæc eſt autẽ uita æterna, ut ſciant te ſolũ uerũ deũ, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum

Dixit dominus domino meo

Hæc eſt aũt uita æterna &c.

Christum. In eo namq; quod ait, te solum uerum deum, separare se à ueritate dei per exceptionem solitarij existimatur, cum solus uerus deus nisi se tantum solitarium deum non patiatur intelligi. Et uere istud fides apostolica non patitur duos ueros deos credi, quia naturæ unius dei nihil alienum naturæ eiusdem exæquandum sit ueritati. Non erit enim in dei unius ueritate deus unus, si extra naturam unius dei ueri, alterius generis & nõ secundum natiuitatem naturalis sibi deus, uerus deus existat. Sed ut in hoc ipso eodem dicto nõ ambigue ipse se in unius dei ueri naturam deũ uerum professus esse intelligatur, à superioribus huic tamen dicto cõtinuatis atq; iunctis professionibus responsionis nostrę sermo descendat, ut per gradus de monstratæ fidei iam in ipso apice ueri dei Christi, libertatis nostræ fiducia conquiescat. Post sacramentũ itaq; sermonis eius quo dixerat: Qui me uidet, uidet & patrem, & non creditis mihi quòd ego in patre, & pater in me est. Et uerba quę ego loquor uobis, nõ à me loquor, sed pater qui in me manet, ipse facit opera sua. Credite mihi, quoniam ego in patre, & pater in me est: sin autem, uel propter opera ipsa credite. Post multiplicem ergo hunc ingentium mysteriorũ sermonem sequitur respondentium discipulorum sermo iste: Nunc ergo scimus quia nosti omnia, & non habes necessitatem ut aliquis te interroget, in hoc credimus quoniam à deo existi. Virtutibus in eo dei, naturam quoq; dei intellexerunt: neq; enim nosse omnia, & cordium cogitationes scire, missi potius à deo posset esse, quàm nati. In hoc ergo credere se profitentur, quòd à deo exierit, quia naturæ in eo dei esset potestas. Intelligentiam autem eorum collaudans dominus respondit, non utiq; quòd missus esset, sed quòd à deo exisset, profectum natiuitatis ex incorporali deo sub exitionis significatione testantium. Nam & ipse natiuitatem suam sub exitionis demonstratione fuerat eloquutus, dicens: Vos me amatis, & creditis quoniam à deo exiui, & à patre ueni in hunc mundũ. A patre enim in hunc mundum uenerat, quia à deo exierat. Nam ut natiuitatem suam in exitione significasse intelligeretur, subiecit, se à patre uenisse. Et cum per id à patre uenerit, quia à deo exierit, exitio eius à deo absoluta natiuitas est, quam paterni nominis est professio consequuta. Intelligentibus itaque apostolis hoc exitionis sacramentum, hæc loquutus est: Modo creditis: Ecce uenit hora & nunc uenit, ut dispergatur unusquisque in sua, & me solum relinquatis, sed non sum solus, quoniam pater mecum est: ut exitionem illam, non alienationem à deo patre doceret esse, sed de natiuitate naturam in se dei patris nascendo retinentem, subiecit, nõ se solum esse, sed patrem secum esse, uirtute utiq; atq; unitate naturæ, cũ se, cũ pater in se manens, esset in loquente se, atq; in operante & operans & loquens. Deinde ut causam totius huius sui sermonis ostendereret, adiecit: Hæc loquutus sum uobis, ut in me pacem habeatis. In hoc autem seculo tribulationem

Exitio Christi à deo, est eius absoluta natiuitas

tribulationem habebitis,ſed animi æqui eſtote,quia uici ego mundum. Loquutus ergo iſta eſt, ut pacifici in eo manerent, neq; diſſentionum ſtudio *ſuæ perfidiæ diſceptationibus diffiderent,cum qui ſolus relinqueretur,nõ ſolus eſſet,& qui à deo exiſſet,eum à quo exiſſet deum in ſe haberet.Deinde in ſeculo uexati, patientes promiſſionũ eius eſſent, qui mundum à deo exeundo,& deũ ſecum habendo uiciſſet. Poſtremo totius myſterij fidem eloquuturus,eleuatis in cœlum oculis,ait:Pater uenit hora, honorifica filiũ tuum,ut & filius tuus honorificet te.Sicut dediſti illi poteſtatem omnis carnis,ut omne quod dediſti illi,det ei uitam æternam. An ne tibi infirmus uidetur,cum honorificari ſe rogat? Sit planè infirmus, niſi honorificari ſe idcirco poſtulat,ut ipſe honorificet honorificantem. De honore autem accipiendo & reddendo, libro alio tractauimus, & eadem reuoluere admodũ ocioſum eſt. Certe non ambigitur gloriam idcirco poſci,ut glorificetur impartiens,ſed fortè in eo imbecillis eſt, quòd poteſtatem omnis carnis accepit.Sit quoq; acceptio poteſtatis imbecilla,niſi potens eſt illis quos accipit, uitæ tribuere æternitatem:Sed in eo ipſo quoque quod accipit,naturæ aliqua infirmitas arguitur.Sit planè acceptio infirmitatis, niſi Chriſtus ex natiuitate potius quàm ex innaſcibilitate deus uerus eſt. Quòd ſi acceptio poteſtatis,ſola eſt ſignificatio natiuitatis, in qua accipit id quod eſt, nõ eſt infirmitati datio deputanda,quæ totũ hoc naſcentem conſummat eſſe quod deus. Cum enim innaſcibilis deus ad perfectam diuinæ beatitudinis natiuitatem unigenito deo autor ſit,autorem natiuitatis eſſe ſacramentum paternum eſt. Cæterum non habet contumeliam, quæ autoris ſui exprimit imaginem: quod enim pater dedit poteſtatem in hoc filium genuit, quod filius accepit,natiuitatem cõſummat.Dedit enim ei poteſtatem omnis carnis, & ad id dediſſe, ut det eis uitam æternam: habet in dante quòd pater eſt,& in accipiente quòd deus eſt,cum & in eo ſignificetur pater eſſe quòd dederit,& in eo filius deus maneat,quòd uitæ æternæ dandę ſumpſerit poteſtatem. Naturalis igitur filio dei & congenita omnis poteſtas eſt,quæ cũ data ſit, non alienata eſt per id ab autore,quia data eſt, cum quod eſt autoris,hoc datum ſit, dare ſcilicet uitam æternam, & corruptionem in incorruptionem mutare. Dedit itaque pater omnia, & accepit filius omnia, neque ambiguum eſt, cum dixerit: Omnia quæ patris ſunt, mea ſunt. Et hic quidem non creationum ſpecies, neq; elementorũ diuerſas ſubſtitutiones præſens ſermo ſignificat,ſed beatę atq; abſolutę diuinitatis nobis gloriam pandens, deum in his oſtendit intelligendum eſſe quæ ſua ſunt in uirtute, in æternitate,in prouidentia,in poteſtate. Non quòd hæc deus ita habeat, tanquam aliud quid extra iſta eſſe credendus ſit, ſed quòd in his ad aliquantulam ſenſus noſtri opinionem ſignificatus ſit ipſe qui habeat. Vnigenitus igitur in his ſe docens ſubſtitiſſe, quæ patris ſunt, cum ex ſe

Als ſuper ſi de uel fidei

ſumpturum

ſumpturum eſſe ſanctum ſpiritũ dixiſſet,adiecit: Omnia quæ patris ſunt, mea ſunt,propterea dixi,de meo accipiet.Omnia quæ patris ſunt,ſua ſunt, tradita utiq; & accepta. Sed data non infirmant * natiuitatem, quæ in his eum conſtituunt eſſe quibus pater eſt. His igitur nunc gradibus præmiſſæ de ſe intelligentiæ uſus eſt,ut cum ſe à deo exiſſe docuiſſet, ſecumq; eſſe patrem profeſſus eſſet,ſecq; mundũ uiciſſe teſtatus eſſet,& honorandus à patre,patrem eſſet honoraturus,& accepta poteſtate in danda uniuerſę carni uitæ æternitate eſſet uſurus,tum poſtremo omnia hæc tali abſolutione concluderet:Hæc eſt autẽ uita æterna,ut ſciant te ſolum deum uerum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Vitæ æternæ fidem uel loqui ô hæretice diſce uel credere, & ſepara à deo Chriſtum ſi potes, à patre filium, à deo uero ſuper omnia deum,à ſolo unum. Vnus enim dominus eſt Ieſus Chriſtus. Si uita æterna eſt in deum ſolum uerum credidiſſe, ſed non ſine Chriſto, ſeparato Chriſto à ſolo deo uero,in confeſſione ſolius dei ueri, uita æterna non capitur. Non intelligo quo modo nobis à deo uero ſeparandus ad fidem ſit,qui non ſit ſeparabilis ad ſalutem. Quanquam igitur ſciam moroſas difficilium quæſtionum abſolutiones legentium deſiderijs graues eſſe, tamen dilata ad modicum totius ueritatis demonſtratione, indulgeri mihi exiſtimo non ſine aliquo fidei profectu his ipſis dictis Euangelicis tecum hæretice luctanti.Audis profeſſionem domini dicentis:Hęc eſt autem uita æterna, ut ſciant te ſolum uerum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Quæro quid ſit quod ſenſum moueat, ne uerus deus Chriſtus ſit. Non enim tibi nunc quid de Chriſto credideris ſignificatio aliqua alia ſubiecta demonſtrat.Non habes quicquam præter quàm Ieſum Chriſtum:non filium hominis,ut de ſe ſolet dicere: non filium dei ut profiteri ei de ſe uſitatum eſt: non deſcendentem panem uiuum de cœlis, quod cum multorum ſcandalo de ſe frequenter aſſerit,ſed dicens,te ſolum uerum deum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum omnem prænominum & cognominum ſuorum, uel naturalium,uel aſſumptorum conſuetudinem prætermiſit, ut cum confitendus ſolus uerus deus & Chriſtus Ieſus æternitatem præſtarent, ſine dubio in ea Ieſus Chriſtus eſſet ſignificatiõe,qua deus eſt.Sed fortè quod ait,te ſolum,communionem atque unitatem ſuam à deo ſeparat. Separet ſanè, ſi non ad id quod ait, te ſolum uerum deum, continuo ſubiecit: & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.Et ſenſum audientis interrogo quid credendus ſit Ieſus Chriſtus, cum ad id quod pater ſolus deus uerus credendus ſit,credendus & Chriſtus eſt?Sed ſolus fortè pater deus uerus Chriſto nõ relinquit ut deus ſit.Nõ relinquat ſanè,ſi unus deus pater Chriſto ut unus ſit dominus, non relinquit. Quòd ſi unus deus pater Chriſto non adimit ut unus ſit dominus,ita ſolus deus pater uerus Chriſto Ieſu non auferat ut uerus deus ſit, cum ad uitæ æternæ meritum hoc proficat,ut cum credatur

ſolus

Als diuinitatem*

Hæc uita eſt æterna ut ſciant te ſolum

ſolus uerus deus,credatur & Chriſtus. Quid nunc rogo ſtultitiæ tuæ ſenſu Chriſto deputans hæretice,ut cum creditur deo patri,credatur & Chriſto, qui uitam æternam tribuit, quia honorificandus à patre patrem honorificauit,quia mundũ uicit,quia ſolus relinquendus nõ ſolus eſt,ſed ſecum habet patrẽ,quia à deo exiuit,atq; à patre uenit? Quid igitur in tantis dei uirtutibus nato,naturæ ac ueritatis imparties? Solum enim uerum deum patrem inutiliter credimus,niſi credamus & quem miſit Ieſum Chriſtũ. Quid hæres? quid moraris? quid Chriſtus cõfitendus ſit doce,nam qui quæ ſcripta ſunt negas,quid reſtat,niſi ut quæ non ſcripta ſunt credas. O infelix uoluntas,ô ueritati obnitens falſitas, cum in fide & confeſſione ueri dei patris Chriſtus unitus ſit,rogo qua fide uerus deus negatus creatura eſſe dicitur, cum fides nulla ſit in ſolum uerum deum credidiſſe ſine Chriſto? Sed anguſtum te hæretice & diuini ſpiritus incapacem cœleſtium dictorum non adit ſenſus,& uipereo inſpiratus errore,Chriſtum uerum deum neſcis in fide ſolius ueri dei ad uitæ æternitatem confitendum. Sed eccleſiæ fides ſolum uerum deum patem confeſſa,confitetur & Chriſtũ: neq; uerum Chriſtum deum confitendo,non & ſolum uerum deum patrem confitetur. Neque rurſum ſolum uerum deum patrem confeſſa, non confitetur & Chriſtum. Per id enim & Chriſtum confeſſa deum uerum eſt,quòd ſolum uerum deum confeſſa ſit patrem. Ita quod ſolus pater deus uerus eſt, deum uerum eſſe confirmat & Chriſtum. Non enim unigenito deo naturæ demutationem naturalis natiuitas intulit,& qui ex ſubſiſtente deo ſecundum diuinæ generationis naturam deus ſubſiſtit, ab eo qui ſolus uerus deus eſt inſeparabilis eſt ueritate naturę. Tenuit enim natura ueritatis ſuę ordinem, ut natiuitatis ueritatem ueritas naturalis inueheret, nec alterius ex ſe generis deum deus unus afferret. Atq; ita ſacramentũ dei nec in ſolitudine, nec in diuerſitate conſiſtit,cum neq; alter deus deputetur qui ex deo cum naturæ ſuæ proprietate ſubſtiterit,neq; in unione maneat, quem patrem natiuitatis ueritas doceat confitendũ. Non deſeruit igitur natus deus naturæ ſuæ proprietatem, & naturali in eo uirtute eſt,cuius in ſe tenet naturali natiuitate naturam. Non enim in eo deus aut demutatus aut degener eſt, cum ſi quod uitium natiuitatis intuliſſet ei, potius naturæ cõtumeliam per quam natiuitas ſubſiſtebat, inferret, dum quod ex ſe eſt deſineret eſſe quod ſuũ eſt. Atq; ita non eum demutatio corrumpebat,eo qui ſubſtantiam nouam natiuitate ſubſiſteret, ſed eum qui natiuitate filij impotens naturæ ſuæ tenere conſtantiam externum aliquid à ſe alienumq; genuiſſet. Non eſt autem,ut ſæpe iam commemorauimus, in unitate dei patris & dei filij humanarum uitium opinionum,ut ſit uel extenſio, uel ſeries,uel fluxus,ut aut riuum fons effundat ab origine,aut ramum arbor teneat in caudice,aut calorem ignis emittat in ſpacium. *Hæc enim inſeparabili protenſione manent

potius

tius de re quàm ſibi ſunt,dum & calor in igne eſt,& in arbore ramus eſt, & riuus in fonte eſt.Et hæc ipſa res ſola ſibi eſt potius, quàm res ex re ſubſtituta eſt:quia nõ aliud arbor quàm ramus,neq; ignis quàm calor,neq; fons poſſit eſſe quàm riuus. At uero unigenitus deus ex perfecta atque inenarrabili natiuitate ſubſiſtens deus eſt,& uera progenies innaſcibilis dei eſt,& incorporalis naturæ generatio incorporalis, deus uiuus & uerus à uiuente deo uero,& inſeparabilis à deo naturę deus,dum ſubſiſtens natiuitas nõ alterius naturæ deũ perficit,neq; generatio quæ ſubſtantiam prouehebat, ſuſtantiæ naturam demutauit in genere,ſed diſpenſationem aſſumptæ carnis,& per exinaniendi ſe ex dei forma obedientiam,naturę ſibi nouitatem Chriſtus homo natus intulerat,non uirtutis naturæq; damno, ſed habitus demutatione exinaniens ſe.Igitur ex dei forma ſerui formam natus accepe rat. Sed hanc carnis aſſumptionem, ea cũ qua ſibi naturalis unitas erat patris natura non ſineret,&*nouitas temporalis,licet maneret in uirtute naturæ, amiſerat tamen cum forma dei naturæ dei ſecundum aſſumptũ hominem unitatem.Sed ſumma diſpenſationis hæc erat, ut totus nunc filius homo ſcilicet & deus per indulgentiam paternæ uoluntatis, unitate paternæ naturæ*maneret,& qui manebat in uirtute naturę,maneret quoq; in gene re naturę.Id enim homini acquirebat ut deus eſſet.Sed manere in dei unitate aſſumptus homo nullo modo poterat,niſi per unitatem dei in unitatẽ dei naturalem euaderet. Vt per hoc quod in natura dei erat deus uerbum, uerbum quoq; caro factum rurſum in natura dei ineſſet. Atq; ita homo Ieſus Chriſtus maneret in gloria dei patris, ſi in uerbi gloriam caro eſſet unita, rediretq; tunc in naturæ paternæ etiam ſecundum hominem unitatem uerbum caro factum,cum gloriam uerbi caro aſſumpta tenuiſſet.Redden da igitur apud ſeipſum patri erat unitas ſua,ut naturę ſuę natiuitas in ſe rurſum glorificanda reſideret,quia diſpenſationis nouitas offenſionem*unitatis intulerat, & unitas ut perfecta antea fuerat, nulla eſſe nunc poterat, niſi glorificata apud ſe fuiſſet carnis aſſumptio.Et idcirco tanto antea præparato ad fidei huius intelligentiam ſenſu,cum dixiſſet: Hæc eſt autẽ uita æterna,ut cognoſcant te ſolum uerum deum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum, ſubiecit ſecundũ diſpenſationis ſuæ obedientiam : Ego te glorificaui ſuper terram,opus conſummaui quod dediſti mihi ut facerem.Poſtq; ut meritũ obedientię & ſacramentum totius diſpenſationis intelligeremus,adiecit:Et nũc glorifica me tu pater apud temetipſum gloria quam habebam anteq; ſeculum eſſet apud te. Qui manere Chriſtũ in natura dei denegat, & inſeparabilem eſſe atq; indifferentẽ à ſolo deo uero nõ credit,reſpondeat quæ huius petitionis ſit ratio : Et nunc glorifica me tu pater apud temetipſum. Quid enim cauſæ eſt,ut pater eũ glorificet apud ſemetipſum? aut quæ uerbi huius ſignificatio eſt? quiue ſignificationis effectus eſt? Pater namq; nõ

Als hæc enĩ à ſe inſeparabili protenſione manent potius detenta q̃ ſibi inſunt.*

Non aliud arbor quàm ramus, neq; ignis quàm calor &c.

*Als*natiuitas*

*Als*ineſſet*

*Als*uirtutis*

Et nunc glorifica me apud temetipſum

eget glorię,nec ſe exinaniuerat de forma glorię ſuę. Quo modo ergo apud ſemetipſum glorificaturus eſt filium, & ea gloria quam habuit apud eum ante mundi conſtitutionem? Sed apud eum habere quis ſenſus eſt? Non enim ait,gloriam quam habebam antecp̃ ſeculũ eſſet, cũ eſſem apud te,ſed gloriam quã habebam apud te. Eſſe enim apud te,conſiſtentem ſignificat: habere autem apud te, naturæ ſacramentũ docet. Glorifica uero apud te, nõ idem eſt quod glorifica me. Non enim ſemetipſum glorificari tantũ ita ut ſibi aliquid ſit propriũ gloriæ rogat,ſed apud ſemetipſum patrem glorificari ſe ab eo precatur. Vt enim in unitate ſua maneret,ut manſerat,glorificaturus eum apud ſe pater erat,quia glorię ſuæ unitatem per obedientiam diſpenſationis exceſſerat, ſcilicet ut in ea natura per glorificationem rurſus eſſet,in qua ſacramento erat diuinæ natiuitatis unitus,eſſetq̃ patri apud ſemetipſum glorificatus,ut quod apud eum aute habebat maneret,neq̃ abalienaret ab eo formæ dei naturam formæ ſeruilis aſſumptio, ſed apud ſemetipſum glorificaret formam ſerui,ut maneret dei forma,quia qui in forma ſerui manſerat,idem erat in forma dei. Et cum ſerui forma glorificanda eſſet in dei forma,apud eum ipſum glorificanda erat in cuius forma formę ſeruilis erat habitus honorandus. Non noua uero hæc,neq̃ nunc primum Euangelicis doctrinis conſignata,uox domini eſt,& hoc ipſum glorificandi filij apud ſemetipſum dei patris ſacramentum pulcherrima illa ſpei ſuæ gratulatione teſtatus eſt, tunc cum Iuda ad proditionem exeunte, gaudio cõſummandæ ſuæ diſpenſationis elatus hæc dixit: Nunc honorificatus eſt filius hominis,& deus honorificatus eſt in eo. Si deus honorificatus eſt in eo,& deus honorificauit eum in ſe,& deus protinus honorificauit eũ,quid limoſi corporis graues animæ, & ſordente peccatis conſcientia fœtidæ cœnoſæq̃ uſq̃ ad iudiciũ diuinæ de ſe profeſſionis inflamur? & arbitros nos naturæ cœleſtis deputantes, impijs ad deum calumniæ noſtræ diſputationibus fallimus? Quanta potuit enim dominus uerborũ ſimplicitate Euangelicam fidem locutus eſt: & in tantum ad intelligentiam noſtram ſermones aptauit,in quantum naturæ noſtræ ferret infirmitas, nõ tamen ut quicquam minus dignũ naturæ ſuæ maieſtate loqueretur. Et primam quidem dicti ſui ſignificationem non ambiguam exiſtimo,cum ait: Nunc honorificatus eſt filius hominis. Gloria enim omnis non uerbo,ſed carni acquirebatur,id eſt,nõ natiuitati dei ſed nati hominis diſpenſationi. Hoc uero quod ſequitur quid ſignificet interrogo: Et deus honorificatus eſt in eo. Honorificatum enim in eo deum audio, & quid iſtud ſit ſecundum intelligentiam tuam hæretice ignoro. Deus in eo honorificatus eſt, in filio utiq̃ hominis. Et quæro an filius hominis idem ſit & filius dei, & cum non aliud ſit filius hominis,neq̃ aliud filius dei,uerbum enim caro factum eſt: & cum qui filius dei eſt, ipſe & hominis ſit filius, requiro quis in hoc filio hominis, qui

Gloriã non uerbo, ſed carni quærebatur

& filius dei eſt, glorificatus ſit deus, q̃a in filio hominis, qui & filius dei eſt, glorificatus deus eſt? Videamus quid ſit hoc quod tertio ſubditur: Si deus glorificatus eſt in eo, deus glorificauit eũ in ſe. Quod iſtud rogo ſacramenti myſterium eſt? Deus in filio hominis glorificato glorificatum deum glorificat in ſe. In filio hominis dei gloria eſt, & gloria dei gloria filij hominis. Deus glorificat eum in ſeſe, homo utiq; non per ſe glorificatur. Neq; rurſum qui in homine glorificatur deus, licet gloriam accipiat, nõ tamen aliud ipſe quàm deus eſt. At uero cum glorificato filio hominis, glorificans deũ deus glorificat in ſeſe, inuenio naturæ gloriam in gloriam naturæ, naturam glorificantis aſſumi. Non enim ſe deus glorificat, ſed glorificat deum in homine glorificatum in ſeſe. Quòd autem glorificat in ſeſe, licet non ſe glorificet, tamen in naturæ ſuæ gloriam naturam glorificantis aſſumit. Et cũ glorificans deũ deus, quia glorificatus in homine ſit, glorificat in ſeſe, eum quem glorificauit in ſeſe ineſſe demonſtrat cum eum glorificat in ſeſe. Affer nunc quiſquis es hęretice flexuoſę doctrinę tuæ ineuolubiles queſtiones, quę cũ ſe nodis ſuis illigent, in nullo tamen agmine hærendi moleſtiam continebunt. Filius enim hominis glorificatur, & glorificatur in eo deus, & deus glorificatum eum in homine glorificauit in ſeſe. Nõ enim idipſum eſt glorificari filium hominis, quod & glorificari in filio hominis deum: uel glorificari in ſeſe, glorificatum in homine deum. Loquere hoc ſecundum impietatis tuæ ſenſum uerbis tuis quid uelis eſſe glorificare in filio hominis deũ. Vtiq; aut Chriſtũ neceſſe eſt eſſe qui glorificatur in carne, aut patrem qui glorificatur in Chriſto. Si Chriſtus eſt deus, certe Chriſtus eſt qui glorificatur in carne. Si pater eſt, ſacramentum unitatis eſt, cum pater glorificatur in filio. Aut Chriſtum cõfitendo deum, etiam inuitus loqueris, aut patrem deum intelligendo, naturam dei patris non negabis in Chriſto. Atq; hæc de glorificato filio hominis glorificato in eodem deo dicta ſint. De eo uero quòd glorificatum in filio hominis deum deus glorificat in ſeſe, in quo tandem tibi relictam facultatem exerendæ impietatis exiſtimas, ne ſecundum naturæ ueritatem uerus deus Chriſtus ſit? Chriſtum enim deus natũ hominem clarificat in ſeſe, nunquid extra ſe eſt quem clarificat in ſeſe? Reddit enim in ſe Chriſto gloriam quam apud ſe habuit: & cum in forma dei aſſumptio formæ ſeruilis aſſumit, in ſe glorificatur glorificatus in homine deus, qui ante natiuitatis diſpenſationem in ſeſe erat, & per formam ſui, & per naturam natiuitatis unitus. Natiuitas enim nõ nouæ neq; alienæ naturæ deum fecerat, ſed naturalis filius patri naturali generatione ſubſtiterat. Et cum poſt natiuitatem hominis glorificatus in homine, in naturę ſuæ rurſum gloriam clareſcit, in ſe eum deus clarificat, cum in naturæ paternæ gloriam, ab ea per diſpenſationem euacuatus aſſumitur. Concludit autem audaciſſimum impietatis tuæ furorem apoſtolica fides, ne quò licentia liberæ

intelligentiæ euageris,cum ait:Omnis lingua confitebitur quia dominus Ie ſus in gloria eſt dei patris.Quem enim in ſeſe pater glorificauit,in eius glo/ria confitendus eſt, & qui in patris gloria confitendus eſt:quem in ſe pater glorificauit,in his ſine dubio intelligendus eſt eſſe, quibus pater eſt,cum & in ſe eum glorificauerit,& in gloria eius ſit confitendus. Non enim hic nũc tantummodo in gloria dei eſt,ſed in gloria dei patris eſt. Neq; glorificauit gloria exteriore,ſed glorificauit gloria in ſeſe, in eam eum quæ ſua eſt glo/riam reſumendo,& in eam gloriam quam apud eum habuit, eum & apud ſe glorificat & in ſeſe.Atq; ita inſeparabilis à fidei huius coniunctione intel ligitur etiam ſub hominis humilitate,ſic dicens:Hęc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant te ſolum uerum deum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtũ.Cum & ſine Chriſto,ſolo deo patre cognito,uita æterna nõ ſit,& Criſtus glorifi catus in patre ſit.Si autẽ ea demum uita æterna eſt,ſolum uerum deum pa trem noſſe, & quem miſit Ieſum Chriſtũ,nõ exiſtimetur planè uerus deus Chriſtus,ſi uita ſit in deum credidiſſe ſine Chriſto,& quòd ſolus deus pa/

*Als*hominis* ter deus uerus eſt,nõ pertineat ad deum Chriſtum,niſi gloria Chriſti*om nis in ſolo uero deo patre eſt. Si enim in ſe deũ glorificat pater, & ſolus pa/ter deus uerus eſt,nõ extra ſolum uelum deum Chriſtus eſt, quia glorifica tum in deum Chriſtum glorificet pater uerus deus ſolus in ſeſe. Et quòd à ſolo uero glorificatur in ſeſe,nõ alienatur à ſolo uero,quia in ſe ſolo glorifi/catur à uero. Sed fortè piæ huic fidei noſtræ, impiæ perfidiæ tuæ occurrat

Non poteſt fi/lius à ſe face-re quicquam niſi quod uide rit patrem facientem

aſſertio,ut aliena ab intelligenda dei ueri ſit hæc neceſſitatis cõfeſſio : Amẽ amen dico uobis,non poteſt filius à ſe facere quicq̃ niſi quod uiderit patrẽ facientem.Niſi duplicem reſponſionem duplex Iudæorum indignatio exi git, ſit hæc planè infirmitatis profeſſio, nihil ab ſe facere filium poſſe, niſi quod uiderit patrem facientem . Quod ſi Iudæis & uiolati ſabbati reatum obiȷcientibus , & æqualitatem in Chriſto dei per profeſſum ſibi deum pa/trem nõ ferentibus , ſub eodem dicto ad utrunq; reſponſum eſt, putas ne per cõfeſſionem reſponſionis poſſe dictorum occuli ueritatem? Et quanq̃ in alio libello tractatus hic à nobis locus fuerit, tamẽ quia modo nõ obeſt, ſed etiam ad religionem proficit fidem retractari,eundem ipſum,quia cau ſa poſtulat reuoluamus . Hinc autẽ primũ reſponſionis neceſſitas orta eſt: Et propter hoc perſequebantur Iudæi Ieſum, & quærebant eum interfice/re,quoniam hæc faciebat ſabbato. Ira itaq; eorum uſq; ad cupiditatem in/terficiendi eum accendebatur propter opera ſabbato geſta.Sed uideamus

Pater meus uſ que modo ope ratur, & ego operor

quid dominus reſponderit:Pater meus uſque modo operatur, & ego ope/ror.Quod rogo iſtud opus patris eſt,hæretice,demonſtra.Per filum enim & in filio omnia ſunt uiſibilia & inuiſibilia. Et tu qui ultra Euangelia ſapis, neceſſe eſt ut aliquibus arcanorũ doctrinis cognitionẽ paterni operis ade/ptus,operantem nobis patrem oſtendas.Quòd ſi pater operatur in filio ſe

cundum

cundum quod ipſe ait: Verba quæ ego loquor uobis,non ego loquor,ſed pater qui in me manet,ipſe facit opera ſua,uides ne quid hoc ſit: Pater meus uſq; modo operatur? Hoc enim ideo ait,ut paternæ in ſe naturæ intelligeretur maieſtas in ſabbati opere poteſtatis ſuæ uſa natura. Cum enim in ſe operante operetur pater, ipſe neceſſe eſt patre operetur operante, atq; ideo ait:Pater meus uſq; modo operatur,ut ipſum illud præſens dictorum atq; geſtorum per ſe opus,paternæ in ſe naturæ exiſtimaretur operatio.Id enim quod uſq; modo operatur, unũ atq; idem dicti temporisq; momentum eſt, ut non aliud aliquod opus eſſe patris quàm ſuum hoc quod agit crederetur, cum per id quod uſq; modo pater operatur, hæc ipſa eſſet patris ſub eodem tempore ſermonis operatio. Ac ne fides intra cognitionem tantum patris relicta à uitæ æternæ ſpe abeſſet,continuo ſubiecit:Et ego operor, ut hoc ipſum quod modo operatur pater operetur & filius. Ac ſic perfectam fidem docuit, cum id quod modo eſt,eiuſdem tẽporis opus ſit, & id quod operatur pater & filius,extra ſingularis ſit unionem. Sed gemi/natus eſt audientiũ dolor,id enim ſequitur:Propter hoc magis quærebant eum Iudæi interficere, quod non ſolu m ſoluebat ſabbatum,ſed & patrem ſuum proprium dicebat deum, æqualem ſe faciens deo. Et hic rurſum admonebo & euangeliſtæ iudicio, & communi humani generis ſenſu filium in paternæ naturæ æqualitate eſſe. Aequalitatem autem non niſi ex eadem eſſe natura,quia natiuitas non habet aliunde quod maneat.Et omnis generatio à generante ſe nõ ſit aliena, dum ad id quod maneat, ſubſiſtit ex eodem. Huic igitur duplicatæ indignationi uideamus quid dominus reſpondeat: Amen amen dico uobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod uiderit patrem facientem. Quæcunque enim ille facit, eadem & filius facit ſimiliter. Niſi dicta propoſitionis propria ſunt, uim dictis præſumptione propriæ & infidelis intelligentiæ afferimus. Si autem irarum cauſis ſubiecta reſponſio eſt, fides noſtra potius loquitur quod docetur, quàm irreligioſa peruerſitas impietatis ſuæ defendit errorem. Quæramus ergo an de ſabbati opere hæc propria reſponſio ſit: Non poteſt filius à ſe facere quicquàm, niſi quod uiderit patrem facientem. Ait enim ſuperius: Pater meus uſq; modo operatur & ego operor.Si paternæ in ſe naturæ autoritate quod gerit,gerente patre agit,qui uſq; modo operatur in ſabbato, extra crimen eſt operis filius, in quo paternæ operationis præfertur autoritas.Non enim ad infirmitatem retulit,nõpoteſt, ſed ad autoritatem. Nam ab ſe non poteſt niſi uideat,neq; enim præſtat uidiſſe uirtutem, & cum nõ præſtet uiſus uirtutem,naturam non infirmat non poſſe ſine uiſu, ſed autoritatem oſtendit ex uiſu.Id enim quod ait:Niſi uideat,conſcientiam ſignificat in uiſu,ſicut ad Apoſtolos in Euangelio ait: Ecce dico uobis,leuate oculos ueſtros,& uidete regiones quoniam albæ ſunt ad meſſem.Conſcientia

igitur in ſe naturæ paternæ quæ in ſe operatur operante, ne uiolaſſe ſabbatum dominus ſabbati crederetur, ait: Non poteſt filius ab ſe facere quicq̃, niſi quod uiderit patrem facientem, ut id quod operatur, ex conſcientia naturæ in ſe operantis oſtenderet, cum & in ſe ſabbato operante uſq; modo pater operetur in ſabbato. Ad alterius uero indignationis dolorem conſequentis dicti retulit cauſam: Quæcunq; enim pater facit, eadem & filius ſimiliter facit. Exprobra infirmitatem dei filio, adime quoq; naturæ æqualitatem, ſi nõ quęcunq; facit pater, eadem & filius facit ſimiliter. Si diſcrimen aliquod paternæ uirtutis atq; operationis admittitur, ſi quod ad æqualitatem uirtutis naturæq; proprium eſt, honoris æqualitas nõ poſtulatur. Ipſe enim in continuis ait: Vt omnes honorificent filiũ ſicut honorificant patrẽ. Qui nõ honorificat filium, nõ honorificat patrem qui miſit illum. Diſcerne æqualitatem in honore nõ diſpari, infirma naturam in eadem operatione uirtutis. Quid reſponſionis cauſam ad cõtumeliam diuinitatis inuadis? Ad operationẽ ſabbati reſpondit, nõ ſe quicq̃ facere poſſe, niſi quod patrẽ facientem uidiſſet. Ad demonſtrationẽ uero æqualitatis, quæcunq; pater faceret, facere ſe profeſſus eſt. Tenet quod ad ſabbatũ pertinet, ad opprobriũ infirmitatis, ſi nõ quæcunq; facit pater, eadem & filius facit ſimiliter. Si autem ſine exceptione quæcunq; ſunt, in quo tandem infirmitas reperietur, cũ nulla quæ pater poſſit nõ poſſit & filius? Aut in quo tandem per interceſſionem infirmitatis negatur æqualitas, cũ unus atq; idem honor poſtuletur ad utrunq;? Quòd ſi eadem eſt uirtus operandi, & eadem eſt religio honorandi, nõ intelligo in quo tandem naturæ infirmæ contumelia relinquatur, cũ eadem ſit in patre & in filio & uirtutis poteſtas & honoris æqualitas. Et hæc quidẽ quamuis cũ ipſa rerũ abſolutione tractata ſint, tamẽ ne quid in eo quod ait dominus: Nõ poteſt filius facare à ſe quicq̃ niſi quod uiderit patrem facientẽ, ad infirmandæ naturæ impietatẽ proficiat, potius quàm ad demonſtrandæ paternæ in ſe naturæ conſcientiam, per quã ex auctoritate operatus in ſabbato eſt, dicti quoq; dominici ad id pertinentis demonſtranda cognitio eſt, quo ait: Et à me facio nihil, ſed ut docuit me pater, hæc loquor. Et qui me miſit, mecũ eſt, & non reliquit me ſolũ, quoniam ego quæ ſunt ei placita facio ſemper. Sentis ne quid ſit, nõ quicq̃ poſſe facere filium, niſi uideat patrem facientem, & quo ſacramento dictum ſit: Et à me facio nihil? Et rurſum: Nõ reliquit me ſolum, quoniam ego quæ ſunt ei placita, facio ſemper? Si enim ideo nihil ab ſe facit, quia in ſe manet pater, quomodo rurſum ideo ſe ſolũ pater nõ reliquit, quia quæ ſunt ei placita facit? Non concordat ſecundum ſenſum tuum hæretice, dictorum diuerſitas, ut nihil faciat à ſe niſi doctus à manente in ſe patre: & rurſum idcirco in ſe pater maneat, quia quæ ei ſunt placita gerit. Si enim nihil ab ſe facit propter manentem in ſe patrem, quo modo hinc ut in ſe pater maneat meritus

ritus eſt,quòd ea quæ ei placeant agit? Non enim meritum aliquod eſt,nõ ab ſe gerere quæ quis agat. Et contrà,quo modo patri quæ filius agat placita ſunt,cũ ea ipſa agat manens in filio pater? In anguſto es impietas,& te munitiſſima fidei noſtræ pietas concludit. Agit aliquid filius aut nõ agit? Si nõ agit, quo modo in his quæ agit placet? Si autẽ agit, quo modo agit in his quæ ab ſe nõ agit,cum & proprium ſit egiſſe quæ placeant,& ſine merito ſit non ab ſe egiſſe quæ geſſerit? Sed naturæ cui contradicis, hæc unitas eſt,ut ita per ſe agat,ne à ſe agat:& ita à ſe non agat, ut per ſe agat. Intellige agentem filium,& per eum agentem patrem. Non ab ſe agit, cum pater in eo manere monſtratur. Per ſe agit,cum ſecundum filij natiuitatem agit ipſe quæ placita ſunt. Infirmus ſit non ab ſe agendo,niſi adeo ipſe agit,ut quæ agit placeant. Non uero ſit in unitate naturæ, ſi nõ quæ ipſe agit, & in quibus placet,nõ ab ſe agit,ſed manens in eo ad agendum pater edocet. Ita & manendo docet pater, & filius agendo nõ ab ſe agit, & non ab ſe agens filius, cum quæ placita ſunt facit, ipſe agit. Ac ſic unitas naturæ retinetur in agendo,dum & ipſe operans non operatur ab ſe, & ipſe ab ſe non operans operatur. Adiunge quoq; huic illud quod ad opprobriũ infirmitatis uſurpas: Omne quod dat mihi pater,ad me ueniet, & uenientem ad me nõ repello,quia deſcendi de cœlo, nõ ut faciam uoluntatem meam, ſed uoluntatem patris qui me miſit. Sed fortè ſine uoluntatis libertate fit filius,ut ei naturę infirmitas imperet neceſſitatem. Ideo autem neceſſitati ſit ſubditus nõ uoluntati,ut datos ſibi uenientes à patre nõ repellat. Sed ſacramenti unitatem in his dominus ſignificans, dum nõ repellit ſibi datos, dum nõ ſuam, ſed mittentis ſe agit uoluntatem,poſt repetitam hanc eandem Iudæis murmurantibus uocem,intelligentiæ noſtræ ſenſum confirmat,dicens: Omnis qui audiuit à patre & didicit,uenit ad me,nõ quòd uiderit patrẽ quiſquàm, niſi qui eſt à deo,hic uidit patrem. Amen dico uobis, qui credit in me,habet uitam æternam. Et quæro primũ,ubi auditus ſit pater,ubi docuerit audientes. Sed patrem nemo nouit,niſi qui à deo eſt. Et quo modo eum quiſquàm audierit, quem nemo uidit? Audiens ergo à patre ad filium ueni. Et cum filius auditur & docet, naturæ in eo paternæ proprietas & auditæ & docentis oſtenditur,ut hoc quod docet filius & auditur, paternæ doctrinæ intelligatur auditio. Nam cum nemo uiderit patrem, & ad filium ueniens, à patre audiat atq; diſcat ut ueniat,admonemur intelligere quid ſit & in loquente filio patrem docere, & in cõſpecto filio patrem qui à nemine ſit uiſus,audiri, quia naturæ paternæ proprietatem natiuitas filij in ſe perfecta contineat. Volens igitur unigenitus deus autoritatem paternam,ſalua in ſe naturæ unitate teſtari, & datos ſibi à patre non repellit,& uoluntatem non ſuam, ſed eius qui ſe miſit efficit? non quòd non uelit quæ agit, aut quòd nõ ipſe audiatur qui docet,ſed ut eum qui ſe mittat,& ſe qui miſſus eſt,ſub

An neceſſitas filij ſit

proprietate naturę indifferentis oſtenderet,cũ quę uult agit,& loquitur ea, & uoluntatẽ & opera & dicta patris eſſe ſignificet. Quòd autẽ ſit libere uoluntatis,nõ ambigue oſtendit cum ait:Sicut enim pater ſuſcitat mortuos & uiuificat,ſic & filius quos uult uiuificat: cũ æqualis in patre & filio & uirtutis poteſtas & honoris dignitas manifeſtatur,ibi & libertas uolũtatis oſtenditur:cum autẽ unitas demonſtratur,ibi paternę uoluntatis ſignificatur affectio. Quæ enim uult pater,ea facit filius.facere autẽ plus eſt,quàm uoluntati obedire,quia obedire uoluntati,habet exterioris neceſſitatẽ: facere uoluntatem,propriũ eſt unitati,cum factũ ſit uoluntatis.Et cũ filius uoluntatẽ patris facit, docet per naturæ indifferentiam, naturalem ſibi uoluntatẽ eſſe cum patre,cũ uoluntas eius ſit,omne quod faciat. Vult planè filius omnia quæ pater uult, nec naturalis diſſentit uoluntas.Namq; cum hæc uoluntas patris ſit quã oſtendit dicens: Hæc eſt enim uoluntas patris mei, ut omnis qui uidet filiũ & credit in eum,habeat uitam æternam,& ſuſcitem eũ in nouiſſimo die,audi nunc an filij à patre diſſentiens ſit uoluntas,cum ait: Pater quos mihi dediſti uolo ut ubi ego ſum,& illi ſint mecũ. Non ergo ambigitur filiũ uelle.Nam cum pater uelit credentes in filio uitam æternam habere,filius uult illic ubi ipſe ſit eſſe credentes,niſi fortè cohabitare Chriſto nõ ſit æternitas, aut non perfecta & beata in ſe credentibus tribuat Chriſtus, hæc dicens:Nemo nouit filiũ,niſi pater, neq; patrem quis nouit, niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare.An ne nõ in libertate eſt uoluntatis uolens nobis ſecreti illius paterni tribuere cõſcientiam, & adeo uoluntas ei libera eſt, ut cognitionem ſui atq; patris quibus uoluerit impartiat? Atq; ita inter patrem & filiũ & natiuitatis & unitatis demonſtrata natura eſt, cũ ſic liber in uoluntate ſit filius,ut quod uolens agit,factum paternę ſit uoluntatis.Neſciens planè diſpenſationem fidei, extra intelligentiam ſacramentorum eſt, & doctrinam Euangelij non adeptus,ab ſpe Euangelij peregrinatur. Credendus eſt pater in filio,& filius in patre,per naturæ unitatem, per uirtutis poteſtatem,per honoris æqualitatem, per natiuitatis generationem. Sed contraria fortè huic noſtræ profeſſioni eſt domini teſtatio, cum ait: Pater maior me eſt.Hoc'ne hæretice,impietatis tuæ telum eſt? hæc furoris tui arma ſunt? Excidit ne tibi eccleſiam duos innaſcibiles neſcire, & duos patres non confiteri? Oblitus es mediatoris diſpenſationem, & in ea partum,cunas, ætatem, paſſionem, mortem, crucem? Et renaſcens non confeſſus es ex Maria filium dei natum? Si in his omnibus filius manens ait:Pater maior me eſt,ignorandum exiſtimas hanc diſpenſationem ſalutis tuæ, exinanitionem formæ dei eſſe? & patrem extra hanc humanarũ paſſionum aſſumptonem,in illa incontaminatæ naturæ ſuæ beata æternitate ſine carnis noſtræ ſuſceptione manſiſſe? Nos enim unigenitum deum in forma dei manentem in natura hominis manſiſſe profitemur, neq; unitatem formæ

ſeruilis

ſeruilis in naturam diuinæ unitatis ſtatim refundimus,neq; rurſum corpo/
rali inſinuatione patrem in filio prædicamus, ſed ex eo eiuſdem generis ge
nitam in ſe naturam naturaliter in ſe gignentem ſe habuiſſe naturam, quæ
in forma naturæ ſe gignentis manens formam naturæ atq; infirmitatis cor
poralis acceperit.Erat enim humanæ naturæ proprietas, ſed nō dei forma
iam nō erat,quia per eius exinanitionē ſerui erat forma ſuſcepta. Neq; em̄
defecerat natura ne eſſet,ſed in ſe humilitatem terrenæ natiuitatis manens,
ſibi dei natura ſuſceperat,generis ſui poteſtatem in habitu aſſumptæ humi
litatis exercens,& ex deo deus natus, in forma * dei homo repertus, deū ſe Al's ſerui
uirtutibus agens, neq; deus non erat quem geſtis ſuis docebat. Neq; enim
homo,in cuius habitu repertus eſt,non manebat. Et idcirco in hoc eodem
ſuperiore ſermone,naturæ ſibi cū patre unitatem conteſtatus dixerat: Qui
me uidet,uidet & patrem,& ego in patre,& pater in me. Quę utiq; differen
tiam nō habent ex qualitate naturæ, cum cōtemplatio filij uiſum cōpleſſet
& patrem,& unus in uno manens,unum nō diſcernat ab uno,ac ne per con
templationem corporalem referre ex ſe paternæ cōtemplationis uiſum exi
ſtimaretur,ſubiecerat:Credite in me,quoniam ego in patre,& pater in me.
Sin autē,uel propter opera credite. Vt cum uirtus naturæ res eſſet,& opera
tio ipſa uirtutis ſit poteſtas,per uirtutis poteſtatē,naturæ in ſe paternæ uni/
tas noſceretur,cum in quantū quiſq; deum cognouiſſet in naturę uirtute,in
tantum deum patrem cognoſceret in poteſtate naturę.Et cum tantus quan
tus eſt pater, filius uidendū in ſe patrem præſtaret & in geſtis, indifferens
per id pater in filio cognoſceretur, per intelligentiam indifferentis pro po/
teſtate naturæ.Impleturus itaq; unigenitus deus carnis diſpenſationem, &
acceptæ formæ ſeruilis ſacramentū conſummaturus uſus eſt demonſtran/
dæ fidei noſtræ profeſſione,dicens:Audiſtis quoniam dixi uobis, uado &
uenio ad uos.Si diligeretis me,gauderetis quoniam uado ad patrem,quia
pater maior me eſt.His itaq; quæ ad naturam diuinitatis ſpectant,explici/
tis,hoc eodem ſuperiore ſermone nunquid profeſſio hæc aufert filio natu/
ræ æqualitatem,quam natiuitas generata cōſummat? Aut nunquid unige
nito deo cōtumelia eſt patrem ſibi innaſcibilem deū eſſe,cum ex innaſcibili
deo natiuitas unigenita in naturam unigenitam ſubſiſtat? Non enim ſuæ
originis eſt filius,neq; natiuitatem ſibi nō extans ipſe conquiſiuit ex nullo,
ſed ex uiuente natura uiuens natura extans tenet in ſe naturæ poteſtatem,
profeſſa autoritate naturæ,ut & honorem teſtetur,& gratiam ſumptæ na/
tiuitatis in honorem, & hoc quidem patri debitū reddens, ut obedientiam
ſuam mittentis deputet uoluntati, nō tamen ut naturæ unitatem obedien/
tia humilitatis infirmet,factus obediens uſq; ad mortem.Num tamē poſt
mortem non ſuper omne nomen eſt? Sed ſi fortè hinc inæqualis uidetur,
quia ei poſt euacuationem formæ dei donatur hoc nomen, calumnia hæc

ſacramen/

ſacramentum aſſumptæ humilitatis ignorat. Si enim natiuitas hominis naturam nouam intulit, & humilitas formam demutauit ſub aſſumptione ſeruili, nũc donatio nominis, formæ reddidit æqualitatem. Quid enim donatum ſit quære. Si enim hoc donatum quod dei eſt, naturæ huius donum ignobilitatem diuinæ illi nõ inuehit naturæ. Deniq; hoc nunc quod donatur ei nomen, & ſi habeat doni ſacramentum, nõ tamen habet in dono nominis nomen alienum. Donatur enim Ieſu, ut ei cœleſtia & terreſtria & infera genu flectãt, & omnis lingua confiteatur quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt dei patris. Confeſſionis ergo huius honor donatur, ut in gloria dei patris ſit cõfitendus. Cum audis itaq; : Pater maior me eſt, ſcito eum de quo ob meritum obedientiæ dictum eſt: Et donauit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen. Audi rurſum: Ego & pater unum ſumus. Et qui me uidet, uidet & patrem. Et ego in patre, & pater in me. Honorem donatæ confeſſionis intellige, quia dominus Ieſus in gloria eſt dei patris. Quando igitur illud eſt, pater maior me eſt? nempe tum cum donatur ei nomen ſuper omne nomen. At contrà quando eſt, ego & pater unũ ſumus? nempe cum omnis lingua cõfiteatur quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt dei patris. Si igitur donantis autoritate pater maior eſt, nunquid per doni cõfeſſionem minor filius eſt? Maior itaq; donans eſt, ſed minor iam nõ eſt cui unũ eſſe donatur. Si nõ hoc donatur Ieſu, ut cõfitendus ſit in gloria dei patris, minor patre eſt: ſi autẽ in ea gloria donatur ei eſſe qua pater eſt, habes & in donantis autoritate, quia pater maior eſt, & in donati cõfeſſione, quia unum ſunt. Maior itaq; pater filio eſt, & planè maior, cui tantum donat eſſe, quantus ipſe eſt: cui innaſcibilitatis eſſe imaginem, ſacramento natiuitatis impertit, quem ex ſe in forma ſua generat, quem rurſum de forma ſerui in forma dei renouat, quem in gloria ſua ſecundũ ſpiritũ Chriſtũ deum natum, donat rurſum eſſe in gloria ſua ſecundũ carnem Ieſum Chriſtũ deum natum, mortuũ. Cauſam igitur oſtendit, quur ſi eum diligerent, gauderent quòd ad patrem uadit, quia pater maior me eſt. Gaudiũ hoc utiq; ex dilectione docens eſſe, quia lætaretur dilectio Ieſum eſſe in gloria dei patris cõfitendum, & gloriæ huius reſumendæ meritũ continuo ſubiecit, dicens: Venit enim princeps mundi huius, & in me habet nihil. Nihil in eo princeps mũdi huius habet, quia ut homo habitu repertus, extra peccatũ carnis manebat in ſimilitudine carnis peccati de peccato peccatũ in carne cõdemnãs. Totũ autẽ hoc ad paterni mandati referens obedientiam, ſubiecit: Sed ut ſciat mũdus quoniam ego diligo patrẽ, & ſicut mandatũ dedit mihi pater, ſic facio, ſurgite eamus hinc. Ad conſummandũ corporeæ paſſionis ſacramentum per dilectionẽ efficiendi mandati paterni feſtinat exurgẽs corporeæ tamẽ aſſumptionis ſtatim myſteriũ pandens, per quam ei tanq; in uite modo palmitis ineſſemus, fructum nobis ut palmitibus, niſi ille uitis eſſet

Imò ſi non donat hoc quo maior eſt, quo modo non minor filius?

effectus

effectus,utilem nõ daturis.Atq; idcirco manere nos in ſe per fidem aſſum pti corporis monet, ut qui uerbum caro factum eſt,naturæ carnis ſuæ tan quam uiti palmites ineſſemus, à corpore huius humilitatis aſſumptione formam paternæ maieſtatis alienans, tum cum ſe ad unitatem palmitũ ui tem profeſſus,agricolam patrem curioſum huius uitis oſtendit,cuius inuti les atq; inferaces palmites deſecans deputaret arſuros,dicẽs ita:Qui me ui det,uidet & patrem, & uerba quæ ego loquor, non à me loquor,ſed pater qui in me manet, ipſe facit opera ſua. Et credite mihi, quoniam ego in pa tre, & pater in me eſt, ut ſacramentum natiuitatis, & myſterium aſſum pti corporis manifeſtaret per continentiam dictorum ad id ueniens, ait: Quia pater maior me eſt. Et confeſtim, ut abſoluta dicti ratio ſubeſſet, & agricolæ,& uitis,& palmitum,ſubiecit exemplũ, aſſumptionem per id cor poreæ humilitatis oſtendens.Et hinc cauſam eundi ad patrem,& dilectio nis lætitiam cum ad patrem iret, docens eſſe oportere, quia pater maior ſe eſſet,à quo ſcilicet eſſet gloriam reſumpturus, apud quẽ,& in quo eſſet glo rificandus,nõ nouello honore,ſed priſtino:neq; alieno,ſed qué apud eum habuit.Si itaq; nõ in ipſo glorificandus eſt,id eſt,ut ſit in gloria dei patris, cõtumeliam adſcribe naturæ:ſi uero quòd ab eo glorificatur, autoritas eſt, patrem maiorẽ in glorificandi autoritate cognoſce. Quid diſpenſationem ad impietatem trahis? Quid ſacramentum noſtræ ſalutis inuadis ad mor tem? Glorificaturus filiũ pater maior eſt, glorificatus in patre filius minor nõ eſt.Aut quomodo minor eſt,qui in gloria dei patris eſt? Aut nunquid pater maior non eſt? Maior utiq; pater eſt,dum pater eſt:ſed filius dum fi lius eſt,minor nõ eſt. Natiuitas filij patrem conſtituit maiorem, minorem uero filiũ eſſe natiuitatis natura non patitur.Maior pater eſt,dum gloriam aſſumpto homini rogatur ut reddat:filius minor nõ eſt,dum gloriam reſu mit apud patrem. Atq; ita & ſacramentũ natiuitatis, & diſpenſatio corpo rationis impletur. Nam & pater dum & pater eſt,& glorificat nunc filium hominis,maior eſt.Et pater & filius unum ſunt, dum ex patre natus filius, poſt aſſumptionem terreni corporis glorificatur in patre.Non habet itaq; natiuitas naturæ ignobilitatem, quia in forma dei eſt, qui ex deo naſcitur. Et cum differre ſignificatione ipſa exiſtimetur innaſcibilitas à natiuitate,na tiuitas tamen nõ eſt extra innaſcibilitatis naturam, quia nõ ſumpſit aliun de quod ſubſiſtit. Nam & ſi nõ conſequuta ſit,ut coinnaſcibilis effecta ſit, accepit tamen ex innaſcibili deo eſſe,quod deus eſt.Fides igitur noſtra & ſi initium natiuitatis nõ apprehendens, unigenitum deum ſemper profitea tur,quia natura non ferat ut cœpiſſe aliquando confiteatur,cuius natiuitas omne initij tempus excedat,ſed quem ſemper eſſe & ante tempora confite tur,natum tamen in intemporali infinitate non ambigit, eum tamen ex ini tiabilis intelligentiæ natiuitate confeſſa.Sed hoc hæretici ad naturæ contu

Pater maior, ſed filius non eſt minor

meliam

meliam ſumunt,quia dictum eſt:Pater maior me eſt. Vel illud:De die autẽ & hora nemo ſcit,neq; angeli in cœlis,neq; filius,niſi pater ſolus.Ignoratio ergo diei atq; horæ obijcitur unigenito deo, ut deus ex deo natus nõ ſit in ea naturæ perfectione qua deus eſt, cum neſciendi neceſſitate dominante, iam uis aliqua exterior eo potior ſit, quæ tanquam aduerſum ſe imbecillũ in ignorantiæ cum infirmitate detineat. Quin etiam ad huius nos intelligentiæ impietatem hæreticorum furor iure quodam neceſſariæ confeſſionis compellit,ut ita credendum ſit,quia & à domino dictum ſit ita,& uideri irreligioſiſſimum, profeſſionis eius de ſe proteſtationem diuerſa intelligentiæ noſtræ opione corrumpi. Ac primũ antequam dicti ratio & cauſa memoretur, ſenſu cõmunis iudicij ſentiendũ eſt,an credibile eſſe poſſit, ut aliquid ex omnibus neſciat,qui omnibus ad id quod ſunt, atq; erunt,autor eſt.Si enim omnia per Chriſtum, & in Chriſto,& ita per ipſum ut omnia in ipſo ſint,id quod neq; extra eum, neq; non per eum eſt,quomodo non etiam in ſcientia eius ſit,cum plerunq; ſcientia ea etiam,quæ neq; in ſe,neq; per ſe ſint,per uirtutem naturæ non neſciens apprehendat? At uero quod cauſam niſi ex eo nõ ſumit,& motum ad id quod eſt,eritq;, niſi intra ſe nõ capit,quomodo extra eius naturæ ſcientiam eſt,per quã, & in qua id quod efficiendum ſit,continetur? Cogitationes namq; humanas nõ tantum prę ſenti motu incitatas, ſed etiam inſtinctu futuræ uoluntatis agitandas dominus Chriſtus non ignorat,Euangeliſta teſtante:Sciebat enim Ieſus ab initio,qui eſſent non credentes,& qui eſſet traditurus eum. Naturæ ergo eius uirtus,quæ cognitionem rerum nõ extantium capit,& quieſcentium adhuc animorũ ſubituras inquietudines nõ ignorat,id quod per ſe, intraq; ſe eſt, neſciſſe exiſtimabitur,& alieni potens,impotens ſui eſſe? de quo dictũ meminerimus:Omnia per ipſum,& in ipſo creata ſunt,& ipſe eſt ante omnes. Vel illud: Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinẽ inhabitare, & per ipſum reconciliari omnia in ipſo. Cum igitur omnis in eo ſit plenitudo, & omnia per ipſum & in ipſo reconcilientur, & dies illa recõciliationis noſtræ expectatio ſit,hanc ille diem ignorat,cuius & in ſe tempus eſt, & per ſacramentum eius eſt? Etenim aduentus ſui dies iſta eſt, de qua Apoſtolus ait: Cum autem Chriſtus apparuerit uita ueſtra,tunc & uos cum eo apparebitis in gloria. Nemo itaq; quod per ſe, & intra ſe eſt,neſcit. Chriſtus aderit, & aduentus ſui diem ignorat? Dies ſuus eſt ſecundũ eundem Apoſtolum, quia dies domini ſicut fur in nocte aduenier, & ignoratione eius detineri intelligendus eſt? Humanæ naturæ quod agere diffiniunt, quantum in ſe eſt,præſciunt, & ſequitur gerendorum cognitio uoluntatem agendi, deus uero natus,quod in ſe,& per ſe eſt,neſcit? Per eum enim tempora, & in eo dies eſt, quia & per ipſum futurorum conſtitutio eſt, & in ipſo aduentus ſui diſpenſatio eſt.Et erit in ea hebetudine,ut quod ſibi cõſtat,ſenſu naturę torpentis

Quomodo filius neſcit diẽ

Coloſſ.1.

torpentis ignoret,ferarum beluarumq; modo,quæ extra rationem consilij prouidentis animatæ ipsum quod agunt nesciunt,cum quodam motu stupidæ uoluntatis agitatæ, fortuito ad aliquid & incerto feruntur ingressu? Quomodo etiã dominus gloriæ aduẽtus sui ignorabili die naturæ esse incompositæ & imperfectæ creditur, quæ & necessitatẽ habeat adueniendi, & scientiam aduentus sui nõ adepta sit, per quod potior sit ignoratio deo, quæ ei auferat cognitionis habere uirtutem? Iam uero quãta impietatis generatur occasio per infirmitatem Christi,etiam deo patri uitium deputabitur,ut unigenitum deum,& dilections suæ filiũ,huius diei cognitione fraudauerit, malignitatisq; affectu scientiam futuræ cõsummationis inuiderit. Et cum non ignorabilem ei esse passionis & diem & horam uoluerit, diem uirtutis eius,& clarificandi in sanctis suis horam negauerit,& ademerit beatitudinis cognitionẽ,cui mortis indulserit præscientiã? Humanæ istud conscientiæ mon potest ferre trepidatio, ut hoc sibi de deo arbitrium præsumat, & ei uitia humanæ demutationis adscribat, ut aut aliquid filio pater deneget,aut aliquid deus natus ignoret. Nescit autem deus aliud aliquando quàm dilectio esse,neq; aliud quàm etiam pater esse. Et qui diligit,non inuidet:& qui pater est,non etiam non pater totus est. Non enim admittit hoc nomen portionem,ut ex aliquo pater sit,& ex aliquo pater non sit.Pater enim uniuersitatis eius quæ in se est, pater est: omnem se in eo habens, cui non sit ex portione quòd pater est,non quòd sibi eorum quæ sua sunt, pater ipse sit, sed quòd in his quibus ipse est,ei qui ex se est,pater totus sit. Et cum secundum humanorum corporum naturas quæ ex disparibus conueniunt,& ex compositis consistũt,non possit nisi omniũ suorum quis pater esse:aut quod in unoquoq; est generum ac partium, id in filio natiuitas perfecta cõseruet.Omniũ ergo suorum quis pater est,dum ex omnibus natiuitas,& in omnibus manet. Et cum in deo nõ sint corporalia, sed absoluta:neq; particulata,sed tota & uniuersa:nõ uiuificata, sed uiua, totus uiuẽs, & unũ totum deus,dum non ex portione copositus est, sed ex simplicitate perfectus est,necesse est,ut secundũ quod est pater, ipse sit omniũ suorum eius quem ex se genuit pater totus, dum eum patrem ex suis omnibus natiuitas filij perfecta cõsummat.Si igitur proprius filio pater est, in ea necesse est filium manere proprietate qua pater est. Manere autem quomodo existimabitur,si extra præscientię naturã sit,& aliquid natiuitati eius ex auctoritate defuerit? Deerit enim propè totum,si quod propriũ deo est, nõ habeat.Propriũ autem deo quid aliud,q̃ cognitio futurorum est? ut res nondum manentes,mansurasq;, posterius inuisibiliũ ac nondum extantiũ generum capax natura cõtineat. Non patitur autẽ in nobis doctor gentium Paulus hãc impij erroris professionem,ut ignorasse aliquid unigenitus deus existimet. ait enim: Instituti dilectione in omnes diuitias adimpletionis

intellectus in agnitionẽ ſacramẽti dei patris & Chriſti, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconſi. Deus Chriſtus ſacramentum eſt,& omnes ſapientiæ & ſcientiæ in eo theſauri latent. Portioni uero & uniuerſi tati non poteſt conuenire,quia neq; pars omnia intelligi,& omnia partem non patitur intelligi. Filius enim ſi diem neſcit,iam non omnes in eo ſcien/ tiæ theſauri ſunt. Quòd ſi in eo omnes ſcientiæ theſauri ſunt,diem nõ igno ratꝫomnem in ſe ſcientiæ theſaurum continens.Sed meminiſſe nos conue/ nit,occultos in eo iſtos ſcientiæ theſauros eſſe,neq; idcirco quia occulti ſint, non ineſſe,cum per id quod deus eſt, in eo inſint: per id uero quod ſacra/ mentum eſt,occultantur.Non occultum autem, neq; ignoratum nobis eſt ſacramentum dei Chriſti,in quo abſconſi omnes ſcientiæ theſauri ſunt. Et quia ſacramentum ipſe eſt, uideamus an in his quæ neſcit ignorans ſit. Si enim in cæteris profeſſio ignorandi non habet neſciendi intelligentiam, ne nunc quidem quod neſcit ignorat.Nam cum ignoratio eius ſecundũ quod omnes theſauri in eo ſcientiæ latent,diſpenſatio potius quàm ignoratio ſit, habes cauſam ignorandi ſine intelligẽtia neſciendi. In omnibus enim quæ ignoraſſe deus loquitur, ignorantiam quidem profitetur, ſed ignoratione tamen non detinetur,dum ad id quod neſcit, non neſciendi infirmitas eſt, ſed aut tempus eſt non loquendi,aut diſpenſatio eſt non agendi.Loquitur ad Abraham deus dicens: Clamor Sodomorum & Gomorræ impletus eſt,& peccata eorum magna ualde.Deſcendam ergo & uidebo,ſi ſecũdum clamorem eorum conſummantur:quod ſi non,ut ſciam.Habemus ergo ne ſcientem deum, quod tamen non neſciat: nam cum peccata magna ualde ſciat eſſe, & rurſum deſcendit ut uideat an conſummati ſint, & ſi nondum conſummati ſunt ut ſciat,intelligimus eum non ea tunc ſcire,quia prius ne/ ſciat,ſed tunc ſcire,quia tempus ad agendum ſit.Neſcire ergo deum,nõ eſt ignorantiæ diminutio,ſed temporis plenitudo.Expectatur enim ad hoc ut ſciat.Et cum *neſcimus id de eo intelligere quod neſciat, cum tamen adhuc expectet ut ſciat,neceſſe eſt,ut id quod ſciens neſcit,& neſciens ſcit,nihil ali/ ud quàm uel loquendi diſpenſatio ſit,uel agendi. Non ergo ambigi licet, dei ſcientiã ex tempore potius eſſe quàm ex demutatione,cum ad id quod deus ſcit,profitendæ potius ſcientiæ tempus ſit,quàm adeptæ, ut etiam ex hoc docemur,quod ad Abraham dictum eſt:Ne iniĳcias manum tuam in puerum,& ne facias illi quicquam:nunc enim cognoui quia times dominũ deum tuum,& non pepercíſti filio tuo dilecto propter me.Deus itaq; mo/ do ſcit:modo autem ſcire,anterioris ignorantię profeſſio eſt. Quod cum in deum non cadat,neque ut ignorauerit ante fidelem ſibi eſſe Abraham, de quo dictum eſt:Credidit Abraham deo, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam: hoc quod nunc cognouit,tempus quo Abraham teſtimoniũ accepit, non etiam deus ſcire cœpit.Abraham enim holocauſto filĳ,dilectionem quam

Deus quõ ſci/ at aut neſciat

*Al's *non poſſi mus*

ad deum

ad deum habebat,docuerat.Deus tunc cognouit,cum loquitur.Et quia an te neſcire non intelligendus eſt, neceſſe eſt idcirco tunc intelligatur cognouiſſe,quia loquitur. Et de plurimis quidem quæ de ſcientia dei teſtamento ueteri continentur,hæc tantum exempli cauſa demonſtrata à nobis ſunt,ut id quod neſcit deus,non ignorationis cauſa intelligeretur eſſe, ſed temporis.In euangelijs uero dominum multa ſcientem neſcire inuenimus, operarios iniquitatis in uirtutibus multis,& in nomine eius gloriantes non nouit dicens:Et tunc iurabo,quia non noui uos.Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.Etiam cum iureiurando eos non nouit, quos tamen iniquitatis operarios eſſe non neſcit. Neſcit ergo non idcirco quia neſciat, ſed quia cognitione eius per iniquitatem operationis indigni ſint, fidem dicti etiam iuriſiurandi religione confirmans,& habens in naturę uirtute ne neſciat,& retinens in ſacramento uoluntatis ut neſciat. Neſcit quoq; unigenitus deus uirgines ſtultas,& comparandi ſibi olei incurioſas, glorioſi aduentus ſui thalamum ingreſſus,ignorat.Nanq; & adeunt & rogant, & uſq; eo non ignorantur,ut his rex reſpondeat:Amen dico uobis, quia neſcio uos. Nam & occurſus & deprecatio nō ignorabiles eſſe eas patitur, ſed neſciendi reſponſio,non naturæ potius quàm uoluntatis eſt, dum ab eo qui nihil neſcit,indignæ ſunt quæ ſciantur. Deniq; ne per infirmitatem ignorare exiſtimaretur,cōtinuo Apoſtolis ita loquutus eſt: Vigilate itaq;, quia neſcitis diem neq; horam,ut cum uigilare eos ob ignorationem diei atq; horę monet,per id neſciri ab eo uirgines noſcerentur,quòd ſopitę & negligentes,indignæ aditu thalami ſui oleo indigendo manſiſſent.Non eſt igitur dominus Ieſus Chriſtus, qui ſcrutans corda & renes deus eſt,in ea naturæ infirmitate,ne neſciat,cum hoc ipſum ex naturæ ſcientia intelligatur eſſe, quod neſciat.Quòd ſi qui fortè ignorationem ei deputabunt ab eo quia ſciat cogitationes eorū,dici ſibi metuant:Quid cogitatis mala in cordibus ueſtris? Nam cum cogitationum geſtorumq; non ignarus cognitor, interdum de cogitatis geſtisq; quaſi ignarus interrogat,uelut de tactu fimbrię mulierē, uel de dictorū diſſenſione apoſtolos,uel de ſepulchro Lazari flentes, non neſciens intelligēdus eſt neſcire,ſed loquens.Neq; enim natura fert, ut qui in abſenti Lazarū mortuum ſepultumq; ſciat, ſepulchri locū neſciat: & qui cogitationes uidet,mulieris fidem nō cognouerit:& qui neceſſitatē non habet de aliquo interrogādi,diſſenſionem apoſtolorū ignorauerit.Sed ei qui nouit omnia,ea ipſa quæ nō neſcit, diſpenſatio eſt aliquando neſcire ſe loqui,dum aut apud Abrahā ſcientia diſſimulatur in tempus, aut apud ſtultas uirgines,& iniquitatis operarios cognitio negatur indignis, aut in ſacramento filij hominis,interrogatio ignorantis ex homine eſt. In his ſe omnibus ueritate corporeæ natiuitatis accōmodans,quibus naturæ noſtræ infirmitas detinet,non ut infirmus eſſet ex natura qui deus eſt,ſed infirmitates

Neſcio uos

ſibi hominum deus homo natus aſſumpſerit. Aſſumpſerit autem ita, non ut in naturam infirmã natura indemutabilis ſit redacta, ſed ut in naturę de mutabilis ſuſceptione eſſet ſacramentum, dum & qui erat deus, homo eſt, nec deus deſtitit manere, qui homo eſt. Agens itaq; ſe, atq; cõformans ho minem natum, manens deus uerbũ, ſæpiſſime in ea eſt profeſſione qua ho mo eſt, cum tamen & proteſtatio dei ea ſit ſæpe quæ hominũ, cum ea ne/ ſcit, quę aut nõ ſint in tempore cõfitenda, aut nõ agnoſcuntur ad meritum. Intelligendum itaq; eſt, cur profeſſus eſt diem ſe neſcire. Si omnino neſcire creditur, Apoſtolus ita cõtradicit: In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Eſt ergo abſconſa ſcientia, quæ quia abſcondita eſt, in/ terdum & neſcientia cõfitenda eſt, ut eſſe poſſit abſcondita. Nam ſi erit in/ proteſtatione, non etiam in ſecreto manebit. Negat ergo ſe ſcire, ut ſcientia poſſit eſſe abſcondita. Quòd ſi idcirco neſcit, ut ſcientia maneat abſconſa, non per naturam neſcit omnia ſciens, quod idcirco tantũ ut abſconſum ſit, neſcit. Cur autem diei ſcientia abſconſa ſit, non in obſcuro eſt. Nanq; dum monet nos irremiſſa fide intentos ſemper manere, ſecuritatem cognitionis ademit, ut pendulæ expectationis incerto mens ſolicita feſtinans, & aduen tus diem ſemper expectans, ſemper expectando ſperet, curamq́; peruigi/ lem incertum ipſum, nõ ambigendi tamen temporis detineret. Ita enim do minus ait: Ideo & uos eſtote parati, quia neſcitis qua hora filius hominis uenturus eſt. Et rurſum: Beatus ille ſeruus, quem ueniens dominus eius in/ uenerit uigilantem. Ignoratio nõ ad errorem fuit neceſſaria, ſed ad perſeue rantiam. Nec negatum id ad detrimentum eſt, quod ignoratum tribuit in/ crementum, ne ſcientiæ ſecuritas negligentiam fidei diſſimulatæ non*exer ceret, ſed præparationem irremiſſam expectatio indefinita retineret, quæ modo furis metuendo ſemper caueret, illo eligente omne tempus ad furtũ, patrefamiliâs uero domus, damni ſemper timore uigilante. Quanq̃; igitur nõ obſcurũ ſit, ignorationem dei nõ ignorationem eſſe, ſed ſacramentum, dum per diſpenſationem agendi, aut proteſtandi, aut demõſtrandi ſic ne/ ſciat ut ſciat, & ſic ſciat ut neſciat, tamen uidendũ eſt, ne fortè & ita infirmus ſit, ut ea quæ pater ſcit, ſcire nõ poſſit, potente quidem eo cogitationes hu/ manorũ cordiũ noſſe, quia natura potior motibus ſe naturæ inferioris ad/ miſceat, eamq́; tanq̃; imbecillã uehemẽti uirtute tranſcurrat, ſed impotens ſit, uehementiorem ſe naturã infirmior ipſa penetrare, quemadmodũ leui/ bus grauia, & raris denſa, & ſolida liquidis nõ cedunt, ita cõtrà grauibus le/ uia, & rara denſis, & liquida ſolidis ſunt peruia, quia cum nõ pateãt ualida infirmioribus, ualidis tamen infirma penetrãtur. Ob id ergo cogitationes dei patris ignorare filius ab impijs dicitur, quia infirmus ipſe cum ſit, non adeat ineundo potiorẽ, nec ualentẽ inualidus tranſcurrat. Quæ ſi quis non modo ore temerario loqui audebit de unigenito deo, uerum etiam corde

Iudicij dies quare abſcon/ ditus

*Als*exci/ taret*

impio

impio cogitare, Apoſtolū ita de ſpiritu ſancto ad Corinthios ſcribentem credidiſſe cognoſcat: Nobis autem reuelauit deus per ſpiritū ſuum, ſpiritus enim omnia ſcrutatur etiā altitudines dei. Quis enim ſcit hominū quæ ſunt hominis quę in ipſo ſunt, niſi ſpiritus qui in ipſo eſt? Ita & quę in deo ſunt nemo nouit, niſi ſpiritus dei. Sed hęc inania corporaliū rerū exempla ſpernentes, deū de deo, & ſpiritum de ſpiritu, uirtutibus ſuis potius q̄ terrenis cōditionibus ęſtimemus. Aeſtimemus autē non ſenſu noſtro, ſed profeſſione diuina, & credamus ei qui ait. Qui me uidet, uidet & patrē. Nec ignoremus eum qui dixit: Vel operibus meis credite, quia pater in me, & ego in patre. Nec ignoremus eum qui locutus eſt: Ego & pater unū ſumus. Si em̄ ſenſum noſtrū rerum nomina ſecundū humanam intelligentiā commemorata cōfirmant, nō habet ab eo naturæ differentiā, in quo per intelligentiā quiſq̄ uidetur. Nec differt à genere, qui manentē in ſe habens, ineſt in manente. Nec diuerſi ſunt qui unū ſunt, intellige unitatē, dum nō diuidua natura eſt. Naturæ uero rurſum indiuiduę ſacramentū apprehende, dum tanquam ſpeculū unus unius eſt. Speculū autē ita, ut nō imaginatā ſpeciem exterioris naturæ ſplēdor emittat, ſed dum uiuens natura uiuētis indifferens eſt, quippe quæ ex tota tota ſit, quæ dū unigenita eſt, patrē in ſe habeat, & maneat in patre dum deus eſt. Hæc itaq̄ ad ſignificandū natiuitatis ſacramentum à domino prædicata, hæretici quia negare nō poſſunt, ita conantur eludere, ut ad uolūtatis cōcordiam referant, ut in deo patre, & in deo filio nō diuinitatis ſit unitas, ſed uoluntatis, tanq̄ diuinæ doctrinæ inops ſermo ſit, neq̄ aut dici à domino potuerit: ego & pater unū uolumus, aut eiuſdem intelligentiæ ſit: ego & pater unū ſumus, uel loquendi imperitus nō dixerit: Qui uidet uolūtatem meā, uidet & uoluntatē patris mei. Et id ipſum ſit: Qui me uidet, uidet & patrē. Vel certe non fuerit in uſu eloquij diuini: Voluntas patris mei in me eſt, & uolūtas mea in patre meo eſt, ſed cōueniens huic dicto ſit: Ego in patre, & pater in me. Quæ quanq̄ omnia fœda & inepta & impia ſint, neq̄ ſenſus humanus in hanc ſtultæ opinionis ſententiam cōcedat, ut aut non potuerit dominus loqui quod uolebat, aut aliud loquutus ſit q̄ loquutus eſt, & quanq̄ reperiatur parabolicis & allegoricis dictis uſus eſſe, ſed aliud eſt uel exemplis dicta firmare, uel prouerbiorum ſignificationibus rerum ſatisfacere dignitati, uel temporū profeſſionibus ſe coaptare, tamen ipſe idem unitatis de qua tractatur, locus non patitur in dictis aliud q̄ ſonant uerba eſſe credendū. Si enim per id unū ſunt, quia unū uolunt: unū autē uelle naturæ ſeparabiles nō poſſunt, quæ diuerſitatem generis diſſidentis in diuerſas neceſſario uoluntates naturæ diuerſitate diſſentiunt, quomodo unū uelle poſſunt, quibus ſcire nō unū eſt, cum ſcientia & ignoratio uolūtatis unius impediat unitatē? Cum itaq̄ ſcientiæ inſcientia aduerſa ſit, unū uelle aduerſa nō poſſunt. Sed fortè id quod ſolū

patrem filius ait ſcire,filium,qui ſe neſcire dixerit,neſcire cõfirmet.Niſi plane patrem ſolũ ſcire dixiſſet, maximi periculi res intelligentiæ noſtræ relinqueretur,ne fortè exiſtimaretur ipſe neſcire. Nam cum in eo quod neſciat, diſpenſatio ei potius abſcõditæ ſcientiæ,q̃ natura ſit neſciẽdi,per id quoq; nũc quod ſolus pater ſcit,nõ ignorare credendus eſt,quia ſicut ſuperius docuimus, ſcientia apud deũ non cognoſcendi id quod neſcierit intelligentiæ eſt,ſed loquendi.Et per id quod ſolus pater ſcit,filius nõ intelligitur neſcire, cum filius idcirco neſcire ſe dicat,ne & alij ſciant: patrem ob id ſolũ dicat ſcire,ne & ipſe non neſciat. Si enim tunc cognouiſſe deus dicitur,amari ſe ab Abraham, cum hoc nõ celauit Abrahæ:neceſſe eſt, ut & pater diem ob id ſcire dicatur,quia nõ celauerit filium,deo ſcientiã non de repentina cognitione ſumente,ſed in tempore proteſtante. Si itaq; diem filius ſecundũ ſacramentum neſcit,ut taceat,è cõtrario neceſſe eſt,ideo diem pater ſolus oſtendatur ſcire,quia nõ tacet. Abſit autem corporalium demutationũ nouitates in patre & filio exiſtimari,ut aliquando pater filio aut loquatur aut taceat. Nobis quidem nõnunq̃ miſſam uocem de cœlo meminimus,ut ſacramentum apud nos filij,paterni dicti ſignificatio firmaret,ſicut dominus ait:Nõ propter me uox hæc uenit de cœlo, ſed propter uos. Cæterum natura dei non eget compoſitis humani officij neceſſitatibus,linguæ motu, temperamento oris,ſpiritus nixu,aëris pulſu.Deus ſimplex eſt,religione noſtra intelligendus eſt,pietate profitẽdus eſt,ſenſu uero nõ perſequendus eſt, ſed adorandus,quia natura moderata & infirmis, naturæ infinitæ & potẽtis ſacramentum intelligentię opinione nõ occupat. Non eſt itaq; diuerſus compoſitæ diuinitatis partibus,ut ſit in eo aut poſt ſtuporẽ uoluntas, aut poſt ſilentiũ ſermo,aut poſt ocium opus,ut aut uelle aliquid, niſi ad uolendum motus ſit nõ putetur,aut loqui quid niſi poſt ſilentiũ ſonent uerba,nõ poſſit,aut agere aliquid,niſi in opus exeat,nõ intelligatur. Non ſubiacet naturæ legibus, à quo legem omnis natura ſortitur : neq; in aliquo infirmitate aut demutatione efficiendi detinetur, qui extra modũ eſt poteſtatis ſecundum domini dictũ:Pater poſſibilia tibi omnia ſunt. Vt quantũ ſenſus humanus nõ capit,tantũ deus poſſit.Sed ne ipſum quidẽ ſe omnipotẽtiæ uirtute fraudauit dicens:Omnia quęcunq; facit pater, eadẽ & filius facit ſimiliter.Non eſt difficultas ubi non eſt infirmitas,quia difficultati ſubiacet impotens efficiendi poteſtas. Difficultatis enim natura in infirmitate uirtutis eſt,quæ cum nõ habet modũ poteſtatis,non tenetur lege infirmitatis. Hoc idcirco demonſtratũ à nobis eſt, ne aut deus poſt ſilentiũ loquutus ad filium,aut filius poſt ignorationẽ ſcire exiſtimaretur, ſed intelligentiã noſtrã naturæ noſtræ eſſe ſignificationibus inſtruendã, quę demonſtrari aliquid, niſi per loquentẽ non intelligeret,& non neſciri aliquid niſi ſciendo nõ exiſtimaret.Filius itaq; diem idcirco quia tacet,neſcit,& patrẽ ſolũ idcirco ſcire ait:quia

Nũc cognoui quòd timeas dominum

Quur ergo tam multa definiuit?

ait:quia ſolus uni ſibi nō tacet.Sed non expectat, ut dixi, has naturæ diffi/
cultates, ut tunc ſciat cum ignorare deſtiterit, tunc audiat cum loqui pater
cœperit. Naturæ ſuæ cum eo tanq̄ unigeniti unitatem nō ambigue docu/
it dicens: Omnia quæ patris ſunt,mea ſunt. Non enim ille nūc de obtinen/
do loquutus eſt,quia aliud eſt extrinſecus ſubſiſtentia ſua eſſe, aliud eſt in
ſuis,atq̄ id ipſum ſe eſſe,quorū unum eſt poſſidere cœlū,terras,mūdumq̄
totū,aliud eſt ſe ipſum in his ſignificare,quæ ſua ſunt.Sua aūt ita nō tanq̄
externa ſubiacent, ſed quòd ex ſuis ipſe ſubſiſtat. Nunc ergo cum omnia
quę patris ſunt,ſua ſunt,diuinitatis ſignificat naturā,non obtentorum com
munionem.Nam ad id quod de ſuo accepturū ſanctum ſpiritum loqueba
tur,ait: Omnia quæ patris ſunt, mea ſunt, & ideo dixi, de meo accipiet, ut
dum de ſuo accipit,non etiam nō de patris accipere exiſtimaretur, uel cum
de patris ſumeret,non etiā non de ſuo ſumere intelligeretur. Neq̄ enim de
creaturis ſumebat ſpiritus ſanctus, quia dei ſpiritus eſt, ut ex his uideatur
accipere,quia ea omnia dei ſunt.Sed ideo omnia quæ patris ſunt, ſua ſunt,
ut quod ſumit ex filio,ne etiam non de patre ſumere uideretur,cum omnia
quæ patris eſſent,eſſe intelligerentur & filij.Hæc igitur natura nō eguit uel
demutatioue,uel interrogatione,uel allocutione,ut poſt ignorantiam ſciat,
poſt ſilentium interroget,poſt interrogationem audiat, ſed perfecta in ſa/
cramento unitatis ſuæ manens, ut habuit de deo natiuitatem, ita habet &
uniuerſitatem. Vniuerſitatem autem habens, non etiam nō quæ uniuerſi/
tatis ſunt,tenuit,ſcientiam ſcilicet & uoluntatem, ne quod ſcit pater,per in/
terrogationem, filius ſciret:uel quod uult pater, per ſignificationem filius
uellet,ſed cum omnia quæ patris ſunt, ſua eſſent,in ea eſſet proprietate na/
turæ,ne aliud aliquid quàm pater aut uellet,aut ſciret.Ad demonſtrationē
uero natiuitatis plerunq̄ demonſtratio eſt adhibita perſonæ, cum dicitur:
Non ueni uoluntatem meam facere, ſed uoluntatem eius qui miſit me pa/
tris.Patris uoluntatem,nō ſuam facit, dum per uoluntatē eius qui ſe miſit,
ſignificat & patrem. Quòd autē id ipſum uelit,nō ambigue oſtendit dicēs:
Pater quos mihi dediſti,uolo ut ubi ego ſum,& ipſi ſint mecum. Cum er/
go pater uelit nos cum Chriſto eſſe,in quo ſecundū Apoſtolum elegit nos
ante mundi cōſtitutionem,& ipſum illud filius uelit,ſcilicet eſſe nos ſecum,
uoluntas ad naturam eadem eſt,quæ ad natiuitatis ſignificationem diſtin/
guitur in uolente.Non itaq̄ ignorat filius,quod non ignorat pater: neque
quia ſolus pater ſcit,idcirco neſcit & filius,cum in unitate naturæ pater & fi
lius maneant.Quod autem filius neſciat, in quo omnes theſauri ſapientiæ
& ſcientiæ abſconditi ſunt,tacendi diſpenſatio ſit, ſicut ipſe dominus teſta/
tus eſt,cum quærētibus apoſtolis de temporibus reſpōdit: Non eſt ueſtrū
ſcire tempora uel momenta,quę pater poſuit in ſua poteſtate.Cognitio ne
gatur, neq̄ ſolū negatur, ſed & ſolicitudo cognitionis inhibetur,cum ſcire

Quur fugis cōmunionis nomen?

Filius quo ſen ſu neſcit idem

hęc tempora non eſt eorũ. Ipſum certe nũc poſt reſurrectionem de temporibus interrogant, quibus ante interrogantibus dictũ eſt, ne filium quidem
Als* aurem ſcire, nec uideri poſſunt, ſecundum* aures intellexiſſe neſcire filiũ, cum ipſi eum tanq; ſcientem & rurſum interrogant. Sed ſacramentũ neſciendi, diſpenſationem intelligentes eſſe tacendi, nũc poſt reſurrectionem loquendi tempus iam arbitrantes eſſe interrogant. Atq; illis filius non iam ſe neſcire ait, ſed quòd nunc ſcire non ſit eorũ, quæ pater in poteſtate ſua poſuerit. Si itaq; apoſtoli hoc quod neſcit filius diem, diſpenſationem eſſe intelligunt, nõ infirmitatem: nos filium ob id tantum diem dicimus neſcire, ne deus ſit, cum diem pater deus idcirco in poteſtate ſua poſuerit, ne ad ſcientiam humanæ cognitionis euaderet, & filius ante interrogatus, neſcire ſe dicẽs, nũc rurſum nõ neſcire ſe reſpondeat, ſed eorum eſſe neſcire: patrem uero tempora nõ in ſcientia ſua, ſed in poteſtate poſuiſſe? Nam cum dies & momentum intra temporũ nomen ſit, nõ poteſt uideri diem & momentum reſtituendi in regnũ Iſrael ipſe ille qui reſtituturus eum eſt, ignorare. Sed nos ad intelligentiam natiuitatis ſuæ per exceptionem paternæ poteſtatis erudiens, neq; ſe neſcire reſpondit, ſed facultatem ipſis ſcientiæ non conceſſam eſſe demonſtrans, id ipſum in ſacramento paternæ poteſtatis cõſiſtere eſt profeſſus. Non ergo quia neſcire ſe diem & momentum filius dicit, neſcire credendus eſt, ſicuti cum ſecundũ hominem aut flet, aut dormit, aut triſtis eſt, deus obnoxius eſſe aut lachrymis, aut ſomno, aut timori eſt confiten-
Etiam ut homo ſciebat dus, ſed ſalua unigeniti in ſe ueritate, ſecũdum carnis infirmitatem, fletum, ſomnum, inediam, ſitim, laſſitudinem, metum pati neceſſe eſt, & ſecundum hominis naturam, diei atq; horæ profeſſus eſt inſcitiam.

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER DECIMVS



On eſt ambiguũ, omnem humani eloquij ſermonem cõtradictioni obnoxiũ fuiſſe ſemper, quia diſſentientibus uoluntatum motibus, diſſentiens quoq; fit ſenſus animorum, cum aduerſantium iudiciorum affectione compugnans, aſſertionibus his quibus offenditur, contradicit. Quamuis enim omne dictum ueri ratione perfectum ſit, tamen dum aliud alijs aut uidetur, aut complacet, patet ueritatis ſermo aduerſantium reſponſioni, quia contra ueritatem aut non intellectam, aut offendentem, uel ſtultæ, uel uitioſæ uoluntatis error obnititur. Immoderata enim eſt omnis ſuſceptarũ uoluntatũ pertinacia, & indeflexo motu aduerſandi ſtudium perſiſtit, ubi non rationi uoluntas ſubijcitur, nec ſtudium doctrinæ impenditur, ſed his quæ uolumus,

rationem

rationem cõquirimus,& his quæ ſtudemus doctrinam coaptamus. Iamq; nominis potius quàm naturæ erit doctrina quę fingitur,& nõ iam ueri manebit ratio,ſed placiti, quã ſibi uolũtas magis ad defenſionem placentium coaptauit,nõ quæ uoluntatis inſtinctum per intelligentiam ueri rationabilis incitauit. Per hæc igitur uitia ſtudioſarum uoluntatum omnes aduerſantium intentionum emergũt cõtradictiones, & inter ueri aſſertionem & placiti defenſionem pertinax pugna eſt, dum ſe & ueritas tenet, & tuetur uoluntas. Cæterum ſi nõ præiret rationem uoluntas, ſed per ueri intelligentiam ad uelle id quod uerum eſt,moueretur,nunq; doctrina uolũtati quæreretur,ſed uoluntatem omnem doctrinæ ratio cõmoueret, eſſetq; omnis ſine cõtradictione ueritatis ſermo,cum unuſquiſq; nõ quod uellet, id uerum eſſe defenderet,ſed quod uerum eſt,id uelle cœpiſſet. Harum itaq; uitioſarum uoluntatum nõ ignarus Apoſtolus inter multa conteſtandæ fidei & prædicandi uerbi præcepta,ad Timotheum ſcribens ait: Erit tempus cum ſanam doctrinam nõ ſuſtinebũt, ſed ad ſua deſideria coaceruabũt ſibi magiſtros prurientes auribus. Et à ueritate quidem auditum auertẽt, ad fabulas autem cõuertentur. Vbi enim per impietatis ſtudium extra ſanæ doctrinæ patientiam erunt, tũc his quæ deſiderant coaceruabũt magiſtros, apta ſcilicet cupiditatibus ſuis doctrinarũ inſtituta cumulantes,neq; doceri ſe deſiderantes,ſed doctores ad id quod deſiderant congregantes, ut cumulus ipſe conquiſitorum & coaceruatorum magiſtrorum, æſtuantium deſideriorum ſatisfaciat doctrinis. Et hic tantus ſtultę religioſitatis furor,quo tandem ſpiritu ſanam doctrinam non ſuſtinens, corruptam deſiderabit? Si ignorat, ab eodem Apoſtolo ad hunc eundem Timotheum ſcribente cognoſcat: Spiritus autem manifeſte dicit, quia in nouiſſimis temporibus recedent quidam à fide,attendẽtes ſpiritibus ſeductoribus, doctrinis dæmoniorum in hypocriſi mendaciloquorum. Quis enim doctrinæ profectus eſt,placida magis quàm docenda cõquirere? Aut quæ doctrinę religio eſt, non docenda deſiderare, ſed deſideratis coaceruare doctrinam? Sed hæc ſeducentium ſpirituum incentiua ſuppeditant, & ſimulatæ religionis falſiloquia confirmant. Sequitur enim fidei defectionem hypocriſis mendax, ut ſit uel in uerbis pietas quam amiſerat cõſcientia. Et ipſam quidem ſimulatam pietatem omni uerborum mendacio impiam reddunt, falſæ doctrinæ inſtitutis corrumpentes ſanctitatem fidei, dum ſecundum deſideria ſtudiorum potius quàm ſecundum euangelicam fidem coaceruata doctrina eſt. Auribus enim prurigine incitatis,dum per audiendi impatientem oblectationem ſub nouella deſiderij ſui prædicatione ſcalpuntur, ipſi penitus ab auditu ueritatis alieni,totos ſe fabulis deſtinant, ut his quæ loquuntur, ueritatis ſpeciem acquirant, dum quæ uera ſunt & loqui & audire nõ poſſunt. Incidimus planè in hoc prophetiæ apoſtolicæ moleſtiſſimũ tempus.

Conquiſitis

Conquiſitis enim nũc creaturæ potius quàm dei prædicandi magiſtris, de ſideriſs humanis potius quàm ſanę fidei doctrinis ſtudetur, & eò uſq; eos prurigo aurium ad ea quæ deſiderãt audienda excitauit,ut coaceruatis doctoribus ſola hæc nũc interim prædicatio polleat, per quam unigenitus deus à poteſtate & ueritate dei patris alienus,aut alterius generis deus ſit in fide noſtra,aut deus non ſit,mortifera ex utroq; impietatis profeſſione, aut duos deos ſub diuerſitate diuinitatis loquentes, aut deum omnino cui natura ex deo per natiuitatem ſit abnegantes. Hoc alienatis ab auditu ueritatis, & conuerſis ad fabulas auribus placet, huius ſanæ doctrinæ audientia non ſuſtinetur,& omnis ipſa cum prædicatoribus ſuis exulat. Sed licet nũc à multis coaceruantibus ſibi ſecũdum deſideria ſua magiſtros,ſana doctrina exulet,non tamen à ſanctis quibuſq; prædicationis ueritas exulabit. Loquimur enim exules per hos libros,& ſermo dei, qui uinciri non poteſt, liber excurret,de hoc eodem apoſtolicæ prophetiæ admonens tempore, ut cum auditus ueritatis impatiens deprehenditur, & ſecundum deſideria humana coaceruati magiſtri reperiuntur,iam de tempore nõ ambigatur, ſed in eo coexulare exulantibus ſanę fidei prædicatoribus ueritas intelligatur. Ac de temporibus non queremur,quin etiam gaudebimus, quia iniquitas ſe per hoc exiliũ noſtri tempus oſtenderit,quo ueritatis impatiens ſanæ doctrinæ prædicatores, ut ſecundum deſideria ſua coaceruet ſibi magiſtros, relegat,exilio noſtro lætantes & exultãtes in domino,cõtigiſſe in nobis plenitudinem apoſtolicæ prophetiæ. Superioribus igitur libellis ſynceræ, ut arbitror,fidei & incõtaminatæ ueritatis profeſſionẽ tenentes,quanq; ſecundum humanæ naturę cõſuetudinem nullus ſermo nõ ſit obnoxius contradictioni,eam tamen nos arbitror totius reſpõſionis noſtrę moderatos eſſe rationem,ut cõtradicere quiſquã niſi cum impietatis profeſſione nõ poſſit. Eorum enim dictorũ quæ ſecundum falſiloquiũ ſui artem ex euãgeliis hæretici præſumunt,ita demonſtrata ueritas eſt, ut iam in cõtradictione ignorantiam excuſare nõ liceat,ſed irreligioſitatẽ neceſſe ſit cõfiteri. Eam quoq; nunc ſecundum ſancti ſpiritus donum temperauimus totius fidei demonſtrationem,ut ne quid ementiri ſaltem aduerſum nos criminis poſſint. Solent enim ita de nobis implere aures ignorantium,ut nos aſſerãt negare natiuitatem,cum unitatem diuinitatis prædicamus, & dicant ſolitarium à nobis per hoc quod ſcriptũ eſt: Ego & pater unũ ſumus, ſignificari deum: ut innaſcibilis deus deſcendens in uirginem,homo natus ſit,quia ad diſpenſationem carnis pertineat id quod ita cœperit,ego,ad diuinitatis ſuæ uero demonſtrationem ſubiecerit,& pater,tanq; huius hominis ſui pater eſſet, ex duobus uero cõſiſtens homine ſcilicet & deo de ſe locutus ſit,unum ſumus. Sed nos natiuitatẽ ſubſiſtentẽ ſine tempore proteſtãtes,prędicabimus dei filiũ non alienæ à deo patre naturæ,deũ: neq; ex innaſcibilitate innaſcibili

coæqualem

coæqualem,ſed ex generatione unigenitum non diſparem,neq; unum eos eſſe ex geminatis nominibus unionis,ſed ex natiuitate naturæ,neque duos deos per diuerſitatem generis in fide eſſe,neq; rurſum ſingularem deũ, ubi ſacramentum dei unigeniti eſt cõfitendum,ſed in patre ſignificari atq; eſſe dei filium,dum in eo & natura patris & nomen eſt.In filio uero patrem intelligi ac manere,dum filius neq; dici poteſt niſi ex patre,neq; eſſe,uiuentis quoq; naturæ eſſe uiuentem imaginem & conſignatam naturaliter dei in deo formam,uſq; adeo indifferẽtis poteſtatis & generis,ut in eo nec opus, nec ſermo,nec uiſus alienus à patre ſit,ſed cum naturaliter in ſe habeat autoris ſui imago naturam,per naturalem quoq; imaginem ſuam autor & operatus & uiſus & locutus ſit. Atq; hanc quidem & intemporalem & inenarrabilem & omnem humanæ intelligentiæ ſenſum excedentẽ unigeniti generationem prædicantes,nati quoq; in hominem ex partu uirginis dei ſacramentum docuimus, demonſtrantes ſecundum diſpenſationem carnis aſſumptæ,tum cum ſe ex forma dei euacuans formam ſerui accepit infirmitatem habitus humani,dei non infirmaſſe naturam, ſed ſalua diuinitatis in homine uirtute,acquiſitam eſſe dei ad hominem poteſtatem. Nanq; cum in homine deus natus ſit,non idcirco natus eſt,ne nõ deus maneret, ſed ut manente deo homo natus in deum ſit. Nam & Emanuel nomen eius eſt, quod eſt nobiſcum deus,ut nõ defectio dei ad hominem ſit, ſed hominis prouectus ad deũ. Vel cum glorificari ſe rogat,nõ utiq; naturæ dei, ſed aſſumptioni humilitatis hoc proficit.Nam hanc gloriã poſtulat, quam ante cõſtitutionem mundi apud deum habuit.Reſpondẽtes quoq; ſtultiſſimis eorum profeſſionibus uſq; ad ignoratæ horæ deſcendimus demonſtrationem,quæ etiam ſi ſecundum illos à filio apprehenſa non eſſet,tamen id ad cõtumeliam diuinitatis unigenitæ nõ pertineret, quia natura non ferret,ut cum natiuitas retroageret ad innaſcibilitatis ininitiabilem ſubſtitutionem, poteſtati ſuæ patre momentũ definiendi adhuc diei ad demonſtrationem autoritatis innaſcibilis reſeruante:neq; in eo infirmam intelligi poſſe naturam, in qua tantum ineſſet ex natiuitate naturæ, quantum implere poſſet perfecta natiuitas: neq; ad differentiam diuinitatis unigenito deo ignorationem diei & horæ deputandam,cum ad demonſtrandam aduerſum hæreticos Sabellianos innaſcibilem in patre atq; ininitiabilem poteſtatẽ, innaſcibilis hæc in eo ſit poteſtatis exceptio,* per quam patuit uerbi profeſſionem ad conſummandi hominis ſacramentum pertinere,ut qui infirmitates noſtras portabat, infirmitatem quoq; ſibi humanæ ignorationis adſumeret,atq; ita diem neſcire ſe diceret,ut ſepulchrum Lazari neſciebat,& attrectantem ueſtis ſuæ fimbriam mulierem ignorabat, tam infirmus ad ſciendum q̃ infirmus ad flendum,ſub laſſitudinis & ſitis & inediæ officio, in ſcientiæ etiam nõ dedignatus errorem, maxime cum ex mortuis reſurgẽtem & ingreſſu

* Hæc à, p quæ uſq; ad. Sed quia hãc, aſſumpta reperi in quodã codice

& ingreſſurũ ſupergreſſurumq; cœlos Apoſtoli iam non neſcientem. Sed huius ipſius diei ſuæ potentem ac ſcientem interrogaſſent, nihil aliud perconantes q̃ id quod ſub diſpenſatione hominis tacebatur, ut in eo quod neſcire ſe dixerat, dum rurſum interrogãt, ad adſumptionem potius quàm neceſſitatem ignorantiæ intelligere uideretur. * Sed quia hanc neſcitæ diei profeſſionem, non ignorationis eſſe infirmitatem, ſed tacendi diſpenſationem docuimus, *expugnanda etiam nunc eſt omnis impiæ aſſertionis occaſio, & omnes hæreticæ blaſphemiæ tranſcurrendæ ſunt prædicationes, ut ueritas euangelij per ea ipſa quibus obſcurari uidebatur eluceat. Volunt enim plæriq; eorum ex paſſionis metu & ex infirmitate patiẽdi, non in natura eum impaſſibilis dei fuiſſe, ut qui timuit & doluit, non fuerit uel in ea poteſtatis ſecuritate quæ non timet, uel in ea ſpiritus incorruptione quæ non dolet, ſed inferioris à deo patre naturæ, & humanæ paſſionis trepidauerit metu, & ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem. Atq; hac impietatis ſuæ aſſertione nitantur, quia ſcriptũ ſit: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem. Et rurſum: Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. Sed & illud: Deus deus meus quare me dereliquiſti? Hoc quoq; adijciant: Pater commendo in manus tuas ſpiritum meum. Has enim omnes piæ fidei noſtræ profeſſiones ad impietatis ſuæ rapiũt uſurpationem. Vt qui timuerit, qui triſtis eſt, qui & transferri à ſe calicem deprecatus ſit: ut qui doluerit, qui derelictum ſe à deo in paſſione cõqueſtus ſit: ut infirmus quoq; fuerit, qui ſpiritum ſuum patri commẽdauerit. Nec anxietas admittat ſimilitudinem exæquatæ ad deum in unigeniti natiuitate naturę, quæ infirmitatem diuerſitatemq; ſuam & deprecatione calicis, & deſolationis querela, & commendationis confeſſione teſtetur. Ac primum antequam ex his ipſis dictis demonſtremus, nec metuendi de ſe in eum infirmitatem incidiſſe aliquã nec dolendi, quærendum eſt quidnam uideatur timere potuiſſe, ut in eum formido intolerandi doloris uel terroris inciderit: & puto nõ alia hic ad timendum quàm paſſionis & mortis cauſa prętenditur. Et interrogo eos qui hoc ita exiſtimant, an ratione ſubſiſtat, ut mori timuerit, qui omnem ab Apoſtolis terrorem mortis propellens, ad gloriam eos ſit martyrij adhortatus dicens: Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus: & qui inuenit animam ſuam perdet eam, & qui perdiderit eam propter me, inueniet illã. Cum enim pro eo mori, uita ſit, quid ipſe in mortis ſacramento doluiſſe exiſtimandus eſt, qui pro ſe morientibus uitã rependat? Et cum non timendos eſſe qui corpus occiderent monet, ipſum illum mors à timore paſſionis corporalis exterruit? Tum deniq; quem dolorem mortis timeret, poteſtatis ſuæ libertate moriturus? Humano enim generi uitę mortem aut uis exterior, id eſt, febris, uulneris, caſus, ruinæ, degraſſata in corpus accelerat, aut ipſa natura corporis noſtri ſenio in eam ipſam mortẽ uicta concedit

Als *expurganda

Quõ doluerit ac timuerit Chriſtus

cedit. Vnigenitus autem deus ita poteſtatem habens ponendæ animæ, ut reſumendæ, ad peragendum in ſe mortis ſacramentũ, cum poto aceto conſummaſſe ſe omne humanarũ paſſionum opus teſtatus eſſet, inclinato capite tradidit ſpiritum. Si hoc naturæ hominis ius relictum eſt, ut per ſe exhalans ſpiritũ requieſcat in mortem, & nõ diſſoluto corpore labefacta anima decedat, uel aut ruptis aut perfoſſis aut colliſis membris ſpiritus tanq; in ſede ſua uiolatus erumpat aut effluat, incidat in dominum uitæ mortis metus, ſi quod emiſſo ſpiritu mortuus eſt, nõ libertatis ſuæ ad moriendum uſus eſt poteſtate. Quòd ſi ex ſe mortuus eſt, & per ſe ſpiritũ reddidit, non eſt terror mortis in poteſtate moriendi. Sed fortè humanæ ignorantiæ timiditate hanc ipſam ſuam moriendi in ſe timuit poteſtatem, ut licet ab ſe moriturus, tamen hoc ipſum quod moriturus eſſet timuerit. Et fortè ſi erũt qui ita exiſtimabunt, cõſtituant cui rei exiſtimãt mortem fuiſſe terribilem, ſpiritui an corpori. Si corpori, an ne ignorant quòd ſancto corruptionem nõ uiſuro intra triduũ corporis ſui templum eſſet ſuſcitaturus? Si uero ſpiritui mors terribilis eſt, Lazaro in Abrahę ſinibus lætante, infernum chaos Chriſtus timeret? Hæc ſtulta atq; ridicula ſunt, ut in poteſtate ponendæ animæ ac reſumendæ mori timeret, ad ſacramentum uitæ humanæ ſub uoluntatis ſuæ libertate moriturus. Non eſt in uoluntate morientis mors, & in poteſtate nõ diu in morte manendi timor mortis, quia & uoluntas moriendi, & poteſtas reuiuiſcẽdi, extra naturam timoris eſt, dum timeri mors nõ poteſt, & in uoluntate moriendi & in poteſtate uiuendi. Sed fortè penduli in cruce corporis pœnę, & colligantiũ funium uiolenta uincula, & adactorum clauorum cruda uulnera ſunt timori. Et uideamus cuius corporis homo Chriſtus ſit, ut in ſuſpenſam & nodatã & transfoſſam carnem dolor* manſerit. Ea enim natura corporũ eſt, ut ex cõſortio animæ in ſenſum quendam animæ ſentientis animata, nõ ſit hebes inanimisq; materies, ſed & attacta ſentiat, & cõpuncta doleat, & algens rigeat, & confota gaudeat, & inedia tabeſcat, & pingueſcat cibo. Ex quodam enim obtinentis ſe penetrantisq; animæ tranſcurſu, ſecundum ea in quibus erit, aut oblectatur, aut læditur. Cum igitur cõpuncta aut effoſſa corpora dolent, ſenſum doloris transfuſæ in ea animæ ſenſus admittit. Denicq; uulnus corporis uſq; ad os dolet, & digiti excedentium ex carne unguium præſegmina neſciunt. Et ſi quando accedente uitio pars aliqua corrupta membrorũ, ſenſum uiuæ carnis amiſerit, ea cum uel deſecabitur, uel uretur, dolorem quiſquis eſſe potuiſſet, nõ manente in ea animæ permixtione, nõ ſentiet. Aut cum grauis neceſſitas recidendi corporis manet, medicato potu cõſopitur uigor animæ, & in emortuam ſenſus ſui obliuionem mens ſuccis uiolentioribus occupata conficitur. At tum doloris neſcia membra cędũtur, & omnẽ alti uulneris plagam ſenſus carnis emortuus, ſenſu animæ in ſe torpentis euadit. Affert

Forte* inuaſerit

itaq; dolorem per animæ infirmis admixtionem, in infirmũ ſenſum ſuum corpus animatum. Si igitur homo Ieſus Chriſtus per initia corporis atq; animæ noſtræ uixit in corpore, & non ita ut corporis ſui, ſic & animæ ſuæ princeps deus in ſimilitudine hominis cõſtitutus, & habitu repertus ut homo natus eſt, parem dolorem ſenſerit corporis noſtri animæ noſtrę & corporis, ut conceptu ita & initio animatus in corpore. Quòd ſi aſſumpta ſibi per ſe ex uirgine carne, ipſe ſibi ex ſe animam cõcepti per ſe corporis coaptauit, ſecundum animæ corporisq; naturã, neceſſe eſt & paſſionũ fuiſſe naturam. Euacuans ſe enim ex dei forma & formã ſerui accipiens, & filius dei etiam filius hominis naſcens, ex ſe ſuaq; uirtute nõ deficiens, deus uerbum conſummauit hominem uiuentem. Nam quo modo filius dei hominis filius erit natus, uel manens in dei forma, formã ſerui acceperit, ſi non potente deo uerbo ex ſe & carnem intra uirginem aſſumere, & carni animã tribuere homo Chriſtus Ieſus ad redemptionem animæ & corporis noſtri perfectus eſt natus? Et corpus quidẽ ita aſſumpſerit, ut id ex uirgine cõceptum, formã eum eſſe ſerui effecerit. Virgo enim nõ niſi ex ſancto ſpiritu genuit quod genuit. Et q̃uis tantum ad natiuitatem carnis ex ſe daret, quantũ ex ſe fœminæ ędendorũ corporum ſuſceptis originibus impenderent, nõ tamen Ieſus Chriſtus per humanæ cõceptionis coaluit naturam. Sed omnis cauſa naſcendi inuecta per ſpiritũ tenuit in hominis natiuitate quod matris
Als*uirtute eſt, cum tamen haberet in originis*natiuitate quod dei eſt. Hinc igitur maximum illud ac pulcherrimũ ſuſcepti hominis ſacramentum dominus ipſe oſtendit dicens: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Quod deſcendit de cœlo, cõceptæ de ſpiritu originis cauſa eſt. Non enim ex ſe corpori Mariæ originem dedit, licet ad incrementa partũq; corporis omne quod ſexus ſui naturale eſt, cõtulerit. Quod uero hominis filius eſt, ſuſceptæ in uirgine carnis eſt partus. Quod autẽ in cœlis eſt, naturæ ſemper manẽtis poteſtas eſt, quæ initiata cõditaq; per ſe carne nõ ſe ex infinitatis ſuę uirtute intra regionẽ definiti corporis coarctauit, ſpiritus uirtute ac uerbi dei poteſtate in forma ſerui manens, ab omni intra extraq; cœli mundiq; circulo cœli ac mũdi dominus nõ abfuit. Per hoc ergo & de cœlo deſcendit, & filius hominis eſt, & in cœlis eſt, quia uerbum caro factũ nõ amiſerat manere quod uerbũ eſt. Nam dum uerbũ eſt, & in cœlis eſt: dum caro eſt, & hominis filius eſt: dum uerbũ eſt caro factum, & de cœlo eſt, & filius hominis eſt, & in cœlo eſt, quia & uerbi uirtus nõ corporalibus modis manens, nõ deerat unde deſcenderat, & caro nõ aliunde originem ſumpſerat q̃ ex uerbo. Et uerbũ caro factum, cum caro eſſet, nõ tamen nõ erat & uerbum. Abſolute autem beatus Apoſtolus etiam huius inenarrandæ corporeæ natiuitatis ſacramentum locutus eſt dicens: Primus homo de terræ limo, ſecundus homo de cœlo. Hominem enim dicens, na-

tiuitatem

tiuitatem ex uirgine docuit,quæ officio uſa materno, ſexus ſui naturam in conceptu & partu hominis executa eſt. Et cum ait, ſecundum hominem de cœlo,originem eius ex ſuperuenientis in uirginem ſancti ſpiritus aditu teſtatus eſt. Atq; ita cum & homo eſt,& de cœlis eſt, hominis huius & partus à uirgine eſt,& cõceptus ex ſpiritu eſt. Et hæc quidẽ Apoſtolus ait: Ipſe autem dominus huius natiuitatis ſuæ myſterium pandens ſic locutus eſt: Ego ſum panis uiuus qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit de meo pane,uiuet in æternum. Se panem dicens, ipſe enim corporis ſui origo eſt. Ac ne uerbi uirtus atq; natura defeciſſe à ſe exiſtimaretur in carne, ſuum rurſum panẽ eſſe dixit,ut per hoc quod deſcendens de cœlis panis eſt,non ex humana cõceptione origo eſſe corporis exiſtimaretur,dum cœleſte eſſe corpus oſtenditur. At uero cum ſuus panis eſt,aſſumpti per uerbum corporis eſt profeſſio,ſubiecit enim: Niſi manducaueritis carnem filij hominis,& ſanguinem eius biberitis,non habebitis uitam in uobis. Vt quia id quod filius hominis eſt,& panis de cœlis ipſe deſcendit,per panem ſuum de cœlo deſcendentem, & per carnem ac ſanguinem filij hominis, & conceptæ ex ſpiritu ſancto, & natæ ex uirgine carnis intelligatur aſſumptio. Huius igitur corporis homo Ieſus Chriſtus & dei filius & hominis eſt filius, & ex forma dei ſe exinaniens formam ſerui accepit. Non alius filius hominis q̃; qui filius dei eſt,neq; alius in forma dei quàm qui in forma ſerui perfectus homo natus eſt,ut ſicut per naturam conſtitutam nobis à deo originis noſtræ principe,corporis atque animæ homo naſcitur, ita Ieſus Chriſtus per uirtutem ſuam admixtione carnis atq; animæ homo ac deus eſſet, habens in ſe & totum uerumq; quod homo eſt,& totum uerumq; quod deus eſt. Quanquam multi confirmandæ hæreſeos ſuæ arte,ita aures imperitorum ſoleãt illudere,ut quia & corpus & anima Adę in peccato fuit,carnẽ quoq; Adę atq; animam dominus ex uirgine acceperit,neq; hominem totum ex ſpiritu ſancto uirgo conceperit, qui ſi intelligerent ſacramentum carnis aſſumptæ,intelligerent etiam ſacramentum eiuſdem & hominis filij & dei filij. Quaſi uero ſi tantũ ex uirgine aſſumpſiſſet corpus, aſſumpſiſſet quoq; ex eadem & animam, cum anima hominis opus dei ſit, carnis uero generatio ſemper ex carne ſit. Sed uolentes unigenitum deum, qui in principio apud deum erat deus uerbum,nõ ſubſtantiuum deum eſſe,ſed ſermonem uocis emiſſæ,ut quod loquentibus eſt ſuum uerbũ, hoc ſit patri deo filius, argute ſubrepere uolunt ne ſubſiſtens uerbum deus, & manens in forma dei Chriſtus homo natus ſit, ut cum hominem illum humanæ potius originis cauſa quàm ſpiritualis conceptionis ſacramẽtum animauerit,non deus uerbum hominem ſe ex partu uirginis efficiẽs extiterit, ſed ut in prophetis ſpiritus prophetiæ, ita in Ieſu uerbum dei fuerit. Et arguere nos ſolent quòd Chriſtum dicamus natũ,non noſtri corporis atq; animę hominem,

cum nos uerbum carnem factum,& ſe ex forma dei euacuantẽ Chriſtum, & formam ſerui aſſumentem,perfectum ſecundum habitum conformationis humanæ,& noſtræ ſimilitudinis natum hominem prædicemus, ut uere dei filius uerus hominis filius natus ſit. Neq; non natus ex deo homo, neque quia natus ex deo homo,ideo deus eſſe deficiens. Sed ut per ſe ſibi aſſumpſit ex uirgine corpus,ita ex ſe ſibi animã aſſumpſit,quę utiq; nunc̃ ab homine gignentium originibus præbetur. Si enim conceptũ carnis niſi ex deo uirgo non habuit, longe magis neceſſe eſt, anima corporis, niſi ex deo aliunde non fuerit. Et cum ipſe ille filius hominis ipſe ſit qui & filius dei,quia totus hominis filius totus dei filius ſit, quàm ridicule præter dei filium qui uerbum caro factum eſt, alium neſcio quem tanquã prophetam uerbo dei animatũ prædicemus, cum dominus Ieſus Chriſtus & hominis filius & dei filius ſit. Per id uero quòd triſtis eſt anima ſua uſq; ad mortem, & quòd poteſtatem habet animę ſuæ ponendæ & reſumendæ,uolunt extrinſecus animam non ex ſpiritu ſancto, ut & corpus ex eo conceptum eſt, deputare,cum uerbum deus in ſacramento naturæ ſuæ manens,homo natus ſit. Natus eſt autem non ut eſſet alius atq; alius, ſed ut ante hominem deus ſuſcipiens hominem,homo deus poſſet intelligi. Nam quo modo Ieſus Chriſtus dei filius natus ex Maria eſt, niſi quòd uerbũ caro factũ eſt, ſcilicet quòd filius dei cum in forma dei eſſet,formã accepit ſerui? Accepiſſe autem formã ſerui eum qui eſſet in dei forma,de contrarijs cõparatur, ut quãta ueritas eſt manere in dei forma,tanta ueritas ſit accepiſſe formã ſerui. Ad proprietatẽ enim naturę intelligendã ſignificatione uerbi ad id communis impellimur. In forma enim ſerui eſt, qui & in forma dei eſt. Et cum hoc naturæ, illud uero diſpenſationis ſit, in eiuſdẽ tamen eſt ueritatis proprietate quod utrunq; eſt,ut tam uerus ſit in dei forma c̃p uerus in ſerui. Vt uero aſſumpſiſſe formã ſerui, non aliud eſt c̃p hominem natum eſſe:ita in forma dei eſſe,nõ aliud eſt c̃p deum eſſe, unum tamen eundemq; non dei
Alĩ*deſectiõe *defectione,ſed hominis aſſumptione profitẽtes, & in forma dei per naturam diuinã,& in forma ſerui ex cõceptione ſpiritus ſancti, ſecundum habitum hominis repertũ fuiſſe. Itaq; cum Ieſus Chriſtus & natus & paſſus & mortuus & ſepultus ſit,& reſurrexerit,& in cœlos aſcẽderit,nõ poteſt in his
Alĩ*deus ſacramentorũ diuerſitatibus ita ab ſe diuiduus eſſe,ne*Chriſtus ſit,cum nõ alius Chriſtus c̃p qui in forma dei erat,formã ſerui acceperit, neq; alius c̃p qui natus eſt mortuus ſit,neq; alius c̃p q eſt mortuus reſurrexerit,neq; alius quàm qui reſurrexerit aſcenderit in cœlos. In cœlis autem nõ alius ſit c̃p qui deſcendit ante de cœlis. Homo itaque Ieſus Chriſtus unigenitus deus per carnem & uerbũ,ut hominis filius, ita & dei filius hominem uerum ſecundum ſimilitudinem noſtri hominis non deficiens à ſe deo, ſumpſit, in quẽ c̃puis aut ictus incideret,aut uulnus deſcenderet,aut nodi cõcurrerent,

aut

aut ſuſpenſio eleuaret,afferrent quidem hæc impetũ paſſionis, non tamen dolorem paſſionis inferrent,ut telũ aliquod aut aquã perforans,aut ignem compungens,aut aëra uulnerans.Omnes quidẽ has paſſiones naturæ ſuæ infert, ut perforet, ut cõpungat, ut uulneret, ſed naturã ſuam in hæc paſſio illata non retinet,dum in natura non eſt uel aquã forari, uel pungi ignem, uel aëra uulnerari, cẽuis naturæ teli ſit uulnerare & compungere & forare. Paſſus quidẽ dominus Ieſus Chriſtus,dum cæditur,dum ſuſpẽditur, dum crucifigit̃,dum moritur,ſed in corpus irruens paſſio,nec nõ fuit paſſio, nec tamen naturã paſſionis*exercuit, dum & pœnali miniſterio illa deſęuit,& uirtus corporis ſine ſenſu pœnæ,uim pœnæ in ſe deſæuientiſ excepit. Habuerit ſanè illud domini corpus doloris noſtri naturam,ſi corpus noſtrũ id naturæ habet,ut calcet undas,& ſuper fluctus eat,& nõ degrauetur in greſſu,neq; aquæ inſiſtentis ueſtigijs cedant,penetret etiã ſolida,nec clauſæ domus obſtaculis arceatur.At uero ſi dominici corporis ſola iſta natura ſit,ut ſua uirtute ſua anima feratur in humidis, & inſiſtat in liquidis, & extructa tranſcurrat,quid per naturã humani corporis concepta ex ſpiritu ſancto caro iudicatur? Caro illa,id eſt,panis ille de cœlis eſt. Et homo ille de deo eſt habens ad patiendum quidem corpus,& paſſus eſt, ſed naturã nõ habens ad dolendum.Naturæ enim propriæ ac ſuæ corpus illud eſt quod in cœleſtem gloriã transformatur in monte, quod attactu ſuo fugat febres, quod de ſputo ſuo oculos format.Sed fortè in quo affectio flendi,ſitiendi,eſuriendiq; manſit, & cæterarũ quoq; humanarum paſſionum in eo neceſſe ſit ineſſe naturam.Qui ſacramentũ fletus,ſitis atq; eſuritionis ignorat,ſciat & uiuificare flentem, nec mortem Lazari flere ob quam gaudeat, & flumina aquæ uiuæ ex ſe præbere,ſitientem neq; carere ſiti,qui potens ſit potare ſitientes & eſurientes,eam quæ fructus ſuos eſurienti non præbuerit, damnare arborem,nec naturam eam uinci inedia quæ naturam uiriditatis iuſſa aridítate demutet.Quòd ſi præter fletus & ſitis & eſuritionis myſteriũ aſſumpta caro, id eſt, homo totus,paſſionum eſt permiſſa naturis,nec ramen ita ut paſſionis conficeretur iniurijs, ut flens non ſibi fleret,& ſitiens ſitim non potatura depelleret,& eſuriens nõ ſe cibo eſcæ alicuius expleret,Neq; enim tum cum ſitiuit,aut eſuriuit,aut fleuit,bibiſſe dominus,aut manducaſſe,aut doluiſſe monſtratus eſt,ſed ad demonſtrandam corporis ueritatẽ,corporis conſuetudo ſuſcepta eſt, ita ut naturæ noſtræ cõſuetudine conſuetudini ſit corporis ſatisfactũ, uel cum cibum & potum accepit,nõ ſe neceſſitati corporis,ſed cõſuetudini tribuit.Habuit enim corpus,ſed originis ſuæ proprium, neq; ex uitijs humanæ cõceptionis exiſtens,ſed in formam corporis noſtri uirtutis ſuæ poteſtate ſubſiſtens.Gerens quidem nos per formã ſerui,ſed à peccatis & à uitijs humani corporis liber, ut nos quidem in eo per generationem uirginis ineſſemus,ſed noſtra in eo per uirtutem profectæ ex ſe ori

Lege caute

*Als*execuit*

Lege caute

ginis uitia non ineſſent,dum homo natus,nõ uitijs humanæ conceptionis eſt natus. Tenuit enim Apoſtolus demonſtrandæ natiuitatis huius ſacramentum,cum ait:Sed humiliauit ſe,formam ſerui accipiens in ſimilitudine hominũ conſtitutus,& habitu repertus ut homo. Vt dum formã ſerui accepit,natus eſſe in forma hominis intelligatur, dum autẽ in ſimilitudine hominum cõſtitutus,& habitu repertus ut homo, ſpecies quidẽ & ueritas corporis hominẽ teſtetur, ſed naturã uitiorum, qui ut homo ſit habitu repertus,ignoret.In ſimilitudine enim naturæ non uitiorũ proprietate eius generatio eſt,nam quia in eo quod formã ſerui accepit,natiuitatis uidebatur ſignificata eſſe natura,ſubiecit:In ſimilitudine hominũ conſtitutũ,& habitu repertũ ut hominem,ne natiuitatis ueritas naturæ quoq; per uitia infirmis proprietas crederet, cum & in forma ſerui eſſet uera natiuitas, & in habitu repertũ ut hominẽ,eſſet ſimilitudo naturæ. Ipſe quidẽ per uirginẽ ex ſe natus homo,& in ſimilitudine uitioſæ peccati carnis inuẽtus. Quod id ipſum ad Romanos ſcribẽs teſtatus Apoſtolus eſt,cum ait: Quod erat eñ impoſſibile legi,in quo infirmabatur per carnẽ,deus filiũ ſuum miſit in ſimilitudine carnis peccati,& de peccato cõdemnauit peccatũ in carne. Non fuit habitus ille tantũ hominis,ſed ut hominis:neq; caro illa caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati,dum & habitus carnis in natiuitatis eſt ueritate,& ſimilitudo carnis peccati à uitijs humanæ paſſionis aliena eſt, ita homo Chriſtus Ieſus & in ueritate natiuitatis eſt dum homo eſt, & nõ eſt in proprietate peccati dum Chriſtus eſt, quia & qui homo eſt, nõ potuit non homo eſſe qui natus eſt,& qui Chriſtus eſt,nõ potuit amiſiſſe quod Chriſtus eſt. Atq; ita dum homo Chriſtus Ieſus eſt, habet & natiuitatẽ hominis, quia homo eſt:nec eſt in uitioſa hominis infirmitate,quia Chriſtus eſt. Quanq; igitur nos ad huius ſacramẽti intelligentiam apoſtolica fides inſtruat,quæ & habitu ut hominẽ repertum,& in ſimilitudine carnis peccati miſſum hominem Chriſtũ Ieſum eſſe teſtata eſt,ut cum habitu ut homo eſt ſit in forma ſerui,& nõ ſit in uitijs naturæ: & cum in ſimilitudine carnis peccati eſt, ſit quidem uerbũ caro,ſed in ſimilitudine carnis peccati ſit,potius q̃ ipſe caro peccati ſit.Et cum homo Chriſtus Ieſus eſt,ſit quidẽ homo,ſed in homine nõ poſſit aliud eſſe q̃ Chriſtus eſt. Atq; ita & ex corporis natiuitate homo natus ſit,nec ſit in hominis uitijs,qui non ſit in origine,quia uerbũ caro factum nõ potuit non caro eſſe,quod factũ eſt: & uerbũ licet caro factum ſit,non tamen amiſit eſſe quod uerbũ eſt:& dum uerbum caro factum ori-

Als*potuit ginis ſuæ non poteſt carere natura, non*oportuit niſi in naturæ ſuæ origine permanere quod uerbũ eſt,neq; non uere intelligi uerbũ caro eſſe quod factũ eſt,ita tamen ut qui habitauit in nobis,non caro illa uerbũ ſit, ſed uerbi caro ſit habitantis in carne. Quæ cum ita ſint, tamen uideamus an peractus uniuerſus ille paſſionis ordo infirmitatem in domino corporalis doloris

ris permittat intelligi. Dilatis enim ad modicum eorum dictorũ cauſis, ex quibus metum domino hæreſis aſcribit, res ipſas ut geſtæ ſunt cõferamus. Neq; enim fieri poteſt, ut timor eius ſignificetur in uerbis, cuius fiducia con tineatur in factis. Timuiſſe ô hæretice dominus gloriæ paſſionem uidetur, ſed ei ob ignorantiæ huius errorem, & ſatanas Petrus & ſcandalũ eſt, & ille quidem per charitatẽ Chriſti quem ei non caro neq; ſanguis, ſed pater qui in cœlis eſt reuelauerat, deteſtatus paſſionis ſacramentũ, tali ſeueritatis ſen/ tententia cõfirmatus ad fidem eſt. Tu uero quid ſectaberis ſpei, Chriſtum deum negando, & metũ ei paſſionis addendo? An ne metuit qui armatis ad corripiendũ ſe obuius prodijt? & in corpore eius infirmitas fuit, ad cuius occurſum cõſternata perſequentiũ agmina conciderunt, & maieſtatem in/ gerentis ſe ad uincula nõ ferentes ſupinatis corporibus reciderunt? Quam igitur infirmitatem dominatam huius corporis credis, cuius tantã habuit natura uirtutẽ? Sed fortè dolorẽ uulnerum timuit. Quem rogo penetran/ tis in carnẽ claui habuit terrorẽ, qui exciſę auris carnẽ ſolo reſtituit attactu? Expone nobis tu dominicæ infirmitatis aſſertor, hoc ipſo paſſionis tempo re, infirmatę opus carnis. Exerente enim Petro atq; adigẽte gladiũ, truncus aure ſeruus ſacerdotis aſtabat. Quo modo ex deciſæ auris uulnere contin/ gente Chriſto reſtituta caro auris eſt? Vnde inter fluentẽ ſanguinẽ & poſt ipſa deſcendentis gladij ueſtigia, & in ipſa truncati corporis calumnia, exijt quod nõ eſt, & ſequitur quod nõ extat, & rependitur quo caretur? Produ/ cens ergo hęc aurẽ manus, clauum dolet? & ſentit ſibi uulnus, qui alteri do/ lorem uulneris non relinquit? Compungendæ carnis metu triſtis eſt, cuius attactui licet carnem donare poſt cædem? Quòd ſi hęc in Chriſti corpore uirtus fuit, qua rogo fide naturaliter infirmus fuiſſe defenditur, cui natura/ le fuit omnem humanarum infirmitatũ inhibere naturam? Sed fortè ſtul/ ta atq; impia peruerſitate hinc infirmis in eo naturæ præſumitur aſſertio, quia triſtis ſit anima eius uſq; ad mortem. Nondum te hæretice cur uirtu/ tem dicti non intelligas arguo. Interim tamen à te requiro, cur exeunte ad proditionem Iuda non memineris dictum fuiſſe: Nunc honorificatus eſt filius hominis. Si enim paſſio honorificatura eum erat, quo modo triſtem eum metum paſſionis effecerat, niſi fortè tam irrationabilis fuerit, ut pati ti muerit quæ ſe eſſent glorificatura patiẽtem? Sed fortè timuiſſe uſq; eò exi/ ſtimabitur, ut transferri à ſe calicem deprecatus ſit dicens: Abba pater, om/ nia poſſibilia tibi ſunt, transfer hunc calicem à me. Vt de cæteris nõ calum/ nier, nónne hebetudinem impietatis tuæ uel hinc coarguiſſes, quia legeras: Reconde gladium tuum in theca, calicem quem dedit mihi pater non bi/ bam? Quo modo enim per patiendi metum transferri à ſe deprecaretur, quod per diſpenſationis ſtudium feſtinaret impleri? Non enim conuenit ut pati nolit quod pati uelit. Et cum pati eum uelle cognoſceres, religioſius

Als*ignorantiam, ſuſpicor fuiſſe ſcriptũ imintelligẽtiã

fuerat dicti*intelligentiam confiteri, quàm ad impiæ ſtultitię furorem prorumpere, ut eum aſſereres ne pateretur oraſſe, quẽ pati uelle cognoſceres. Sed credo te ad impietatis tuæ pugnam etiam hoc dicto dominicæ uocis armabis: Deus deus meus, quare me dereliquiſti? Poſt cõtumeliam enim crucis fortè dignationem ab eo paterni auxilij exiſtimes receſſiſſe, & hinc deſolatæ infirmitatis ſuæ querelam extitiſſe. Si tibi itaq; in Chriſto cõtemptus & infirmitas & crux contumelia eſt, oportuerat te dicti huius immemorem nõ fuiſſe: Verum dico uobis, amodo uidebitis filiũ hominis ſedentem à dextris uirtutis, & uenientem cum nubibus cœli. Vbi rogo in paſſione timor? ubi infirmitas? ubi dolor? ubi contumelia? Timere ab impijs dicitur, ſed ipſe pati uelle ſe prædicat. Infirmus eſſe cõtenditur, ſed ſe potentem dum conſternatis perſequutoribus obuius non ſuſtinetur, oſtendit. Dolere uulnera carnis arguitur, ſed in eo quod carnem auris reddit ex uulnere: caro ipſe cum ſit, extra carnalem tamen naturã dolendi uulneris reperitur, quia dum & manu truncam aurem attingit, manus illa de corpore eſt: & dum manus aurem producit ex uulnere, nõ eſſe manus illa corporis ſignificatur infirmis, ſed cõtumelioſa ei eſſe crux dicitur. Atqui per hanc hominis filius ſedere à dextris uirtutis uidendus eſt, & ex partu uirginis homo natus in maieſtate ſua cum cœli nubibus reuerſurus. Non tenes irreligioſe rerum naturalium cauſas, & dum impietatis atq; erroris ſpiritu plenus ſacramentum fidei nõ intelligis, ex ipſo ſeculi ſenſu hæretica hebetudine* diſproficis. Omne enim quod timetur, uitari neceſſe eſt dum timetur: & quod infirmũ eſt, ſumit ex infirmitate terrorem: & quicquid dolet, dolendi in ſe habet indemutabilem naturam: & quicquid cõtumelioſum eſt, ſemper inhonorum eſt. Tu uero quo ſenſu rationis intelligis dominum Ieſum Chriſtum ad quod feſtinat timere? Et conſternantem fortes infirmitate trepidare? & uulnera non permittentem doleri, uulneratum dolere? & contumelia crucis dehoneſtari, cui crux conſcenſus ad deum eſt, & reditus ad regnum? Sed fortè uel hoc tibi relictum occaſionis impiæ arbitraris, ut deſcenſionem ad inferos, & ipſam mortis timuerit neceſſitatẽ, dum id ipſum teſtari uidetur hoc dicto: Pater cõmendo in manus tuas ſpiritũ meum. Hoc legens & nõ intelligens, aut pie tacuiſſes, aut etiam religioſe intelligentiam eius oraſſes, non magis per impudentem aſſertionem ſtulto furore ueritatis incapax uagareris. An ne tibi metuere infernũ chaos & torrentes flammas, & omnem pœnarum ultricium abyſſum credendus eſt dicens latroni in cruce: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo? Naturæ huius poteſtatem iam non dico metus, ſed nec infernæ ſedis regio eſt concludens, quæ deſcendens ad inferos, à paradiſo nõ deſit, ſic ut & hominis filius loquens in terris, maneat & in cœlo martyri ſuo paradiſum promittẽs, & conſummatæ beatitudinis delicias pollicens, nõ habet hunc metus corporalis

Infirmis dicit aliquoties, ut imbecillis

Vtitur & als eo uerbo pro degenerare

penetrãtem

penetrantem quidem inferos, ſed ubiq; naturæ ſuæ uirtute diſtentum. Et naturam hãc mundi dominã ac libertate ſpiritalis uirtutis immenſam non ſibi terrore mortis gehennæ chaos uendicat, qua paradiſi delitiæ carere nõ poſſunt? Futurus enim in inferis dominus, & in paradiſo eſt futurus. Deſeca ad metum pœnæ naturæ indeſecabilis portionem, & de Chriſto apud inferos pone quod doleat, & in paradiſo relinquo quod regnet. Latro em̃ rogat ut ſui in regno ſuo meminerit. Et credo eum ad hanc beatæ confeſſionis fidem auditus tranſeũte palmas clauo gemitus accendit, & regnũ Chriſti per dolorem infirmitatis in Chriſti corpore didicit. Ille dignationem reminiſcentis in regno poſtulat, tu crucis mortem ad metum deputas? Dominus cõmunionem ei paradiſi mox pollicetur, tu Chriſtum in inferis ſub pœnali terrore cõcludis? Diuerſæ ſpei fides iſta eſt. Paradiſum meruit ſub cruce latro pendentem Chriſtum confeſſus in regno. In pœnæ ergo dolore & metu mortis Chriſtum deputans, & paradiſo neceſſe eſt ſit cariturus & regno. Collatis ergo dictorum atq; geſtorum uirtutibus demonſtratis, non ambiguum eſt, in natura eius corporis infirmitatem* naturæ corporeę non fuiſſe,, cui in uirtute naturæ fuerit omnem infirmitatem corporum depellere, & paſſionem illam illata licet corpori ſit, non tamen naturam dolendi corpori intuliſſe, quia cuius forma corporis noſtri eſſet in domino, non tamen uitioſæ infirmitatis noſtræ forma eſſet in corpore, qui non eſſet in origine, quod ex conceptu ſpiritus ſancti uirgo progenuit, quod licet ſexus ſui officio genuerit, nõ tamen terrenæ conceptionis ſuſcepit elementis. Genuit etenim ex ſe corpus, ſed quod conceptum eſſet ex ſpiritu, habens quidem in ſe ſui corporis ueritatem, ſed nõ habens naturæ infirmitatem, dum & corpus illud corporis ueritas eſt quod generatur ex uirgine, & extra corporis noſtri infirmitatem eſt quod ſpiritalis cõceptionis ſumpſit exordiũ. Sed niti aduerſus* apoſtolicæ fidei demonſtrationẽ hæretici uidentur hoc dicto: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortẽ, ut profeſſio eius qui ſe triſtem ait, naturæ infirmitatem, per cuius cõſcientiam triſtis cœperit eſſe, teſtetur. Ac primum humanæ intelligentiæ ſenſum interrogo, quid ſit triſtem eſſe uſq; ad mortem. Non enim eiuſdem ſignificationis eſt, triſtem eſſe propter mortem, & triſtem eſſe uſq; ad mortem. Quia ubi propter mortem triſtitia eſt, illic ipſa mors cauſa triſtitiæ eſt. Vbi uero triſtitia uſq; ad mortem eſt, mors iam nõ triſtitiæ eſt cauſa, ſed finis. Qui ergo nõ propter mortem, ſed uſq; ad mortem triſtis eſt, quærendũ eſt unde ſit triſtis. Triſtis autem non incerto neq; indefinito humanæ ignorantię tempore, ſed uſq; ad mortem. A deo autem non propter mortem ſuſcepta triſtitia eſt, ut ſit deſtituta per mortẽ: & ut cauſam triſtitiæ intelligere poſſimus, uideamus quid hanc profeſſionem triſtitiæ uel præceſſerit uel conſequatur. Totius enim paſſionis & fidei myſterium cõſummatum paſchæ cœna fuerat per dominũ, poſtq;

uniuerſo

In uetuſto codice quidam mutarat, patrem noſtræ naturæ corporeæ, quod & aliâs fecit

Alis euangelicæ*

uniuerſorum in ſe ſcandalum docet, ſed præceſſurum ſe eos in Galilæam promittit. Petrus cæteris licet ſcandalizandis, ſe tamen nō ſcandalizandum conſtanti fide ſpopondit. Sed dominus per naturam dei non ignarus gerendorum, ter eum negaturum eſſe reſpondit, ut cæterorum ſcandalum intelligeretur ex Petro, cum ille in tam graue fidei periculum ter negando recideret. Tūc ille aſſumptis Petro, Iacobo & Ioanne duobus ad martyrium electis, & Ioanne in prædicatione euangelij firmando, triſtē ſe uſq; ad mortem profeſſus eſt, deinde progreſſus orauit dicens: Pater meus, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, ſed non tamen ſicut ego uolo, ſed ſicut tu uis. Tranſire à ſe calicem rogat, utiq; iam ſecum manentem, qui tum in ſanguine noui teſtamenti pro multorum peccatis effundendus conſummabatur. Non autem rogat ne ſecum ſit, ſed ut à ſe tranſeat. Deinde rogat ne uoluntas ſua fiat, & quod uult effici, id ipſum concedi ſibi non uult, ait enim: Sed tamen nō ſicut ego uolo, ſed ſicut tu uis. Vt uolūtate calicis deprecandi humanæ in ſe ſolicitudinis ſignificans cōſortium, ſententiā à ſe unitæ ſibi communisq; cum patre nō diſcerneret uoluntatis. Vt autem nō pro ſe precari intelligeretur, & ratio ſignificatæ uolūtatis, ac deprecatio nō obtinendæ eſſet in abſoluto, hoc totum huiuſmodi petitionis ſuæ cœpit exordijs: Pater meus, ſi poſſibile eſt. Aliquid ergo patri relinquitur, quod ei an poſſibile eſt, incertum ſit? Et ſi nihil patri impoſſibile eſt, intelligendum eſt ad cuius cōditionem id quod ſibi impoſſibile eſt, ſit relictum. Poſt huius enim orationis precem ſequitur: Et uenit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Non potuiſtis una hora uigilare mecum? Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. An ne adhuc triſtitię cauſa & tranſeundi calicis deprecatio in obſcuro eſt? Vigilari enim ſecum ob hoc iubet & orari, ne in tentationem intrent, ſpiritu quidem prompto, ſed infirma carne. Nam qui nō ſcandalizandos ſe per conſtantiam fidelis cōſcientiæ pollicebantur, in ſcandalo per infirmitatem carnis erant futuri. Non ergo ſibi triſtis eſt, neq; ſibi orat, ſed illis quos monet orare peruigiles, ne in eos calix paſſionis incumbat, quem à ſe tranſire orat, ne in his ſcilicet maneat. Idcirco autē transferri eum ſi poſſibile eſſet, à ſe precatus eſt, quia cum impoſſibile deo nihil ſit, ſicut ipſe ait: Pater poſſibilia tibi omnia ſunt, impoſſibile tamē eſt homini, paſſionis terrore nō uinci, nec poſſit niſi per probationem fides noſci. Atq; ideo & pro hominibus ut homo uult calicē tranſire, ut & dei ex deo uoluntas effectui paternæ uolūtatis uniatur. Id autē quod ait, ſi poſſibile eſt tranſeat, manifeſte in eo docuit quod ait Petro: Ecce ſatanas expetiuit, ut uos cerneret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua. Per hunc enim calicem dominicæ paſſionis tentandi omnes erant. Etiam pro Petro pater rogatur, ne deficiat fides eius, ut negantis infirmitati uel dolor ſaltem

pœni-

pœnitentiæ non abeſſet,quia fides in eo nō deficeret,quod pœniteret. Triſtitia igitur uſq; ad mortem domino eſt,quia in morte motu terræ, diei tenebris,diſciſſione ueli,monumentorū reſeratione,mortuorum reſurrectione cōfirmanda iam apoſtolorū fides eſſet,quam & nocturnæ cuſtodiæ terror,& in flagellis,alapis,ſputis,corona ſpinea,crucis onere, & totius paſſionis ludibrium,& poſtremo maledictæ crucis damnatio cōmoueret. Sciens igitur dominus hęc omnia poſt paſſionem ſuam*deſtitura,ideo & uſq; ad mortem triſtis eſt,& ſcit hunc calicem tranſire nō poſſe,niſi biberet dicens: Pater meus,ſi nō poteſt calix iſte tranſire à me niſi bibam illum,fiat uoluntas tua. Conſummata in ſe ſcilicet paſſione metum calicis tranſiturum,qui niſi eum bibiſſet,tranſire nō poſſet. Finem terroris eius non niſi finito conſummatæ in ſe paſſionis terrore ſuccedere,quia poſt mortē eius per uirtutū gloriam apoſtolicæ infirmitatis ſcandalū pelleretur: & quanq; in eo quod ait,fiat uoluntas tua,in calicis,id eſt,paſſionis ſuæ ſcandalo apoſtolos permittens paternæ uoluntatis arbitrio,tamen etiam repetitæ tertio orationis prece uſus eſt,poſt quam ait:Dormite iam & requieſcite. Non enim extra rationis alicuius internæ cōſcientiam, qui antea eos dormiētes coarguiſſet, nunc dormire & requieſcere eos iubet. Sed intelligentiam nobis Lucas adhortationis iſtius tribuiſſe exiſtimatur,qui cum dixiſſet, ſatanam expetiſſe ut apoſtolos modo tritici cerneret,& dominum pro fide Petri ne deficeret, oratum fuiſſe,ſubiecit: Poſt multam domini precem,angelū adſtitiſſe confortantem eum,quo aſſiſtente orare prolixius cœperit,ita ut guttis ſanguinum corporis ſudor efflueret. Miſſo enim ad tuitionem apoſtolorum angelo,& per eum cōfortato domino,ne pro his triſtis eſſet, iam ſine triſtitiæ metu exiſtens ait:Dormite iam & requieſcite. De angelo quidem Matthæus & Marcus,& de expetitione zabuli nihil locuti ſunt, ſed poſt triſtitiam animæ,poſt dormientium obiurgationem,poſt transferendi calicis deprecationem nō ex nihilo dormientiū adhortatio ſubſecuta eſt,niſi quòd cum abfuturus ab his eſſet,& indulti angeli cōfortatus auxilio, ſecuritate cuſtodiæ cuſtodiendos permittebet in ſomnum. Nec ſanè ignorandum à nobis eſt,& in Græcis & in Latinis codicibus complurimis, uel de aduenīēte angelo,uel de ſudore ſanguinis nihil ſcriptum reperiri. Ambigentibus igitur, utrū hoc in libris uarijs aut deſit,aut ſuperfluū ſit, incertū hoc nobis relinquitur de diuerſitate librorū. Sed certe ſi quid ſibi ex hoc hæreſis blandi- *Chriſtus quō ab angelo confortatus*
tur,ut infirmū affirmet,cui opus fuerit angeli confortantis auxilio,memine rit creatorem angelorū creationis ſuæ nō egūiſſe præſidio, tum deinde neceſſario eo modo eum cōfortari,quo modo & triſtem eſſe. Nam qui nohis triſtis eſt,id eſt,propter nos triſtis eſt,neceſſe eſt ut propter nos ſit confortatus & nobis. Quia ergo qui de nobis triſtis eſt,& de nobis cōfortatus eſt, ea confortatus eſt conditione qua triſtis eſt. Sudorē uero nemo infirmitati

Als deſitura*

audebit

audebit deputare,quia dum & contra naturam eſt ſudare ſanguinem, nec infirmitas eſt,quod poteſtas non ſecundum naturæ conſuetudinem geſſit, neq; ad hæreſim infirmitatis pertinere ullo modo poterit,quod aduerſum hæreſim phantaſma mentientem,proficiat per ſudorem ſanguinis ad corporis ueritatem.Igitur cum & triſtitia de nobis eſt, & oratio pro nobis eſt, non poſſunt nō omnia propter nos geſta eſſe intelligi,cum omnia pro nobis,quibus timebatur,orata ſunt. Præſtant autem ſibi mutuam euangelia plenitudinem,dum alia ex aliis,quia omnia unius ſpiritus prædicatio ſit,intelliguntur. Hanc enim tacitam ab omnibus pro apoſtolis domini orationem Ioannes maxime ſpiritualium cauſarum prædicator oſtendit, dominum ita precatum eſſe dicens: Pater ſancte, conſerua eos in nomine tuo. Cum eſſem cum eis,ego cuſtodiebam eos in nomine tuo:quos dediſti mihi cuſtodiui. Non ſibi itaq; fuit oratio illa,ſed apoſtolis: nec ſibi triſtis eſt, qui orare eos ne tentētur monet:nec ſibi angelus mittitur,qui ſi uellet,duodecim milia legionum de cœlis deduceret: nec propter mortem anxiatus, ut à ſe transferatur calix,rogat,ſed à ſe tranſire calicē rogat, qui tamen tranſire non poſſet,niſi eum biberet. Tranſire autem non de loco eſt decedere, ſed omnino non extare,quod quidem ipſum & euangelicus & apoſtolicus ſermo ſignificat,cum dicitur:Cœlum & terra tranſibunt,uerba autem mea non præteribunt. Sed & Apoſtolus:Ecce uetera tranſierunt, & facta ſunt omnia noua.Sed & cum ait:Et figura huius mūdi tranſibit. Calix ergo de quo patrem rogat ut tranſeat,nō poteſt tranſire niſi bibatur: & quod orat dominus,utiq; pro his orat,quos cum his manens ipſe ſaluauit,quos & patri ſaluandos reliquit.Nunc uero ſacramentum mortis peracturus,patrem his cuſtodem precatur,& miſſi in eo angeli, ſi tamen ita eſt, non ambigua præſentia eſt,& obtentæ precis manifeſta ſecuritas eſt,cum eos cōſummata oratione adhortatur in ſomnum.Effectum autem impetratæ orationis, & adhortatæ dormitionis ſecuritatem iam in ipſo opere paſſionis Euangeliſta demonſtrat,cum apoſtolis omnibus de perſecutorum manibus elapſuris ait:Vt adimpleretur uerbum quod dixerat, quoniā quos dediſti mihi,perdidi ex eis neminem.Impletur enim per ſe orationis precatio, & ſalui omnes ſunt.Sed oratur pater,ut ſaluatos per ſe nūc in nomine ſuo ſaluet ipſe,& adeo ſaluat,ut Petri fides pœnitentia ſubſequente nō deficiat, licet territa.Demonſtrata itaq; & à Ioanne domini oratio,& à Luca zabuli poſtulatio,& ea quæ in Marco & in Matthæo triſtitia uſq; ad mortem eſt,& ſomni obiurgatio,& rurſum adhortatio,nihil ambiguitatis relinquūt, cum quando per precem à Ioanne,qua patri apoſtolos commendat, & triſtitiæ cauſa,& tranſeundi calicis deprecatio abſoluta ſit, nō à ſe paſſionem amoueri domino deprecante,ſed patrem ut apoſtolos ſe paſſuro tueatur orante,& per Lucā oſtenſa aduerſum zabulū prece, iam de fiducia uetiti antea

ſomni

somni secura permissio sit. Non est itaq; in ea natura quæ supra hominem est, humanæ trepidationis anxietas, & extra terreni est corporis mala, non terrenis inchoatum corpus elementis, & si filio hominis originem spiritus sanctus per sacramentũ conceptionis inuexit, nempe & altissimi uirtus uirtutem corpori, quod ex conceptione spiritus uirgo gignebat, admiscuit. Nam cum per transfusæ in corpus animæ consortium sensus animati corporis uiuat, & ipsum ad illatorum dolorem corpus anima corpori permixta uiuificet, quæ ubi cœlestis spei, ac fidei suæ beato calore, terrenæ in corpore suo originis despexit exordiũ, sui quoq; sensus ac spiritus corpus efficitur in dolore, ut pati se desinat sentire quod patitur. Et quid nobis de natura dominici corporis, & descendentis de cœlo filij hominis adhuc sermo sit? Ipsa terrena corpora timere ac dolere interdũ nesciunt, quòd & dolere necesse est, & timeri. Quæro enim an pastas ad fomenta exæstuandæ Babylonicæ fornacis flammas Israelitæ pueri timuerint, & utrum in illud nostræ conceptionis corpus metus tanti ignis incesserit. Quæro etiam an*circumaduri se flammis doluerint, sed fortè idcirco quia nõ usti sunt, nihil doleant, & tum abfuisse ignibus naturam urendi existimabitur. Certe hæc natura corporis erat, ut & uri se timeret, & posset uri. Quòd si per spiritum fidei terrena corpora, id est, secundum elementa causarum communium initiata, neq; uri potuerũt, nec timere, quæ ergo per fidem dei in homine contra naturam sunt, ea in deo homine secundum uirtutem spiritus ad naturæ originem inchoata, nõ sunt naturaliter æstimanda? Vincti pueri in medio ignis sunt: ignem non timent, dum incenduntur: flammas nõ sentiunt, dum orant: uri nõ possunt, dũ in ingne sunt. Naturam suam in his & ignis, & corpora amittit, nam neq; illa uruntur, neq; ille urit, & tamen in cæteris in natura sua est ignis & corpus. Nam circunstantes ardent, & pœnæ ministeria in pœna sunt. Non uis impie hæretice, ut transeunte palmas clauo Christus non doluerit, neque uulnus illud nullam acerbitatem teli compingentis intulerit. Interrogo quur pueri ignes non timuerint, nec doluerint, aut quid in eorum corporibus naturæ fuerit, ut naturam ignis excederet. Quòd si illi fidei calore, &*beati martyrij gloria timere nesciunt quæ timentur, Christus etiam si uitiorum nostrorũ origine esset conceptus, tamen per crucem mansurus deus, & mundum iudicaturus, & rex æternorum seculorum futurus, tristis metu crucis esset? & tantorum præmiorum immemor, turpis metus anxietate trepidaret? Daniel prophetę prandio alendus, leonũ lacum non timet, apostoli cædi se pro Christi nomine & pati gaudent, Paulo libatio sua corona iusticiæ est, desecanda colla sua percussoribus cũ hyminis martyres tendunt, & ædificatos sibi congerie lignorum ignes cum canticis scandunt, usque eò sensus fidei, perempto in corporibus naturalis infirmitatis metu, corpora ipsa ad sensum non sentiendi doloris emutat, ut per animæ

*Fort.*circundari*
*Als*circumamburi*

*Als*beata*

propositum firmitas corpori inuehatur, animatumq; corpus in id se tantum sentiat, in quod animæ studio commouetur, ut quod pati animus gloriæ cupiditate cõtemnit, id se pati corpus anima*negante nõ sentiant. Hæc si in hominibus naturalia sunt per animæ ad gloriam ardentis calorem, ut passiones suas nesciant, & uulnera ignorent, & mortes nõ intelligant: dominus ueræ gloriæ Iesus Christus, cuius in fimbria uirtus est, cuius sputus & sermo natura corporis est, dum & mancus iam non mancus manum iubetur extendere, & cæcus natus natiuitatis uitia non sentit, & truncus aure nõ truncus est, in ea infirmitate compuncti, ac dolentis corporis deputabitur, in qua gloriosos ac beatos uiros fidei suæ spiritus nõ reliquit? Passus igitur unigenitus deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates, sed passus uirtute naturæ suæ, ut & uirtute naturæ suæ natus est: neq; enim cum natus sit, non tenuit omnipotentiæ suæ in natiuitate naturam. Nam cum natus sit lege hominum, non tamen hominum lege conceptus est, habens in se & constitutionẽ humanæ conditionis in partu, & ipse extra constitutionem humanæ conditionis in origine, secundum quod ita ex infirmitate corporis nostri passus in corpore est, ut passiones corporis nostri, corporis sui uirtute susciperet, & huius fidei nostræ etiam sermo propheticus testis est, cum ait: Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet, & nos existimauimus eum in doloribus esse, & in plaga, & in uexatione. Ipse autem uulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra. Fallitur ergo humanæ existimationis opinio, putans hinc dolere quod patitur: portans enim peccata nostra, peccati nostri scilicet corpus assumens, tamen ipse non peccat. Missus namq; est in peccati carnis similitudine, portans quidẽ in carne peccata, sed nostra, & pro nobis dolens, non & doloris nostri dolet sensu, quia habitu ut homo repertus, habens in se doloris corpus, sed non habens naturam dolendi, dum & hominis habitus est, & origo non hominis est, nato eo de conceptione spiritus sancti. Hinc itaq; existimatus est & in doloribus, & in plaga, & in uexatione esse. Formam enim serui accepit, & natus ex uirgine homo, opinionẽ nobis naturalis sibi in passione doloris inuexit. Ipse autẽ uulneratus est, sed propter iniquitates nostras. Nam quamuis sit uulneratus, nõ tamen iniquitatis suę uulnus est, & quicquid patitur, non sibi patitur. Non enim sibi homo natus est, nec ex se iniquus est. Testatur Apostolus causam dispensationis istius, dicens: Orantes pro Christo, reconciliari deo, eum qui non cognouit peccatum, pro nobis peccatum fecit. Peccatum enim in carne per peccatũ condemnaturus, peccati licet expers, factus est ipse peccatũ, id est, per carnem peccatum in carne condemnans, carnis quidem peccati nescius, sed pro nobis caro factus, carnis similitudo peccati est. Et idcirco propter iniquitates nostras est uulneratus. Cæterum nescit in Christo Apostolus trepidationem

*Als*uegetante*

Caute lege

nem doloris,nam diſpenſationem hanc paſſionis loquuturus,in ſacramen
to eam diuinitatis prædicauit,dicens:Donans nobis omnia peccata,delens
quod aduerſum nos fuit chirographum in ſententijs,quod erat cõtrarium
nobis,tollens illud de medio,& affigẽs illud cruci,ſpolians ſe carne,& prin
cipatus & poteſtates traduxit cum fiducia, triumphans eos in ſemet ipſo.
Succumbere ergo tibi uidetur uirtus iſta uulneris clauo, & ad ictum com
pungentis exterrita demutaſſe ſe in naturã dolendi? Atqui Apoſtolus lo
quente in ſe Chriſto loquutus, & ſalutis noſtræ per dominũ opus memo
rans,mortem Chriſti ita ſignificat, ut carne ſe ſpoliet, & poteſtates cum fi
ducia dehoneſtet, & de his in ſemet ipſo triumphet. Si in paſſione ſua ne
ceſſitas eſt,& nõ ſalutis tuæ donum eſt:ſi in cruce dolor compungendi eſt,
& non decreti quod in timore eſt,ſcripta confictio eſt: ſi in timore uis mor
tis eſt,& non per poteſtatẽ dei carnis exuuię ſunt:ſi deniq; mors ipſa aliud
eſt quàm potentum dehoneſtatio,quàm fiducia,quàm triumphus, adſcri
be infirmitatem:ſi ibi neceſſitas eſt & natura: ſi ibi uis eſt, & diffidentia, &
dedecus: ſin autem hæc è contrario in ſacramento paſſionis prædicantur,
quis rogo furor eſt,repudiata doctrinæ apoſtolicæ fide, mutare ſenſum re
ligionis. & totum hoc ad imbecillitatem & contumeliam rapere naturæ,
quod & uoluntas eſt,& ſacramentum,quod & poteſtas eſt,& fiducia,& tri
umphus? Triumphus planè eſt quæri ad crucem,& offerentem ſe non ſu
ſtineri: ſtare ad ſententiam mortis,ſed inde confeſſurum à dextris uirtutis:
configi clauis,ſed pro perſequutoribus orare:acetum potare,ſed ſacramen
tum conſummare:deputari inter iniquos,ſed paradiſum donare: eleuari in
lignum,ſed terram tremere:pendere in cruce,ſed ſolem ac diem fugare:exi
re de corpore,ſed reuocare animas in corpora:ſepeliri mortuum, ſed reſur
gere:demum ſecundũ hominem pro nobis infirma omnia pati, ſed ſecun
dum deum in his omnibus triumphare.Reſtat nobis adhuc,ut hęreticis ui
detur,magna & grauis confeſſę infirmitatis profeſſio,& maxime ipſius do
mini uocibus ædita,cum ait:Deus deus meus,quare me dereliquiſti? Quæ
maxima querelæ eſſe intelligitur proteſtatio, derelictum ſe eſſe conqueri,
infirmitatiq; permiſſum. Verũ hæc impiæ intelligentiæ uiolenta præſum
ptio, quàm ſibi in omni dictorum dominicorũ genere compugnat, ut qui
ad mortem feſtinat, ut qui per eam honorificandus eſt, ut qui poſt eam à
dextris uirtutis ſeſſurus eſt,in his tot beatitudinum cauſis mori timuerit,&
ob id ad neceſſitatem moriendi deſertũ ſe à deo ſuo queratur,cum in beati
tudinibus illis eſſet mortem obeundo manſurus. Quin etiam ad irreligioſi
tatis huius tanquam ad præparatam ſibi uiam per id ingenia hæretica con
tendunt, quod aut defeciſſe omnino deum uerbũ in animam corporis uo
lunt,ut nõ idem fuerit Ieſus Chriſtus hominis filius, qui & dei filius: & aut
ex ſe defecerit deus uerbum, dum corpus officio animæ uiuificat, aut om

nino nec fuerit Christus homo natus, quia in eo dei uerbũ modo spiritus prophetalis habitauerit. Sed ridiculæ huius peruersitatis error in maiorem se impietatis extendit audaciam, ne Iesus anteq̃ ex Maria natus est, Christus sit, dum nõ qui erat, natus est, sed ad id tum primũ quod natus est, esse cœperit. Per quod etiam illud uitij adiungitur, ut deus uerbum tanquam pars aliqua uirtutum dei quodam se tractu continuationis extendens, hominem illum qui à Maria esse cœpit, habitauerit, & uirtutibus diuinæ operationis instruxerit, animæ tamen suæ motu naturaq́ uiuentem. Per hanc subtilem pestiferamq́ doctrinam deducuntur in uitium, ut aut deus uerbũ anima corporis per demutationem naturæ suę in naturam infirmitatis extiterit, & uerbũ dei esse defecerit, aut rursum per exteriorem nudamq́ naturam hominem illum sola uita animæ mouentis animatum, in quo uerbum dei, id est, quædam quasi potestas extensæ uocis habitauerit. Atq; ita omni modo impijssimæ intelligentiæ aditus pandatur, ut aut deus uerbum in animam defecerit, nec permanserit deus uerbum, aut omnino Christus ante partum Mariæ non fuerit, quia Iesus Christus animæ solum communis & corporis homo hoc habeat sui, quòd ut esset homo cœpit exordiũ, quẽ extrinsecus protensi sermonis potestas ad uirtutem operationũ confirmauerit, qui nunc à dei uerbo contracta rursum protensione desertus, clamet: Deus deus meus, quare me dereliquisti? Vel certe tum, cum in animam corporis à dei uerbi natura demutatus est, paterno in omnibus usus auxilio, nunc inops eius mortiq́ permissus, solitudinem suam conqueratur, relinquentemq́ se arguat, omniq́ modo exitiabile deceptæ fidei periculũ comparetur, si aut in deo uerbo significari existemetur naturæ infirmitas per querelam, aut omnino nec fuerit deus uerbum, dum Christo Iesu Mariæ solum partus exordium est. Sed inter has impias infirmasq́ sententias, ecclesiæ fides apostolicis imbuta doctrinis nouit in Christo natiuitatem, sed ignorat exordium. Scit dispensationẽ, sed nescit diuisionem. Non patitur Christum Iesum, ut Iesus ipse non sit Christus: nec filium hominis discernit à dei filio, ne filius dei fortè non & filius hominis intelligatur. Non assumit filium dei in filium hominis, neq; tripartita Christũ fide scindit, cuius desuper texta uestis inscissa est, ut Iesum Christum & in uerbum, & in animam, & in corpus incidat, neq; rursum deum uerbum in animam & in corpus absumat. Totum ei deus uerbum est, totum ei & homo Christus, retinens hoc in sacramento confessionis suæ unum, nec Christum aliud credere quàm Iesum, nec Iesum aliud prædicare quàm Christũ, & dei uerbum. Non ignoro autem in quantum humanæ intelligentiæ infirmitatem magnificentia mysterij cœlestis impediat, ut hæc nõ facile aut uerbis enunciare, aut* diuidere sensu, aut etiam complecti mente possimus. Sciens autem Apostolus arduum hoc terrenæ naturæ difficillimumq́ esse, rerum diui-

Als dijudicare*

narum

narum efficientiam iudicio noſtro tanquam ad intelligendum acriore, quàm ad efficiendum deo potiore concipere, illi legitimo ſibi ſecundum fidem filio, ſacrasq; literas ab infantia* ſumenti, ita ſcribit: Sicut hortatus ſum te ſuſtinere Epheſi cum irem in Macedoniam, ut præciperes quibuſdam, ne aliter docerent, neq; attenderent fabulis & genealogijs interminatis, quæ quæſtiones magis præſtant, quàm ædificationem dei, quæ eſt in fide. Vetat genealogiæ eloquia tractari, & fabulas interminatæ quæſtionis attingi. Aedificationem uero dei dicit in fide eſſe, ut humanæ uerecundiæ modum fideli omnipotentiæ dei religione concludat, neq; ſe infirmitas noſtra ad perſpicienda ea, quæ perſpiciendi naturam non habent, extendat. Quòd ſi contuentibus ſolis claritatem, uirtus intenti luminis obſtupeſcit, ut ſi quando cauſam radiantis luminis ſolertius acies curioſæ contemplationis inquirat, uſq; ad emortuum uidendi ſenſum oculorum natura reuocetur, accidatq; nitendo magis uidere, ne uideas: quid nobis in dei rebus & in ſole iuſtitiæ expectandum eſt? Nónne incumbet uolentibus ſuperſapere ſtultitia? Nónne ipſum illud acre intelligentiæ lumen ſtupor hebitis deſipientiæ occupabit? Non enim natura inferior cauſam naturæ potioris intelliget, nec ſubiacet humanæ conceptioni ratio cœleſtis. Nam intra conditionem infirmitatis erit, quicquid infirmi conſcientiæ ſubdetur. Excedit itaque humanam mentem dei poteſtas, ad quam ſi ſe infirmitas protendat, magis infirma reddetur, dum hoc ipſum quod obtinet, amittit potiore ad obtundendam eam rerum cœleſtium natura, quia omnem eius conſectantis ſe peruicaciam ipſe complexus eius maior infirmat. Vt igitur ſol ita uidendus eſt, ut poſſit uideri, tantusq; excipiendus lumine eſt, quantus admittitur, ne ſi plus uelimus ſpectare, minus quoq; quàm poſſumus conſequamur: ita & ratio cœleſtis in tantum intelligenda eſt, in quantum ſe permittit intelligi: in tantum expetenda eſt, inquantum apprehendendam ſe dedit, ne ſi contenti indulgentiæ moderatione nō ſimus, amittamus indulta. Eſt ergo in deo quod percipi poteſt: eſt planè, ſi modo quod poteſt, uelis. Sicut enim eſt in ſole quod uideas, ſi hoc uelis uidere quod poſſis: amittas autem quod potes uidere, dum quod non potes, niteris: ita & in rebus dei habes quod intelligas, ſi intelligere quod potes, uelis: cæterū ſi ultra quàm potes, ſperes, id quoq; quod potuiſti poſſe, non poteris. Nondum intemporalis natiuitatis illius ſacramentum mouebo, competentis loci eſt ille tractatus. Interim mihi aſſumptæ carnis myſterium in uerbis eſt, illos nunc arcanorum cœleſtium ſcrutatores conſulo, ut ſecundum naturam ſuam nati ex uirgine Chriſti ſacramentū loquantur. Vnde dicent uirgini conceptū? unde uirgini partum? quam hanc eſſe genitalium originum cauſam diſputabunt? Et quid intra ſeceſſus maternorū ſinuum coaluiſſe? corpus unde? homo unde? Iam uero poſt hæc, quid ſit deſcendiſſe de cœlis filium homi-

* Fort. *ſequenti

ὑπερφρονεῖν

nis in cœlo manentem? Non enim eiuſdem eſt, ſecundum corporales cauſas, deſcendere & manere, quorum alterum deſcenſionis tranſmutatio eſt, alterum manendi imperturbatio eſt. Vagit infans, ſed in cœlo eſt: puer creſcit, ſed plenitudinis deus permanet. Iam uero cum aſcendit ubi antea fuit, & deſcendit qui manet, quo intelligentiæ humanæ ſenſu continebitur? Dominus enim ait: Quid ſi uideritis filiũ hominis aſcendentem ubi antea fuit? Aſcendit filius hominis ubi antea fuit, & quis hoc ſenſus concipiet? Deſcendit de cœlo filius hominis, qui in cœlis eſt, & quæ hoc ratio præſtabit? Verbum caro factum eſt, quæ hoc uerba loquentur? Fit caro uerbum, id eſt, homo deus. Et qui homo eſt, in cœlis eſt: & qui deus, de cœlis eſt. Aſcendit deſcendens, ſed deſcendit non deſcendens. Eſt qui erat, & quod eſt, nõ erat. Currimus per cauſas, & ratione deficimur: rationem cernimus, & cauſas nõ intelligimus. Sed Chriſtum Ieſum ita intelligentes ſcimus, & magis putantes nos intelligere, neſcimus. Iam uero quantum eſt illud dictorum & geſtorum ſacramentum? flere Chriſtum, & per animi angorem lachrymas oculis effluere? Vnde eius animæ hæc uitia, ut fletum corpori triſtitiæ mœror eliciat? Et quæ rerum acerbitas, & intolerantia doloris, deſcendentem de cœlis filium hominis in lachrymas diſſoluit? Quid ſit deinde quod in eo fleuerit, deus ne uerbum, an corporis anima? Nam quamuis lachrymarum officiũ in corpore ſit, animæ tamen eas in miniſterio corporis quaſi quidam mœror exudat. Tum deinde quę ei ad flendum cauſa ſit? An ne impiam* parricidialemq; Hieruſalem nihil dignum tantorum prophetarũ & apoſtolorum cæde, & ipſius domini ſui morte paſſuram, debito lachrymarum honore proſequitur? & ut humanarum mortium deflentur calamitates, ita perditæ huius deſperatæq; gentis caſus doletur? Et quod hoc, rogo, flendi ſacramentum eſt? Anima quæ triſtis eſt, flet. Sed nunquid hæc prophetas miſit? Sed nunquid hæc totiens uoluit congregatos pullos eius pennarum integmento obumbare? Non cadit in uerbum domini mœror, neq; in ſpiritum lachrymæ, ſed neq; in animam conuenit aliquid ante corpus egiſſe. Et tamen uere Ieſum Chriſtum fleſſe non dubium eſt, pari quoque lachrymarum ueritate & Lazarus fletus eſt. Et quæro primum quid fleatur in Lazaro, non utiq; mors, quæ non uſque ad mortem eſt, ſed pro dei gloria eſt. Dominus enim ait: Infirmitas iſta non eſt uſque ad mortem, ſed pro gloria dei, ut honorificetur filius dei per eum. Mors ergo quæ glorificandi dei cauſa eſt, flendi triſtitiam non afferebat. Sed ne in eo quidem flendi neceſſitas exiſtebat, quòd Lazaro moriente abfuiſſet. Nam ipſe ait manifeſte: Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter uos, ut credatis quoniam non eram ibi. Abſentia itaque eius non habuit cauſam lachrymandi, quæ ad apoſtolorum fidem proficiebat, cum ægri mortem conſcientia diuinæ cognitionis abſens prænunciaſſet. Nulla ergo reſtat neceſſitas flendi, &

Als parricidamq;*

Quid fleuit Chriſtus in Lazaro

di,& tamen fletum eſt.Et tamen quæro, cui imputabitur fletus ille,deo, an animæ,an corpori? Sed corpus per ſe tantum non habet lachrymas, quas ad dolorem animæ mœrentis profundit. Longe autem minus eſt, ut deus fleuerit,qui glorificandus in Lazaro eſt.Non conuenit autem,ut anima de ſepulchro Lazarum uocet, & ad animæ innexæ corpori præceptum atque uirtutem in mortuum ſuum anima iam ex eo diſſoluta reuocetur. Dolet qui glorificandus eſt?Flet qui uiuificaturus eſt? Non eſt uiuificaturi, flere: nec glorificandi,dolere,& tamen uiuificat,qui & fleuit & doluit. Non inopiæ neceſſitate, uel dictorum ignoratione de multis pauca memorauimus, ſed ut abſolutam expoſitionem ratio nõ moroſa commendet. Gerit dominus atq; ait,quod cum conſcientia neſcitur, quod nec ignoratur, & ignorabile eſt,dum & ueritas in rebus eſt, & in uirtute ſacramentum eſt, ut etiam ex his quæ ait, manifeſte docebimus: Propter hoc me pater diligit, quòd ego pono animam meam,ut iterum accipiam eam.Nemo tollet eam à me, ſed ego pono eam à me. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo accipiendi eam,hoc mandatum accepi à patre meo.Animam ſuam ab ſe ponit,& quæro quis ponat.Chriſtum enim non ambigimus eſſe deũ uerbum, neq; rurſum filium hominis ex anima & corpore conſtitiſſe ignoramus,angelo ad Ioſeph confirmante: Surge & accipe puerum & matrem eius, & uade in terram Iſrael, defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri. Cuius hæc ergo anima eſt requiro,corporis ne,an dei? Si corporis, quid habet corpus poteſtatis, quod per animæ motum animatur in uitam? Deinde utrum mandati aliquid corpus acceperit, quod ſine anima hebes emortuumq; eſt?Si uero quiſquam putabit animam ſuam uerbum deum ponere ut rurſum reſumat,oſtendat uerbum deum mortuum,id eſt, ut ſine ſenſu atque uita mortui corporis modo maneret, quod iterum animam ſuam ad uiuendum, qua rurſum uiuificaretur, aſſumpſerit. Sed nec deo animam quiſquam rationis particeps deputabit, quanquam frequenter animam dei & ſabbata, & neomenias odiſſe ſcripta ſit, & etiam in quibuſdam complacere. Sed ex ea iſtud ſignificatione commemorari ſolitum eſt, qua & manus, & oculi, & digiti, & brachium, & cor in incorporali deo commemorantur.Nam cum ſpiritus,ſecundum domini dictum,carnem & oſſa non habeat, ei qui eſt, nec demutatur, nulla ad ſoliditatem ſui corporaliũ partium membra conueniunt, ſed ſimplex ac beata natura unũ totum quod eſt,omnia permanet.Non ergo deus corporalibus modis officio interioris animæ animatur ad uitam,ſed ipſe uita ſibi uiuit.Et quomodo ponet animam ſuam,uel poſitam reſumet,uel quę huius mandati ratio eſt?Deus ergo nec ponit ad mortẽ animam, nec reſumit ad uitam, ſed nec corpus mandatum ad reſumendũ habet, quia nec per ſe reſumit. Dictum enim de corporis ſui templo eſt:Soluite templum hoc, & poſt triduũ ſuſci-

Cui conuenit ponere & reſumere animã in Chriſto, an corpori, animæ, an deo

Quomodo anima deo tribuitur

tabo illud. Suſcitat ergo templum corporis ſui deus. Et quis ponit animam ut reſumat? Corpus enim nō per ſe reſumit, ſed per deum ſuſcitatur. Suſcitatur autem quod eſt mortuū, & nec ponit animam quod uiuit. Deus itaq; nec mortuus eſt, nec ſepultus, & tamē ab eo dictum eſt: Hæc enim mittens unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendū me fecit. Quod in corpus ſuum miſſum eſt, ad ſepeliendum eum factum eſt, & non idem eſt, ſe eſſe, ſuumq; eſſe: & nō unum eſt, ad ſepeliendum ſe fieri, & ungi ſuum corpus. Neq; conuenit corpus ſuum eſſe, ſeq; ſepeliri, ſed ſacramentum iſtud diuinæ intelligentiæ eſt, non ignorare deum, quem non neſcias hominem: non neſcire autem hominem, quem nō ignores deum: Ieſum Chriſtum nō diuidere, quia uerbū caro factum eſt: & ſepultū nō putare, quem reſuſcitatum eſſe intelligas: reſuſcitatū nō ambigere, quem negare nō audeas ſepultū. Sepultus enim eſt Ieſus Chriſtus, quia & mortuus eſt. Mortuus autē eſt, qui & moriturus locutus eſt: Deus deus meus, quare me dereliquiſti? Locutus autē hęc eſt, qui & dixerit: Amē dico tibi, quia hodie mecū eris in paradiſo. Paradiſum quoq; promittens, magna uoce proclamauerit: Pater in manus tuas cōmendo ſpiritum meum. Et hoc dicens expirauerit. Vos nunc uel tri partientes Chriſtum in uerbum, & animam, & corpus: uel totū Chriſtum deum uerbum, in ſolum cōmunis generis hominem contrahentes, hoc nobis magnum pietatis ſacramentum, quod in carne manifeſtum eſt reuelate quem tradiderit ſpiritum Chriſtus, & quis in manus patris commendauerit ſuum ſpiritum, & quis in paradiſo die eadem fuerit, & quis derelinqui ſe à deo queſtus ſit. Nam querela derelicti, morientis infirmitas eſt. Promiſſio autem paradiſi, uiuentis dei regnum eſt. Commendatio ſpiritus, commendantis confidentia eſt. Traditio ſpiritus, morientis exceſſio eſt. Quæro itaque, quis moritur? Nempe qui tradit ſpiritum. Deinde quis tradidit ſpiritum? Vtique qui tradidit, patri commendauit ſpiritum ſuum. Et ſi idem qui commendauit, tradens ſpiritum mortuus eſt, interrogo utrum corpus animam commendet,* an corpus animam? Nam ſpiritum frequenter ſignificari animam, non ambiguum eſt, uel ex hoc ipſo quod Ieſus moriturus tradidit ſpiritum. Si igitur quiſquam exiſtimandum putabit, commendari animam à corpore, à diſſoluendo uiuentem, à corrumpendo æternam, à reſuſcitando manentem: & non ambigitur quin idem commendauerit ſpiritum patri, qui & die eadem in paradiſo fuerit cum latrone. Et quæro an ſepulchro receptus in paradiſo manſerit, an uero in paradiſo manens, derelictum ſe à deo queſtus ſit. Vnus enim atque idem eſt dominus Ieſus Chriſtus, uerbum caro factum, ſe ipſum per hæc uniuerſa ſignificans, qui dum ad mortem derelinqui ſe ſignificat, homo eſt: dum uero homo eſt, in paradiſo deus regnet. Regnans porrò in paradiſo, patri commendat ſpiritum dei filius: cōmendatum uero patri ſpiritum, hominis filius

Deus neq; mortuus eſt, neq; ſepultus

Clamare ſe derelinqui, commendare ſpiritum, promittere paradiſum, tradere ſpiritum, eſſe in paradiſo, quomodo cōueniunt Chriſto ſecundum corpus atque animam &c.

Aß*an deus corporis

filius tradat ad mortem. Quid nunc de ſacramento facimus contumeliam? Habes conquerentem ad mortem relictum ſe eſſe, quia homo eſt: habes eum qui moritur, profitentem ſe in paradiſo regnare, quia deus eſt. Quur hoc nobis quod ad intelligentiam mortis ſuæ locutus eſt, ſolum ad impietatem retinemus, & id quod idem ad demonſtrationē immortalitatis ſuæ eſt profeſſus tacemus? Si eiuſdem uox hæc atq; ſermo eſt, ſe derelictū conquerentis, & ſe regnare profitentis, quàm fidem noſtram infidelitatis ratione diuidimus, ut non idem in tempore eodem ſit mortuus, qui & regnet, cum idem ipſe de ſe utrunq; teſtatus ſit, & commendans ſpiritum, & expirans? Quòd ſi idem commendans ſpiritum, atq; tradens, & regnans moritur, & mortuus regnat, habemus in ſacramento filij hominis & filij dei, & mori regnantem, & regnare morientem. Abſiſtat itaq; omnis irreligioſa & diuini ſacramenti incapax infidelitas, quæ neſcit Chriſtum non ſibi fleſſe, ſed nobis, ut aſſumpti hominis ueritatem ipſe quoq; affectus humanę conſuetudinis ſuſceptus proteſtaretur: quæ ignorat Chriſtum non ſibi mori, ſed uitæ noſtræ, ut per immortalis dei mortem, mortalium uita renouetur: quæ non intelligit querelam derelicti, & regnantis confidentiam, ut quod deus regnat, & quod ſe mori queritur, ſit intelligentia noſtra, & homo mortuus, & deus regnans. Non enim alius eſt moriens & regnans, neque alius eſt commendans ſpiritum & expirans, neq; alius eſt ſepultus & reſurgens, neq; non unus eſt deſcendens & aſcendens. Audi in hoc apoſtolicæ doctrinæ eruditam non carnis ſenſu, ſed dono ſpiritus fidem, cum Græcis ſapientiam, & Iudæis ſigna poſcentibus loquitur: Nos autem prædicamus Chriſtum Ieſum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem uocatis Iudæis atq; Græcis Chriſtū Ieſum dei uirtutem & dei ſapientiam. Nunquid diuiſus eſt Chriſtus, ut alius ſit Ieſus crucifixus, alius Chriſtus uirtus & ſapientia dei? Sed hoc & ſcandalum Iudæis, & ſtultitia gentibus eſt: nobis uero Chriſtus Ieſus dei uirtus, deiq; ſapientia, ſed ſapientia non mundo cognita, nec intellecta à prudentibus ſeculi. Et quàm non intellecta ſit, diſce, eodem beato Apoſtolo dicente: Sed loquimur dei ſapientiam, quæ in ſacramento abſconſa eſt, quam præfiniuit deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo ex principibus huius ſeculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. An ne Apoſtolus ignorat hanc dei ſapientiam in ſacramento eſſe abſconſam, & eſſe principibus ſeculi ignorabilem? An ne diuidit Chriſtū, ut alius ſit dominus maieſtatis, alius Ieſus crucifixus? Sed ſtultiſſimæ huic atque impiiſſimę opinioni contradicit, dicens: Non enim iudicaui quicquam ſcire in uobis, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum. Aliud Apoſtolus neſcit, neq; aliud ſe ſcire iudicat. Nos autem & infirmi ingenij, & infirmioris fidei, Chriſtum Ieſum ſcindimus, diuidimus, duplicamus, arbitrij myſteriorum

Cauſa quāre Chriſtus fleuit

Temeritas definiendi de Chriſto

riorum,& occulti ſacramenti calumniatores. Alius enim nobis eſt Chriſtus crucifixus,alius dei ſapientia,alius ſepultus, alius deſcendens: & alius filius hominis,& alius filius dei. Non intelligentes docemus, & neſcientes arguimus,& dicta dei homines emendamus, & non dignamur ſecundum Apoſtolum ita credere: Quis criminabitur electos dei? Deus eſt qui iuſtificat, Quis eſt qui condemnet? Chriſtus qui mortuus eſt, imò qui etiam reſurrexit, qui eſt in dextera dei, qui & poſtulat pro nobis. An ne alius pro nobis poſtulat,quàm qui in dextera dei eſt? Vel qui in dextera dei eſt,nõ ipſe eſt qui reſurrexit? Vel qui reſurrexit, non idem mortuus eſt? Vel qui mortuus eſt,non idem condemnat? Vel qui condemnat,non idem eſt qui iuſtificat deus? Separemus ergo ſcilicet à iuſtificante deo condemnantem Chriſtum,à condemnante Chriſto mortuum Chriſtum, à mortuo Chriſto Chriſtum in dextris ſedentem,orantemq; pro nobis. Si itaq; hæc omnia Chriſtus unus eſt, neq; alius eſt Chriſtus mortuus, alius ſepultus: aut alius deſcendens ad inferna, & alius aſcendens in cœlos, ſecundum illud Apoſtoli: Aſcendit autem quid eſt, niſi qui deſcendit in inferiora terræ? Qui deſcendit ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Quò uſq; impietatis noſtræ extendimus ſtultiloquam ignorationem, ut quod in ſacramento dei abſconſum eſt, id explicari à nobis poſſe profiteamur? Qui deſcendit,ipſe eſt qui & aſcendit. Nunquid ambigitur,quin Ieſus Chriſtus homo ex mortuis reſurgens, ſuper omnes cœlos aſcendẽs, ad dexteram dei ſit? Nunquid deſcendiſſe ad inferos corpus quod in ſepulchro iacuit,dicetur? Si itaq; qui deſcendit,ipſe & aſcendit,ut neque corpus deſcendiſſe ad inferos credatur,& reſurgens ex mortuis,corpus aſcendiſſe in cœlos non ambigatur, quæ hic præter occulti ſacramenti, & incogniti mundo ac principibus ſeculi fides relicta eſt,cum idem atq; unus ſit deſcendens & aſcendens? Vnus quoq; nobis Ieſus Chriſtus ſit, & dei filius & hominis filius,& uerbum deus & homo caro,& paſſus,& mortuus, & ſepultus,& reſurgens, & in cœlos receptus, & ſedens ad dexteram dei habẽs in ſe uno eodemq; per diſpenſationem atque naturam, in dei forma & in forma ſerui, ſine aliqua ſui & partitione quod homo eſt,& diuiſione quod deus eſt. Incautæ igitur atq; ignorantis opinionis noſtrę fidem Apoſtolus formans, ita confeſſionis huius ſacramentum locutus eſt: Nam & ſi crucifixus eſt ex infirmitate,ſed uiuit ex uirtute dei. Prædicans enim filium hominis dei filium, qui cum ex diſpenſatione homo eſſet, maneret tamen ex natura deus,eundem ex infirmitate crucifixum ait,qui ex uirtute dei uiueret. Vt cum infirmitas eſſet ex forma ſerui, & natura maneret ex forma dei,& qui cum eſſet in forma dei aſſumpſiſſet formam ſerui,nõ ambiguum eſſet,in quo ſacramento & paſſus eſſet & uiueret. Vt cum in eodem eſſet & infirmitas ad paſſionẽ, & ad uitam dei uirtus, nõ alius aut diuiſus à ſe eſſet

qui

qui & pateretur & uiueret. Passus quidem est unigenitus deus quæ homines pati possunt, sed utamur Apostoli fide atq; dicto: Tradidi enim uobis in primis, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit die tertia secundū scripturas. Non nudis usus est ad erroris occasionem dictorum definitionibus, sed mortis & resurrectionis modum nō tantum rerum nominibus quantū & scripturarum uirtutibus admonens confitendum, ut hæc nostra esset in eius morte intelligentia, quæ & esset in significatione scripturarū. Infirmas enim cogitationes, & scrupulosas fidei calumnias nō relinquens, finem hunc tantū secundū scripturas prædicandæ mortis & resurrectionis adiecit: Ne inaniū disputationum uento circumacti, uel fallacium quæstionū ineptis argutijs impediti infirmaremur. Sed in hunc se semper religionis suæ portum fides illæsa reuocaret, ut mortem & resurrectionem hominis filij & dei filij Iesu Christi secundum scripturas crederet & confiteretur pia aduersus calumniam resistendi securitate proposita, cū ita mori ac resurgere Christus Iesus intelligendus esset, qualiter scriptus est. Non enim habet fides periculum, & omnis pia professio in occulto sacramenti dei tuta est. Natus ex uirgine Christus est, sed secundum scripturas conceptus de spiritu sancto est. Fleuit Christus, sed secundum scripturas, ut in eo quod fleuit gratulatus sit. Et esuriuit Christus, sed secundum scripturas, sine cibo in non habentem fructus arborem deus operatus est. Passus Christus est, sed secundum scripturas, tūc à dextris uirtutis sessurus est. Derelinqui se ad mortem questus est, sed secundum scripturas, tunc confessorem suū secum in regno paradisi recepit. Mortuus est, sed secundum scripturas, resurgens à dextris domini dominus assidet. In huius igitur sacramenti fide uita est, calumniam confessio ista non recipit. Certe Apostolus nō relinquit ut ambigi dicíq; liceat: Christus natus, passus, mortuus, resurgens quo modo, qua uirtute, qua diuisione, quibus partibus, quis lachrymans est, quis gaudens, quis conquerens, quis descendens, quis ascendens. Sed fidei in hoc meritū, per cōfessionem incunctantis tantū religionis ostendens ait. Ex fide autem iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cœlum? hoc est Christum deducere: uel quis descendit in abyssum? hoc est Christū à mortuis reducere. Sed quid dicit scriptura? Iuxta est uerbum tuum in ore tuo & in corde tuo, hoc est uerbum fidei quod prædicamus. Quia si cōfessus fueris in ore tuo, quia dominus est Iesus, & credideris in corde tuo quia deus illū suscitauit à mortuis, saluus eris. Iustum fides consummat, secundum quod dictum est: Credidit Abraham deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Nunquid Abraham calumniatus est deo, cum ei hæreditatem gentium, & secundum stellarum & arenæ multitudinē, mansuræ ex se sobolis numerositatem pollicebatur? De omnipotentia enim dei fides religiosa non ambigens, humanæ infirmitatis

Fides non habet periculū, quia omnia intelligenda qualiter sunt scripta

Notēt curiosi inquisitores

tatis nō eſt detenta naturis,ſed in ſe id quod erat caducum terrenumq; deſpiciens,diuinæ ſponſionis fidem ultra modum corporeæ cōſtitutionis excepit, quia nequaq̄ dei uirtutes lex poſſet humana moderari,tantum in efficiendo libertatis deo promente,quantū in ſpondendo oſtenderet uoluntatis.Nihil igitur fide iuſtius eſt,quia cum æquitas atq; moderatio terrenorum actuum ſit probabilis,nihil tamen iuſtius homini ſit, quàm omnipotentiam dei indefinitæ poteſtatis intelligentia credidiſſe.Hanc itaq; in nobis quæ ex fide eſt iuſtitiam Apoſtolus expectans,incertæ atq; infidæ ambiguitatis irreligioſitatem remouit, uetans curam ſolicitæ in cor cogitationis admitti,dicti etiam prophetici ratione monſtrata,ait enim : Ne dixeris in corde tuo,quis aſcendit in cœlum . Hæc à propheta dicta ſubiectæ ſententiæ abſolutione proſequitur dicens : Hoc eſt Chriſtum deducere. Non enim ſe in cœleſtē ſcientiā humanæ mentis ſenſus extendit, ſed neq; de diuinis operibus religioſa fides ambigit.Non eguit Chriſtus humanæ uirtutis auxilio,ut ex illa beatitudinis ſuæ ſede deſcendēs,cuiuſquam è cœlo ope deduceretur in corpus . Non exterior poteſtas eum egit ad terras, credendus eſt ueniſſe qualis & uenit.Et uera pietas eſt Chriſtum non deductum, ſed deſcendentem confiteri. Sacramentū ſuum eſt & in tempore & in opere.Neq; quia modo uenit,deductus per alterū eſſe credendus eſt,nec temporalis eius aduentus poteſtati deducentis ſubditus intelligendus eſt, ſed ne alterius quidem ambiguitatis infidelitas ſinitur. Nam cōtinuo ex dicto prophetico ſubditur : Vel quis deſcendit in abyſſum ? Ac mox dicti ratio ſubiecta eſt:Hoc eſt Chriſtū à mortuis reducere.Libertas redeundi in cœlum,ex deſcendendi in terrā libertate eſt. Ambigendi autē ſublata cunctatio eſt,ſapientia in fide eſt, ratio in uirtute eſt,effectus in rebus eſt, cauſa in poteſtate eſt.Sed non nutante ad id opus eſt conſcientia.Apoſtolus enim totum ſcripturæ myſterium exequens ait: Iuxta eſt uerbū tuum in ore tuo & in corde tuo.Non tardo opus eſt petitoq; longe uerbo confeſſionis,nec interuallo aliquo inter cor atq; os relicto, ut quod ad proteſtationem religionis loquendum ſit, per infidelem ambiguitatem cogitetur, ſed & iuxta nos eſſe oportet,& in nobis, ne aliqua inter religionem cordis atq; oris mora,fides fortè noſtra nō ita in ſenſu ſit,ut in uerbis, ſed connexa ori atq; cordi incunctantem habeat & ſentiendi & loquendi religionem,& huius quidem dicti prophetici,ut in cæteris,rationē Apoſtolus ſubiecit:Hoc eſt uerbum fidei quod prædicamus,quia ſi confeſſus fueris in ore tuo quia dominus eſt Ieſus, & credideris in ore & corde tuo, quia deus illum ſuſcitauit à mortuis,ſaluus eris.Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.Pietas eſt nō ambigere,& iuſtitia eſt credere, & ſalus eſt confiteri. Non in incerta diffluere, neq; ad ſtultiloquia efferuere, neq; ratione aliqua uirtutes dei uentilare, neq; modo circunſcribere poteſtatem, neque cauſas

Intellectus Apoſtoli, Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendit in cœlum

cauſas ininueſtigabilium ſacramentorum retractare, dominum Ieſum confiteri, & à deo ſuſcitatum à mortuis credere ſalus eſt. Quæ uero inſania eſt, qualis & cuiuſcemodi ſit Ieſum calumniari, cũ ſalus ſola ſit, hoc ſolum ſcire quòd dominus ſit? Tum porrò qui humanæ inanitatis error eſt, de reſurrectione eius lites mouere, cum ſufficiat ad uitam, quòd à deo ſuſcitatus ſit credidiſſe? In ſimplicitate itaq; fides eſt, in fide iuſtitia eſt, in cõfeſſione pietas eſt. Non per difficiles nos deus ad beatam uitam quæſtiones uocat, nec multiplici eloquentis facundię genere ſolicitat. In abſoluto nobis ac facili eſt æternitas, Ieſum ſuſcitatum à mortuis per deum credere, & ipſum eſſe dominum confiteri. Nemo itaq; ea quæ ob ignorationem noſtram dicta ſunt, ad occaſionem irreligioſitatis uſurpet. Cognoſcendus enim Ieſus Chriſtus mortuus erat ut in eo uiueremus. Si itaq; ad intelligentiam mortis ſuæ ait: Deus deus meus, quare me dereliquiſti. &: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, nunquid confeſſioni noſtræ conſulens, infirmum ſe eſſe potius confeſſus eſt, quàm nos ambiguos non reliquit? Excitaturus namq; Lazarum orat ad patrem, nunquid prece eguit, dicens: Pater, gratias ago tibi quia exaudiſti me? & ego ſciebam quia ſemper me exaudis, ſed propter turbam dixi, ut credant, quia tu me miſiſti. Nobis itaq; orauit, ne filius ignoraretur: & cum ſibi nõ proficeret deprecationis ſermo, ad profectum tamen noſtræ fidei loquebatur. Non inops ergo tum auxilij eſt, ſed nos ſumus inopes doctrinæ. Clarificari ſe quoque deprecatur, ac mox de cœlo uox dei patris clarificantis auditur. Sed ad auditæ uocis admirationem ait: Non propter me uox hæc uenit, ſed propter uos. Nobis pater rogatur, nobis pater loquitur. Totum ad effectum ſit noſtræ confeſſionis. Et cum clarificationis reſponſio non obſecrationi claritatis ſit impenſa, ſed ignorationi audientium, quomodo querela paſſionis in ſumma exultatione patiendi nõ confeſſionis noſtræ eruditioni præſtita intelligetur? Chriſtus pro perſequentibus rogat, quia quod agunt neſciũt. Chriſtus de cruce paradiſum promittit, quia deus regnat. Chriſtus in cruce cõſummaſſe ſe omnia aceti poculo gratulatur, quia moriturus prophetiam impleuerit. Nobis natus eſt, nobis paſſus eſt, nobis mortuus eſt, nobis reſurrexit. Et cum nobis hæc ſola ſit proprietas ad ſalutem, ut dei filiũ confiteamur ex mortuis, cur rogo in hac irreligioſitate moramur? ut cum Chriſtus intra fiduciam diuinitatis ſuæ manens, mori ſe per ſignificationem aſſumpti hominis, cum ſecuritate morientis oſtenderit, hoc maxime ad abnegandũ eum deum proficiat, quod ſe nobis filius dei & hominis filium eſt profeſſus & mortuum?

Non per difficiles quæſtiones nos deus ad uitã uocat

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER VNDECIMVS



Otum atq; abſolutum fidei Euangelicę ſacramentum multifarie Apoſtolus tractans, hæc quoq; inter cætera diuinæ cognitionis præcepta ad Epheſios eſt locutus: Sicut & uos uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ, unus dominus, una fides, unum baptiſma, unus deus & pater omnium qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Non enim ambiguis nos & erraticis indefinitæ doctrinæ ſtudijs dereliquit, uel incertis opinionibus ingenia humana permiſit, ſtatutis per ſe & oppoſitis obicibus in libertatem intelligentiæ uoluntatiſq; concludens, ut ſapere nō niſi ad id tantum quod prædicatum à ſe fuerat, nos ſineret, cum per definitam fidei indemutabilis conſtitutionem credi aliter atq; aliter non liceret. Vnum itaq; nobis dominum prædicās, unam fidem memorat. Deinde unius domini unam fidem memorans, unum etiam baptiſma demonſtrat, ut cum unius domini una fides eſſet, unius* per hoc fidei in domino unum eſſet & baptiſma. Et quia ſacramentum omne & baptiſmi & fidei ut in uno domino, ita & in deo uno eſt, conſummationem ſpei noſtrę unius dei profeſſione concluſit, ut & unū baptima & fides una ſicut unius domini, ita & dei eſſet unius. Vnus enim uterq; eſt non unione, ſed proprietate, dum & unius cuiuſq; proprium eſt, ut unus ſit, uel patri eſſe quod pater eſt, uel filio eſſe quod filius eſt, & id quod uterq; in proprietate ſua unus eſt, ſacramentum unitatis ad utrunq; eſt, quia & unus dominus Chriſtus deo patri non poteſt auferre quod dominus eſt, & unus deus pater uni domino Chriſto non intelligitur negare quod deus eſt, cum ſi per id quod deus unus eſt, non & Chriſto proprium eſſe uidetur ut deus ſit, neceſſe eſt per id quod unus dominus Chriſtus eſt, non & deo patri demptū eſſe intelligatur ut dominus ſit, ſed id quod unus eſt, non ſacramenti ſit ſignificatio ſed unionis exceptio. Vnius itaq; domini ſicut unius dei patris & unum baptiſma & fides una eſt. Fides autē una iam non eſt, ſi non unum dominum & unum deum patrem in conſcientiæ profeſſione retinebit. Vnum uero dominum & unum deum patrem quo modo fides quæ nō una eſt confitetur? Vna autē in tanta prædicationum diuerſitate iam nō erit, ſi alius dominū Ieſum Chriſtū penetrante palmas clauo, infirmitatis noſtræ credit dolore gemuiſſe, & egentē naturæ ſuæ poteſtatiſq; uirtute, imminentis iam ſibi mortis timuiſſe terrorem, ſi etiam id quod principale eſt, natum negabit, & creatum potius prædicabit, ſi deum dicet magis quàm intelliget, quia &* duos dici irreligſum eſt, & deum non intelligi

Alß* porro

Alß* deos

intelligi, diuinæ naturæ conſcientia eſt. Iam ergo non unus eſt dominus Chriſtus, ſi aliud deus non dolet, ſi aliud infirmus timet. Alij ſit ex natura, alij ex cognomine deus, & alij ex generatione, & alij ex appellatione ſit filius, & per id neq; deus pater unus in fide eſt, ſi alijs poteſtate, alijs generatione pater creditur, quia & uniuerſorũ pater deus ſit. Iam porrò quis ambiget, extra fidem eſſe quicquid extra fidem unam eſt? Quia in fide una & unus dominus Chriſtus, & deus pater unus ſit. Vnus autẽ dominus Chriſtus nõ nomine, ſed fide unus eſt, tuncq; dominus & deus ſemper & filius ſit, ſi deus ſit, ſi indemutabilis ſit, ſi non aliquando defuerit uel deus eſſe uel filius. Qui igitur Chriſtum aliter quàm eſt prædicabit, idem nec filium nec deum eſſe alium Chriſtum prædicabit. Sed nec unius baptiſmi fides una eſt, quia ſecundum Apoſtolicam doctrinam eius unius baptiſmi fides una eſt, cuius unus dominus, & dei ſit filius Chriſtus, & deus ſit. Non enim negari iam Chriſtus quin Chriſtus ſit poteſt, neq; mundo ignorabilis effici. Hunc prophetiæ uolumina conſignant, hunc temporum quotidie proficiens plenitudo teſtatur, hunc Apoſtolorum & martyrum per uirtutum operationes loquuntur ſepulchra, hunc poteſtas nominis ſui probat, hunc immundi ſpiritus profitentur, hunc punitorum dæmonũ reſonant mugitus. Sed in his omnibus, uirtutis ſuæ diſpenſatio eſt. Cęterum fide noſtra, talis qualis eſt prædicandus eſt, ut non nomine, ſed confeſſione in unius baptiſmi fide una unus nobis dominus ſit, quia ſecundũ unum dominum Chriſtum unus deus pater eſt. Sed nunc hi noui Chriſti prædicatores cuncta negando quæ Chriſti ſunt, alium dominum Chriſtum, ſicuti alium deum patrẽ prædicant, quia neq; hic genuerit, ſed creauerit, neq; ille natus ſit, ſed creatus ſit. Et per id extra ueritatẽ deus Chriſtus ſit, cui nõ ſit ex natiuitate quod deus eſt, & extra fidei cõſcientiam deus pater ſit, cui nõ ſit in generatione quod pater eſt. Laudantes quidẽ merito, ita ut dignũ eſt, deũ patrem, naturę ſcilicet eum eſſe inacceſſæ, inconſpicabilis, inuiolabilis, inenarrabilis, infinitæ, prouidæ, potentis, benignę, mobilis, tranſcurrentis, manentis intra extraq;, & omnia in omnibus* ſentientis. Sed cũ adijciunt ad ſupereminentiam laudis, ſolum bonum, ſolum potentem, ſolum immortalem, quis non hãc religionẽ laudationis intelligat eò tendere, ut dominus Ieſus Chriſtus extra hanc corporationis beatitudinẽ, quę ſoli deo per exceptionem ſolius deferatur ad honorẽ manens, ipſe & mortalis & infirmus & malus ſit, dum in his pater ſolus eſt? Et ei idcirco naturalis ex deo patre natiuitas abnegatur, ne per generationẽ ea quæ in eo naturalis deo patre beatitudo eſt maneat, quia natiuitas in naturæ eius ſit uirtute, quæ genuit, nec Apoſtolicis, nec Euangelicis prædicationibus eruditi ad impiæ profeſſionis ſuæ uſurpationem magnificentiam dei patris non religionis fide, ſed arte impietatis extollunt, ut dum incomparabilia omnia eſſe naturæ eius ediſſerunt, de-

*Als ſentiendæ

generis infirmioriśq; naturæ unigenitum deum per exceptionem compa-
rationis affirment. Deum uiuentis dei uiuam imaginem, & beatæ naturæ
pleniſſimam formam, & innaſcibilis ſubſtantiæ unigenitam natiuitatem.
Als* gloriam Quæ niſi perfectam paternæ beatitudinis habeat * formam, & abſolutam
naturæ totius referat ſpeciem, non eſt in imaginis ueritate. Si autem innaſ-
cibilis dei unigenitus deus imago eſt, perfectæ atque abſolutæ in eo natu-
ræ ueritas ineſt, per quam efficitur eſſe eum imaginem ueritatis. Potens eſt
pater, ſed ſi infirmus eſt filius, imago iam non eſt potentis. Bonus eſt pa-
ter, ſed ſi in diuerſi generis diuinitate filius eſt, boni imaginem mali natu-
ra non reddit. Incorporeus pater eſt, ſi filius ſecundum ſpiritum circunſcri-
ptus eſt corpore, iam incorporei non eſt forma corporeus. Ineffabilis pa-
ter eſt, ſi filium ſermo complectitur, extra imaginem eſt inenarrabilis na-
tura narrabilis. Verus deus eſt pater, ſi filius in dei falſitate eſt, iam non eſt
ueri imago qui falſus eſt. Non ex parte imaginem, neq; ex portione for-
mam eum dei Apoſtolus prædicat, ſed imaginem eſſe ei deum inuiſibilis,
& formam eum dei eſſe loquitur. Non poteſt expreſſius in filio dei diui-
nitatis natura ab Apoſtolo prædicari, quàm ad id quod inuiſibile dei eſt
inuiſibilis dei imago ſit Chriſtus, qui utique in ſubſtantia conſpicabili, ima
ginem naturæ inuiſibilis non referret. Sed ut ſuperioribus libris docuimus,
diſpenſationem aſſumpti corporis rapiunt ad contumeliam diuinitatis, &
impietatis cauſas arripiunt de ſalutis noſtræ ſacramento. Qui ſi Apoſtoli-
cæ fidei tenaces eſſent, intelligerent eum qui in forma dei eſſet, aſſumpſiſ-
ſe formam ſerui, neque formam ſerui uſurparent ad formam dei dehone-
ſtandam, cum forma dei plenitudinem in ſe dei contineret, & quæ eſſent
temporum ac myſteriorum, pia ratione tractarent, ut nec contumeliam
diuinitas ſuſciperet, nec diſpenſatio efferret errorem. Sed omnibus, ut exi-
ſtimo, iam à nobis abſolutiſſime demonſtratis, & ſub aſſumpti corporis
natiuitate diuinæ naturæ uirtute monſtrata, non relictus eſt ambigendi lo-
cus, quin omnia unigenitus deus & homo uirtutibus dei geſſerit, & in uir-
tutibus dei uniuerſa hominis ueritate perfecerit, habens in ſe & naturam
dei potentis in geſtis, dum natus ex deo eſt, & perfecti hominis abſolutio-
nem dum ei eſt partus ex uirgine, & cum ueritate corporis ſubſiſtens in
natura dei, & cum dei natura manens in corporis ueritate. Quanquàm igi-
tur uſque ad ipſam mortis gloriam omnis reſponſionis noſtræ ſermo deſ-
cenderit, & ſingulis profeſſionis impiæ propoſitionibus ex Euangelicis at-
que Apoſtolicis doctrinis ſit contradictum, tamen quia etiam poſt reſur-
rectionis gloriam quædam ad degeneris infirmitatem naturæ demon-
ſtrandam, præſumere impij auſi ſunt, his ipſis nunc reſpondendum eſt.
Atque ut in cæteris obſeruatum à nobis eſt, eorum ipſorum dictorum ra-
tio, ex his ipſis dictis afferatur, ut illic ueritas reperiatur, ubi negatur. Quæ

enim

enim ſimpliciter & ad eruditionem fidei diuinitus dicta ſunt, ea neceſſe eſt ita dicta ſint, ut ad id quod dicta ſunt, non alienorum atque extrinſecus dictorum confirmentur exemplis. Inter cæteras enim impietates ſuas etiam hoc dicto domini uti hæretici ſolent: Aſcendo ad patrem meum & patrem ueſtrum ad deum meum & deum ueſtrum. Vt per id quod pater eius pater eorum eſt, & deus eius deus eorum eſt, in natura dei non ſit, dum hoc cæteris deum patrem profitetur eſſe quod ſibi ſit. Ceſſante priuilegio, in communione & naturę & natiuitatis, per quam & deus ſit natus & filius ſit. Teneant quoq; etiam illud Apoſtoli: Cum autem dixerit, omnia ſubiecta ſunt, abſq; eo qui ſubiecit ei omnia. Cum autem ſubiecta ei fuerint omnia, tunc ipſe ſubiectus erit ei qui ſibi ſubiecit omnia, ut ſit deus omnia in omnibus. Vt quia ſubiectio illa infirmioris naturæ cõteſtatio eſſe exiſtimabitur, non ſit in paternæ naturæ uirtute, quem naturalis infirmitas, naturæ potioris ſubiecerit poteſtati. Sumant autem omnis impietatis ſuæ hanc tanquàm munitiſſimam & inexpugnabilem defenſionem ad ueritatem natiuitatis abolendam, ut quia per ſubiectionem deus nõ eſt, & per communem ſibi atq; nobis deum atq; patrem, in communione ſit creaturæ, ipſe quoq; ex deo creatio ſit potius quàm generatio, quia creatio ex nihilo ſubſiſtat, generatio uero naturalem habeat natiuitatis autorem. Omnis quidem calumnia improba eſt, quia ueritati falſitas, cũ iam effrenato pudore ſit, contradicit, ſed tamen interdũ prætendit aliquod excuſationis ambiguæ uelamen, ut uerecunde in defenſione ſit, quod impudenter in ſenſu eſt. Verum nunc in his quæ impie ad infirmandam domini noſtri diuinitatem præſumpta ſunt, locus uerecundiæ & uelamen falſæ excuſationis excluſus eſt, cum quando ipſa illa ignorationis uenia ceſſante, ſola uoluntas irreligioſæ intelligentię detegatur. Vt enim paululum ipſius dicti Euangelici differam demonſtrationem, an ne ignorabilis hæc erat Apoſtoli prædicatio dicentis, Et quidem confeſſione omnium, magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, uiuificatum eſt in ſpiritu, uiſum eſt angelis, prædicatũ eſt Gentibus, creditum eſt in hoc mundo, aſſumptum eſt in claritate? Eſt ne adhuc quiſquàm tam hebetis intelligentiæ, ut diſpenſationem aſſumptæ à domino carnis aliud quàm ſacramentum pietatis intelligat? Et primum extra fidem dei eſt, quiſquis extra hanc erit confeſſionem. Non enim Apoſtolus ambigit, quin hoc ab uniuerſis fatendum ſit. Myſterium quidem ſalutis noſtræ contumeliam non eſſe diuinitatis, ſed magnæ pietatis ſacramentum. Non eſt ergo iſtud neceſſitas, ſed pietas: nec infirmitas, ſed magnæ pietatis ſacramentum. Et ſacramentum non iam in myſterio occultatum, ſed in carne manifeſtatum: neq; adhuc per naturam carnis infirmum, ſed in ſpiritu iuſtificatum, ut per iuſtificationem ſpiritus abeſſet

Obiectiones hæreticorũ

Aſcẽdo ad patrem meũ & patrẽ ueſtrũ

Subiectus erit ei qui ſibi ſubiecit omnia

à fide noſtra carnis infirmitas,& per carnis manifeſtationem myſteriũ nõ eſſet occultũ, & per myſterij ignorabilem cauſam magnæ pietatis in ſacramento eſſet ſola confeſſio. Atq; ita Apoſtolus fidei totius ordinem tenuit: ut dum pietas eſt,ſacramentũ ſit:dum ſacramentũ eſt, cognitio in carne ſit: dum cognitio in carne eſt,iuſtificatio in ſpiritu ſit,quia ſacramentum pietatis quod manifeſtatur in carne, ut uere ſacramentũ ſit,per iuſtificationẽ ſpiritus manifeſtatur in carne. Ac ne illa manifeſtatio in carne qualis eſſet iuſtificatio in ſpiritu ignoraretur,ſacramentum quod manifeſtatũ in carne,& iuſtificatum in ſpiritu eſt,& angelis uiſum eſt, & gentibus prædicatum eſt, & in hoc mundo creditum,hoc ipſum aſſumptum eſt,in claritate,ut in omnibus ſit magnæ pietatis ſacramentum,dum manifeſtatur in carne,dum iuſtificatur in ſpiritu, dum uiſum eſt ab angelis, dum prædicatur gentibus, dum creditur in hoc mundo,dum aſſumitur in claritate. Nam & uiſum ſequitur prædicatio, & prædicationem fides, & omnia conſummat claritatis aſſumptio,quia & magnæ pietatis ſacramentum eſt,aſſumptio claritatis,& per hanc diſpenſationis fidem,conformes aſſumi claritatis dominicæ præparamur.Magnæ igitur pietatis ſacramentũ eſt carnis aſſumptio, quia per aſſumptionem carnis,manifeſtatio ſacramenti in carne eſt.Sed tamen manifeſtatio in carne non aliud quàm magnæ pietatis ſacramentum confitendum eſt, quia manifeſtatio eius in carne iuſtificatio ſpiritus eſt, & claritatis aſſumptio. Et qua tandem ſpe in fide noſtra eſt piæ diſpenſationis myſterium,diuinitatis infirmitas,cum per claritatis aſſumptionem,magnæ pietatis ſacramentum ſit confitendum? Et quia iam non eſt infirmitas,ſed ſacramentum:nec neceſſitas,ſed pietas,dicti nũc Euangelici ratio quærenda eſt, ne quod ſalutis noſtræ & gloriæ myſterium eſt,id ad occaſionem prædicationis impiæ relinquatur.Grauis tibi autoritas eſt hęretice,& indiſſolubilis domini de ſe profeſſio,qua ait: Aſcendo ad patrem meũ & ad patrem ueſtrum,ad deum meum & ad deum ueſtrum. Vt per id quod & nobis & illi unus & pater pater eſt,& deus deus eſt, ſit in ea infirmitate qua ſumus, dũ & per eundem patrem exæquamur in filios, & per eundem deum comparamur in ſeruos, & cum nos ſimus & creatio ex origine, & ex natura ſerui, tamen dum & pater nobis communis & deus eſt:ſit ei nobiſcum & creatio & natura cõmunis & ſeruitus. Et hic impiæ prædicationis furor etiam hoc prophetico utitur dicto: Vnxit te deus deus tuus,ut nõ ſit in ea naturæ uirtute qua deus eſt,dum ei ungens ſe deus in deum ſuum ſit antelatus. Ignorat deum Chriſtum,qui ignorat deum natum.Deum autem naſci non eſt aliud,quàm in ea natura eſſe qua deus eſt,quia naſci cum cauſam natiuitatis oſtendat,nõ diſproficit tamen in genere autoris exiſtere. Quod autem nõ diſproficit in genere,debet quidem autori cauſam natiuitatis ſuæ,naturam ta-

Intellectus aſcendo ad patrẽ &c.

Quid deũ naſci

ram tamẽ ex ſe nõ amiſit autoris, quia natiuitas dei neq; aliunde, neq; aliud eſt. Quæ ſi aliunde eſt, non natiuitas eſt: ſi uero aliud eſt, non deus eſt. Cum autem ex deo deus eſt, per id deus pater deo filio & natiuitatis eius deus eſt, & naturę pater, quia dei natiuitas & ex deo eſt, & in ea generis eſt natura qua deus eſt. Huius igitur piæ ac debitæ profeſſionis modum ita in omnibus quæ locutus eſt dominus temperauit, ne diuinitati ſuæ contumeliam confeſſio natiuitatis afferret, ne obſequij religio naturam maieſtatis offenderet, ſed ut honorem debitũ natiuitas profiteretur, quæ * ſubdere ſe deberet autori, & naturæ conſcientiam fiducia naturalis oſtenderet, quæ in deũ naſcendo ſubſiſteret. hinc enim illud eſt: Qui me uidet, uidet & patrẽ. Sed & illud: Verba quæ ego loquor, nõ à me loquor. Nam dum nõ à ſe loquitur, autori eum neceſſe eſt debere quod loquitur. Cum autẽ ſe uiſo patre uidetur, naturæ conſcientia eſt, quæ ad demonſtrationem in ſe dei, non aliena à deo in deũ natura ſubſtiterit. Vel illud: Pater quod dedit mihi maius eſt omnibus. Et rurſum: Ego & pater unum ſumus. Nam & datio paterna ſumptæ natiuitatis profeſſio eſt, & quod unum ſunt proprietas ex natiuitate naturę eſt. Vel illud: Sed iudicium omne dedit filio, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Nam dum iudicium datur, natiuitas nõ tacetur: dum uero exæquatur honor, natura retinetur. Vel illud: Ego in patre & pater in me. Et ruſum: Pater maior me eſt. In eo enim quod in ſe ſe ſunt, dei ex deo diuinitatem cognoſce. In eo uero quod pater maior eſt, confeſſionem paternæ autoritatis intellige, Sicuti & illud eſt: Non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod uiderit patrem facientẽ, quęcunq; enim ille facit, eadem & filius facit ſimiliter. Dum nõ à ſe facit, ad id quod agit ſecundum natiuitatem, ſibi pater autor eſt. Et tamen cũ quęcunq; facit pater, eadem & filius facit ſimiliter, nõ in aliud aliquid quàm in deum ſubſtitit ad facienda omnia quæ deus pater faciat, paternæ omnipotentiæ in ſe ſubſiſtente natura. Hæc itaq; ſecundũ ſpiritus unitatem, & naturæ quæ ſecundũ natiuitatis eſt proprietatẽ, ita demonſtrata ſunt, ut & natiuitas deum * ſubſtitutionis ſuæ confiteretur, & * ſubſtitutio naturæ conſcientiam nõ taceret, profitens ſibi patrem deum deus filius, dum ex eo naſcitur, cæterum ad id quod natus eſt, totũ habens naturale quod deus eſt. Diſpenſatio itaq; magni & pij ſacramenti natiuitatis diuinæ patrem inſuper etiam conditionis aſſumptæ deũ fecit, dum qui in forma dei erat, repertus eſt in forma ſerui. Seruus enim non erat cum eſſet ſecundum ſpiritum filius dei, & ſecundum commune iudicium ubi non eſt ſeruus, neq; dominus eſt. Deus quidem & pater natiuitatis eſt unigeniti dei. Sed ad id quod ſeruus eſt, nõ poſſumus niſi tunc ei dominum deputare cum ſeruus eſt. Quia ſi cum ante per naturam non erat ſeruus & poſtea ſecundum naturam eſſe quod non erat cœpit, nõ

Alĩs ſubſidere*

Pater maior eſt ratione autoritatis

Alĩs ſubſiſtentiæ*

Alĩs ſubſiſtentiæ*

Quomodo intelligendũ Chriſtus non erat ſeruus, ſed factus eſt

pit, non alia dominatus cauſa intelligenda eſt ,quàm quæ extitit ſeruituis, tunc habens ex naturæ diſpenſatione dominum,cum præbuit ex hominis aſſumptione ſe ſeruum.Manens igitur in forma ſerui,qui manebat ante in dei forma homo Chriſtus Ieſus locutus eſt: Aſcendo ad patrem meum & ad patrem ueſtrum,ad deum meum & ad deum ueſtrum.Si igitur hæc ſeruus,& ad ſeruos locutus eſt, quomodo profeſſio iſta nõ ſerui ſit,& ad eam magis naturam,quę nõ in natura ſerui ſit,transferetur,cum ei qui in forma dei manens formam ſerui aſſumpſit, quaſi ſeruo ad ſeruos communio,nõ niſi ex eo tantum poſſit eſſe quod ſeruus eſt? Pater igitur ſibi,ita ut hominibus pater eſt,& deus ſibi,ita ut ſeruis deus eſt. Et cum hæc ad homines ſeruos homo in ſerui forma Ieſus Chriſtus loquatur,non ambigitur quin pater ſibi ut cæteris ſit ex ea parte qua homo eſt, & deus ſibi ut cunctis ſit,ex ea natura qua ſeruus eſt.Deniq; hunc eundem ſermonem huiuſmodi profeſſionis cœpit exordio,ita dicens: Vade autem ad fratres meos,& dices illis: Aſcendo ad patrem meum, & ad patrem ueſtrum, ad deum meum & ad deum ueſtrum . Et quæro nunc, fratres ei ſecundum formam dei,an ne ſecundum formam ſerui eſſe intelligendi ſint.habeatq; aliquod ad eum ſecundum plenitudinem habitantis in eo diuinitatis corruptio noſtra conſortium, ut in fratres ei ad id quod deus eſt deputemur ? Sed non ignorat & propheticus ſpiritus unigenito deo qua ex parte ſint fratres.hęc enim non tam homo quàm uermis locutus eſt. Narrabo nomen tuum fratribus meis.Et hæc uermis,uel non ex conceptu communium originum uiuens,uel è profundis terræ uiuus emergens , ad ſignificationem aſſumptæ & uiuificatæ per ſe etiam ex inferno carnis profeſſus eſt, totoq; in pſalmo paſſionis ſuæ ſacramenta prophetico ſpiritu * prolocutus, ex ea neceſſe eſt ut fratres habeat diſpenſatione qua paſſus eſt.Nouit ſacramentum in eo fratrum etiam Apoſtolus.ut & primogenitum eum ex mortuis, ita primogenitum in multis fratribus prædicans.Secundũ id ergo eſt in multis fratribus primogenitus,ſecundũ quod eſt primogenitus ex mortuis. Et cum ſacramentum mortis in corpore ſit, ſacramentum quoq; fraternitatis in carne eſt.Fratres itaq; ex carne ſunt deo,quia & uerbum caro factum eſt,& habitauit in nobis.Cæterum unigenitus deus in unigeniti exceptione ſine fratribus eſt. Ip ſe autem uniuerſitatis noſtræ in ſe continens ex carnis aſſumptione naturam, erat quod nos ſumus, neque amiſerat eſſe quod manſerat, habens ex natiuitate tunc patrem tantum ex conſtitutione, nunc deum & patrem tantum ex conſtitutione, nunc deum,quia ex patre deo omnia . Omnibus enim deus pater eſt, dum ex eo & in eo omnia ſunt . Sed unigenito deo quia uerbum caro factum eſt, non hinc tantum pater eſt . Pater enim eſt ad id quod in principio apud deũ erat deus uerbum . Sed cum uerbum caro

Abuſus pronominis ſibi reddit ſenſum obſcuriorem

Deus relatiue ad ſeruum

*Als*prælocutus*

Quomodo apoſtoli fratres Chriſti

caro factum est, manet & in uerbi dei natiuitate, & in carnis constitutione quod pater est. Pater enim omnis carnis est deus, Sed nō secundum quod uerbo deo pater est. Verbum autem deus, neq; uerbum esse desijt, neq; caro non fuit. Nam uerbum quod caro factum est, & habitauit in nobis, neque dum habitat non uere uerbum est, neq; dum uerbum caro est, non uere deus homo est, quia & habitare eius necesse sit esse qui maneat, & carnem fieri eius intelligendum sit esse qui nascitur. Et quod in nobis habitat, nostræ carnis assumptio est, quia per id in nobis habitat uerbum caro factum, dum deus est in nostri corporis ueritate. Si igitur naturam detrahit deo uerbo homo secundum carnem Christus Iesus, uel non secundum sacramentum pietatis deus uerbum homo Christus Iesus est, sit in naturæ cōtumeliam quod ei secundū nos & pater pater est, & deus deus est. Quod si deus uerbum, homo Christus Iesus deus uerbum esse non destitit, communio nobis & illi ad patrem & deum ex ea tantum est natura qua frater est, quia ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, ad deum meum & deum uestrum, non per id quod unigenitus deus uerbum est, sed per id quod uerbum caro factum est, sit fratribus nunciatū. Non in cautis autem neq; ad occasionem impietatis incertis significationibus sermo apostolicus loquitur. Vt nunc Euangelista dictum domini à professione fratrum incipiens, totius dicti professionē ad eius naturæ consortiū docuit, ex quo frater est pertinere. quia sermo est destinatus ad fratres, ne ad diuinitatis contumeliam reputaretur, quod ad sacramentum pietatis prædicabatur, tum cōmunio ad eum nostra qua pater nobis & sibi pater est, & deus nobis & sibi deus est, secundum dispensationem carnis existeret fratribus nobis ad eum natiuitate corporis deputandis. Nemo igitur ambigit deum patrem esse etiam deum domini nostri Iesu Christi, Sed hæc pia nostra professio non patet ad impietatis occasionem. Deus eius est, nō idcirco ut diuersi ab eo generis deus sit, sed quia ex patre deus natus est, & ex dispensatione seruus est, habeat & patrem dum ex eo deus est, & deum suum, dum ex uirgine caro est. Quod breui atq; absoluto Apostolus sermone cōsignat dicēs: Cōmemorans in orationibus meis, ut deus domini nostri Iesu Christi pater claritatis det uobis spiritum sapientiæ & reuelationis. Vbi enim Iesus Christus est, ibi deus eius est. Vbi uero claritas est, ibi pater est. Qui itaque Christo secundum claritatem est pater, idem Christo secundū Iesum deus est. Iesum enim angelus Christum dominum quem Maria esset paritura, cognominat. Cæterum Christum dominum spiritus prophetia loquitur, & plerisq; secundū latinitatem hoc dictum obscurius uidetur, quia latinitas pronominibus non utitur, quæ Græcitas usu honesto & necessario semper usurpat, ita enim scribitur: ὁ θεὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ πατὴρ τῆς δόξης. Quod nobiscum si semper pronominum consuetudo esset, ita pronuncia-

Verbum habitare in nobis, est nostræ carnis assumptio

Articuli Græci uis

pronunciaretur. Ille deus illius domini noſtri Ieſu Chriſti, ille pater illius claritatis. Ped id enim quod ille deus illius Ieſu Chriſti eſt, & ille pater illius claritatis, quædam ſecundum capacitatem ſenſus noſtri intelligentiæ proprietas expreſſa eſt, ut Chriſti ubi claritas eſt, ibi deus pater eius ſit: ubi uero Chriſtus Ieſus eſt, ibi pater deus ſuus ſit, habens deum ſuum in diſpenſatione cum ſeruus eſt, & patrem in claritate cum deus ſit. Nō afferunt autem tempora uel ætates ſpiritus diuerſitatem, ut non ipſe atq; idem Chriſtus in corpore ſit qui manſit ſpiritus in prophetis. Loquēs enim per os ſancti patriarchæ Dauid: Vnxit te deus deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis, nō ſecundum ſacramentū aliud quàm ſecundum diſpenſationem aſſumpti corporis eſt locutus. Namq; nunc fratribus mandans patrē eorum patrem ſuū, & deum eorum deum ſuū eſſe, tunc quoq; unctum ſe à deo ſuo præ participibus ſuis loquebatur, ut dum unigenito Chriſto deo uerbo particeps non eſt, participes tamen ei ex ea noſcerentur aſſumptione qua caro eſt. Vnctio enim illa non beatæ illi & incorruptæ & in natura dei manenti natiuitati profecit, ſed corporis ſacramento & ſanctificationi hominis aſſumpti, Petro Apoſtolo teſtante, qui ait: Conuenerunt enim uiri in ciuitate iſta aduerſum ſanctum tuum filium Ieſum quem unxiſti. Et rurſum: Vos ſcitis quod factum uerbū eſt per uniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa poſt baptiſmū quod prædicauit Ioannes, Ieſum Nazarænum, quomodo unxit illum deus ſpiritu & uirtute. Ieſus ergo ungitur ad ſacramentum carnis regeneratæ, & quemadmodum ſpiritu dei & uirtute ſit unctus, nō ambiguum eſt, tum cum aſcendente eo de Iordane uox dei patris audita eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te, ut per hoc teſtimoniū ſanctificatæ in eo carnis, unctio ſpiritalis uirtutis cognoſceretur. Cæterū cum in principio apud deum erat deus uerbū, non habet ullam aut cauſam, aut enarrationē naturę eius unctio, quę nihil aliud quàm eſſe in principio nunciatur. Neq; habuit ſanè ungendi ſe per ſpiritū & uirtutem dei neceſſitatem deus, qui dei & ſpiritus eſſet & uirtus. Vngitur ergo deus à deo ſuo prę conſortibus ſuis. Et ſi ante diſpenſationem carnis plures ex lege ſunt Chriſti, Chriſtus qui nūc præ participibus ungitur, poſterior in tempore eſt, dum unctis participibus antefertur. Deniq; ille prophetiæ ſermo poſteriorem unctionem hanc quæ in tempore eſſet, oſtendit dicens: Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te deus deus tuus oleo exultationis præ cōſortibus tuis. Conſequens & poſterior cauſa nunc̄ refertur ut prior ſit, quia meruiſſe aliquid, poſterius eſt, quàm eſſe qui poſſit mereri. Mereri enim eius eſt, qui ſibi ipſe meriti acquirendi autor exiſtat. Si igitur natiuitati unigeniti dei unctionem deputabimus, quæ unctio ob meritum dilectæ iuſtitiæ, & peroſæ iniquitatis indulta ſit, prouectus potius per unctionem unigenitus deus, quàm genitus intelligetur, iamq; per incrementa & profectus

Participes Chriſti

Chriſtus unctus ſecundū carnem

Chriſtus deus ſpiritus & uirtus

Vnctio data ob meritum

profectus deus consummabitur,qui non natus deus sit,sed in deum sit unctus ex merito,& iam per causam erit deus Christus,non omnis causa per deum Christum.Et ubi illud Apostoli erit:Omnia per ipsum,& in ipso,& ipse est ante omnes, & omnia ipsi constant? Deus enim dominus Iesus Christus, non ob aliqua, neque per aliqua deus est, sed deus natus est. Et qui ex generatione deus est,nō post natiuitatem in deum per causam profecit,sed in eo quod natus est,nihil aliud nascendo quàm deus est.Cum uero ungitur ex causa, non ad id quod incremento non eget, spectat unctionis profectus, sed ad id quod per incrementum sacramenti profectu eguit unctionis, id est, ut per unctionem sanctificatus homo noster Christus existeret. Si igitur nunc quoq; per prophetam serui demonstratur dispensatio,ob quam à deo suo præ participibus ungitur,ut propterea quia iustitiam dilexerit,& oderit iniquitatem, ungatur,quur prophetæ sermo nō ad eam Christi naturam pertinebit, in qua ei sunt ex carnis assumptione participes? Cum præsertim ita se prophetiæ spiritus temperauerit,ut dum deus à deo suo ungitur, sit ei & in dispensatione unctionis quod deus suus est,& in natura quod deus est. Deus igitur ungitur,sed quæro an id, quod in principio deus erat uerbum, unctum sit? Non utique, nam posterior deo unctio est.Et cum non ea uerbi natiuitas quæ in principio apud deum deus erat, uncta sit in deum, necesse est ungatur quod posterius sit in dispensatione quàm deus est. Et cū deus à deo suo ungitur,id ungitur, quod ab eo in mysterio carnis seruile susceptum est. Nemo igitur magnæ pietatis sacramentum, quod manifestatum in carne est, sensu impio uiolet, nec se quisquam unigenito per substantiam diuinitatis exæquet. Sit nobis ille & frater,& particeps, secundū quod uerbum caro factum habitauit in nobis, secundum quod mediator dei atq; hominū homo Iesus Christus est. Sit nobis & secundum seruos & cōmunis pater, & communis deus,& præ participibus unctus sit in ea natura,cum priuilegio licet unctus,qua participes unguntur. Sit in mediatoris sacramento ut homo uerus,ita & deus uerus. Deus ipse ex deo communem nobiscum habens patrem ac deum, in ea communione qua frater est.Sed fortè subiectio illa regniq; traditio,deinde finis,aut naturæ abolitio, aut potestatis defectio, aut diuinitatis infirmitas sit intelligenda. Plericq; enim ita uolunt, ut aut dum subiectis omnibus deo subijcitur, per conditionem subiectionis deus non sit:aut dum regnum tradit,non sit in regno:aut dum finis est, finem eius defectio consequatur. Cōgruum itaq; est, omnem super his apostolici sermonis sensum retractare, ut singulorū quorumq; dictorum ratione exposita atq; ædita, sacramenti totius capaces ueritatis intelligentiam*præbeamus. Ait itaque: Quoniam enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Quomodo enim in Adam omnes moriunt, sic & in Christo omnes uiuificabuntur

Quomodo filius subiectus patri &c.

Al̄s instruamur

uiuificabuntur. Vnuſquiſq; autem in ſuo ordine, primitię Chriſtus, deinde hi qui ſunt Chriſti, qui in aduentum eius crediderunt: deinde finis, cum tradiderit regnum deo & patri, cum euacuauerit omnem principatum & poteſtatem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ſuis. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius: Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors. Cum autem dixerit, omnia ſubiecta ſunt, abſq; eo qui illi ſubiecit omnia. Cum autē ſubiecta fuerint ei omnia, tunc ipſe ſubiectus erit illi, qui ſubiecit ſibi omnia, ut ſit deus omnia in omnibus. Cœleſtium diſpenſationum arcana Apoſtolus non ab hominibus, neq; per hominē, ſed per Ieſum Chriſtum electus gentium magiſter, quanta poteſt abſoluti ſermonis ſignificatione demonſtrat. Et qui inenarranda uſq; ad tertiū cœlum raptus audiſſet, ea tantum quorum natura humana capax eſſet, ſenſui humanæ intelligentiæ reuelauit, nō ignorans tamen quædam nō ſtatim poſſe æque ut audiuntur, intelligi, quia infirmitas noſtra * aliter in uerum atq; in abſolutum mentis iudicium, ea quę in aures transfunderentur, acciperet, longiore ad cunctandum mora ſenſui potius quàm auditui derelicta, cum & audiſſe uocis ſit, & intellexiſſe rationis, deo tamen intelligentiæ cupidis intelligentiam reuelante. Namq; ad Timotheum per auiæ ac matris gloriоſam fidem, ſacris ab infantia literis inſtitutū ſcribens plurima, hoc quoq; addidit: Intellige quæ dico. dabit enim tibi dominus in omnibus intellectū. Admonitio intelligendi ex difficultate intelligentiæ eſt. Intelligentiæ uero à deo donum, fidei munus eſt, per quam infirmitas ſenſus gratiam reuelationis meretur. Ergo ſi Timotheus apoſtolico teſtimonio homo dei, & legitimus Paulo ſecundum fidem filius, ut intelligat admonetur, quia ei dominus intelligentiam in omnibus ſit daturus, nos quoq; admoneri per Apoſtolum ad intelligentiam meminerimus, ſcientes dominum nobis intelligentiam omnium præſtaturum. Et ſi fortè humanæ conditionis errore præſumptum aliquid ſenſu tenebimus, profectum intelligentiæ per reuelationis gratiam nō recuſemus, ne intellexiſſe aliquid ſemel ſuo ſenſu adid ualeat, ut pudeat rectius aliquid demutando ſentire. Ob quod prudenter conſulteq; moderandum, hæc ad Philippenſes beatus quoq; idem Apoſtolus ſcribit: Quotquot ergo perfecti ſumus, hæc ſentiamus, & ſi quid aliter ſentitis, id quoq; deus uobis reuelabit. Verum in quo feſtinauimus, ipſo ingrediamur. Non præiudicat ſenſus anterior dei reuelationi, nam Apoſtolus nouit in quo ſapiant, qui ſapiunt perfecte. Et his qui aliter ſapiunt, reuelationem dei, ut id quod perfectum eſt ſapiant, expectat. Si qui ergo profundam hanc arcanæ ſcientię diſpenſationem aliter intellexerint, & per nos rectum aliquid & probabile afferetur, nō pudeat eos ſecundum Apoſtolum per reuelationem dei ſapere perfecte, neq; magis ament ueritatem neſciſſe, quàm oderint permanſiſſe in nō ueris. Eos enim qui aliter ſapiunt,

Alis tardius*

Si quid aliter ſentitis, id quoq; deus uobis reuelabit

& qui-

& quibus id deus reuelauit, monet in id feſtinare, in quo ingreſſi fuerunt, ut relicto primo ignorantiæ ſenſu, ſecundum propoſitæ feſtinationis ingreſſum reuelationem perfectæ intelligentiæ conſequantur. Ingrediamur itaq; in quo feſtinauimus, & ſi fortè feſtinationem noſtram deuĩ itineris error moratur, per reuelationem tamen dei in id quò feſtinauimus rurſum ingreſſi, feſtinationis noſtræ nõ demutemus ingreſſum. Feſtinauimus enim ad Chriſtum Ieſum dominum gloriæ, & regem æternorum ſeculorum, in quo inſtaurata ſunt omnia in cœlis & in terra, cui conſtant omnia, in quo, & cum quo ſemper manebimus. In his ergo ingreſſi ſapimus perfecte, & ſi quid aliter ſapimus, deus nobis id quod perfecte ſapitur, reuelabit. Itaq; ſecundum apoſtolicam fidem ſacramentum dictorum præſentium retractemus, & eo modo quo ſuperius à nobis tractata ſunt omnia, ut omnem impiæ uoluntatis ſenſum ſub dictis apoſtolicis deceptũ, ex ipſa fidei apoſtolicæ ueritate prodamus. Tria igitur ſecundum dictorum ordinem in quæſtionem uocantur, primum finis, deinde traditio, deinde ſubiectio, ut per hæc aut deſinat Chriſtus in fine, aut regnum tradendo non teneat, aut extra dei naturam ſubiectus exiſtat. Ac primum noſcendum eſt, nõ hunc ordinem apoſtolicæ eſſe doctrinæ. Primum enim regni traditio eſt, deinde ſubiectio, poſtremo finis. Sed ſingulis quibuſq; cauſis propria quarumq; cauſarum genera ſubiecta ſunt, ut dum res ſingulæ in res alias deſinant, habeat ſemper ſubiacentem ſibi cauſam præcedens cauſa. Finis enim erit, ſed cum tradiderit regnũ deo. Tradet autẽ regnũ, ſed cum euacuauerit omnem magiſtratũ & omnẽ poteſtatem. Euacuabit autẽ omnem magiſtratũ & poteſtatem, quia oportet eum regnare. Regnabit aũt donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Ponet uero omnes inimicos ſub pedibus ſuis, quia deus ſubiecit omnia ſub pedibus eius. Subiecit aũt deus ita, ut nouiſſima ab eo mors inimica uincat. Deinde ſubiectis omnibus ei prẽter eum qui ſubiecit ei omnia, tunc ſubĩjcietur ipſe ſubĩjcienti ſibi omnia. Subiectionis uero cauſa non alia eſt, quàm ut ſit deus omnia in omnibus. Finis itaq; eſt, eſſe deum omnia in omnibus. Et quærendum nunc ante omnia eſt, an finis defectio ſit, an traditio amiſſio ſit, an ſubiectio infirmitas ſit. Quæ ſi his ſibi contrarĩjs non ſubiacebũt, erunt in ea intelligẽtia qua dicta ſunt. Finis itaq; legis Chriſtus eſt, & quæro utrum abolitio Chriſtus legis ſit, an ne perfectio? Quòd ſi legem Chriſtus, qui finis eius eſt, nõ diſſoluit, ſed adimplet, ſecundum quod ait: Non ueni legem ſoluere, ſed adimplere, finis non defectio eſt, ſed conſummata perfectio. Tendunt enim ad finem omnia, non ut non ſint, ſed ut in eo ad quod tetenderant, maneãt. Et propter finem omnia. Cæterum finis ad aliud aliquid non refertur. Sed cum finis omniũ ſit, manens ipſe ſibi totus eſt. Et quia non excedens ex ſeſe ulli alĩj tempori aut rei potius quàm ſibi proficit, ad finem ipſum ſemper intentio ſpei omnis

Quõ in fine tradet filius regnum deo patri, & erit illi ſubiectus

Finis

Finis ad aliud aliquid non refertur

protenditur. Et idcirco dominus religioſæ fidei patientiam fini ſe reſeruantem, ita adhortatur: Beatus qui permanſerit uſq; in finem. Non utiq; ut ſi & beata defectio, & nõ eſſe ſit fructus, & merces fidei ſuę cuiuſq; cõſtitua tur abolitio, ſed quia finis propoſitæ beatitudinis inexceſſus modus eſt, beati ſunt, qui uſq; ad finem cõſummandæ beatitudinis manſerint, non ultra ſe fidelis ſpei expectatione tendente. Finis itaq; eſt manendi immobilis ad quem tenditur ſtatus. Deniq; Apoſtolus impietatis finem ad deſinẽdi metum præmonens, ait: Quorũ finis eſt interitus, noſtra autem expectatio in cœlis eſt. Si itaq; & beatis & impijs finis eſt, & finis intelligit̃ eſſe defectio, religionem atq; impietatem finis exæquat, quia utrinq; per cõſtitutum finem ſit in commune non eſſe. Et ubi expectatio noſtra in cœlis eſt, ſi per finem eſſe ſecundum impios deſinamus? Quòd ſi ſanctis expectatio, impijs uero finis debitus eſſe dicitur, tamen ne ſic quidem finis creditur eſſe defectio: quia quæ pœna impietatis eſt, omnino non eſſe ad pœnarum ultricium ſenſum, cauſa in his per defectionem ſui non extante patiendi. Finis itaque eſt indemutandæ conſtitutionis manſura perfectio, quæ & beatitudini reſeruata, & impietati eſt præparata. Nunc ergo quia iam ambigi nõ poteſt, in fine non defectionem, ſed non exceſſuram conſtitutionẽ eſſe intelligendam, quanc̃p adhuc quædã in ipſa dicti abſolutione ſint reſeruata, tamen his tantum ad ſignificationem ſenſus demonſtratis, uideamus an traditio regni defectio ſit intelligenda regnantis, ut quod tradidit filius patri, tradenda non teneat. Quòd ſi quis ſtultæ impietatis furore cõtendet, fatea tur neceſſe eſt, patrem cum tradiderit omnia filio, amiſiſſe tradendo, ſi tradentem traditis egere ſignificet. Ait enim dominus: Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Et rurſum: Data mihi eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Si igitur dediſſe caruiſſe eſt, pater quoq; his quæ dedit caruit. Quòd ſi pater tradendo non caruit, ne filius quidẽ intelligi poteſt his egere quæ tradidit. Ergo ſi tradens omnia, his ipſis quæ tradidit non uidetur eguiſſe, reliquum eſt, ut in tradendo diſpenſationis cauſa noſcatur, quur & pater tradendo non careat, & filius dando non egeat. De ſubiectione autẽ ne quid in ea contumelioſum filio deputetur, cum alia nõnulla fidei noſtræ opitulentur, præcipue tamen ſibi hic ipſe locus aderit. Et primum cõmunem ſenſum interrogo, utrũ nunc ſubiectionem ita intelligendam putemus, tanc̃p ſeruitutem dominatui, aut infirmitatẽ uirtuti, aut honori inhonorationem contrarijs qualitatibus ſubdimus, ut filius ſecundũ hæc deo patri ſit diſſidentis naturę diuerſitate ſubiectus. Quòd ſi ita exiſtimabitur, errorẽ hunc opinionis humanæ apoſtolici ſermonis* cautela prohibebit. Subiectis em̃ ſibi omnibus, tunc ſubijciendus ſubijcienti ſibi omnia erit, & per id quod tunc ſubijcietur, diſpenſationem ſignificauit in tempore. Nam ſi ſubiectionem aliud ſentiemus, & ſi tunc ſubijcietur, certe ſubiectus modo non eſt, & efficie-

Finis eſt manendi immobilis ſtatus

De traditione regni

De ſubiectiõe

Aũ cautio*

efficiemus eum diſſidẽtem & inſolentem & impium, quem neceſſitas temporis tanquam fracto & compreſſo tyrannicæ impietatis tumore, in ſeram obſequelam ſit ſubditura. Et ubi illud erit: Non ueni facere uoluntatem meam, ſed uoluntatem eius qui miſit me? Et rurſum: Pater diligit me: quia omnia quæ placita ſunt ei facio? Sed & illud: Pater fiat uoluntas tua. Vel hoc Apoſtoli: Humiliauit ſe factus obediens uſq; ad mortem. Et qui ſe humiliauit, habet hoc in natura ne humilis ſit? Et qui ſit obediens, ſuſcepit ex uoluntate quod obedit, dum per id quod ſe humiliat, fit obediens? Vnigenitus itaq; deus humilians ſe & obediens patri uſq; ad mortem crucis, quo genere cum ſubiecta ei omnia ſint, tunc ſubĳciendus ipſe patri intelligetur, niſi quod ſubiectio hæc non nouæ obedientiæ, ſed diſpenſatio ſacramenti eſt, quia & obſequela iam maneat, & in tempore ſit ineunda ſubiectio. Nihil itaq; nunc aliud ſubiectionis ſignificatio, quàm myſterĳ demonſtratio eſt. Et quid illud ſit, ſecundum hanc eandem fidei noſtræ ſpem, intelligendum eſt. Nam reſurgentem à mortuis dominum Ieſum Chriſtum ſedere à dextris dei non ignorabile eſt, etiam Apoſtolo teſtante, cum ait: Secundum operationem potentiæ fortitudinis eius, quam operatus eſt in Chriſto, cum eum excitauit à mortuis, & collocauit ad dexteram ſuam in cœlis ſuper omnem principatum & poteſtatem & uirtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Apoſtolicus nanq; ſermo ſecundum dei poteſtatem pro factis iam, futura ſignificat, quæ enim per adimpletionem temporum ſunt gerenda, ea iam in Chriſto, in quo omnis eſt plenitudo, conſtituit: quæ cum futura erunt, diſpenſationis in his potius eſt ordo, cẽq; nouitas: Subiecit enim omnia ſub pedibus eius, licet adhuc ſubĳcienda ſint, ut in eo quod ſubiecta ſunt, Chriſti indemutabilis ſit poteſtas: in eo uero quod ſubĳcienda ſunt ſecundum plenitudinem temporum ſuccedentium, ad fidem ætatum profectus ſit. Omnem autem contrariam uirtutem euacuandam eſſe non obſcura cognitio eſt, & hunc aëris principem & ſpiritalis nequitiæ poteſtatem æterno interitu tradendam, ſecundum illud: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius. Euacuatio autem non idem eſt quod ſubiectio. Nam euacuare aduerſantem poteſtatem, hoc eſt ius poteſtatis auferre ne maneat, & per poteſtatis euacuationẽ, regni eſt abolere dominatum. *Denuo & dominus teſtatus eſt dicens: Regnum meum non eſt de hoc ſeculo, hunc eundem regni iſtius potentem mundi principem ante teſtatus, cuius poteſtas deſinet regni ſui euacuato dominatu. Subiectio uero, quæ & obedientię & fidei eſt, eadem uel conceſſionis, uel demutationis demonſtratio eſt. Euacuatis itaque magiſtratibus, ſubĳcientur inimici eius, ita autem ſubĳcientur, ut ipſe ſibi ſubĳciat: ita uero ſubĳciet, ut ei ſubĳciat deus.

Subiectio hæc non nouæ obedientiæ, ſed diſpenſatio ſacramenti eſt.

Euacuatio

Alĳ *De quo*

An ne ignorauit Apoſtolus dicti euangelici uirtutem,cum ait:Nemo uenit ad me,niſi pater meus adducat illum,cum tamen ſcriptum ſit:Nemo uadit ad patrem niſi per me? Et nunc ipſe ſibi inimicos ſubiȷcit, attamen deus ei ſubiecit,omne per hoc opus eius,dei in eo opus eſſe teſtans.Et cum non niſi per eum eundum ad patrem ſit,ad filium tamē niſi pater adduxerit, non uenitur. Nam dum filius dei intelligitur,paternæ in eo naturæ ueritas diſcitur.Atq; ita & cognito filio deus pater aduocat, & credito filio pater ſuſcipit,quia ſignificatio & cognitio patris in filio, per ſignificationem in ſe dei patris religioſos nos in eum paterna religione perfectos adducit. Adducit ergo ita pater,dum principale pater creditur. Ad patrem autem nemo uadit niſi per filium,quia ceſſante in nobis fide filȷ̄,ignorabilis pater eſt, non adituris ad paternam religionem,niſi prius filȷ̄ ueneratione ſuſcepta. Atq; ita cognito filio, ad uitæ nos æternitatē pater adducit & ſuſcipit,& utrunq; per filium eſt,dum prædicatione per eum patris,& perducit ad eum pater, & ad patrem ipſe deducit.Ad abſolutiorem itaq; dicti præſentis intelligentiam commemoratio ſacramenti iſtius fuit neceſſaria, ut per filium eſſet quod pater nos & adducit & ſuſcipit, & per hoc intelligeremus, quatenus quod ipſe ſibi ſubiecit,deus ei ſubiecit, dei ſcilicet in eo natura per natiuitatem manente,& ea quæ ipſe agit,agente,dum ita agit,ut ea deus agat,& tamen ipſe ea quæ deus egerit,agat:ita tamen,ut in eo quod ipſe agit, ut filius dei agere intelligatur:in eo uero quod deus agit,paternę in eo naturę ut in filio proprietas ſentiatur,exiſtere.Euacuatis itaq; magiſtratibus & poteſtatibus,ſubiȷcientur ei ſub pedibus inimici eius. Et quos inimicos intelligi oporteat,idem Apoſtolus docuit dicens: Secundum euangelium quidem
Inimici inimici propter uos, ſecundum electionem autem dilecti propter patres. Hos ergo inimicos crucis Chriſti meminerimus, ſed quia dilecti propter patres ſunt,ſcimus eos ſubiectioni reſeruatos,ſecundum quod dictum eſt: Nolo enim uos ignorare fratres ſacramentum hoc, ut non ſitis uobis ſapientes, quoniam ex parte obtuſio facta eſt in Iſraël, quoadu ſq; plenitudo nationum intret,& ſic omnis Iſraël liberabitur,ſicut ſcriptum eſt: Et ueniet à Sion, qui eliberet & auertat impietates ab Iacob, & hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero iniquitates eorum. Inimici ergo ſubiȷcientur ſub pedibus eius,ſed ſubiectionem illam quid conſequatur,intelligendum eſt, nempe illud: Nouiſſima deuicta eſt ab eo mors. Deuictio autem mortis nihil aliud eſt,quàm reſurrectio ex mortuis,cum interitus corruptione ceſſante,uiuæ iam cœleſtisq; naturæ conſtituetur æternitas, ſecundum quod dictum eſt: Oportet enim corruptiuum iſtud induere incorruptionem, & mortale iſtud induere immortalitatem. Cum autem mortale iſtud induerit immortalitatem, tunc fiet uerbū quod ſcriptum eſt: Abſorpta eſt mors in contentione. Vbi eſt mors contentio tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus?

In ſubiectione

In ſubiectione itaque inimicorum mors uincitur,& morte uicta, immortalitatis uita ſuccedit. Quæ autem ſubiectionis perfecta illa poſt fidei ſubiectionem proprietas ſit, idem Apoſtolus teſtatus eſt, cum ait: Qui transfigurabit corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuę ſecundum efficaciæ ſuæ opera,qua poſſit ſubijcere ei omnia. Subiectio itaque etiam ea eſt, quæ eſt ex natura in naturam conceſſio, dum à ſe ſecundum quod eſt deſinens,ei ſubijcitur,cuius concedit in formam. Deſinit autem non ut non ſit,ſed ut proficiat, fitcꝫ ex demutatione ſubditus, in ſpeciem ſuſcepti alterius generis tranſeundo.Denicꝫ ut ſacramenti huius eſſet ratio abſoluta,poſt nouiſſime deuictam mortem,ait:Cum autem dixerit:Omnia ſubiecta ſunt abſque eo qui ſubiecit ei omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit illi,qui ei ſubiecit omnia,ut ſit deus omnia in omnibus.Primus igitur ſacramenti gradus eſt,ſubiecta eſſe ei omnia,& tunc ipſum ſubiectum fieri ſubijcienti ſibi omnia, ut quemadmodum nos gloriæ regenerantis corporis ſubdimur,eodem rurſus ſacramento ipſe regnans in gloria corporis ſubijcienti ſibi uniuerſa ſubdatur.Subdimur autem gloriæ corporis ſui, ut in ea ſimus corporis claritate, qua regnat in corpore, quia corpori eius conformes erimus.Et quidem gloriam regnantis nunc corporis ſui euangelia non tacent.Ita enim ſcribitur,domino dicente:Amen dico uobis,quoniam ſunt aliqui de aſtantibus hic, qui non guſtabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno ſuo.Et factum eſt poſt dies ſex, aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum,& transfiguratus eſt Ieſus ante eos,& reſplenduit facies eius ut ſol,ueſtimenta autem eius facta ſunt ſicut nix. Gloria itaque uenientis in regnum corporis apoſtolis demonſtrata eſt. Nam in habitu dominus glorioſæ transformationis ſuæ conſtitit, regnantis corporis ſui claritate patefacta. Et huius quidem gloriæ ſuæ conſortium Apoſtolis pollicens,ait:Sic erit in conſummatione ſeculi.Mittet filius hominis angelos ſuos,& colligent de regno eius omnia ſcandala, & qui faciunt iniquitatem,& mittent eos in caminum ignis,ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tũc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regni patris eorum, qui habet aures audiendi audiat. Nunquid non omnibus naturales corporalesꝫ aures ad dictorum audientiam patent,ut ad audiendum dominica admonitione fuerit opus? Sed ſacramenti ſcientiam dominus inſinuans, auditionem doctrinæ fidelis exegit.In conſummatione itaque ſeculi de regno eius ſcandala auferuntur. Habemus ergo regnantem dominum ſecundum corporis claritatem quouſque ſcandala auferantur. Habemus rurſum conformes gloriæ corporis ſui in regno patris,tanquam in ſolis claritate fulgentes, in qua habitum regni ſui apoſtolis in monte transformatus oſtendit. Tradet ergo regnum deo patri,non utiꝫ tanquam tradens poteſtate concedat,ſed quod

Filius ſubiectus erit illi

Sunt aliqui de aſtantibus hic &c.

Tradet regnũ deo patri

nos conformes glorię corporis ſui facti,regnum dei erimus.Non enim ait, tradet ſuum regnum,ſed,tradet regnum, effectos nos per glorificationem corporis ſui regnum deo traditurus. Nos itaque tradet in regnum ſecundum hoc in euangelijs dictum: Venite benedicti patris mei,poſſidete præparatum uobis regnum à conſtitutione mundi.Fulgebunt ergo iuſti ut ſol in regno patris eorum. Tradet enim filius deo regnum eos, quos uocauit in regnum, quibus & beatitudinem ſacramenti ſpopondit dicens: Beati mundo corde,quoniam ipſi deum uidebunt.Regnans itaque auertet ſcandala, & tunc iuſti in regno patris tanquam ſol fulgebunt. Tradet autem deo patri regnum, & tunc quos regnum deo tradiderit, deum uidebunt.

Beati ſunt regnum Quod regnum ipſe teſtatus eſt,dicens ad apoſtolos: In uobis enim eſt regnum dei.Regnans itaque regnum tradet.Et ſi quis quæret,quis iſte ſit tradens regnum, audiet: Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.Omnis enim hic nunc præſentis quæſtionis ſermo de ſacramẽto corporis eſt, quia Chriſtus primitiæ ex mortuis eſt. Quo autem Chriſtus myſterio ex mortuis reſurrexerit, Apoſtolo docente noſcamus: Memento Chriſtum Ieſum à mortuis reſurrexiſſe,de ſemine Dauid. Mortem utique & reſurrectionem ex ea, tantum docens ex diſpenſatione eſſe qua caro eſt. Regnat autem in hoc eodem glorioſo iam ſuo corpore, donec euacuatis magiſtratibus, & morte deuicta ſubijciat ſibi inimicos. Et quidem ab Apoſtolo ſeruatus hic modus eſt, ut magiſtratibus & poteſtatibus euacuatio, inimicis uero ſubiectio deputaretur. Quibus ſubiectis, ſubijcietur ſubijcienti ſibi omnia,deo ſcilicet, ut ſit deus omnia in omnibus,naturæ aſſumpti corporis noſtri natura paternæ diuinitatis inuecta. Per id enim erit omnia in omnibus deus, quia ſecundum diſpenſationem ex deo & homine hominum deiq; mediator, habens in ſe ex diſpenſatione quod carnis eſt,adepturus in omnibus ex ſubiectione quod dei eſt,ne ex parte deus ſit, ſed totus deus. Non alia itaque ſubiectionis cauſa eſt, quàm ut omnia in omnibus deus ſit, nulla ex parte terreni in eo corporis reſidente natura,ut intra ſe duos continens,nunc deus tantum ſit,non abiecto corpore, ſed ex ſubiectione translato,neque per defectionem abolito, ſed ex clarificatione mutato, acquirens ſibi deo potius hominem, quàm deũ per hominem amittens. Subiectus uero ob id,non ut non ſit, ſed ut omnia in omnibus deus ſit,non habens in ſacramento ſubiectionis eſſe ac manere quod non eſt,non habens in defectione ita ſe carere,ne non ſit. Et quanquam ad intelligentiæ huius religioſam ſecuritatem ſufficiat nobis apoſtolica autoritas, ſubijciendum eſſe in tempore, & per diſpenſationem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum primitias dormientium, ut ſit deus omnia in omnibus,per quod non diuinitatis infirmitas eſt,ſed aſſumptionis profectus,

dum

dum homo & deus, iam deus totum eſt, tamen ne fortè quia clarificatum in corpore dum in eo regnat, & poſtea ſubiiciendum, ut deus omnia in omnibus ſit, credimus, ne non etiam ex euangeliis præſumpſiſſe exiſtimemur fidei noſtræ teſtimonium, non ſolum apoſtolicorum, ſed etiam dominicorum dictorum profeſſione eſt aſtruendum, ut quod loquente Paulo Chriſtus loquutus eſt, id ante Paulum Chriſtus ipſe ſit iam loquutus. Diſpenſationem itaq; gloriæ huius apoſtolis ſuis abſoluta uerborum ſignificatione demonſtrans, ait: Nunc glorificatus eſt filius hominis, & deus glorificatus eſt in eo. Si deus glorificatus eſt in eo, & deus glorificauit eum in ſe, & deus protinus glorificabit eum, habemus primum gloriam filij hominis, deinde in filio hominis dei gloriam. In eo enim quod dictũ eſt: Nunc honorificatus eſt filius hominis, & deus honorificatus eſt in eo, hoc enim primum ſpectat ad corporis gloriam, quæ ex naturæ diuinæ conſociatione mutuaretur. Succedit deinde gloriæ plenioris * effectus, ex incremento indultæ iam corpori gloriæ capeſſendus: Deus honorificatus eſt in eo, & deus honorificauit eum in ſe, & deus protinus honorificabit eũ. Per hoc enim glorificauit eum deus in ſe, quia iam in eo glorificatus ſit deus. Nam quod deus in eo glorificatus eſt, ad corporis gloriam ſpectat, per quam dei gloria intellecta per corpus eſt, gloria dei per gloriam filij intelligenda. Quod uero quia glorificatus in eo deus eſt, ideo glorificauit eum deus in ſe, per incrementum glorificati in eo dei, glorificauit eum in ſe deus, ut quia iam regnat in gloria, quæ ex dei gloria eſt, ipſe exinde in dei gloriã tranſeat. In ſe enim deus glorificauit, id eſt, in ea natura qua deus eſt, quod eſt, ut ſit deus omnia in omnibus, tota iam in deũ ex ea qua homo eſt diſpenſatione manſuro. Nec ſanè de tempore tacuit dicens: Et deus glorificauit eum in ſe, & deus protinus glorificabit eum. Vt quia prodeunte ad proditionẽ Iuda, gloriam quæ ſibi poſt paſſionem cõſequuta reſurrectione futura eſſet, in poſterum reſeruaret, dei in eo gloria per uirtutẽ reſurrectionis oſtenſa, ipſo uero in dei gloriã, id eſt, in deum omnia in omnibus ex ſubiectionis diſpenſatione manſuro. Et in eo quidẽ quanta furoris hæretici ſtultitia eſt, deſperare in deo, quod humanis ſuis ſpebus blandiatur, & quod in homine deus potens ſit, id in ſe ipſo infirmus ſit. Nec ſermo iſtud, nec ſenſus rationis capax loquitur, ut naturali quadam neceſſitate ad conſulendum nobis obnoxius deus, ſibi nihil afferre beatitudinis poſſit. Non quod profectu egeat, qui imperturbatæ naturæ uirtutiſq; ſit, ſed quia per diſpenſationem & ſacramentum pietatis magnæ, qui deus & homo eſt, impotens ſibi ſit, hoc ſe totum præſtare quod deus eſt, cum nobis nõ ambigue indulturus ſit, id quoq; nos eſſe quod non ſumus. Vitæ enim humanæ atq; mortis finis eſt reſurrectio. Et certiſſimũ militiæ noſtræ ſtipendiũ eſt incorrupta æternitas, non ad pœnæ perſeuerantiã manens, ſed ad perpetuæ gloriæ fructum iucũditatemq;

Als. profectus

Per glorificationẽ humanitatis apparuit gloria dei

non desinens. Cum igitur hæc nostra terrenorum corporum origo in habitum naturæ potioris excedat, & conformis gloriæ dominici corporis fiat, deus in forma serui repertus, licet iam glorificatus in corpore sit, secundum quod in forma serui est, tamen conformis deo non erit, ut qui nobis formam glorificati corporis sui tribuet, ipse corpori suo nihil ultra possit q̄ nobis ac sibi sit commune præstare. Hoc enim quod dictum est: Tunc subiectus erit illi, qui ei subiecit omnia, ut sit deus omnia in omnibus, plærique hæreticorum ita affirmant: ut idcirco subiiciendus sit deo patri filius, ut pater per subiectionem filij deus sit omnia in omnibus, tanquam ei adhuc perfectio dei desit, quam per filij subiectionem sit adepturus, absolutę utiq; ac beatæ diuinitatis inops intelligendus, si deus esse omnia in omnibus per prouectionem temporum consequetur. Ac mihi quidem deum sola ueneratione intelligenti, non minus his respondere impium uidetur, q̄ adesse, & de natura quę humani sensus conceptionem excedat, uerbis quorum adhuc significatio augustior quàm intelligentia sit, enunciare se posse confidere, ac primum ambigere, desit ne quid deo, an plenus ipse sit, uel pleno iam pleniorem esse ei reliquū sit. Quod si deus cui nō aliunde est quod deus semper est, profectum habeat, ut plus sit aliquādo, non potest tamen ad id peruenire, ne sibi nihil desit: quia cui naturæ profectus est reliquus, nunquam intelligitur sine aliquo incremento residuo profeciſſe, cum natura ad profectum spectans, proficiens licet semper, semper tamen pateat ad profectū. Quod autem in plenitudine perfecta manet, semperq̄ est, non sibi relinquit ut plenius sit, quia accessionem plenitudinis, plenitudo nō capiat. Et hæc quidem de deo ita opinandi, piæ intelligentiæ species est, deo nihil deesse, plenumq̄ esse. Cæterū non ignorat Apostolus, cuiusmodi de deo cōfessionis uoce testandum sit dicens: O profundum diuitiarum & sapientiæ & scientiæ dei, q̄ sunt incomprehensibilia iudicia eius, & ininuestigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit sensum domini? aut quis cōsiliarius eius fuit? aut quis prior dedit, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorū. Non circunscribitur deus mente terrena, neq̄ hoc sapientiæ suæ profundū sensu intelligentiæ penetrantis attingitur, nec iudicia constitutionū suarum perscrutantium ingenio apprehendūtur, nec uiæ cognitionis eius ininuestigabiles se consectantium studijs derelinquūt. Incōprehensum profundū demersa eius omnia sunt, nihilq̄ de rebus eius reperietur, nihil cōsectabitur. Sensum eius nemo cognouit, & consilio non eguit externo. De nobis autem nunc omnis sermo hic est, non etiā de eo per quē omnia sunt, qui est magni cōsilij angelus, qui ait: Nemo nouit filiū, nisi pater: neq̄ patrē quis nouit, nisi filius: & cui uoluerit filius reuelare. Sed aduersum imbecillas mentes nostras, & se ad definiendæ circunscribendæq̄ naturæ diuinæ demergētes profundum

Tūc subiectus intelligunt plærique

confessione

confeſſione apoſtolicæ proteſtationis utendum eſt,ne temeraria opinio aliquid ſibi de deo præterquã docetur,uſurpet. Cõmunis autem hæc naturalium cauſarum intelligentia eſt,nihil in ſenſum cadere,niſi quod ſenſui ſubiacet,ut aut res oppoſita oculis, aut opus quodq; ipſo ſenſu noſtro ac mente poſterius:quorum unum quid aut attrectatur,aut cernitur,dum cedit intra opinionis noſtræ ſententiã,ipſo tactu uiſuq; moderandum: aliud uero quod fit in tempore, & quodã iuniore à nobis aut gignitur, aut cõſtituitur exordio,quia ſenſum intelligentiæ non præuenit,iudicio quoq; ſenſus dijudicantis obnoxium eſt.Non enim aut aſpectus noſter inuiſibilia dijudicat, qui non niſi tantum cõſpecta diſcernat, aut mens noſtra ſe in id quod non extitit tempus,extendet,& antiquiora ortu ſuo perueſtigabit, cum non niſi earum rerum opinio,quarum ipſa ſit ſenior,relinquatur,quæ plerunq; ipſa per neceſſitatem naturalis ſuæ infirmitatis incerta,abſolutam ſcientiã in cauſarum cognitione non teneat, nedum eorum quæ ante ſe ſint, æternam rationem ſenſu ultra natiuitatem ſuam redeunte percipiat.Et idcirco Apoſtolus,quia nunquam niſi ea in cognitionẽ caderent,quæ ſenſui poſteriora ſuccederent,cõmemorato ſapientiæ dei profundo,& inſcrutabiliũ iudiciorum infinitate, & ininueſtigabiliũ uiarũ ſecreto, & incogniti ſenſus ignoratione, & cõſilij non cõmunicati*intelligẽtia,ſubiecit: Quis enim prior dedit,& retribuetur ei? quoniam ex ipſo,& per ipſum,& in ipſo ſunt omnia,ipſi gloria in ſecula ſeculorum. Deus qui ſemper eſt,non ſubiectus eſt modo,neq; ab anteriore ſui aliquo motu mentis, aut intelligentiæ præuenitur. Et idcirco inueſtigabile & imperſcrutabile ipſe totus profundũ eſt. Totus autem ita, ut non per hoc definitus in modum ſit,ſed intellectus ſit in immenſo, quia à nemine quod eſt, ſumpſit, ſed nec prior ei dedit aliquis, ut retribui officium danti oporteat.Ex ipſo enim,& per ipſum,& in ipſo ſunt omnia.Non eget ex ſe, & per ſe, & intra ſe manentibus. Nec qui origo, nec qui opifex eſt,nec qui cõtinens eſt,& internis externus, & effectis conditor,& ſuorum ipſe egens nunquam eſt. Nihil ante eſt,nihil aliunde,nihil extra eſt. Quo igitur caret plenitudinis profectu, ut per tempus adhuc deus omnia in omnibus ſit? Vel unde ſumet,extra quem nihil eſt? Nihil autem ita ut ſemper ipſe ſit.Et qui ipſe ſemper eſt,extra quem nihil eſt,quo incremento explendus eſt,uel quo augmento demutandus eſt,dicens:Ego ſum, & non demutor? cum non relinquatur uel ad demutationem locus uel ad profectum cauſa,uel ad æternitatem anterius,uel ad deum aliud præter quàm deus ipſe eſt? Non ergo per ſubiectionem filij deus erit omnia in omnibus, neq; per cauſam conſummabitur,ex quo,& per quem,& intra quem omnis cauſa cõſiſtat.Manet itaq;,ut eſt,ſemper deus,nec profectu eget,quia id quod eſt,ex ſe ac ſibi ſemper eſt.Sed ne in unigenitũ quidem deum, demutandę naturæ cadit neceſſitas. Deus enim eſt, quod plenæ ac perfectæ diuinitatis eſt no-

*Als*ignorantia. Legẽdum ſuſpicor,intelligentia*

Deus nomen est plenæ ac perfectæ diuinitatis

est nomen. Nam ut superius docuimus, & repetitæ gloriæ significatio, & subiectionis causa est, ut sit deus omnia in omnibus. Esse autem deum omnia in omnibus, sacramentum est, non necessitas. In forma enim dei manens, formam serui assumpsit, non demutatus, sed se ipsum exinaniens, & *Als* intra se latens, &*infra suam ipse uacuefactus potestatem, dum se usq; ad formam temperat habitus humani, ne potentem immensamq; naturam assumptæ humilitatis non ferret imfirmitas, sed in tantum se uirtus incircumscripta moderaretur, in quantum oporteret eam usque ad patientiam connexi sibi corporis obedire. Quod autem se ipsum intra se uacuefaciens continuit, detrimentum non attulit potestati, cum intra hanc exinanientis se humilitatem, uirtute tamen omnis exinanitæ intra se usus sit potestatis. Quod itaque deus erit omnia in omnibus, assumptionis nostræ profectus est. Qui enim cũ esset in forma dei, repertus est in forma serui, rursum confitendus est in gloria dei patris, ut non ambigue in eius forma manens intelligatur, in cuius erit gloria cõfitendus. Dispensatio itaq; tantum est, non demutatio: in eo enim est, in quo erat. Sed cum medium est quod esse cœpit, id est, homo natus, totum ei naturæ, quæ antea deus non fuit, acquiritur, cum deus esse omnia in omnibus post sacramentum dispensationis ostenditur. Nostra hæc itaq; lucra sunt, & nostri profectus, nos scilicet conformes effici gloriæ corporis dei. Cæterum unigenitus deus, licet homo natus sit, nõ tamen aliud quàm deus omnia in omnibus est. Subiectio enim illa corporis, per quam quod carnale est, in naturam spiritus deuoratur, esse deum omnia in omnibus eum, qui præter deum & homo est, cõstituet: noster autem ille homo in id proficit. Cæterum nos in hominis nostri conformem gloriam proficiemus, & in agnitionem dei renouati, ad creatoris imaginem reformabimur, secundum Apostoli dictum: Exuti ueterem hominem cum actibus suis, & induti nouum eum, qui renouatur in agnitionem dei secundum imaginem eius qui creauit eum. Consummatur itaq; homo imago dei, nanq; conformis effectus gloriæ corporis dei, in imaginem creatoris excedit secundum dispositam primi hominis figurationem. Et post peccatum ueteremq; hominem, in agnitionẽ dei nouus homo factus, cõstitutionis suæ obtinet perfectionem, agnoscens deum suum, & per id imago eius, & per religionem proficiens ad æternitatem, & per ęternitatem creatoris sui imago mansurus.

LIBRI VNDECIMI D. HILARII FINIS.

D. Hilarij

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE TRINITATE LIBER DVODECIMVS



Endimus iam ſancto ſpiritu tandem proſequente, ad tutum ſecuræ fidei tranquillumq; portum. Atq; ita ut multo mari uentoq; iactatis accidere ſæpiſſime ſolet, ut cum eos circa*ora portuum impediti, & graues fluctus nõnunquam morentur, ad ultimũ in notam ſibi fidamq; ſtationem ipſe ille ingentis terribilisq; undæ æſtus impellat. Quod nobis, ut ſpero, duodecimo hoc aduerſum hæreticam tempeſtatem nitentibus libro continget. Vt cum in eo grauiſſimæ*tempeſtatis fluctui communitam puppim damus, ipſe ille nos fluctus ad optatæ quietis ſinum deuehat. Omnibus enim incerto doctrinæ uento circumactis, hinc metus, hinc periculũ, hinc etiam ſæpe naufragium eſt, quia unigenitus deus ſub prophetica autoritate creatura eſſe defenditur, ut in eo non ſit natiuitas ſed creatio, quia ex perſona ſapientiæ dictum eſt: Dominus creauit me initium uiatũ ſuarum. Hic hyemis eorum maximus fluctus eſt, hæc tortuoſi turbinis grauis unda eſt, quæ excepta à nobis & ſecuro nauigio* infracta uſq; ad ipſum tutiſſimum nos portũ optati littoris proſequetur. Non incertis autem neq; ocioſis nautarum modo nitimur ſpebus, quos interdum uotis magis q̃ fiducia nauigantes, uagi inſtabilesq; uenti aut depellunt aut deſerunt. Cæterum nobis adeſt inſuperabilis fidei ſpiritus dono unigeniti dei permanens, & nos indemutabili curſu ad tranquilla deducens. Non enim dominum Chriſtum creaturam, quia ipſe eſt qui creauit omnia: neq; facturam, quia facturarum omnium ipſe eſt dominus, ſed deum nouimus, deum dei patris propriã generationem. Nos quidem omnes ſecundum bonitatis dignationem dicti aſſumptiq; ſumus filij dei. Sed ille uerus unus patri deo filius, & uera atq; abſoluta manens, tantum in cognitione utriuſq; natiuitas. Noſtra uero tantum hæc ſola religio eſt, filium confiteri non adoptiuum ſed natum, neq; electum ſed generatum. Non enim aut factum aut non natum prædicamus, quia neq; creatorem creaturis comparamus, neq; natiuitatem ſine generatione mentimur. Non per ſe eſt, qui per natiuitatem eſt. Neq; non natus eſt, qui filius eſt. Neq; qui filius eſt, aliter poteſt quàm naſcendo eſſe, quod filius eſt. Nemini autem dubium eſt, contrarias ſemper obnitentesq; impietatis cauſas eſſe cauſis religionũ, neq; poſſe id pie ſuſcipi, quod impie ſuſceptũ eſſe decernitur. Vt hi nunc noui apoſtolicæ fidei emendatores euangelicũ & propheticum ſpiritum in lites diuidunt, & in iurgia partiuntur, ut hi aliter prophetauerint, & hi aliter prædicauerint, quia Salomon ad creaturæ nos ue-

*Als*oras*

*Als*impietatis*

*Als*inſtructa*

Chriſtus non eſt adoptiuus filius ſed natus, neque electus ſed generatus

nerationem uocet. Paulus uero seruientes creaturæ coarguat. Quæ utique non uidentur sibi secundum pietatis dei intelligentiam conuenire, ut Apostolus, & per legem doctus, & per pręfinitionem segregatus, & per loquentem in se Christum loquens, prophetiam aut ignorauerit aut non ignoratam dissoluerit, & nescire creaturam Christum quem creatorem nuncupauerit, & uetuerit creaturæ religionem, qui soli creatori seruiendum *nouerit dicens: Qui immutauerunt ueritatem dei in mendacium, & seruierunt creaturæ præterito creatore, qui est benedictus in secula. Parum ne arguit hāc falsiloqui impietatem loquens in Paulo Christus? Parum ne demutatæ ueritatis mendacium damnat? Per dominum enim Christum creata omnia sunt, & idcirco ei proprium nomen est ut creator sit. Non cadit in eum efficientiæ suæ & natura & nuncupatio, testis nobis est Melchisedech creatorem cœli atq; terræ deum ita prædicans: Benedictus Abraham deo summo, qui creauit cœlum & terram. Testis est & Osee propheta dicens: Formans cœlum & creans terram ego dominus deus tuus, cuius manus creauerunt omnem militiam cœli. Testis & Petrus ita scribens: Quasi fideli creatori commendantes animas uestras. Quid operis nomen opifici imponimus? Quid nostris cognominibus deum cognominamus? Creator noster est, creator omnis militiæ cœlestis est. Hæc cum ad filiū per quem omnia facta sunt, Apostolica atq; euangelica fide intelligenda referantur, quomodo his ipsis quæ gessit ęquabitur, & in ea erit naturæ nūcupatione, qua cuncta quæ facta sunt? Primum quidem humanæ intelligentiæ sensus hæc respuit, ut creator creatura sit, quia creatio per creatorem est. Qui si creatura sit, & corruptioni subditus est, expectationi obnoxius est, & seruituti subiectus est. Ait enim idem beatus Apostolus Paulus: Et enim longinqua expectatio creaturæ, reuelationem filiorum dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non sponte, sed propter eum qui subiecit in spe. Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem claritatis filiorum dei. Si igitur Christus creatura est, necesse est sub spe longinquę expectationis incertus sit, & longa eius expectatio nostra potius expectet, & expectans ea, uanitati subiectus sit, & per necessitatis subiectionē nō sponte subiectus sit. Subiectus autē non sponte cum sit, necesse est & seruus sit. Seruus autem cum sit, maneat etiā in corruptione naturæ. Hæc enim omnia creaturæ propria esse Apostolus docet, à quibus per longinquam expectationem liberanda, secundum humanam gloriam clarescet. Et ó impudentem de deo atq; impiam professionem, his eum per creaturæ contumeliam ludibrijs deputare, ut speret, ut seruiat, ut coactus sit, ut liberandus sit in nostra non in sua, cum de suis nos ad aliquid prouehamur. Sed impietas nostra cum ingenti perfidiæ incremento per hanc illicitæ uocis audaciam eò procedit, ut quia filius creatura sit, pater quoq; non differat à creatura.

*Als *monuerit*

Verbum Melchisedech de deo filio intelligitur

Christus

Christus enim in forma dei manens formam serui accepit, & qui in forma dei est,si creatura est,deus non aberit à creatura,qui in forma dei sit creatura.Esse autem in forma dei, non alia intelligentia est q̄ in dei manere natura.Per quod & deus creatura est,quasi natura eius sit creatura. Qui autē in forma dei erat,deo se æqualem esse non rapuit, quia ex dei æqualitate, id est,ex forma eius in serui formam decederet. Decedere autem ex deo in hominem,nisi se ex dei forma deus euacuans non potuit.Euacuans autem se non abolitus est, ut non esset,cum esset & aliud quàm fuisset.Neq; enim defecit ex sese,qui se euacuauit in sese, cum uirtutis potestas etiam in euacuandi se potestate permaneat,& in formam serui transisse,nō sit naturam dei perdidisse, cum formam dei euacuasse nihil aliud quàm uirtus diuinæ sit potestatis.Adeo autem in forma dei esse,nihil aliud est quàm ęqualem deo esse,ut æqualitas honoris domino Iesu Christo, qui in forma dei est, debeatur ipso dicēte: Vt omnes honorificent filium sicut honorificant patrem.Qui non honorificat filium,non honorificat patrem,qui misit illum. Nunquam diuersitas rerum,nisi & in honore diuerso est.Res enim eædem uenerationis eiusdem sunt,quia ut summus honor indigne inferioribus defertur,ita cum contumelia superiorum inferiora his æquabuntur in honore. Filius autem si concreatio potius quàm natiuitas sit, per uenerationem qua exæquabitur patri,nulla nobis religio honoris ad patrem est,cum tanta nobis eius ueneratio imposita sit,quanta est creaturæ. Sed quia deo patri in eo quod ex deo deus est natus,æqualis est,est etiam ęqualis in honore. Filius enim est,non creatura. Et hæc de illo præclara uox patris est:Ex utero ante luciferum genui te. Non præiudicatur autem deo, ut sæpe iam diximus,per infirmitatem nostræ intelligentiæ,ut per id quod ex utero genuisse se dixit,ex partibus internis externisq; per membra coëuntibus,tanquam corporalium causarum originibus consistat,cum extra naturaliū necessitatum causas liber atq; absolutus,naturæ totius dominus manens, proprietatem natiuitatis unigeniti sui ex indemutabilis naturæ suæ uirtute significet. Ex spiritu enim spiritus nascens, licet de proprietate spiritus, per quam & ipse spiritus est nascatur,non tamen alia ei præter quàm*perfecta rum atq; indemutabilium causarū ad id quod nascitur causa est. Et ex causa licet perfecta atq; indemutabili nascens, necesse est ex causa in causæ ipsius proprietate nascatur.Proprietas autem humanarum* necessitatum intra causas uteri continetur.Sed deo non ex partibus perfecto, sed indemutabili per spiritum,quia deus spiritus est,non est internarum causarum naturalis necessitas.Sed quia nobis spiritus de spiritu natiuitatem prędicabat sensum nostrum*causarum nostrarum exemplo. Non in exemplum natiuitatis, sed ad intelligentiam generationis, ut exemplum illud non ad necessitatem proficiat sed ad sensum. Si igitur creatio est unigenitus deus,&

Esse in forma dei, est manere in natura dei

Infirmitas humanæ intelligētiæ nō prædicat diuinis

*Als*perfectæ atque indemutabilis substantiæ*

*Als*natiuitatum*

*Als*generationum*

quid ſibi uult ſignificatio intelligentiæ, quæ per conſuetudinem natiuitatis humanæ intelligentiam diuinæ generationis oſtendit? Plerunq; enim per hæc noſtrorum corporum membra, operationum ſuarum nobis deus momenta ſignificans, ſenſum noſtrum uſu intelligentiæ cõmunis edocuit, cum ait: Cuius manus creauerunt omnem militiam cœli. Vel iterum: Oculi domini ſuper iuſtos. Vel rurſum: Inueni Dauid Ieſſe filium ſecundum cor meum. Cum enim & uoluntas ſignificetur in corde, per quam Dauid morum probitate complacuit, & cognitio uniuerſitatis, qua extra ſcientiam dei nihil ſit, ſub oculorum uocabulo enuncietur, & operum efficientia quia nihil non ex deo ſit per nomen manuũ intelligatur, uolens & prouidens & agens de us cuncta, ſub ſignificatione cauſarum corporalium intelligendus ſine miniſterio corporali eſt, quo modo in eo quod ex utero genuit, non per cauſam corporalem intelligendæ natiuitatis ſenſus affertur, cum per cæteras membrorum ſignificationes, cęterarum quoq; in deo efficientiarum demonſtretur effectus? Quia ergo proponitur cor ad uoluntatem, oculi ad uiſum, manus ad effectum, cum tamen* extra partium infectam comparationem deus & uelit & prouideat & peragat, & hæc eadem per cor & oculos & manum enuncientur, nónne ſignificatio qua ex utero genuit, ueræ natiuitatis oſtenſio eſt? Nõ quod ex utero genuerit, ſicuti nec per manũ agat, nec per oculos uideat, nèc per cor uelit, ſed quia per ſignificationem horũ uere omnia agat & uideat, & uelit ita per ſignificationem uteri, uere ex ſe genuerit quem genuit, non per cauſam uteri, ſed ad ueritatis genuinę profeſſionem, ſicuti nec per cauſas corporũ aut uelit aut uideat aut agat, ſed utatur his partium nuncupationibus, ut per corporalium miniſteria uirtus efficientiarum incorporalium ſentiatur. Natura igitur humanæ conſuetudinis non ſinit, ſed nec dominicæ doctrinæ ſententia patitur magiſtro diſcipulum pręeſſe, uel ſeruum imperare domino, quod alterum alteri & per ignorantiam ſubiaceat, ut ignarus ſcientiæ, & per conditionem inferior ſit, ut dominatui ſeruitus. Quæ cum ita eſſe commune iudicium ſit, cuius nunc nos temeritatis exemplo, deum creaturam, & filium dei facturam & dicemus & exiſtimabimus? Cum nuſquam nobis hoc de ſe & magiſter & dominus ſeruis ac ſuis diſcipulis locutus ſit, neq; natiuitatem ſuã aut creationem aut facturam docuerit? Sed & pater nihil aliud cẽ filium teſtatus ſit, & filius nihil aliud cẽ proprium ſibi deum patrem profeſſus ſit? Natum utiq; nõ factum aut creatũ, ſicuti ait: Omnis qui diligit patrẽ, diligit & filiũ, qui natus eſt ex eo, factura autẽ opera creaturatũ ſunt, non generationis natiuitas. Non enim cœlum filius, aut terra filius, aut mundus natiuitas eſt, de quibus dictũ eſt: Omnia per ipſum facta ſunt. Et per propheram: Opera manuum tuarum ſunt cœli. Et per eundem: Opera manuum tuarum non omittas. Nunquid pictori pictura filius, aut gladius fabro filius, aut architecto domus filius?

Hæc

[Per membra noſtri corporis ſignificantur operationes dei

Als*ultra Als imperfectum

Hæc enim opera efficientium ſunt,at uero patri ſolus qui ex eo naſcitur,filius eſt.Et nos quidem filij deo,ſed per facturã filij. fuimus enim aliquando filij iracundiæ.Sed filij deo per ſpiritũ adoptionis effecti, & dici id meremur potius quàm naſcimur. Et quia omne quod fit, antequam fiat,non fuit,nos cum filij non fuiſſemus,ad id quod ſumus efficimur.Ante enim filij non eramus,ſed poſtquam meruimus hoc,ſumus. Sumus autem nõ nati,ſed facti:neq; generati,ſed acquiſiti.Acquiſiuit enim ſibi deus populum, & per hoc genuit.Genuiſſe autem deum filios nunquam cum proprietatis ſignificatione cognoſcimus. Non enim ait, filios meos genui & exaltaui, ſed hoc tantum,filios genui & exaltaui. Niſi fortè in eo quod ait:Filius primogenitus meus Iſraël,quiſquam hoc quod primogenitus meus dixit, ad detrahendam filio proprietatem generationis intelliget, ut quia & de Iſraël dixerit meus, aſſumptio factorum filiorum pro natiuitatis proprietate uſurpata ſit.Et idcirco nõ ſit natiuitati dei proprium, quod de eo dictũ eſt: Hic eſt filius meus dilectus, cum meus etiam illis proprium eſſe dicatur, quos nõ natos eſſe manifeſtum eſt.Non natos autem eſſe, licet nati eſſe dicantur,uel eo docetur cum dicitur:Populus qui naſcetur quem fecit dominus.Ergo populus Iſraël naſcet ut fiat.Neq; per id quod naſci dicitur,non intelligitur & fieri.Ex adoptione enim eſt filius nõ ex generatione, neq; ei proprietas,ſed nuncupatio eſt. Nam licet primogenitus meus de eo ſcriptum ſit,longe tamen multumq; differt,filius meus dilectus, & filius primogenitus meus. Vbi enim natiuitas eſt,ibi filius meus dilectus. Vbi uero electio ex gentibus eſt,& adoptio per uoluntatem eſt,ibi filius primogenitus meus.Hic quod ſuus eſt,ad primogenitũ eſt,illic quod ſuus eſt,ad filiũ eſt, & in natiuitate filij primũ ſuus eſt,& ſic dilectus.In electione,primum primogenitus,& ſic poſtea ſuus. Vt adoptato ex omnibus populis filio Iſraël proprium eſſet,quod primogenitus eſt.Nato uero unigenito deo,manifeſtum ſit,proprium eſſe quod filius ſit. Non eſt itaq; uera & perfecta natiuitas,ubi deputatur magis q̃ generatur, quia non ambiguũ eſt eum populum qui in filium naſcatur,& fieri.Quod autem fit cum nõ fuiſſet,& per id quod factum eſt dicitur naſci, non eſt in eo uera natiuitas, qui ante aliud quàm natum eſt fuerit.Et idcirco fuit antequam naſceretur, id eſt, antequam fieret,quia qui ex gentibus filius eſt, gens eſt antequam filius eſt,ac per id nõ uere filius,quia non ſemper filius. Vnigenitus autẽ deus neq; fuit aliquando non filius, neq; fuit aliquid antequam filius, neq; quicquam aliud ipſe niſi filius.Atq; ita qui ſemper eſt filius,non reliquit id de ſe intelligentiæ,ne aliquando non fuerit. Et natiuitates quidem humanæ habent in tempore non fuiſſe,primũ quidem quia omnes ex his omnibus qui ante fuerint naſcantur.Nam tametſi unicuiq; naſcentium, ex eo ſit origo qui fuerit,tamen ipſe ille ex quo naſcitur non fuit antequam natus eſt. Dehinc

Genuiſſe deus filios legitur, ſed ſine proprietatis ſignificatione

Filius primogenitus meus Iſrael

ipſe qui natus eſt,poſtquàm non fuit, natus eſt,tempore ipſo ante manen/te quàm naſcitur. Naſcens enim hodie,in eo quod heſternum fuit,nõ fuit. Et in id quod eſt, ex eo quod non fuit cœpit,& intra intelligentiã noſtram eſt heſterno id quod hodie naſcitur non fuiſſe. Atq; ita natiuitas eius per quam eſt poſt id quod non fuit manet,quia hodie primum poſt heſternũ tempus neceſſe eſt,ut ei ſit in tempore nõ fuiſſe.Et hęc quidem cõmunia in rerum humanarum origine ſunt, ut omnia initium ſui cum antea non fue/rint accipiant. Primum quidem,ut docuimus,per tempus, deinde per cau/ſam,Et per tempus quidem nõ ambiguum eſt,quin ea quæ nunc cœperint, ante non fuerint.Per cauſam uero,quia his non ex cauſis conſtet eſſe quod maneant. Reuolue enim omnes originum cauſas,& intelligentiam in ante/riora conuerte,inuenies nihil cœpiſſe per cauſam,dum omnia per uirtutem dei ad id quod ſunt creantur, non etiam naſcuntur ex aliquo. Ex quo eti/am unicuiq; generi per ſucceſſionem ipſam naturale eſt,ut non fuerit & cœ perit,dum & poſt tempus in tempore eſt,& cum ſemper uniuerſa poſt tem pus ſint,cauſam ſui quoq; de antea non extantibus ſumunt, dum ex his na ſcuntur quæ antea nõ fuerint,ipſo illo primo humani generis parẽte Adam ex terra quæ ex nihilo eſt, & poſt tempus, id eſt,poſt cœlum & terram,di/em,ſolem,lunam & aſtra formato,qui & originẽ non habuerit naſcendi,& cœperit cum nõ fuiſſet.Sed unigenito deo,cui non præeſt tempus anterius, non relinquitur ut aliquando non fuerit, quia ipſum illud aliquando iam temporis eſt,& incipiet nõ poſt eum tempus eſſe,ſed ipſe eſſe poſt tempus, cui in eo quod antequàm naſceretur nõ fuit,id ipſum in quo nõ fuit præfe/ratur. Deinde qui ex eo qui eſt, natus eſt,intelligi non poteſt,ex eo quod non fuit natus eſſe, quia eius qui eſt ad id quod eſt, cauſa eſt,non etiam id quod non eſt,origo naſcendi eſt. Ergo cui neq; in tẽpore eſt,ut aliquando non fuerit,neq; in patre,id eſt,autore eſt,ut ſubſiſtat ex nullis,nõ reliquit id de ſe occaſionis, ut aut ex nihilo natus ſit, aut nõ fuerit antequã naſceretur. Non ſum autem neſcius plærosq; eorum quibus aut per impietatem obtu ſa mens ſacramentum dei non capit, ut per aduerſi ſpiritus dominationem ſub ſpecie religionis obtrectandi deo furor pronus eſt,affirmare ſimplicio/rum auribus id ſolere nos cum ſemper filium fuiſſe dicamus, neq; aliquid aliquando fuiſſe,quod nõ fuit,ſine natiuitate eum per id quod ſemper fue/rit prædicare,quia humani ſenſus opinio id quod ſemper fuit non patiatur ut natum ſit.Naſcendi autem cauſa ut ſit quod nõ erat,eſſe uero quod non fuit,nihil aliud ſub cõmuni ſenſu eſſe quàm naſci.Adiiciant uero ad hæc ar/guta ſatis atq; auditui placentia:Si,inquit,natus eſt,cœpit. Et quum cœpit non fuit.Et cum non fuit,nõ patitur ut fuerit.Atq; idcirco piæ intelligentiæ ſermonẽ eſſe contendant, non fuit anteq; naſceretur, quia ut eſſet qui non erat matris eſt, non qui erat natus eſt. Neq; eguit natiuitate qui erat, cum

Argumentum contra natiui/tatem filij

ad id ut

ad id ut esset qui non erat nasceretur. Ac primum oportuerat homines religiosam diuinarum rerum scientiam præferentes, ubi euangelicæ atq; apostolicæ prędicationis ueritas pręcellebat, callidę philosophię tortuosas quę stiones abiicere & sectari potius fidem quæ in deo est, quia sensum infirmum facile fidei suæ præsidio sophisma syllogisticæ interrogationis exueret, cum captiosa propositio responsionem simplicem, sibiq; secundū interrogationem rerum obsecundantem ad ultimum iam sensus sui interrogatione spoliaret, ut quod professione amisisset, id iam cōscientia non teneret. Quid enim tam necessario interrogationi obsecūdabit, quàm ut cum à nobis quæratur, est ne aliquid antequam nascitur, in professiōe nostra sit non fuisse antequam nascitur? Neq; enim aut in natura aut in necessitate est, ut quod est nascatur, cum nasci quid ob id tantum ut sit, nō quia erat, necesse sit. Quod cum concessum fuerit à nobis, quia recte conceditur, exuti fidei sciētia, capti iam impijs atq; alienis studijs acquiescemus. Quod prouidēs ante beatus Paulus apostolus, sicut frequenter ostendimus, ut caueremus admonuit dicens: Videte ne quis uos spoliet per philosophiam & inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Cauendum igitur aduersum philosophiam est, & humanarum traditionum non tam euitanda sunt studia quàm refutanda. Neq; enim his ita concedendū est, quasi uincant potius quàm fallant. Quia nos Christum dei uirtutem & dei sapientiam prædicantes, æquum est humanas doctrinas non tam defugere quàm refellere, & simpliciores ne ab his spoliētur, & obstruere & instruere. Nam cū possit omnia, & in ea omnia sapienter deus possit, & nec uirtuti eius ratio, nec rationi uirtus obsistat, oportet & eos qui Christum prædicant mūdo, irreligiosis mundi imperfectisq; doctrinis per scientiam sapientis omnipotentiæ contraire. Secundum illud beati Apostoli dictum: Nostra enim arma non sunt carnalia, sed potentia deo, ad destructionem munitionum, rationes destruētia, & omnem altitudinem eleuatam aduersum cognitionem dei. Fidem non nudam Apostolus atq; inopem rationis reliquit, quæ quamuis potissima ad salutem sit, tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter aduersa tutum refugiendi recessum, non etiam retinebit constantem obnitendi securitatem, eritq; ut infirmibus sint post fugam castra, nō etiam ut *castra habentibus adsit interrita fortitudo. Contundendæ sunt ergo insolentes aduersum deum disputationes, & destruenda rationum fallacium munimenta, & eleuata ad impietatem ingenia conterenda, nec carnalibus armis, sed spiritualibus: nec terrena doctrina, sed cœlesti sapientia, ut quanta rerum diuinarum humanarumq; discretio est, tantum ultra terrena studia ratio cœlestis excedat. Cesset itaque solicitudo perfidiæ, neque negare nos, quia

Contra sophisticas captiones

*Alis *arma*

ipſa non intelligit exiſtimet,quod ſolum à nobis bene & intelligitur & creditur.Nam ipſa ſermonum enunciatione,cum natum confitemur, non tamen non natum prædicamus.Neq; enim id ipſum eſt, non natum atq; nasci.Quia illud ab altero, hoc uero à nemine eſt.Et aliud eſt ſine autore eſſe ſemper æternum,aliud quod patri,id eſt,autori eſt coæternum. Vbi enim pater autor eſt,ibi & natiuitas eſt.At uero ubi autor æternus eſt,ibi & natiuitas æterna eſt.Quia ſicut natiuitas ab autore eſt, ita & ab æterno autore æterna natiuitas eſt.Omne autem quod ſemper eſt & æternum eſt. Sed tamen non omne quod æternum eſt,etiam innatum eſt.Quia quod ab æterno naſcitur,habet æternum eſſe quod natum eſt.Quod autem non natum eſt,id cum æternitate non natum eſt. Quod uero ex ęterno natum eſt,id ſi non æternum natum eſt,iam non erit & pater autor ęternus.Si quid igitur ei qui ab æterno patre natus eſt,ex ęternitate defuerit,id ipſum autori non eſt ambiguum defuiſſe,quia quod gignēti eſt infinitum, infinitum eſt etiam naſcēti. Medium enim quid inter natiuitatem dei filij & generationem dei patris,nec ratio,nec ſenſus admittit.Quia & in generatiõe natiuitas eſt, & in natiuitate generatio eſt.Quod utrunq; ſine interuallo ſui eſt,quia ſine utroq; neutrum eſt.Quod ergo niſi ex utroq; non conſiſtit, id in omnibus niſi utrunq; non permanet,quia in aliquo alterum non relinquatur, quod id ipſum alterum in aliquo non poſſit eſſe ſine altero.Sed inquiet quiſquã diuini huius incapax ſacramenti:Omne quod natum eſt, non fuit, quia in id natum eſt, ut eſſet. Et quis igitur ambiget quin quæ in rebus humanis nata ſunt, aliquando non fuerint? Sed aliud eſt ex eo naſci qui non fuit, aliud ex eo naſci qui ſemper eſt. Infantia enim omnis cum antea non fuiſſet,cœpit ex tempore. Quæ rurſum in pueritiam excreſcẽs, poſt etiam adoleſcentiam coëgit in patrem,& non ſemper pater eſt, qui ante in adoleſcentiam per pueritiam, & in pueritiam per infantiam cœptam profecerit. Ergo qui non ſemper pater eſt,non ſemper & genuit. Vbi autem ſemper pater eſt, ſemper & filius eſt. Si itaque habes in cognitione uel ſenſu deum, in cuius cognitionis ſacramento proprium eſt quod pater eſt, non ſemper patrem eſſe filij unigeniti, habes & in intelligentia & ſcientia, non ſemper filium eſſe qui genitus eſt. Quod ſi ſemper patri proprium eſt,quod ſemper eſt pater,neceſſe eſt filio ſemper proprium eſſe,quod ſemper eſt filius. Et quomodo in ſermonem noſtrum atque intelligentiam cadet,ut non fuerit antequam naſceretur,cui propriũ eſt,ſemper eſſe quod natus eſt? Formam itaq; atq; imaginem inuiſibilis dei unigenitus in ſe deus continens, in omnibus his quæ propria deo patri ſunt,per plenitudinem ueræ in ſe diuinitatis æquatur. Nam ut ſuperioribus libris docuimus, per uirtutem & ueneratioñem ſicut pater & honorandus & potens eſt,ita & in eo quod pater ſemper eſt, ei quoque in eo quod filius eſt, filio ſemper eſſe commune

Nullum medium inter natiuitatẽ filij dei & generatiõẽ dei patris

eſt

eſt. Nam ſecundum ad Moyſen dictũ, miſit me ad uos is qui eſt, deo proprium eſſe id quod eſt, non ambigens ſenſus eſt, quia id quod eſt, non poteſt intelligi dici q̃ non eſſe. Eſſe enim & non eſſe, contraria ſunt, neque hæ diuerſæ ſignificationes in unum atq; idem coëunt, quia manente alia altera nõ erit. Ergo ubi eſſe eſt, non poteſt uel ſenſum uel ſermonem inire non eſſe, ſenſui noſtro retroacto ſemperq; reuocato ad intelligentiam eius qui eſt, *deo id ipſum tantum quod eſt dei, ſemper anterius eſt, quia id quod infinitum in deo eſt ſemper infinitatem ſe ſenſus noſtri recurſui ſubtrahat, Vt ante id quod proprium deo eſt, ſemper eſſe aliquid aliud intentio retroacta nõ capiat, quia nihil aliud ultra ad intelligendam dei æternitatem procedat, quũ deum ſemper eſſe ſemper occurrat. Quod igitur & per Moyſen de deo ſignificatum, & per communem ſenſum nihil aliud nobis intelligendum permittitur, id ipſum unigenito deo eſſe proprium euangeliſta teſtatur, cum in principio erat uerbũ, & cum apud deum hoc erat, & cum lumen uerũ, & cum unigenitus deus in ſinu patris eſt, & cum Ieſus Chriſtus ſuper omnia deus eſt. Erat igitur atq; eſt, quia ab eo eſt, qui quod eſt, ſemper eſt. Ab eo autem eſſe, id eſt, ex patre eſſe, natiuitas eſt. Eſſe autem ſemper ab eo, qui eſt ſemper, ęternitas eſt. Aeternitas uero nõ ex ſe, ſed ex æterno, ex æterno autem nihil aliud quàm æternum. Quod ſi non æternũ, iam nec pater, qui generationis eſt autor, æternus eſt. Quod ſi illi patrem ſemper eſſe, atq; huic filium ſemper eſſe proprium eſt, & in eo quod eſt, ſignificatur æternitas, per id quoq; cui quod eſt, proprium eſt, proprium eſt & ęternũ. Nemini autem dubium eſt, quin generatio ſignificet natiuitatem, & natiuitas manentem doceat, non etiam non manentem. Porrò autem ambigi non poteſt, neminẽ qui erat naſci. Nam naſcendi ad eum non proficit cauſa, qui per ſe maneat æternus. Sed unigenitus deus, qui & dei ſapientia & dei uirtus & uerbũ eſt, cum natus ſit, patrem teſtatur autorem. Cum ex manente natus eſt, nõ eſt natus ex nihilo. Et cum ante tempora æterna natus, omnem ſenſum neceſſe eſt naſcendo præueniat, nec reliquit in uerbis, ut non fuerit antequam naſceretur. Si enim ſenſui noſtro ſubiacet, ut non fuerit antequam natus eſt, iam natiuitate eius & ſenſus noſter & tempus anterius eſt. Quia omne quod non fuit iam & ſenſui obnoxium eſt & tempori, in ea ipſa ſignificatione qua non fuit. Quia non fuiſſe, pars temporis eſt. Qui autem ab æterno eſt & ſemper fuit, dum & ſemper fuiſſe, ſupra tempus eſt, & natum eſſe natiuitas eſt. Natum itaq; unigenitum deum, ſed natum ante tempora æterna confitemur. Quia cõfiteri neceſſe eſt, in quod nos Apoſtolicarum atque propheticarum prædicationum dicta concludunt, cum tamen ſenſus humanus intelligentiam intemporalis natiuitatis non apprehendat, quia aliquid in naturis terrenis ante tempora natum eſſe non competit. Quod cum ita à nobis prædicabitur, quo modo rurſum

*Alẽ *deus. Forte legendum ſemper per infinitatẽ ſi ſenſus noſtri recurſui ſubtrahit*

In quodam codice hoc erat additũ nec eſt ſine natiuitate nec non fuit

Sẽſus hũanus natiuitatẽ intemporalẽ nõ apprehendit

eiuſdem intelligentiæ complexu, non fuiſſe antequam naſcitur dicemus, cum ſecundum Apoſtolum ante tempora æterna ſit unigenitus deus? Si igitur natũ ante tempora æterna nõ ratio humanæ intelligẽtię, ſed prudentiæ fidelis profeſſio eſt, quia & natiuitas per autorem eſt, & quod tempora excedit, æternum eſt, & extra ſenſum terrenum eſt quod ante tempora æterna ſit natum, certe iam impia uoluntate ſenſum humanæ rationis extollimus, ut per intelligentiam mundi non fuerit antequam naſcitur, cum ultra ſenſum humanum & intelligentiam mundi naſcatur æternum. Aeternum autem eſt, quicquid tempus excedit. Tempora enim omnia uel opinione complectimur, uel ſcientia, cum quod nunc eſt, ſcimus non etiam pridie fuiſſe, quia quod pridie fuerit nunc non ſit, quod autem eſt, nunc tantum ſit, non & pridie fuerit. Opinione uero ita præterita metimur, ut ante urbem aliquã inſtitutam, etiam non ambigatur tempus fuiſſe, quo urbs inſtituta nõ fuerit. Cum ergo uel ſcientię uel opinioni noſtræ ſubiaceant tempora, ſenſu humanæ intelligentiæ iudicamus, ut de aliqua ratione dixiſſe exiſtimemur, non fuit antequam naſceretur, quia uniuſcuiuſq; originem tempora ſemper antelata præueniant. At uero cum in dei rebus, id eſt, in dei natiuitate nihil nõ ante tempus æternũ ſit, non cadit in id, ut antequam natus eſt, cuiq; ante tempora æterna promiſſum æternum ſit, ſecundum beati Apoſtoli dictum, in ſpe uitæ ęternæ quam promiſit non mendax deus ante tempora æterna, aliquando non fuiſſe dicatur, quia intelligi non poteſt cœpiſſe poſt aliquid, qui eſſe ſit ante æterna tempora confitendus. Si ergo naſci aliquid ante tempora æterna, neq; in naturis humanis eſt, neque in intelligentia, & tamen in hoc profeſſionibus de ſe dei creditur, quo modo id quod ſine ſenſu intelligentiæ æternæ natum ſemper, id eſt, ante tempora æterna eſſe apoſtolica fides locuta ſit, id rurſum non fuiſſe antequam naſcitur, per ſenſum humanæ intelligentiæ noſtri temporis æſtimatione infidelitas eloquitur? Cum quod ante tempus natum eſt, ſemper eſt natum, quia id quod eſt ante æternum tempus, hoc ſemper eſt. Quod autem ſemper eſt natum, non admittit ne aliquando non fuerit, quia aliquando non fuiſſe, iam non eſt ſemper eſſe. Semper autem eſſe excludit nõ ſemper fuiſſe. Et excluſo eo per id quod ſemper eſt natus, non ſemper fuiſſe, non cadit in ſenſum, ut non fuerit antequam natus ſit, quia qui ante tempora æterna natus eſt, natus eſſe ſemper in ſenſu eſt, cum tamen ante tempora natum non eſſe non ſubeat in ſenſum. Nam ſi quod utiq; conuenit, ante creaturam ſeu inuiſibilem, ſeu corporalẽ & ante omnia ſecula & tempora æterna, & ante ſenſum omnẽ natus confitendus eſt eſſe, qui per id quod ita natus eſt, ſemper eſt, concipi quoq; nullo ſenſu licet, ut nõ fuerit anteq; naſceretur, quia & ante ſenſum omnem eſt qui ante tempora æterna natus eſt. Et in ſenſu nunq; eſt eum qui ſemper eſſe cõfitendus eſt non fuiſſe.

Tempora omnia uel opinione uel ſcientia cõplectuntur

Sed

Sed argute huius interrogationis calumnia antefertur: Si, inquit, in ſenſum non cadit non fuiſſe anteq̄ naſcitur, reliquum hoc ſenſui eſt, ut qui erat natus ſit. Et calumnianti reſpondebo. Nunquid à me aliud q̄ natum dici meminerit? Aut nunquid ante tempora ęterna eſſe, id ipſum ſit quod eſt, eum qui erat naſci? quia naſci quod erat, iam non naſci eſt, ſed ſeipſum demutare naſcendo eſt. Natum autem ſemper eſſe, hoc eſt ſenſum temporum naſcendo præcurrere, neq̄ intelligentiæ patere aliquando fuiſſe non natum. Non eſt itaq̄ id ipſum natū ante tempora æterna ſemper eſſe, & eſſe antequam naſci. Natum autem ante tempora æterna ſemper eſſe, excludit non fuiſſe anteq̄ naſcitur. Cæterū non relinquit prius eſſe q̄ naſci, quia qui ultra ſenſum eſt, in nullo ſubiacet ſenſui. Nam ſi ultra ſenſum eſt, natum ſemper eſſe, non licet iam eſſe poſt ſenſum non fuiſſe eum anteq̄ naſceretur. Cum itaq̄ natum ſemper eſſe, nihil aliud ſit confitendum eſſe q̄ natum, id ſenſui anteq̄ naſceretur uel fuiſſe, uel non fuiſſe non ſubiacet, quia ſenſum nihil aliud quàm ante tempora æterna natum eſſe ſemper anteuenit. Natus itaq̄ eſt, & ſemper eſt qui nihil aliud de ſe patitur intelligi aut dici poſſe, niſi natū. Nam cū anterior ipſo tempore ſenſu nō eſt, quia ante ſenſum tempus ęternū eſt, nō admittit ſenſum de ſe dijudicantē, eſſe aut nō fuiſſe anteq̄ naſceretur, quia & eſſe anteq̄ naſcitur, nō ſit natiuitatis, & non fuiſſe, iam temporis ſit. Ergo & infinitas temporū ęternorum, quod eſt temporis, id eſt, non fuiſſe, conſumit, & natiuitas quod ſuum non eſt, id eſt, antequam naſcitur eſſe non patitur. Quod ſi aut eſſe aut non fuiſſe ſenſui ſubiacebit, iam natiuitas ipſa poſt tempus eſt. Quia qui non ſemper eſt, neceſſe eſt cœperit eſſe poſt aliquid. Finis igitur & fidei & ſermonis & ſenſus eſt, dominum Ieſum & natum eſſe & ſemper eſſe, quia ſi quid de filio mens retroacta ſcrutabitur, nihil aliud ſcrutantis ſenſui quàm natum eſſe & ſemper eſſe, ſemper occurret. Vt igitur deo patri proprium eſt ſine natiuitate, ita & filio debitum eſt, per natiuitatem ſemper eſſe. Natiuitas autem nihil aliud quàm patrem, neque pater aliud quàm natiuitatem enunciabit. Mediū enim nihil quicquam nomina iſta aut natura permittit. Aut enim non ſemper pater, ſi non ſemper filius, aut ſi ſemper pater, ſemper & filius, quia quantum filio temporis ne ſemper filius fuerit, abnegabitur, tantum patri deeſt ne pater ſemper ſit. Vt licet ſemper deus, non tamen & pater in ea fuerit infinitate, qua deus eſt. Etiam in id ſe profeſſio impietatis extendet, ut nō filio tempora natiuitatis, ſed patri generationis aſcribat, quia generationis modus intra natiuitatis ſit tempora cōſtitutus. Pium tibi ac religioſum hæretice, exiſtimas, deū ſemper quidem, ſed non ſemper patrē confiteri? Quod ſi ita ſentire te pium eſt, Paulum impietatis, neceſſe eſt filiū ante tempora æterna eſſe dicentem, cōdemnes. Etiā ipſam de ſe teſtantem ſapientiā, quod ante ſecula fundata ſit, crimineris, quæ patri aderat, tum cum

Natū ſemper eſſe uel aliud q̄ natum

cœlum

cœlum præpararet. Sed tu ut deo initiũ tribuas quo pater eſt, prius tempo ribus initiũ decerne quo cœpta ſunt. Quæ ſi cœpta ſunt, mendax eſt Apoſtolus, qui ea ſit profeſſus æterna. Soletis enim tẽpora de ſolis ac lunę creatione numerare, quia ſcriptũ de his ſit: Et ſint in ſigna & tempora & annos. Sed qui ante cœlum eſt, quod ſecundum uos etiam ante tempus eſt, idem & ante ſeculum eſt. Neq; ſolum ante ſeculum eſt, ſed etiam ante generationes generationum ſeculum præeuntes. Quid caducis & terrenis & anguſtis diuina & infinita concludis? Neſcit Paulus in Chriſto niſi temporum æternitatẽ. Non poſt aliquid ſe eſſe ſapientia, ſed ante omnia loquitur: Tecum à ſole ac luna tempora inſtituta ſunt. Chriſtũ autẽ ante ſolem permanere ſignificat dicens: Ante ſolem permanet nomen eius. Et ne res dei mundi iſtius origine inchoatas arbitreris, idem dixit: Et ante lunã & generationes generationum. Deſpiciuntur hæc tempora à tantis uiris & prophetico ſpiritu dignis, & nihil ſenſui humano relinquitur, in quo ſe ante natiuitatẽ, quæ tempora æterna excedit, extendat. Sed hunc modum tantum habeat religioſæ opinionis fides, ut dominum Ieſum Chriſtum unigenitum deum, & ad perfectæ natiuitatis confeſſionem natum meminerit, & in diuinitatis ueneratione non ignoret æternũ. Sed accuſamur mendacij, & unà nobiſcum doctrina Apoſtolicæ prædicationis arguitur, natiuitatem quidem confeſſa, ſed æternitatem natiuitatis profeſſa. Vt & natiuitas teſtaretur autorem, & æternitas in ſacramento diuinæ natiuitatis ſenſum humanæ opinionis excederet. Profertur enim aduerſum nos ſapientiæ de ſe proteſtatio, quæ creatam ſe docuerit his dictis: Dominus creauit me initium uiarum ſuarum. Et ó te miſer hæretice, quid indulta eccleſiæ aduerſum ſynagogam arma, contra fidem eccleſiaſticæ prædicationis inuadis? & doctrinæ ſalutaris munitiſſimam intelligentiã rapis aduerſum uniuerſorum ſalutem, creaturam Chriſtum per hæc uerba eſſe contendens? Nam Iudæũ potius negantem Chriſti ante ſecula æterna diuinitatem, & in omnibus operibus ac doctrinis dei efficientiã hęc uerba ſapientiæ ſubſiſtentis extinguũt, quæ ſe nunc creatam initium uiarum dei, & in opera eius à ſeculo dixerit, ne forte ante Mariam manere non exiſtimaretur, neq; tamen creatam ſe ad natiuitatis intelligentiam referret, quia uiarum initium, & in opera ſit creata. At uero ne hoc uiarum initium quod utiq; de diuinis rebus humanæ cognitionis exordium eſt, quiſquam ad ſubiiciendam tempori natiuitatem infinitam deputaret, fundatã ſe ante ſecula eſt profeſſa. Vt dum aliud eſt in uiarum initium, & in opera creari, & aliud eſt ante ſecula fundari, anterior intelligeretur eſſe & creatione & fundatione, & hoc ipſum quod fundata in opera ante ſeculum eſt, ſacramentum creationis oſtenderet: quia fundatio ante ſeculum, & creatio in uiarum initium atq; in opera, poſt ſeculum ſit. Iam uero ne creatio & fundatio fidem diuinæ natiuitatis offenderet,

Quõ ſcriptura, Dominus creauit me & initium uiarũ ſuarum intelligitur

Locus hic uarius habebatur, nec mihi adhuc ſatisfacit

ſequitur

ſequitur:Prius quàm terram faceret,prius quàm mõtes ſtabiliret,ante omnes colles genuit me.Iam genitus eſt ante terram, qui ante ſecula fundatus eſt:neq; ſolum ante terram,ſed etiam ante montes atq; colles.Et in his quidem quia de ſe ſapientia loquitur,plus loquit᷑ quàm auditur. Omnia enim quæcunq; ad infinitatis intelligentiam ſignificantur, iſtiuſmodi eſſe oportet,ne rei cuiquam aut generi ſecunda in tempore ſint. Cæterum ad æternitatis demonſtrationem nequaquam temporalia coaptabuntur, quia per id quod poſteriora ſunt cæteris, per ſe ipſa non manifeſtant infinitatis exordium,cum temporale ſortita ſint. Quid enim magnũ eſt,ut ante terram deus dominum Chriſtum generaret,cum angelorum origo terræ creatione reperiatur antiquior? Aut cur qui ante terram genitus diceretur, etiam ante montes & colles manifeſtaretur, cum collium ſignificatio poſt montes ſit,mõtium uero intelligentia poſt terram ſit? Per quod exiſtimari non poteſt,idcirco hæc eſſe dicta,ut ante montes & colles & terram eſſe intelligeretur,qui ea quæ ante terrã & montes & colles ſunt,infinitatis ſuæ æternitate præcelleret. Sed ſenſum noſtrum ſermo diuinus non inopem rationis reliquit, nam cauſam dicti per hæc quæ conſequuntur oſtendit: Deus fecit regiones,& inhabitabilia & cacumina quę habitantur ſub cœlo. Cum pararet cœlum,eram cum illo,& cum ſecernebat ſuam ſedem.Quando ſuper uentos ualidas faciebat in ſummo nubes,& cum certos ponebat fontes ſub cœlo, & cum fortia faciebat fundamenta terræ, ego eram apud illum componens.Quis hic temporum locus eſt? aut quo ſe extendere ultra infinitam unigeniti dei natiuitatem humanæ intelligentiæ ſenſus permittitur? Non enim per hæc, quorum creationem mente concipimus, comprehendi generatio eius poteſt,qui anterior his omnibus eſt, ut quamuis præſtet in tempore,non tamen infinitus ſit,cui hoc ſolum tributum ſit,ut ante temporalia natus ſit. Nam cum illa tempori in ſui conſtitutione ſubiaceant,ille tamen licet anterior his omnibus ſit, non ſit liber à tempore, quia temporalis horum conſtitutio tempus natiuitatis eius qui ante ſit natus,oſtendat,dum hoc ipſum ei temporale eſt,quod temporalibus antefertur. Sed dei ſermo & ueræ ſapientiæ doctrina quæ loquitur, & perfecta & abſoluta ſignificat,docens ſe nõ temporalibus eſſe anteriorem,ſed infinitis.Cum enim præpararetur cœlum,aderat cum eo. Nunquid cœli præparatio deo eſt temporalis? Et*res cogitationis motu ſubito in mentem tanquam antea torpidam ſtupentemq; ſubrepſit,humanoq; modo fabricandi cœli impenſam & inſtrumenta quęſiuit? Atqui alius prophetæ de operationibus domini ſenſus eſt,cum ait: Verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Præcepto tamen dei cœli ut firmarentur egerunt. nam apparatus & uirtus eorũ in hac imperturbatæ inſtitutionis ſuæ firmitate, non de temporatione alicuius, & permixtione materiæ, ſed ex

Angeli ante mundũ creati reperiuntur

Non poteſt filij generatio comprehendi per creata

Dei ſermo pro filio dei

Aũ repens cogitationis motus*

ſpiritu

ſpiritu diuini oris exiſtit. Quid ergo eſt præparāti deo cœlum genitam ab eo adeſſe ſapientiam,cum neq; creatio cœli ex præparatione cōſiſtat, neq; naturæ dei ſit, in apparatu eum cogitandi operis commorari? Nihil enim non ſemper cum deo fuit,quicquid in rebus eſt:quę & ſi ad creationem ſui cœpta ſunt,non ſunt tamen ad dei uel præſcientiam, uel poteſtatem inchoata. Et teſtis eſt nobis propheta dicens:Deus qui feciſti omnia quæ futura ſunt. Quæ enim futura ſunt,licet in eo quod creanda ſunt,adhuc fient, deo tamen,cui in creandis rebus nihil nouum ac recens eſt,iam facta ſunt,dum & temporum diſpenſatio eſt ut creentur, & iam in diuinæ uirtutis & præſcientiæ efficientia ſint creata. Et idcirco nunc ſapientia natam ſe ante ſecula docens,anteriorem ſe non ſolum his quæ creata ſunt,docet,ſed æternis coæternam,præparationi ſcilicet cœli,& diſcretioni ſedis dei. Non enim tum diſcreta ſedes eſt,cum effecta eſt,quia aliud eſt diſcerni ſedem, aliud componi. Neq; tum paratum cœlum eſt,cum præparatum eſt, nam erat apud præparantem & diſcernentem. Poſt uero componebat cum parante æternitatem ſuam,cum præparanti adeſt & miniſterium, quando cum parante componit, oſtendens. Idcirco nunc etiam ante terram & montes & colles genitā ſe eſſe dixit, quia & præparationi cœli affuiſſe ſe doceret,ut hæc iam tunc cum præpararetur cœlum,penes deum facta eſſe per id quod nihil deo nouum eſt,demonſtraret. Perpetua enim & æterna rerum creandarum eſt præparatio, neq; partibus cogitationū uniuerſitatis huius corpus effectum eſt,ut primum de cœlo ſit cogitatū,tum poſtea terræ cura & tractatus deum inierit,conſultatumq; per ſingula ſit, ut primum in planiciem diffunderetur,deinde poſtea meliori cōſilio montibus eleuaretur, rurſum autem etiam collibus uariaretur, quarto deinde habitabilis etiam in ipſis cacuminibus redderetur, præpararetureq; cœlū, ac ſedes dei ſegregaretur, uentorumq; exhalationes nubes in ſummo ualidæ continerent. Tum deinde certi ſub cœlo fontes*mearent,ac poſtremo fundamentis terra fortioribus confirmaretur. Singulis enim his omnibus anteriorē ſe ſapientia eſſe profitetur. Sed cum omnia per deum quæ ſub cœlo ſunt,facta ſint,& componendo cœlo Chriſtus affuerit,& ipſam præparati cœli præueniat æternitatem, non patitur hoc exiſtimari in deo minutarum rerum particulatas cogitationes,quia omnis horū præparatio deo eſt coæterna. Nam tametſi habeat diſpenſationem ſui ſecundum Moyſen firmamenti ſolidatio,aridę nudatio,maris congregatio,aſtrorum conſtitutio, aquarum terræq; in eiiciendis ex ſe animantibus generatio, non tamen cœli, terræ,cæterorumq; elementorū creatio leui ſaltem momento operationis diſcernitur, quia eorum præparatio æquabili penes deum æternitatis infinitate cōſtiterat. His igitur infinitis & ęternis in deo Chriſtus cum adeſſet,ſolam nobis natiuitatis ſuæ permiſit cōſcientiam,ut quantū ad fidem proficeret dei intellectus,

Creaturæ nō ſunt ad dei poteſtatem uel præſcientiam incœptæ

*Als*manarēt*

Componendo cœlo Chriſtus affuit

Omnis præparatio creaturarum eſt deo coæterna

tantum

tantum ualeret ad ſuſceptam religionem cognita natiuitatis ęternitas,quia ex eo qui æternus eſt patre,nec ratio,nec ſenſus admittat,niſi coæternum filium prædicari. Sed creationis nomen nos & profeſſio mouet.Moueat ſanè nomen creationis, ſi non natiuitas ante ſecula, & creatio in initium uiarum dei & in opera prædicatur. Non enim poteſt natiuitas pro creatione accipi,cum natiuitas ante cauſam ſit,creatio uero per cauſam.Ante præparationem enim cœli erat, & ante ſecula fundata, quæ initium uiarum dei & in opera eſt creata. Aut nunquid eiuſdem intelligentiæ eſt initium uiarum, & in opera creari, & naſci ante omnia, quorum unum habet tempus in geſtis,aliud uero intemporalem intelligentiam continet? Aut fortè uelis id quod in opera creatur,ita intelligi oportere,ut propter opera ſit creatus, id eſt,ut Chriſtus cauſa efficiendorum operũ ſit creatus, ut ipſe ſeruus potius & operator mundi maneret,non dominus gloriæ natus eſſet,& ad miniſterium efficiendi ſeculi crearetur, non etiam ſemper filius dilectionis & rex ſeculorum.Sed quanquam hunc impĩſſimum ſenſum tuum intelligentia communis extinguat,quia aliud ſit initium uiarum dei & in opera creari,aliud ante ſecula naſci,tamen hic idem locus,ne propter operationẽ mundi deum Chriſtum creatum eſſe mentireris,occurrit,cum deum patrem effectorem atq; operatorem uniuerſitatis oſtendit.Tuto id quidem pro nobis, quia ei qui pararet omnia, adeſſet ipſe componens. Sed cum ſcriptura omnis creatorem mundi dominũ Ieſum Chriſtum eſſet loquutura, nunc tamen ſapientia ad denegandam impietatis occaſionem, & fabricatorem mundi deum patrem profeſſa eſt, neque ſe fabricanti deo docuit abfuiſſe. Quippe cum adeſſet etiam præparanti, & cum pater pararet, & ſapientia cum parante componeret,adeſſetq; etiam præparanti,per id ipſum utrunque complexa eſt, ne propter opera creata eſſe intelligeretur, quæ æternæ præparationi futurorum operũ affuiſſet, neq; ſcripturam mendacem conſtitueret,quia cum parante componeret.Sed tandem per doctrinæ catholicæ reuelationem, quid ſit Chriſtum initium uiarum dei & in opera creatum eſſe,in principio hæretice cognoſce,& ipſius ſapientiæ dictis impiæ hebetudinis tuæ diſce ſtultitiam. Cœpit enim ita: Si enunciauero uobis quæ quotidie fiunt, memorabor ea quæ à ſeculo ſunt, enumerare. Namq; cum ante dixiſſet.O uos homines obſecro, & emitto uocem meam filijs hominum,intelligite ſimplices aſtutiam, in doctrina autem cor apponite. Et rurſum:Per me reges regnant,& potentes * ſciunt iuſtitiam. Per me principes magnificantur,& tyranni per me tenent terram.Et rurſum:In uijs ęquitatis ambulo,& inter medias ſemitas iuſtitię conuerſor, ut diuidam diligentibus me ſubſtantiam, & theſauros eorum impleam bonis. Quotidianum opus ſuum ſapientia non tacet, & primum uniuerſos obſecrans monet,& ſimplices intelligere aſtutiam, & indoctos cor apponere, ut uerborum diſtinctas

* Alij ſcribunt

diſcretasq; uirtutes uehemens ac diligens lector expenderet. Suis itaque modis, ſuis conſtitutionibus uniuerſa agi, intelligi, laudari, teneri docet, & intra ſe regna regum, & potentium prudentiam, & principum famoſa opera, & ius terram obtinentium tyrannorum contineri oſtendit, ſe quoq; non admiſceri iniquitatibus, nec iniuſtitijs intereſſe. Et hoc ob id, ut uniuerſis æquitatis ac iuſtitiæ operibus intercedendo diligentibus ſe, æternorum bonorum, & incorruptorum theſaurorum opulentiam ſubminiſtret. Ergo ea ſe quæ quotidie fiunt, enarraturam profeſſa, memorem ſe quoq; ad enumeranda ea, quæ à ſeculo ſunt, pollicetur. Et nunc quis hebetudinis ſenſus eſt, ea quæ à ſeculo eſſe memorata ſunt, quod ante ſecula geſta ſint, exiſtimare? quia in his quæ à ſeculo ſunt, opus omne poſt ſeculum eſt, à uero quæ ante ſeculum ſunt, præueniunt ſeculi à ſe poſterioris conſtitutionem. Memorem itaque ſe ad dicenda ea quę à ſeculo ſunt profeſſa, ſapientia ait: Dominus creauit me initium uiarum ſuarum in opera ſua. Rerum itaque à ſeculo geſtarum ſignificatio iſta eſt, neq; generationis ante ſecula * prædicat initium, ſed diſpenſationis à ſeculo initæ doctrina eſt. Et quærendũ eſt, quid ſit natum ante ſecula deum, rurſum initium uiarũ dei & in opera creari, quia ubi ante ſeculũ eſt natiuitas, illic infinitæ generationis æternitas eſt. Vbi uero à ſeculo eſt creatio, eademq; in uias dei atq; in opera eius oſtenditur, illic operibus ac uijs cauſa creationis aptata eſt. Ac primũ quia Chriſtus ſapientia eſt, uidendum eſt, an ipſe ſit initium operum uiæ dei. Nec, ut opinor, ambigitur, ait enim: Ego ſum uia, & nemo uadit ad patrem, niſi per me. Via eſt, dux euntium, feſtinantiũ curſus, ignorantium ſecuritas, & quædam neſcitarum ac deſideratarum rerum magiſtra. Ergo uiarum initium & in opera dei creatur, quia & uia eſt, & deducit ad patrem. Sed creationis huius quæ à ſeculis eſt, ratio quærenda eſt. Nam ultimæ diſpenſationis ſacramentum eſt, quod etiam creatus in corpore, uiam ſe dei operũ eſt profeſſus. Creatus autem eſt in uia dei à ſeculo, cum ad cõſpicabilem ſpeciem ſubditus creaturæ, habitum creationis aſſumpſit. Videamus itaq; in quas dei uias, & in quæ dei opera à ſeculis creata ſit nata ante ſecula ex deo ſapientia. Vocem deambulantis in paradiſo Adam audiuit. Putas ne deambulantis inceſſum, niſi in ſpecie aſſumptæ creationis auditum, ut in aliqua creatione conſiſteret, qui inambulant fuerit auditus? Non requiro qualis ad Cain & Abel & Noe loquutus ſit, & benedicẽs quoq; Enoch qualis affuerit. Angelus ad Agar loquitur, & utiq; idem deus eſt. Nunquid ſpeciei eiuſdem eſt, cum angelus uidetur, cum eſt in ea natura qua deus eſt? Certe ſpecies angeli oſtenditur, ubi poſtea dei natura memoratur. Sed quid de angelo dicam? Homo ad Abraham uenit. Nunquid ſecundum hominem in creationis iſtius habitu Chriſtus talis aſſiſtit, qualis & deus eſt? Sed homo loquitur, & corpore aſſiſtit, & cibo alitur, ueruntamen deus adoratur. Certe

Als prædicatæ*

An Chriſtus initiũ ſit operum uiæ dei

qui

qui ante angelus,nunc etiam homo eſt,ne naturalem hanc eſſe dei ſpeciem diuerſitas huius ipſius aſſumptę creationis pateretur intelligi. Adeſt autem ad Iacob etiam uſque ad luctæ complexum in habitu humano,& manum conſerit,& membris nititur,& lateribus inflectitur,& in omni motu noſtro inceſſuq; conſiſtit. Sed idem poſtea & Moyſi eſſe ignis oſtenditur, ut naturæ creatæ tum potius ad ſpeciem quàm ad ſubſtantiam naturæ fidem diſceres. Habuit tum in ſe poteſtatem conflagrandi, nec tamen naturalem ſuſcipiens urendi neceſſitatem,quia ſine rubi damno cõflagratio ignis apparuit. Curre per tempora, & intellige qualis uiſus ſit, uel Ieſu naue nominis ſui prophetæ,uel Eſaiæ etiam cum Euangelico teſtimonio uiſum prædicanti,uel Ezechieli uſque ad conſcientiam reſurrectionis aſſumpto,uel Danieli,hominis filium in æternorum ſeculorum ſempiternitate confitenti,& cæteris alijs, quibus ſe in habitu uariæ creationis ingeſſit, in uijs dei & in opera dei,ad cognitionem ſcilicet dei,& noſtræ æternitatis profectũ. Quid hic nunc hæc humanæ ſalutis diſpenſatio tam impiam æternæ natiuitatis contumeliam molitur? Creatio iſta à ſeculis eſt,cæterũ ante ſecula infinita natiuitas eſt. Vim ſanè nos dictis afferre contende, ſi propheta, ſi dominus,ſi apoſtolus,ſi ſermo ullus ad diuinitatis æternæ natiuitatem creaturæ rettulit nomen. In his enim omnibus deus, qui ignis conſumens eſt, ita creatus ineſt, ut creationẽ ea uirtute qua aſſumpſit abſumeret, potens abolere rurſum quod tantum ad cauſam contemplationis extiterat. Beatam autem illam & ueram conceptæ intra uirginem carnis natiuitatem qua tum creaturæ noſtræ & natura & ſpecies naſcebatur,creaturam & facturam Apoſtolus nominauit. Et certe cum eo ueræ ſecundũ hominem natiuitatis hoc nomen eſt,cum ait: At ubi uenit adimpletio temporis,miſit deus filium ſuum factum de muliere,factum ſub lege,ut eos qui ſub lege erant,redimeret,ut adoptionem filiorum conſequeremur. Filius itaq; ſuus eſt,qui eſt in homine,& ex homine factura. Neq; factura tantum, ſed etiam creatura,ut dicitur: Sicut eſt ueritas in Ieſu,deponere uos ſecundum priorem conuerſationem ueterem hominem, eum qui corrumpitur ſecundum concupiſcentias eius deceptionis. Innouamini autem ſpiritu ſenſus ueſtri, & induite nouum hominem,eum qui ſecundum deum creatus eſt. Induendus itaq; nouus ille homo eſt,qui ſecundum deum creatus eſt. Qui enim erit filius dei,natus erat & filius hominis,quia non diuinitatis erat natiuitas,ſed creatura carnis ſignificationem ſui generis accepit, nouus homo ſecundum natum ante ſecula deum,creatus. Et quur ſecundũ deum homo nouus creatus eſſet,oſtendit,hæc adijciens: In iuſtitia,& ſanctitate,& ueritate. Dolus enim in illo nõ fuit,& factus eſt nobis iuſtitia & ſanctificatio,& ipſe eſt ueritas. Hunc ergo Chriſtum,qui ſecundum deum nouus homo creatur,induimur. *Secundũ deum autem creatur, quia ſecundum dei iuſtitiam,& ſanctificationem, &

Qui ante angelus,nunc etiam homo eſt

Paulus

Chriſtus quomodo creatura

Induite nouum hominem &c.

**Additum*

ueritatem homo peccati neſcius eſt creatus. Si igitur ſapientia memorem ſe eorum,quæ à ſeculo geſta ſunt, dicens, in opera dei atq; in uias dei creatam eſſe ſe dixit,atq; ita creatam,ut fundatam ſe ante ſecula doceret, ne aſſumptæ illius uariæ ac frequenter creationis ſacramentum demutaſſe naturam uideretur, cum fundationis firmitas conuellendi ſtatus non reciperet perturbationem. At uero ne fundatio aliud quicquam quàm natiuitatem uideretur oſtendere, ante omnia profeſſa eſt ſe eſſe genitam. Nunc uero quur creatio ad natiuitatem deputatur,cum quæ genita ante omnia eſt,ipſa fundata ante ſecula eſt? Quæ autem fundata ante ſeculum eſt,ea ipſa initium uiarum dei, & in opera eius creata à ſeculis eſt, ut creatio à ſeculis differre intelligeretur ab ea, quę ante ſecula,& quę ante uniuerſa natiuitas eſt. Non habet ſaltem impietas ueniam,ut prætendat impietatis errorē.Namque & ſi infirmitas intelligentiæ ſenſum irreligioſæ opinionis impediret,ne nunc quæ creationis proprietas eſſet,conſequi poſſet,tamen uel ſecundum Apoſtoli dictum facturam ueræ natiuitati deputantē,creationem quoq;, & ſi indocte, tamen non impie ad generationis fidem proficere oportere exiſtimare debuerat.Apoſtolus enim uidetur unius ex uno natiuitatem,id eſt,deum ex uirgine ſine paſſionum humanarum conceptu prædicaturus, non extra rationem factum de muliere locutus eſſe,quem natum ſciebat, frequenterq; dixiſſet, ut & natiuitas ueritatem generationis oſtenderet, & factura unius ex uno natiuitatem proteſtaretur:quia humanæ permixtionis conceptum facturæ nomen* excederet,cum factus eſſe ex uirgine diceretur,qui natus magis eſſe non ambigebatur. Ac uide tu, quàm ſis impius ò hæretice,creatum Ieſum Chriſtum potius ex deo, quàm natum eſſe, ſermo nullus aut Euangelicus, aut apoſtolicus, aut propheticus eſt loquutus. Tu uero natiuitatem negas, & affirmas creaturam, non ſecundum ſignificationem Apoſtoli factū eſſe dicentis, ne natus eſſe ambigeretur unus ex uno,ſed ad impiſſimū ſenſum, ne deus naturali natiuitate ſubſiſteret,cum creatura potius ex nihilo ſubſtitiſſet. Hoc primum infelicis mentis tuæ uirus eſt,non natiuitatem etiam creaturam nominare, ſed pro natiuitate* fidem creationi aptare. Quanquam id quidē inopis ingenij eſſet,ſed tamen nō admodum irreligioſi creatum idcirco dixiſſe,ut impaſſibilis ex deo,tam quam unius ex uno natiuitas noſceretur. Sed nihil horum conſtans atque apoſtolica fides patitur.Scit enim in qua diſpenſatione temporis Chriſtus creatus,& in qua temporum æternitate ſit natus.Natus autem ex deo deus eſt,ut in eo ueræ natiuitatis,& perfectæ generationis,& non ambigua diuinitas eſſet.Nihil enim in rebus dei niſi natum æternumq; confitemur. Natum autem non poſt aliquid,ſed ante omnia,ut natiuitas tantū teſtetur autorem,non præpoſterum aliquid in ſe autore ſignificet. Et quidem confeſſione cōmuni,ſecunda quidem ab autore natiuitas eſt,quia ex deo eſt,non tamen

Quomodo Paulus Chriſtum dicit factum de muliere

Als excluderet*

*Als*contumeliam*

Natiuitas ſolum teſtatur autorem

tamen ſeparabilis ab autore, quia in quantum ſenſus noſter intelligentiam tentabit excedere, in tantum neceſſe eſt etiam generatio excedat. Solus itaque hic pius de deo ſermo eſt, ſcire patrem, & cum eo eum qui ex eo eſt, filius. Neq; ſanè aliud de deo, præterquàm patrem eum eſſe unigeniti dei & creatoris docemur. Vltra ſe itaq; infirmitas humana non tendat, & loquatur hoc ſolum, in quo ſolo ei ſalus eſt, ante carnis ſacramentum in domino Ieſu Chriſto hoc ſe ſemper ſcire, quod natus eſt. Ego quidem in quantum cõceſſo mihi à te hoc ſpiritu uigebo, ſancte pater, omnipotens deus, ut æternum te deum, ita æternum & patrem confitebor. Neq; in id unquam ſtultitiæ atq; impietatis erumpam, ut omnipotentiæ tuæ ſacramentorumq; arbitrum hunc infirmitatis meæ ſenſum ultra infirmitatis tuæ religioſam opinionem, & ſignificatam mihi æternitatis fidem erigam, ut te aliquando ſine ſapientia & uirtute, & uerbo tuo, unigenito tuo, deo domino meo Ieſu Chriſto fuiſſe præſiniam. Non enim præiudicat de te ſenſui meo naturæ noſtræ infirmus imperfectusq; ſermo, ut fidem intra ſilentium ſtrangulet eloquendi inopia. Namq; cum uerbum, & ſapientia, & uirtus in nobis interioris motus noſtri opus noſtrum ſit, tecum tamen perfecti dei, qui & uerbum tuum, & ſapientia, & uirtus eſt, abſoluta generatio eſt, ut inſeparabilis ſemper à te ſit, qui in his æternarũ proprietatum tuarum nominibus ex te natus oſtenditur. Natus autem ita, ut nihil aliud quàm te ſibi ſignificet autorem. Non etiam fidem infinitatis amittat, per id quod ante tempora æterna natus eſſe memoratur. Multa enim iſtiuſmodi in rebus humanis præſtitiſti, quorum cum cauſa ignoretur, effectus tamen non neſcitur. Et religioſa eſt fides, ubi eſt etiam naturalis inſcitia. Nam cum erexi in cœlum tuum hos luminis mei infirmos oculos, nihil aliud eſſe quàm cœlum tuũ eſſe credidi. Hos enim aſtriferos in eo circulos, & annuos recurſus, & uergilias, ſeptentrionem, & luciferum, & diuerſa miniſteriorum ſuorum ſortitos offi-cia conſpiciens, deum te in his, quorum intelligentiam non complector, intelligo. Cum uero mirabiles elationes maris tui uidi, non ſolum aquarum originem, ſed nec motum dimenſæ huius*uiciſſitudinis aſſecutus, fidem tamen rationis mihi imperſpicabilis licet apprehendens, in his te quoq; quæ ignoro, non neſcio. Iam uero cum in terram mente conuertor, quæ occultarum uirtute cauſarum, fata omnia ſuſcepta diſſoluit, diſſoluta uiuificat, uiuificata multiplicat, multiplicata confirmat, nihil in his repperi, quæ intellige-re ſenſu meo poſſem, ſed ignorationis meæ hebetudo ad intelligendum te profecit, dum famulantis mihi naturæ imperitus, uſu te tantum meæ utilitatis intelligo. Ipſum me quoque neſciens ita ſentio, ut te magis eo quod mei ſum ignarus, admirer. Nam hunc dijudicantis mentis meę aut motum, aut rationem, aut uitam, & non intelligens ſentio, & ſentiens tibi debeo, cui ultra intelligentiam naturalis exordij, ſenſum naturæ oblectantis impar-

Ad deum patrem autor loquitur

Multi noſcuntur effectus, quorũ cauſæ ignorantur

*Alis*uaſtatudinis*

tias,& cum te me ignorans intelligam,& intelligens uenerer,nec ego in tuis rebus fidem omnipotentiæ tuæ laxabo, quia neſciam, ut ſenſus meus originem primogeniti tui occupet,& ſibi ſubdat, & aliquid in me ſit,quo ego ultra & creatorem & deũ meũ tendam. Natiuitas eius ante æterna tempora eſt.Si aliquid in rebus eſt quod anteuenit æternitatem,erit aliquid profecto quod ſenſum æternitatis excedat. Tua enim res eſt,& unigenitus tuus eſt, non portio, non protenſio, non ſecundum efficientiarum opinionem nomen aliquod inane, ſed filius, filius ex te deo patre deus uerus, & à te in naturæ tuæ ueritate genitus.Poſt te ita confitendus,ut tecum,quia æternæ originis ſuę es autor æternus.Nam dum ex te eſt,ſecundus à te eſt:dum uero tuus eſt,non ſeparandus à te eſt,quia nec ſine tuo fuiſſe confitendus aliquando es, ne aut imperfectus ſine generatione, aut ſuperfluus poſt generationem arguaris.Atq; ita ad id tantum natiuitas proficit æterna,ut geniti ante æterna tempora ex te filij patrem te ſciamus æternũ. Et mihi quidem parum eſt hoc, fidei meæ ac uocis officio dominum & deum meum,unigenitum tuum Chriſtum Ieſum creaturam negare, huius ego nominis conſortium ne in ſancto quidem ſpiritu tuo patiar ex te profecto, & per eum miſſo.Magna enim mihi erga res tuas religio eſt, neq; quia te ſolum innaſcibilem,& unigenitum ex te natum ſciens, genitũ tamẽ ſpiritum ſanctum non dicturus ſim, dicam unquam creatum. Huius ergo dicti quod mihi cum cæteris à te ſubſtitutis cõmune eſt, * prætendiſti ſenſui meo contumeliam. Profunda tua ſpiritus ſanctus tuus ſecundũ Apoſtolum ſcrutatur & nouit, & interpellator pro me tuus inenarrabilia à me tibi loquitur, & ego naturæ ſuæ ex te * per unitam tuam manentis potentiam creationis nomine non modo non eloquar,ſed etiam infamabo. Nulla te niſi res tua penetrat,nec profundũ immenſæ maieſtatis tuæ,peregrinæ atq; alienæ à te uirtutis cauſa metitur. Tuum eſt quicquid te init,neq; alienũ à te eſt, quicquid uirtute ſcrutantis*ineſt.Mihi autẽ inenarrabilis eſt, cuius pro me mihi inenarrabiles ſunt loquelæ.Nam ut in eo quod ante æterna tempora unigenitus tuus eſt,ceſſante omni ambiguitate ſermonis,atq; intelligentiæ difficultate,ſolum quod natus eſt manet, ita quod ex te * per eum ſanctus ſpiritus tuus eſt,& ſi ſenſu quidem non percipiam, ſed tamen teneo conſcientia. In ſpiritualibus enim rebus tuis hebes ſum, unigenito tuo dicente : Ne mireris quod dixerim tibi, oportet uos naſci denuo. Spiritus ubi uult ſpirat, & uocem eius audis, & non ſcis unde ueniat,& quò eat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu ſancto.Regenerationis meæ fidẽ obtinens neſcio,& quod ignoro iam teneo. Sine ſenſu enim meo renaſcor cum efficientia renaſcendi. Modus autem ſpiritui nullus eſt loquenti cum uelit, quod uelit,ubi uelit,& cuius adeuntis atq; abeuntis cauſa, ſub aſſiſtentis licet conſcientia neſciatur, huius naturam inter creaturas referam, & originis ſui definitione moderabor

*Aliâs * ad te quoq; prorepentis timeo*

*Alĩs*cum unigenito tuo*

*Alĩs*intereſt*

*Alĩs*cum eo*

Spiritus ubi uult ſpirat

moderabor? Omnia quidem facta per filium, qui apud te deum in principio erat deus uerbum, Ioannes tuus loquitur. Sed creata omnia in eo in cœlis & in terra uisibilia & inuisibilia Paulus enumerat. Et cum uniuersa in Christo & per Christum creata memoraret, de spiritu sancto sufficientem sibi significationem eam existimauit, quod hunc spiritũ tuum diceret. Cũ his ergo proprie electis tibi uiris hæc ita sentiam, & sicut nihil aliud ultra sensum intelligentiæ meę secundũ eos de unigenito tuo dicam quàm esse natum, ita quoq; ultra ingenij humani opinionem secundum eos nihil aliud de sancto spiritu tuo loquar quàm spiritum tuum esse. Neq; sit mihi inutilis pugna uerborum, sed incunctantis fidei constans professio. Conserua, oro, hanc fidei meæ incontaminatam religionem, & usque ad excessum spiritus mei dona mihi hanc conscientię meæ uocem, ut quod in regenerationis meæ symbolo baptizatus in patre, & filio, & spiritu sancto professus sum, semper obtineam, Patrem scilicet te nostrum, filium tuum unà tecum adorem, & sanctum spiritum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear. Quia mihi idoneus ad fidem testis est, dicens:

Cauta professio de spiritu

Pater omnia mea tua sunt, & tua mea, dominus meus
Iesus Christus manens in te, & ex te, & apud te
semper deus, qui est benedictus in se-
cula seculorum, Amen.

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI
DE TRINITATE LIBRI DVODECIMI
ET VLTIMI, FINIS.

DIVI HILARII PICTA

VORVM EPISCOPI, CONTRA CONSTANTIVM Augustum iam uita defunctum liber.



Empus est loquendi,quia iam prę terijt tempus tacendi.Christus expectetur,quia obtinuit anti christus.Clament pastores,quia mercenarij fugerunt. Ponamus animas pro ouibus, quia fures introierunt,& leo sæuiens circumit. Ad martyrium per has uoces exeamus,quia angelus satanæ transfigurauit se in angelũ lucis. Intremus per ianuam, quia nemo uadit ad patrẽ, nisi per filiũ.Manifestentur in pace sua pseudoprophetæ,quia in hæresi & schismate manifestabuntur probati. Sustineatur tribulatio,qualis nõ fuit à constitutione mundi, sed intelligantur breuiandi dies propter electos dei.Impleta prophetia est,dicens: Erit tempus quando sanam doctrinam nõ sustinebunt,sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros scalpentes aures,& à ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autẽ conuertentur.Sed expectetur promissio protestantis: Beati estis cum maledicent, & persequentur, & dicent omne malũ aduersum uos propter iustitiam.Gaudete & exultate,quoniam merces uestra copiosa est in cœlo. Sic enim persequuti sunt prophetas qui erant ante uos. Stemus ante iudices & potestates pro Christi nomine, quia beatus est, qui usq; ad finẽ perseueraucrit.Non timeamus eum qui potest corpus occidere, animam autẽ nõ potest,sed timeamus eum,qui potest corpus & animam occidere in gehennam. Nec solliciti de nobis simus, quia capilli capitis nostri numerati sunt, & per spiritũ sanctum sequamur ueritatem, ne per spiritũ erroris credamus mendacio.Et cõmoriamur Christo,ut Christo corregnemus. Vltc

Nõ minus periculi semper tacuisse,quàm nunquam

rius enim tacere,diffidentiæ signum est,nõ modestiæ ratio,quia nõ minus periculi est,semper tacuisse,quàm nunq̃.Ego fratres,ut mihi omnes qui me uel audiunt,uel familiaritate cognitum habent,testes sunt,grauissimum fidei periculum longe antea prouidens,post sanctorum uirorum exilia Paulini,Eusebij,Luciferi,Dionysij,quinto ab hinc anno à Saturnini,& Vrsatij, & Valentis cõmunione,me cum Gallicanis episcopis separaui,indulta cæteris consortibus eorum resipiscendi facultate, ut nec pacis abesset uoluntas,

Spatiũ resipiscentiæ datũ

& principalium morborũ fœtida, & in corruptionem totius corporis membra proficientia desecarentur, si tamẽ hoc ipsum beatissimis confessoribus Christi ędictum decretũ,tum à nobis manere placuisset.Quibus postea per factionem eorum pseudapostolorũ ad Biturensem synodum compulsis,

cognitionem

cognitionem huius hæreſeos obtuli. Sed hi timentes publicæ conſcientiæ, audire ingeſta à me noluerũt, putantes ſe innocentiam ſuam Chriſto poſſe mentiri, ſi uolentes neſcirent, quod geſturi poſtmodũ eſſent ſcientes. Atq; exinde toto hoc tempore in exilio detentus, neq; * diſcedendũ mihi eſſe de Chriſti confeſſione decreui, neq; honeſtam aliquam ac probabilem ineundę unitatis rationẽ ſtatui reſpuendam. Deniq; exinde nihil in tempore male dictum, nihil in eam quæ tum ſe Chriſti eccleſiam mentiebatur, nunc autem antichriſti eſt ſynagoga, famoſum ac dignum ipſorũ impietate ſcripſi, aut locutus ſum, nec interim criminis loco duxi, quencũ aut cũ his colloqui, aut ſuſpenſa licet cõmunionis ſocietate, orationis domũ adire, aut paci optanda ſperare, dum erroris indulgentiam ab antichriſto ad Chriſtũ *recurrentium per pœnitentiã prępararemus. Si quis igitur prudens, iam rationẽ ſilentij mei percipit, profecto me uſq; nunc recentis iniuriæ acerbitatẽ moderatum, nunc demũ fideli in Chriſto libertate teſtante, nõ aliquo uitio humanæ perturbationis ad hæc ſcribenda arguet incitatũ. Neq; enim immature loquor, qui diu tacui: nec ſine modeſtia tacui, qui aliquando iam loquor: neq; iniuriam queror, qui diſſimulaui recentem: & ne quid ex cauſa mea loqui exiſtimarer, tantum adhibui ad ſilentiũ tempus. Nunc mihi nõ alia ad dicendũ cauſa quàm Chriſti eſt, cui & hoc debui, quod uſq; nũc tacui, & ex reliquo me intelligo debere, ne taceam. Atq; utinam illud potius omnipotens deus & uniuerſorũ creator, ſed unius domini noſtri Ieſu Chriſti pater, ætati meæ & tempori præſtitiſſes, ut hoc cõfeſſionis meæ in te atque in unigenitum tuũ miniſterium Neronianis, Decianis ue temporibus expleſſem. Nec ego per miſericordiam domini & dei filij tui Ieſu Chriſti, calens eculeũ metuiſſem, qui deſectũ Eſaiam ſciſſem: nec ignes timuiſſem, inter quos Hebræos pueros cantaſſe meminiſſem: nec crucem & fragmenta crurum meorum uitaſſem, poſtquam in paradiſum tranſlatum latronem recordarer: nec profundũ maris & Pontici æſtus abſorbentem rheumam trepidaſſem, cum per Ionam & Paulum docuiſſes fidelibus eſſe in mari uitam. Aduerſus enim abſolutos hoſtes tuos felix mihi illud certamẽ fuiſſet, quia nec dubium relinqueretur, quin perſequutores eſſent, qui ad negandũ te, pœnis, ferro, igni, compellerent: neq; ad teſtificandũ plus tibi nos, quàm mortes noſtras liceret impendere. Pugnaremus enim in palàm & cum fiducia contra negantes, contra torquentes, contra iugulantes, & nos populi tui tanquam duces ſuos, ad confeſſionis religionem intelligentia perſequutionis publicæ comitarentur. At nunc pugnamus contra perſequutorem fallentem *contra hoſtem blandientem, contra Conſtantiũ antichriſtum, qui non dorſa cædit, ſed uentrem palpat: non proſcribit ad uitam, ſed ditat in mortem: nõ trudit carcere ad libertatem, ſed intra palatium honorat ad ſeruitutem: non latera uexat, ſed cor occupat: non caput gladio deſecat, ſed animam

Alꝫ dicendũ*

Modeſtia ſeruata cum aduerſarijs

Alꝫ recurſum*

Cauſa loquendi, qui tacendi Chriſtum

Animus ad martyriũ paratus.

Satis fortiter.

Hæc rheuma, ut alibi dicit, diaplaſma

Alꝫ fauentẽ Cæſarẽ dicit antichriſtum*

mam auro occidit: non ignes publice minatur, ſed gehennam priuatim accendit: non contendit ne uincatur, ſed adulatur ut dominetur. Chriſtũ confitetur, ut neget: unitatem procurat, ne pax ſit: hæreſes comprimit, ne Chriſtiani ſint: ſacerdotes honorat, ne epiſcopi ſint: eccleſię tecta ſtruit, ut fidem deſtruat. Te in uerbis, te in ore circunfert, & omnia omnino agit, ne tu ut deus, ita pater eſſe credaris. Ceſſet itaq; maledictorum opinio, & mendacij ſuſpicio. Veritatis enim miniſtros decet uera proferre. Si falſa dicimus, infamis ſit ſermo maledicus: ſi uero uniuerſa hæc manifeſta eſſe oſtendimus, non ſumus extra apoſtolicam libertatem & modeſtiam, poſt longum hęc ſilentium arguentes. Sed temerarium me fortè quiſquàm putabit, quia dicam Conſtantium antichriſtum eſſe. Quiſquis petulantiam iſtud magis quàm conſtantiam iudicabit, relegat primum Ioannem dixiſſe ad Herodem: Nõ tibi licet facere iſtud. Sciat à martyre eſſe dictum regi Antiocho: Tu quidem iniquus de præſenti uita nos perdes, ſed rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in ęternam uitam in reſurrectione ſuſcitabit. Et rurſum beata fideliq; uoce alium increpaſſe: Poteſtatem, inquit, inter homines habens, cum ſis corruptibilis, facis quod uis. Noli autem putare genus noſtrũ à deo eſſe derelictum. Patienter ſuſtine, & uide, magna poteſtas ipſius qualiter te & ſemen tuũ torquebit. Et quidem ita pueri. At uero fœmina nihil minus perfectis & beatis uiris loquuta eſt, dicens: Tu uero qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum dei. Si enim nobis uiuis propter increpationem & correptionem dominus modicũ iratus eſt, ſed iterum recordabitur ſeruis ſuis. Non eſt iſtud temeritas, ſed fides: neq; inconſideratio, ſed ratio: neq; furor, ſed fiducia. Proclamo tibi Conſtanti, quod Neroni loquuturus fuiſſem, quod ex me Decius & Maximianus audirent, contra deũ pugnas, contra eccleſiam ſæuis, ſanctos perſequeris, prædicatores Chriſti odis, religionem tollis, tyrannus non iam humanorum, ſed diuinorum. Hæc tibi à me atq; illis ſocia atq; communia ſunt, at uero nunc propria tua accipe. Chriſtianum te mentiris, Chriſti nouus hoſtis es, antichriſtum præuenis, & arcanorũ myſteria eius operaris. Condis fidem, contra fidem uiuens: doctor prophanorũ es, indoctus piorum: epiſcopatus tuis donas, bonos malis demutas: ſacerdotes cuſtodiæ mandas, exercitus tuos ad terrorem eccleſiæ diſponis: ſynodos contrahis, & occidentalium fidem ad impietatem compellis: concluſos urbe unà minis terres, fame debilitas, hyeme conficis, diſſimulatione deprauas. Orientales autem diſſenſiones artifex nutris, blandos elicis, fautores inſtigas, ueterum turbator es, prophanus nouorum es. Omnia ſęuiſſima ſine inuidia glorioſarum mortium peragis. Nouo inauditoq; ingenij triumpho de diabolo uincis, & ſine martyrio perſequeris. Plus crudelitati ueſtræ Nero, Deci, Maximiane debemus. Diabolum enim per uos uicimus, ſanctus ubiq; beatorum martyrum

Excuſatio de immodeſtia

Sed mortuo

Exprobrata Conſtantio Cæſari

martyrũ ſanguis exceptus eſt,Dum in his dæmones * mugiunt,dum egri/ *Als*rugiunt*
tudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur, eleuari ſine la/
queis corpora,& ſuſpenſis pede fœminis ueſtes non defluere in faciem,uri
ſine ignibus ſpiritus,confiteri ſine interrogantis incremento fidei. At tu om
nium crudelitatũ crudeliſſimee, damno maiore in nos, & uenia minore de/
fæuis, Subrepis nomine blandienti,occidis ſpecie religionis, Impietatem *Grauior iactu*
peragis, Chriſti fidem Chriſti mendax prædicator extinguis. Non relin/ *ra ſub ſpecie*
quis ſaltem miſeris excuſationes, ut æterno iudici ſuo pœnas, & aliquas la/ *religiõis Chri*
niatorum corporum præferant cicatrices, ut infirmitas defendat neceſſita/ *ſtum oppu/*
tem.Sceleſtiſſime mortaliũ, omnia perſecutionis mala ita temperas, ut ex/ *gnare*
cludas & in peccato ueniam,& in confeſſione martyrium. Sed hæc ille pa/
ter tuus artifex humanarum mortium docuit, uincere ſine contumacia, iu/
gulare ſine gladio,perſequi ſine infamia, odire ſine ſuſpicione, mentiri ſine
intelligentia,profiteri ſine fide,blandiri ſine bonitate,agere quod uelis, nec
manifeſtare quæ uelis.Sed me ipſe unigenitus deus, quem in me perſeque
ris,admonuit, ne tibi crederem, neq; me hoc fallax in te ementitum q̃; no/
men illuderet,dicens: Non omnis qui dicit mihi,domine domine, intrabit
in regnum cœlorum, ſed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis eſt,
hic intrabit in regnum cœlorum. Agnoſcis ne nunc diuinæ in re prophe/
tiæ ueritatem, & dominicæ ſententiæ fidem, qua non profeſſio nominis in
cœleſte regnum,ſed obedientia paternæ uoluntatis admittitur? At uide tu
ſi præferens nomen domini in uerbis, uoluntatem efficias dei patris in re/
bus. Clamat ille:Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.
Et tu decernis non eſſe filium, neque eſſe patrem, ſed adoptionis nomina,
externas nuncupationes,& ſimulantem de ſe omnia deum,nouus hodie re
ligionis diuinæ perſecutor inducis. Ante hac patres tui in ſolum Chriſtum
hoſtes fuerunt. Tu autem ad patrem deum certas ut mendax ſit, ut fefelle/
rit, ut hoc de ſe profeſſus ſit quod nõ eſſet,quaſi neq; poſſit. Clamat filius:
Ego & pater unũ ſumus. Et operibus meis credite, quia pater in me,& ego
in patre:Et omnia quæ patris ſunt,mea ſunt: tu Chriſtum obiurgas uerita/
tis,tu patrem arguis profeſſionis,emendas deum homo, uitam moderaris
corruptio,& nox lucem illuminas, & promulgas fidem infidelis, & pietatẽ
impius mentiris,& orbem prophana ſimultate* committis,negans hoc de *Als*cõmiſces*
deo quod ipſe profeſſus eſt. Sed præter hanc emendationẽ falſitatis,aliud
me dominus ad intelligendum te,dictum docuit dicens: Attendite à pſeu/
doprophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium, ab intus autẽ ſunt
lupi rapaces,à fructibus eorum cognoſcetis eos. Eſt enim aliquid in corde
quod diſſimulatur in uultu,& uelatũ mente,& ouem putantes, lupum ſen/
ſerunt. Si quæ ouium ſunt,agunt, credantur & oues eſſe, Si autem rapacia
luporum oues peragunt,lupi eſſe per opus ſuum intelliguntur. Ex geſtorũ
fructu

fructu,uestimentorum ſpecies arguitur. Veſtem ouis tuæ lupe rapax cerni
Als*onerās mus. Auro reipub. ſanctū dei * honoras, & uel detracta templis,uel publi/
cata edictis, uel exacta pœnis deo ingeris. Oſculo ſacerdotes excipis, quo
& Chriſtus eſt proditus:caput benedictioni ſummitis,ut fidem calces: con
uiuio dignaris,ex quo Iudas ad proditionem egreſſus eſt:cenſum capitum
remittis,quem Chriſtus ne ſcandalo eſſet,exoluit:uectigalia Cæſar donas,
ut ad negociationem Chriſtianos inuites:quæ tua ſunt relaxas, ut quæ dei
ſunt,amittantur.Hæc tua falſa ouis,indumenta ſunt. At nunc fructus ope/
rum tuorum lupe rapax audi. Neq; alia potiuſquam quæ geſta ſunt in ec/
cleſia refero,ut tyrannidem aliam prę̃ter quàm dei referrem.Non quia cau
ſam ignoro, ſed tamen querela famoſa eſt. Iuſſos à te epiſcopos non eſſe
quos cõdemnare nullus audebat, etiam nunc in ecclesiaſticis frontibus ſcri
ptos metallicæ damnationis titulo recenſeri.Adeſt mecum Alexandria tot
concuſſa bellis,tantum commotarum expeditionum pauens tumultū.Bre/
uius enim aduerſum Perſam, quàm aduerſum eam armis certatū eſt. Mu/
tati præfecti,electi duces,corrupti populi,commotæ legiones,ne ab Atha/
naſio Chriſtus prædicaretur. Taceo de minoribus populis & ciuitatibus,
quibus per totum orientem aut terror,aut bellū eſt. Poſtquam omnia con
tuliſti arma aduerſum fidem occidentis,& exercitus tuos cõuertiſti in oues
Chriſti,fugere mihi ſub Nerone licuit.At tu Paulinum beatæ paſſionis ui
Treueri rum blandimento ſollicitatum relegaſti,& eccleſiam ſanctam Treuerorum
tali ſacerdote ſpoliaſti.Edictis fidem terruiſti, ipſum uſque ad mortem de/
mutaſti exilijs & fatigaſti,extra Chriſtianum quoq; nomẽ relegaſti,ne pa
nem aut de horreo tuo ſumeret,aut de Montanę Maximillæq; antro pro
phanatum expectaret. Mediolanenſem pñſſimam plebem, quam tu fu/
rore terroris tui turbaſti, tribuni tui adierunt ſancta ſanctorum,& uiam ſi/
bi omni per populum crudelitate pandentes,protraxerunt de altario ſacer
dotes. Leuius te putas ſceleſte, Iudæorum impietate peccaſſe? Effuderunt
quidem illi Zachariæ ſanguinẽ, ſed quantū in te eſt, concorporatos Chri/
ſto,à Chriſto diſcidiſti. Vertiſti deinde uſq; ad Romam bellum tuum,eri/
puiſti illinc epiſcopum,& ò te miſerum,qui neſcio utrum maiore impietate
relegaueris,quàm remiſeris.Quos tu deinde in eccleſiam Toloſſanam exer
cuiſti furores? clerici fuſtibus cæſi,diacones plumbo eliſi,& in ipſum,ut ſan
ctiſſimi mecum intelligunt,in ipſum Chriſtū manus miſſæ. Hæc Conſtan
ti ſi ego mentior,ouis es,ſi uero tu peragis, antichriſtus es. Num quia hæc
quæ conſcientia publica tenentur, nõ magis à me maledicta ſunt,quàm ue
ra? ſi cui in Chriſto reliqua ſpes eſt,ſi quis iudicij diem metuit, ſi quis dia/
bolo renunciauit, ſi quis ſe regeneratum in uitam recordatur, accipiat quæ
dico,& de his iudicet quo modo in ſe iudicandum eſt.Quę enim dicturus
ſum,non aliunde cognoui, ſed ipſe audiui,& præſens affui cũ gerebantur.

In

In Christo itaq; non mentior, quia discipulus ueritatis assisto orientalium in Seleucia Synodo, ubi repperi tantum blasphemorum, quantum Constantio placebat. Nam post secessionem meam deprehendi, ut Christum Iesum centũ & quinq; episcopi ὁμοιούσιον, id est, dissimilis essentiæ profiterentur, & soli Ægyptij præter Alexandrinũ hæreticum ὁμόσιον constantissime obtinerent. Cogente itaq; Leona comite, in unum omnes congregati sunt ex his qui ὁμοιούσιον prædicabant. Aliqui eorũ nonnulla pie uerbis præferebant, quod & ex deo esset, id est, de substantia dei filius, & semper fuisset. Qui uero ὁμοιόσιον defendebant, nihil nisi prophanissimum asserebant. Negantes quicquàm substantiæ dei simile esse posse, neq; de deo posse existere generationem, sed esse Christũ creaturam. Itaq; quod creatus esset, id ei natiuitas deputaretur. Ex nihilo autem esse, & idcirco nõ esse filium, nec deo similem. Loquor autem uobis, quod ego ipse recitari in conuentu publice audiui, quod prædicatum Antiochiæ exceptum habebatur. Hæc ergo ita dicta esse ab eo cõmemorabantur. Erat deus quod est, pater non erat, quia neq; ei filius, nam si filius, necesse est, ut & fœmina sit, & colloquium sermonis, & compunctio coniugalis uerbi, & blandimentũ, & postremum ad generandum naturalis machinula. O miseras aures meas, quę tam funestæ uocis sonũ audierunt, hæc de deo ab homine dici, & de Christo in ecclesia prædicari. Post multas autem istiusmodi impietates, cum patrem & filiũ ex nominibus potiusquam ex natura comparasset, ait: Quantum enim filius se extendit cognoscere patrem, tantum pater superextendit se, ne cognitus filio sit. Quibus recitatis, tumultus exortus est. Cum autem intellexissent & hi qui dissimilem deum dicunt humanas aures tantæ impietatis uerba susceptura non esse, rursum hi ipsi palatio potius quàm ecclesiæ episcopi, fidem scribunt ὁμουσίου & ὁμοιουσίου, dissimilitudinem damnant. Quod cum contrariũ ipsis sensu audientium esset, ipse ego quendam eorum, qui fortè ad me pertentandum accesserat, quasi ignorans rerum gestarum percunctatus sum, quid sibi uellet istud, ut qui unam substantiam filij esse cum patre damnassent, uel esse similis substantiæ denegassent, dissimilitudinem damnarent. Tunc mihi ait: Christum deo similem non esse, sed similem patri esse. Rursus hoc obscurius mihi adhuc uidebatur. De quo cum iterum interrogarem, tunc hæc ita locutus est: Dico eum dissimilem deo esse, similem patri posse intelligi, quia pater uoluisset creaturam istiusmodi creare, quæ similia sui uellet, & idcirco similem patri esse, quia uoluntatis esset potius filius, quàm diuinitatis. Dissimilem autem deo esse, quia neque deus esset, neque ex deo, id est, de substantia dei natus esset. Hæc audiens hebui neque credidi, donec cum publice ex consensu omnium eorum prophanissimæ huius similitudinis ratio prædicaretur. Hi autem qui ὁμοιόσιον prædicabant, omnes eos qui maxime sine

ὁμούσιον sonat eiusdẽ essentiæ, ὁμοιούσιος similis essentiæ. Prius uocabulũ reiiciebant Arriani, posterius admittebant, quod similitudo ferat inæqualitatem

ὁμοιούσιον interpretatur dißimilitudinem, nõ quod ita sonet Græcis, sed quod sic interpretarentur Arriani. meminit harum duarũ uocum in synodis, & differentiam exponit Hilarius

aliquo impietatis pudore impudentiſſime hæc loquebantur, condemnauerunt. Condemnati ad regem ſuum aduolauerunt, exceptiq; honorifice impietates ſuas quanta potuerunt ambitione confirmauerunt, ſimilem deo eſſe,uel ex deo natum,uel naturalem eſſe filium denegantes.Pauci plurium damnati ſunt. Conſtantius res blaſphemiæ ſuæ, metu extorſit exiliȝ,uiciſſe ſe iam orientales gloriatus,quia decem legatos uoluntatis ſuæ ſubdidiſſet. Comminatus & populo per præfectum & epiſcopis intra palatium,per maximas orientis ciuitates hæreticos epiſcopos ſubrogatos cõmunione hæretica muniuit. Nihil prorſus egit aliud,quàm ut orbem terrarum pro quo Chriſtus paſſus eſt diabolo cõdonaret. Vtitur autem etiam nunc,ut in cæteris ante,artis ſuæ cõſuetudine,ut per recti ſpeciem praua cõfirmet,& per rationis nomen inſana conſtituat:Nolo,inquit,uerba quę nõ ſcripta ſunt dici.Hoc tandem rogo quis epiſcopis iubeat? & quis apoſtolicæ prædicationis uetet formam?Dic prius,ſi recte dici putas. Nolo aduerſum noua uenena nouas medicamentorum comparationes. Nolo aduerſum nouos hoſtes noua bella.Nolo aduerſum nouas inſidias cõſilia recentia.Si enim Ariani hæretici idcirco ὁμοούσιον hodie euitant, quia prius negauerunt,nónne tu hodie idcirco refugiȝ,ut hi nunc quoq; denegent?Nouitates uocũ, ſed prophanas deuitari iubet Apoſtolus. Tu cur pias excludis?cũ præſertim ab eo dictum ſit: Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata utilis eſt.Innaſcibilem ſcriptum nuſquam legis. Nunquid ex hoc negandum erit,quia nouum eſt? Decernis ſimilem patri filium. Euangelia non prædicant. Quid eſt quod non refugis hanc uocem? In uno nouitas eligitur, in alio ſubmouetur. Vbi impietatis occaſio patet,nouitas admittitur. Vbi autem religionis maxima & ſola cautela eſt,excluditur. Sed diabolici ingenij tui fallentem ſubtilitatem non tacebo,ſimilem(quod ſcriptum non eſt) patri filium decernis prædicari, ut æqualem Chriſtum deum, quod eſt ſcriptum,taceas. Domini enim mortis hæc cauſa eſt: Propter hoc magis Iudæi quærebant eum occidere,quia non ſolum ſoluebat ſabbatum,ſed quod patrem ſuum dicebat deum, æqualem ſe faciens deo. Hoc Ioannes loquens magna uoce proclamabat, ut profeſſus filius ſibi patrem deum,profeſſum ſe æqualem eſſe intelligatur. Quod ſi fortè dicis æqualitatem ſibi & deo negaſſe Chriſtum,quia dixerat: Non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod uiderit patrem facientem: Memento Chriſtũ & reſpondiſſe de ſabbato quod uiolaſſe arguebatur,ut in hoc ipſo,patris in ſe operantis præferret autoritatem & æqualitatẽ ſibi uirtutis honorisq; ſumpſiſſe,dicens:Omnia quæcunq; pater facit eadem & filius facit ſimiliter.Et iterum: Vt honorificent filium,ſicut honorificant patrem:Et qui nõ honorificat filium,non honorificat patrem qui miſit illum. Si uirtus eadem eſt, ſi honor idem eſt, quæro in quo deſit æqualitas? Sed ſimilitudo tibi placet,ne audias:Ego & pater

pãter unum ſumus. Nunquid & hoc quod unum ſumus in quo neq; unio, neq; diuerſitas relinquebatur. Calumniantibus rurſum Iudęis quòd ſe per hoc dictum deum faceret, dominus denegauit, dicens: Si non facio opera patris mei, nolite mihi credere. Si autem facio, & non uultis mihi credere, uel operibus meis credite, quia pater in me eſt, & ego in patre. Quid rogo æqualitati dei deeſt? an opus? an natura? an profeſſio? Nam pater in me eſt, & ego in patre, æqualitas eſt, quæ uiciſſitudinem æqualitatis expreſſit, dum ineſſe atq; eſſe commune eſt. Opera uero patris ſui facere, non aliud eſt, quàm uirtutem in ſe paternæ diuinitatis operari. Vnũ uero quod ſunt, hoc eſt, non æqualitatẽ abnuere, ſed incremento intelligentiæ, fidem æqualitatis inſtruere. Vetas igitur non ſcripta dici, & ipſe non ſcriptis tamen uteris, neq; quæ ſunt ſcripta loqueris. Similem uis patri filium prædicari, ne ab Apoſtolo audias: Qui cum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed exinaniuit ſe formam ſerui accipiens. Non rapit quod erat Chriſtus, id eſt, in forma dei eſſe. Nõ eſt æqualitas dei in forma dei eſſe, ſi non æqualitas hominis eſt eſſe in forma ſerui. Quòd ſi in forma ſerui homo Chriſtus eſt, quid aliud in forma dei quàm Chriſtus deus eſt? Similem itaq; ob id prædicari uis, ne in fide tua ſit: Et omnis lingua cõfitea tur, quoniam dominus Ieſus in gloria eſt dei patris. O fallax blandimentũ tuũ. Paleis enim aquas tegis, & foueas ceſpitibus occultas, & eſcis laqueos ſupponis. Satisfacere ignorantibus putas, quia dicis ſimilem patri ſecundũ ſcripturas. Audi etiam nunc impietatis tuę artem. Nunquid nõ pie dicimus hominem ſimilem deo ſecundũ ſcripturas, quia dictum eſt: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram? Homo ergo ad imaginem & ſimilitudinem dei patris & dei filij eſt factus. Et cuiuſmodi imago eſt, catholici ſi requirent docebuntur. Nunc autẽ homo ad ſimilitudnem & imaginem dei conditur, non etiam ſimilitudo inter patrem & filium prædicatur. Id enim quod ait, noſtram, æqualitatis eſt demonſtratio, dum non differat, cuius in ſacramento & imago ſit & ſimilitudo. De filio autem nuſquam ſimilitudinem reperies. Imaginem autem eum dei eſſe Apoſtolus dicit, ſed cum additamento fidei, ne imaginem conformationem ſentires. Ait enim: Qui eſt imago dei inuiſibilis, ut imago inuiſibilis dei, etiam per id quod ipſe inuiſibilis eſt, inuiſibilis dei eſſet imago. Similitudinẽ uero cum imagine ad deum homini deputauit, ne ueritatis proprietas exiſtimaretur, cui ad imaginem ſimilitudo eſſet adiuncta. Deniq; ubi ad ſignificationem uirtutis ęquat, & ſimilitudo in filio demonſtratur operandi, cum profectus uero intelligentiæ prædicatur, tum ita dicit: Omnia quæcunque facit pater, eadem & filius facit ſimiliter. Facere ſimiliter, parũ uiſum eſt, niſi eadem fierent, quæ ſimiliter fiebant. Atq; ita ſimilitudo faciendi pie demonſtrata eſt in eorundem proprietate factorũ. Eſt autẽ & ſimilitudo in domino carnis

peccati, ſed illi nõ ſimilitudo carnis eſt, ſed ſimilitudo carnis peccati eſt. Vt quod in forma hominis eſt, homo ſit: quod autẽ in ſimilitudine carnis peccati eſt, hominis ſit ſimilitudo, dum in hominis * ſtatura eſt, & extra hominis peccatum eſt. * Quæ ergo callidæ religionis tuę profeſſio eſt, ſimilem ſecundum ſcripturas patri filium dicere, cum ad imaginem & ſimilitudinem dei homo tantũ factus ſit? Quid itaq; uerbis fallis? Quid arte eludis? Cur non æqualem deo? Hoc enim ſecundum ſcripturas pie dicis, ſed uereris ne æqualem dicens, innaſcibilem ſignifices. Sed uerum intellige, quòd hinc æqualis deo eſſe intellectus eſt, quia ſibi proprium deũ profeſſus eſt eſſe: & proteſtari patrem ſibi proprium deũ eſſe, natiuitatis demonſtratio eſt. Mihi quidem ſimilitudo, ne unioni detur occaſio, ſancta eſt, ſed tibi à me non concedenda eſt, quia æqualem eundem & ſimilem poſtea fatebor pie. Smilem autem patri, ſimilem quoque & deo, religioſe prædicabo. Similem uero ita, ut ſimilitudini hoc dictum ſemper anteferam: Ego & pater unum ſumus. Tu autem his omnibus contradicis, quia ſimilitudinem excuſationi defendis. Negas filium per natiuitatem, negas deum per naturam, negas ſimilem per æqualitatem, negas uerum per unitatem. Et iam quæro, quid ei relinquas ſimilitudinis, cui nihil ad quod filius eſt, proprietatis impertias. Hoc nunc à te Conſtanti requiro, in qua tandem fide credas. Ego enim nunc fidẽ tuam ignoro per demutationis tuæ tempora, quibus quiſque in unum blaſphemiæ ſuæ barathrum deſcendens, per gradus præcipites cucurrit. Namq; poſt primam uerę fidei ſynodicen, congregato rurſum Antiochiæ concilio, fidem tibi renouas. Sed accidit tibi quod imperitis ædificatoribus, quibus ſua ſemper diſplicent, accidere ſolet, ut ſemper deſtruas quod ſemper ædifices. Ac ne me iniquum uoluntatis tuæ iudicem arguas, quid tibi in eadem Niceorum fide diſpliceat renunciabo. Minime fallit illud quod tuum eſt: Patres generatum eſſe ex patre filium dixerunt, deum de deo, totum de toto, unum de uno, perfectum à perfecto, regem de rege, inconuertibilis diuinitatis eſſentiæq;, uirtutis & gloriæ incommutabilem imaginem. His quidem ego intra Niceam ſcripta à patribus fide fundatus maneo, quæ non ego, ſed tamen hæc tu emendando reſcindis, ac ſine fidei meæ damno tibi requiris perfidiæ occaſionem. Poſt ſynodum deinde Sardicenſem, omnem rurſum aduerſum Photinũ Syrmium catholicæ doctrinæ tuæ commoues curam. Sed tibi ſtatim hoc quod utraq; fide continebatur exhorret. Eos autem qui dicunt, de nõ extantibus eſſe filium dei, uel ex alia ſubſtantia, & non ex deo, & quod erat aliquando tempus aut ſeculum quando non erat, alienos nouit ſancta & catholia eccleſia: tu his ipſis diſſides & aduerſus tuos hoſtis rebellas. Nouis uetera ſubuertis. Noua ipſa rurſum innouata emendatione ſcindis. Emendata autem iterum emendando condemnas. Suſcipis etiam aduerſum deliramenta Oſij & incrementa Vrſatij

Al's * natura
Al's * Quin uel quoniam

ſatij ac Valentis,emendationū tuarum damnationes. Sed mox emendanda tua omnia eſſe, uel potius damnanda conſtituis. Offenderis enim his paucis inimiciſſimis tibi uerbis, & ſi quis ſeniorem tempore patrem dicat filio eſſe unigenito,iuniorem autem filium patre,anathema ſit. Non calumniamur de reſciſſis,de quibus magis poſt Niceam ſynodum inſtitutis conquerimur.Nam etiam ſi his omnibus nihil uiciorum ſubiacere affirmetur, non tamen cauſa religioſæ uoluntatis ineſſet, quia mali meditatio eſt bonorum demutatio,& nō neceſſaria emendatio peruerſitatis occaſio eſt. Taceo cur noſtra apud Niceam à patribus geſta reſcindis.Non enim cum his tibi conuenit. Hoc tantum querar,cur tua damnas? Fidem enim unam & unum baptiſma Apoſtolus prædicat. Iam quicquid apud te præter fidem unam eſt,perfidia non fides eſt.Nam qui fidem emendando condemnas, damnationem fidei eſſe conſtituis,dum apud te aboletur per alteram,quę per alteram rurſus abolenda eſt. Cuius enim tu exinde epiſcopi manū innocentem reliquiſti? Quam linguam non ad falſiloquium coegiſti? Quod cor non ad damnationem anterioris ſententiæ demutaſti? Damnare homouſion decernis. Antiquitatis fidem & pietatis ſecuritatem anathematizari,homœuſion ab his ipſis à quibus uſurpatum eſt,conſtituiſti,quod tamen etſi nobis ad fidem uitioſum eſt,tamen reſcindentibus,fidei ſuæ damnatio eſt. Damnas quoque & ſubſtantiæ nomen, quo te & Sardicenſi ſynodo & Syrmienſi pium eſſe occidentalibus mentiebaris, quod tamen prophetica autoritate ſuſcepta fidei intelligentiam continebat. Omne itaque quod probatum antea eſt, damnare iubes: quod improbatum ſemper eſt,ſanctificari compellis. O tu ſceleſte, quod ludibrium de eccleſia facis? Soli canes ad uomitum ſuum redeunt,tu ſacerdotes Chriſti reſorbere ea quæ expuerant coegiſti: probare eos id in confeſſionibus ſuis præcipis quod ante damnauerant: in negando reos ſuos abſoluunt, & ſe ipſos reos reddunt.Omnia in impietatē & in reatū detruſiſti,dum omnes reos ſe eſſe atq; impios aut ex præſentibus ſtatuunt,aut ex præteritis cōfitentur. Non recipit mendacium ueritas,nec patitur religio impietatem. Chriſtianum te loqueris,ſed quàm nō is,ipſe teſtaris. Nec confeſſioni tuæ geſta cōueniūt. Subſtrauiſti enim uoluntati tuæ,ſed & uiolentiæ.Mandas tibi ſubſcriptiones Afrorum, quibus blaſphemiam Vrſatij & Valentis condemnauerant reddi, renitentibus cōminaris, & poſtremum ad diripiendos mittis. Quid exiſtimas Chriſtum non niſi per literam iudicare,& ad arguendam uoluntatem egere chartula deum? Aut quod ſemel ſcriptum eſt, & per te uiolenter abreptum,id de conſcientia poſſe diuinæ poteſtatis aboleri? Sequentur quidem te in cineres chartulæ, ſed criminoſorum apud deum uiuent damnationes. Vnum tantū*perficis,ut poſteritas quid decernere in eos debeat, inſtructa ſit timendo. Et ô quantis ad impietatem proficis incrementis. Et

Al's proficis

cæteri quidem mortales ſemper cum uiuis bella geſſerunt,dum homini ad hominem ultra mortem nihil cauſæ eſt, tibi uero inimicitiarum nullus eſt finis. Receptos enim iam in æternam quietem patres noſtros laceſſis, & in decreta eorum peruerſus irrumpis. Apoſtolus cõmunicare nos ſanctorum memorijs docuit: tu eas damnare coegiſti. Eſt ne aliquis hodie aut uiuus, aut mortuus, cuius tu dicta non reſcideris? Epiſcopatus ipſos qui nunc uidentur,ſuſtuliſti:quia nemo non iam per ſe damnatus eſt,& eum à quo ſacerdotium ſumpſit,nõ iam & ipſe damnauit.Cui nunc ſanctorum memoriæ communicabitur?Anathema tibi trecenti decem & octo conuenientes apud Niceam epiſcopi ſunt,anathema deinde omnes qui uarijs exinde expoſitionibus affuerunt. Ipſe quoq; pridem iam mortuus anathema tibi pater tuus eſt,cui Nicea ſynodus fuit curę,quã tu falſis opinionibus infamatã perturbas, & contra humanũ diuinumq; iudicium cum paucis ſatellitibus tuis prophanis impugnas.Sed nõ licet tibi nunc regno potenti etiam in poſterum præiudicare.Extant enim literæ,quibus id quod tu criminoſum putas,pie tunc eſſe ſuſceptum docetur. Audi uerborum ſanctam intelligentiam. Audi eccleſiæ imperturbatam conſtitutionem. Audi patris tui profeſſam fidem. Audi humanæ ſpei confidentem ſecuritatem. Audi hæreticæ damnationis publicũ ſenſum,& intellige te diuinæ religionis hoſtem,& inimicum memorijs*autorum, & paternæ pietatis hæredem rebellem. Pater eſt,ex quo omne quod eſt,cõſiſtit, ipſe in Chriſto, & per Chriſtum origo omniũ.Cęterũ eſſe eius in ſeſe eſt,nõ aliunde quod eſt ſumens,ſed id quod eſt,ex ſe atq; in ſe obtinens.Infinitus,quia non ipſe in aliquo,ſed intra eum omnia.Semper extra locũ,quia nõ continetur in loco.Semper ante æuum, quia tempus ab eo eſt.Curre ſenſu,ſi quid ei putas ultimũ eſſe,eum ſemper inuenies.Quia cũ ſemper intendas,ſemper eſt quò intendas. Semper autẽ locum eius intendere,ita tibi eſt,ut ei eſſe ſemper ſine fine eſt. Sermo in eo deficiet,non natura claudetur.Iterũ reuolue tempora,eſſe ſemper inuenies. Et cum numerus calculi in ſermone defecerit,deo tamen ſemper eſſe nõ deficiet.Intelligentiam cõmoue,& totum mente complectere,nihil tenes.Totum hoc habet reliquum,reliquũ autem hoc ſemper in toto eſt. Ergo neq; totum ei eſt,cui reliquum eſt: neq; reliquum eſt, cui eſt omne quod totum eſt. Reliquum enim portio eſt,omne uero quod totum eſt.Deus autem & ubiq; eſt,& totus ubiq; eſt.Ita regionẽ intelligentiæ excedit,& extra quem nihil eſt, & cuius eſt ſemper ut ſemper ſit. Hæc ueritas eſt ſacramenti dei, hoc imperſpicabili naturæ nomen in patre.Deus inuiſibilis,ineffabilis,infinitus, ad quem & eloquendum ſermo ſileat, & ad inueſtigandũ ſenſus hebeat,& ad complectendũ intelligentia coarctetur.Volens itaq; filius huius natiuitatis ſuæ fidem facere, factorũ ſuorum, nobis poſuit exempla,ut per inenarrabilium geſtorum ſuorũ efficientiam, de uirtute natiuitatis inenarrabilis

*Al's*ſanctorũ, forte auorum*

rabilis doceremur,cum aqua fit uinum,cum quinq; panes ſaturatis quinq; milibus uirorum, excepro ſexu & ætate reliqua, replent fragmentis cophinos duodecim.Res cernitur,& neſcitur:fit,& non intelligitur:ratio non apprehenditur,ingeritur effectus.Stultum eſt autem calumniam in eo inquiſitionis intendere, in quo cõprehendi id unde quæritur per naturam ſuam nõ poteſt.Vt enim inenarrabilis eſt pater in eo quod ingenitus eſt,ita enarrari filius in eo quod unigenitus eſt, nõ poteſt, quia ingeniti eſt imago qui genitus eſt. Tum enim ſenſu atque uerbis imaginem apprehendamus neceſſe eſt, cum eum cuius imago eſt conſequemur. Sed inuiſibilia perſequimur,& incomprehenſibilia tentamus,quibus intelligentia ad conſpicabiles res & corporeas coarctatur. Non erubeſcimus ſtultitiæ, non noſmetipſos irreligioſitatis arguimus, dei arcanis, dei uirtutibus calumniantes, quomodo filius, & unde filius, & quo damno patris, uel ex qua ſit portione natus inquirimus.*Habueras in exemplo operationum,ut crederes deum efficere poſſe,quorum intelligere efficientiam non poſſis. Quæris quomodo ſecundum ſpiritum natus ſit filius.Ego te de corporeis rebus interrogo.Non quęro quomodo natus ex uirgine ſit.An detrimentum ſui caro perfectam ex ſe carnem generans perpeſſa ſit,& certe non ſuſcepit quod edidit,ſed caro carnem ſine elementorum noſtrorũ pudore prouexit, & perfectum ipſa de ſuis non imminuta generauit. Et quidem fas eſſet, non impoſſibile in deo opinari, quod per uirtutẽ eius poſſibile fuiſſe in homine cognoſcimus. Sed te,quiſquis es ininueſtigabilia ſectantem,& diuinorum ſecretorũ atq; uirtutum grauem arbitrum conſulo, ut mihi imperito & tantum de omnibus deo,ut ſunt ab eo dicta,credenti,rationẽ ſaltem facti iſtius afferas.Dominum audio,& quia his credo quæ ſcripta ſunt, ſcio iam poſt reſurrectiõnem frequenter uidendum ſe in corpore præbuiſſe, multis nõ credentibus. Credo Thomæ nõ niſi contrectatis eius uulneribus credituro,ſicut ait:Niſi uidero in manibus eius figuram clauorum, & miſero digitũ meum in locum clauorum,& mittam manum meam in latus eius,non credam. Dominus ſe ad omnem intelligentiæ noſtræ imbecillitatem accommodat, & dubitationi infidelium ſatisfacturus,arcanum uirtutis inuiſibilis operatur.Facti rationem,quiſquis eris cœleſtium rerum ſcrutator,expone. Erant diſcipuli incluſi, & ſecretò poſt paſſionem domini coniuncti conſederant. Dominus Thomæ fidem propoſitis conditionibus confirmaturus aſſiſtit,palpandi corporis & contrectandi uulneris obtulit facultatẽ. Et utiq; qui compunctus recognoſcendus ſit, neceſſe eſt ut corpus in quo eſt compunctus, attulerit. Quæro ergo per quas clauſæ domus partes ſeſe corporeus intulerit.Diligenter enim Euangeliſta expreſſit dicens:Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio diſcipulorum ſuorũ. An conſtructa parietum penetrans, & ſolidam lignorum naturam impenetrabilem tranſcurrit? Stetit namque

Forte habueras

corporeus, non ſimulatus aut fallax. Sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingreſſum, & cum eo clauſam domum intelligentiæ tuæ uiſus introeat: Integra ſunt omnia & obſerata, ſed ecce aſſiſtit medius, cui per uirtutem ſuam uniuerſa ſunt peruia. Inuiſibilibus calumniaris, ego à te uiſibiliũ expoſco rationẽ. Nihil cedit ex ſolido, neq; per naturam ſuam aliquid tanquàm lapſu inſenſibili ligna & lapides admittũt. Corpus domini à ſeſe nõ deficit, ut ſeſe reſumat ex nihilo. Et unde qui aſſiſtit in medio eſt? Cedit ad hæc & ſenſus & ſermo, & extra rationem humanam eſt ueritas facti. Idcirco ergo ut de natiuitate fallimur, ita & de ingreſſu domini mentiamur. Dicamus factum non fuiſſe, quia intelligentiam facti nõ apprehendimus: & ceſſante ſenſu noſtro, facti ipſius ceſſet effectus. Sed mendacium noſtrum facti fides uincit. Aſſiſtit dominus clauſa domo in medio diſcipulorum, & filius eſt natus ex patre. Noli negare quòd ſteterit, quia per intelligentię infirmitatem conſiſtentis nõ conſequaris introitũ. Noli neſcire quòd ab ingenito & perfecto deo patre unigenitus perfectus filius deus natus ſit, quia ſenſum & ſermonem humanæ naturæ, uirtus generationis excedat: & omnia quidem inſuper mundi opera adeſſe nobis in teſtimonium poſſent, ne ambigere de dei rebus atq; uirtutibus fas crederemus. Sed in ipſam ueritatem infidelitas noſtra procurrit, & uiolenti in excidiũ dei poteſtatis irrumpimus. Si liceret, & corpora & manus in cœlũ leuaremus, ſolem aſtraq; cætera annui curſus ſuis limitibus perturbaremus, permiſceremus deceſſus occani & acceſſus, fluenta etiam fontium inhiberemus, & naturas flumĩum refrenaremus, concuteremus fundamenta terræ, & toto in hæc opera dei parricidio deſæuiremus. Sed bene eſt quòd nos intra hanc modeſtiæ neceſſitatem natura corporum detinet. Certe non fallimur, quid ſi liceret, eſſemus acturi: namq; quia non poſſumus, prophana uoluntatis audacia naturam ueritatis cõuellimus, & bellum dictis dei comparamus. Ceſſet dolor querelarũ, nam te quiſquis es, qui hæc requiris, non reuoco in excelſum, non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum. Nónne æquanimiter ignorabis creatoris natiuitatem ignorans originem creaturę? Hoc ſaltem requiro, ſentis ne te genitum, & quæ ex te generentur intelligis? Non quæro, ſenſum unde hauſeris, uitam unde ſortitus ſis, intelligentiam unde adeptus ſis, quale ſit quod in te eſt, odor, ſenſus, uiſus, auditus. Certe nemo quod facit neſcit. Quæro unde iſta his quos generas indulgeas, qualiter ſenſum inſeras, oculos accendas, cor affigas. Hæc ſi potes, enarra. Habes ergo quod neſcis, & tribuis quæ non intelligis, æquanimiter imperitus in tuis, inſolenter in dei rebus ignarus.

Hic liber uidetur imperfectus, nec alter cum hoc cohæret.

Diui

DIVI HILARII PICTAVORVM
EPISCOPI, AD CONSTANTIVM AVGVSTVM LIBER



Enignifica natura tua, domine beatiſſime Auguſte,cũ benigna uoluntate cõcordat.Et quoniam de fonte paternæ pietatis tuæ miſericordia largiter profluit, quod rogamus,facile nos impetrare poſſe confidimus. Non ſolum uerbis, ſed etiam lachrymis deprecamur,ne diutius catholicæ eccleſię grauiſſimis iniurijs afficiantur,& intollerabiles ſuſtineant perſecutiones & cõtumelias, & quod eſt nefariũ,à fratribus noſtris.Prouideat & decernat clementia tua,ut omnes ſe ubiq; iudices,quibus prouinciarũ adminiſtrationes creditæ ſunt, ad quos ſola cura & ſolicitudo publicorũ negociorũ pertinere debet, à religioſa ſe obſeruantia abſtineant. Neq; poſthac præſumant atq; uſurpent, & putent ſe cauſas cognoſcere clericorũ,& innocentes homines uarijs afflictationibus, minis, uiolentia,terroribus frangere atq; uexare.Intelligit ſingularis & admirabilis ſapientia tua,nõ decere,nõ oportere cogi & cõpelli inuitos & repugnantes,ut ſe his ſubijciant & addicãt ui oppreſſi, qui nõ ceſſant adulterinæ doctrinæ corrupta ſemina aſpergere. Idcirco laboratis,& ſalutaribus conſilijs rempublicã regitis,excubatis etiam & uigilatis,ut omnes quibus imperatis, dulciſſima libertate potiantur.Nõ alia ratione quæ turbata ſunt componi, quæ diuulſa ſunt coerceri poſſunt, niſi unuſquiſq; nulla ſeruitutis neceſſitate aſtrictus,integrũ habeat uiuendi arbitriũ. Certe uoces exclamantium, à tua mãſuetudine exaudiri decet,Catholicus ſum,nolo eſſe hęreticus:Chriſtianus ſum,nõ Arianus:& melius eſt mihi in hoc ſeculo mori,quàm alicuius priuati potentia dominante caſtam ueritatis uirginitatẽ corrumpere.Æquumq; debet uideri ſanctitati tuæ,glorioſiſſime Auguſte,ut qui timẽt dominum deũ & diuinum iudiciũ,nõ polluantur aut contaminentur execrandis blaſphemijs, ſed habeãt poteſtatẽ, ut eos ſequantur epiſcopos & præpoſitos,qui & inuiolata cõſeruant fœdera charitatis & cupiunt perpetuam & ſynceram habere pacẽ.Nec fieri poteſt,nec ratio patitur,ut repugnantia congruant, diſſimilia cõglutinentur,uera & falſa miſceantur,lux & tenebræ confundantur,dies quoq; & nox habeant aliquam coniunctionẽ.Si igitur (quod ſine dubitatione & ſperamus & credimus) hæc permouent nõ inſitam,ſed ingenitam tuam bonitatẽ,præcipe ut nõ ſtudiũ,nõ gratiam,nõ fauorem,locorũ rectores grauiſſimis hæreticis præſtẽt. Permittat lenitas tua populis,quos uoluerint,quos putauerint,quos elegerint,audiant docentes, & diuina myſteriorũ ſolennia concelebrent, pro incolumitate & beatitudine tua offerant preces.Nõ quiſq; peruerſus aut inuidus maligna loquatur. Nulla quidem ſuſpitio erit nõ modo ſeditionis, ſed nec aſperæ murmurationis.Quieta ſint omnia,& uerecunda.At nunc qui Ariana & peſtifera cõ

tagione

tagione inquinati ſunt,nō ceſſant ore impio,& ſacrilego animo Euangelio rum ſynceritatē corrumpere, & rectam Apoſtolorū regulam deprauare. Diuinos prophetas nō intelligunt. Callidi & aſtuti artificio quodam utuntur,incluſam pernicioſam corruptelam exquiſitorū uerborū uelamine contegunt. Non prius uenenatū uirus infundunt, quàm ſimplices & innocentes ſub prętextu nominis Chriſtiani raptos atq; irretitos inuoluant,ne ſoli pereant, ſed participes horrendi criminis ſui reos faciāt. Et hoc obſecramus pietatē tuā,ut eos qui adhuc egregij uidelicet ſacerdotes,qui tanti nominis præpollent dignitate,aut in exilio, aut in deſertis locis tenentur, iubeas ad ſedes ſuas remeare,ut ubiq; grata libertas ſit,& iucunda lætitia. Quis nō uidet,quis non intelligit,poſt quadringentos ferè annos,poſtq; dei unigenitus filius humano generi pereunti ſubuenire dignatus eſt, quaſi ante non Apoſtoli, nō poſt eorum martyria & exceſſus fuerint Chriſtiani. Nouella nunc & teterrima lues,nō cotrupti aeris, ſed execrandorū blaſphemorū Ariana effuſa eſt. Ita illi qui ante crediderūt,inanē ſpē immortalitatis habuerunt. Nuper didicimus,commenta hæc fuiſſe inuenta & à duobus Euſebijs & à Narciſſo & Theodoro & ab Stephano & Achaico & Menophanto, & imperitis atq; improbis duobus adoleſcentibus Vrſatio & Valente,quorum epiſtolæ proferuntur,& idoneis teſtibus etiamnum conuincuntur,qui eos magis oblatrantes quàm diſputantes audierint, quibuſq; cōmunionē ſuam imprudenter & incaute cōmiſcent,quia fient ſocij ſcelerum,participes criminū,neceſſe eſt etiam eos qui in hoc ſeculo abiecti ſunt & abdicati,cum aduenerit dies iudicij, pati ſupplicia ſempiterna. Iam nemini dubiū eſt, cuiuſcemodi curam in abſolutionem Athanaſij,ſancti illi uiri receperint, ut poſt ſynodi ſententias,quas pro ſacerdotalis iudicij reuerentia,fas fuerat ſacerdotali uel eccleſiaſtica cōtinentia cōtineri,ſcribi ad regem, legationemq; inſtrui oportuerit. Sed quid aliud his literis quàm libertatem fidei & contagionem Ariani nominis deprecantur, orantq; uincula, carceres,tribunalia, & omne illud ferale * habitū,nouas etiam in reos quæſtiones inhiberi. Deus cognitionē ſui docuit potius quàm exegit,& operationū cœleſtiū admiratione præceptis ſuis concilians autoritatē,coactam confitendi ſe aſpernatus eſt uoluntatē. Si ad fidem ueram iſtiuſmodi ius adhiberetur,epiſcopalis doctrina obuiam pergeret, diceretq; : Deus uniuerſitatis eſt, obſequio nō eget neceſſario,nō requirit coactam confeſſionē. Non fallendus eſt,ſed promerendus. Noſtra potius nō ſua cauſa uenerandus eſt. Nō poſſum niſi uolentem recipere,niſi orantem audire,niſi profitentē ſignare. Simplicitate quærendus eſt, confeſſione diſcendus eſt, charitate amandus eſt, timore uenerandus eſt,uoluntatis probitate retinendus eſt. At uero quid iſtud quòd ſacerdotes timere deū uinculis coguntur, pœnis iubentur, ſacerdotes carceribus cōtinentur,plebs in cuſtodiam catenati ordinis conſtricta diſponitur,

Forte adytū

Nunc tantum cogunt etiam theologi

nitur,uirgines nudantur ad pœnam, ſacrata deo corpora publico expoſita conſpectui,ad fructū ſpectaculi & quæſtionis aptantur? Cogunt, nempe nō ut Chriſtiani omnes ſint,ſed ut Ariani,& cōfeſſam in deo fidem ad cō/ſortium piaculi ſui ſceleris compellunt. Autoritate etiam nominis ſui,in er/rorem imperatorem tranſducunt,rectum affirmantes,ut ſub ſpecie timoris dei,in hac peruerſitate ſubditos ſibi tradant, quæſtiones poſcunt,iudiciorū ſubſidia deſiderant,autoritatē regiam implorant,& nec ſic peruerſitatē ſce/leris ſui erubeſcunt, extorquere cōniuentiam plebium,nec cogi de iure po/tuerunt. Hæc ſi de ueteribus chartulis prolata ætatis noſtræ tempus in/ſtruerent,ambigendum,ut opinor, tantis de rebus fuiſſet,& cū ab alijs qui/buſq; pronunciari poſceretur, reus quereretur in fidem literarū, in iudiciū ui tam,in accuſatorū fidem,in ipſius quoq; hominis mores atq; actus.Mo/ueret enim abſolutionem eius Arianorū iuncta damnatio,magnicq; pericu li eſſet iudicium ſimul cum reatus & innocentiæ nō ſuſcepta rurſum inquiſi tione diſſoluere,totaq; in patrociniū ſuum cum fidei doctrina autoritas ſi/bi antiquitatis aſſiſteret. At cum ipſi qui tunc Ariani hęretici damnati ſunt, rem exagitent,turbent omnia,omnesq; ex poteſtate & ambitione corrum pant,& Athanaſius ſi fuit,eſſe adhuc reus poteſt,teſtes loquantur,uideant iudices,fidei doctrina præceptis Euangelicis atq; apoſtolicis eluceat. Quæ obtuſio intelligentiæ eſt? quæ cordis hebetudo? quæ obliuio ſpei? quæ mors ſcelerū? quod odium ueritatis? in damnatorū fauorem, dei amorem tranſducunt. Venio nunc ad id quod recens geſtū eſt, in quo ſe etiam pro/feſſio ſceleris ex ſecreto artis ſuæ dedignata eſt continere.Euſebius Vercel/lenſis epiſcopus, eſt uir omni uita deo ſeruiens,hic poſt Arelatenſem ſyno dum cū Paulinus epiſcopus tantis iſtorū ſceleribus contraiſſet, uenire Me/diolanum præcipitur,collecta iam illic malignantium ſynagoga,decem die bus ad eccleſiam eſt uetitus accedere,dum aduerſus tam ſanctū uirum ma/licioſe peruerſa conſumit. Soporatis deinde conſilijs omnibus,ubi libitum eſt,aduocatur.Adeſt unà cum Romanis clericis, & Lucifero Sardiniæ epi/ſcopo,conuentis ut in Athanaſiū ſubſcriberent,ait de ſacerdotali fide prius oportere conſtare,compertos ſibi quoſdam ex his qui adeſſent,hęretica la bę pollutos, expoſitam fidem apud Niceam, cuius ſuperius meminimus, poſuit in medio,ſpondens omnia ſe quæ poſtularent,eſſe facturū,ſi pro fi dei profeſſione ſcripſiſſent. Dionyſius Mediolanenſis epiſcopus chartam primus accepit: ubi profiteri ſcribendo cœpit, Valens calamū & chartam è manibus eius uiolenter extorſit,clamans nō poſſe fieri, ut aliquid inde ge reretur.Res poſt clamorem multū deducta in conſcientiam plebis eſt,gra/uis omniū dolor ortus eſt,impugnata eſt à ſacerdotibus fides. Verentes igi tur illi populi iudiciū,è dominico ad palatium tranſeūt.Cuiuſmodi ſenten/tiam in Euſebium longe antequàm eccleſiam ingrederetur,ſcripſerint,de ſe loquitur ipſa ſententia. Et hic liber uidetur imperfectus.

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, AD CONSTANTIVM AVGVstum liber, quem Constantio ipse tradidit.



On sum nescius pijssime imperator, ea quæ de nõnullis negocijs ad conscientiæ publicæ audientiam proferantur, pro dignitate eorum qui eloquuntur, uel grauia existimari solere, uel leuia, dum distantibus opinionibus, ambiguam sententiam ad studium intelligentiæ promouet hominis contemptus aut gratia. Sed mihi apud te de diuina re pia dicturo, nullus uulgatæ consuetudinis metus est, quia cũ sis bonus ac religiosus, nec uiciũ iudicij apud prudentes religionum, quid à quo audiat, sed an quæ audiat sint religiosa, dijudicet. Et quia mihi à deo de præsentia tua opportunitas præstita est, nec erga hæc quidem conscientiæ meæ cessauit officium, ut in eum quem apud te habeo de religione sermonem, indignitas fortè aliqua tecum loquentis offendat, Episcopus ego sum in omnium Gallicarum ecclesiarum atq; episcoporum cõmunione, licet in exilio permanens, & ecclesiæ adhuc per presbyteros meos communionem distribuens. Exulo autem non crimine, sed factione, & falsis nuncijs synodi apud te imperatorem pium, nõ ob aliquam criminum meorum cõscientiam per impios homines delatus. Nec leuem habeo querelæ meæ testem dominum meum religiosum Cæsarem tuum Iulianum, qui plus in exilio meo à malis cõtumeliæ, quàm ego iniuriæ pertulit. In promptu enim sunt pietatis uestræ literę, falsa autem eorum omnia, qui in exilium meum procurauere, non in obscuro sunt. Ipse quoq; uel minister, uel autor gestorum omnium intra hanc urbem est. Circunuentum te Augustum, illusumq; Cęsarem tuum, ea confidens conscientiæ meæ conditione, patefaciam, ut si indignum aliquid non modo episcopi sanctitate, sed etiam laici integritate gessisse docear, nõ iam sacerdotium per ueniam expectem, sed intra pœnitentiam laici conseneſcam. Hæc autẽ dignantissime imperator, arbitrio tuo derelinquo, quatenus & quomodo me iubes loqui, & ea quæ maxime tecum in tempore hoc agenda sunt, prosequar. Dabis quidem id in prẽsens instructionis ad causam, ut præsentem eum, cuius ministerio exulo, usq; ad confessionem falsorum quæ gessit, adducam. Sed nihil de eo, nisi cũ iusseris, loquar. Nunc autẽ quia mihi metus est de mundi periculo, de silentij mei reatu, de iudicio dei, quur autẽ est desperandũ de uita, de immortalitate nõ tam mea quàm tua, uniuersorumq; Quæ quia mihi cum plurimis communis est, hæc à me communis spei expectatio est. Recognosce fidem quam olim, optime ac religiosissime imperator, ab episcopis optas audire, & nõ audis. Dum enim à quibus ea requiritur

ritur,ſua ſcribunt,& non quæ dei ſunt prædicant, orbem æternum erroris, & redeuntis in ſe ſemper certaminis circumtulerunt. Oportuerat enim humanæ infirmitatis modeſtia omne cognitionis diuinæ ſacramentum illis tantum conſcientiæ ſuæ finibus cõtineri,quibus credidit, neq; poſt confeſſam & iuratam in baptiſmo fidem in nomine patris,& filij, & ſpiritus ſancti quicquam aliud uel ambigere, uel innouare, ſed quorundam aut præſumptio aut facilitas,aut error,apoſtolicæ doctrinę indemutabilem conſtitutionem partim fraudulenter cõfeſſa eſt,& partim audacter egreſſa,dum in confeſſione patris,& filij,& ſpiritus ſancti,ueritate naturalis ſignificationis eludit,ne id maneret in ſenſu,quod in regenerationis ſacramẽto eſt confitendum.Ob hoc penes quorundam conſcientiam nec pater pater,nec filius filius,nec ſpiritus ſanctus ſpiritus ſanctus eſt.Sub cuius neceſſitatis tam quam improbabili occaſione ſcribendæ atq; innouandæ fidei exinde uſus inoleuit,qui poſtquam noua potius cœpit cõdere, quàm accepta retinere, nec ueterata defendit,nec innouata firmauit,& facta eſt fides temporũ potius quàm euangeliorum, dum & ſecundum annos ſcribitur, & ſecundum confeſſionem baptiſmi nõ tenetur.Periculoſum nobis admodum, atq; etiam miſerabile eſt,tot nunc fides exiſtere,quot uoluntates: & tot nobis doctrinas eſſe,quot mores:& tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot uitia ſunt, dum aut ita fides ſcribuntur, ut uolumus, aut ita ut uolumus,intelliguntur:& cum ſecundum unum deum & unum dominum, & unum baptiſma, etiam fides una ſit, excedimus ab ea fide quæ ſola eſt, & dum plures fiunt,ad id cœperũt eſſe,ne ulla ſit:Conſcij enim nobis inuicem ſumus, poſt Niceni cõuentus ſynodum,nihil aliud quàm fidem ſcribi,dum in uerbis pugna eſt,dum de nouitatibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt,dum de autoribus querela eſt,dum de ſtudijs certamen eſt,dum in conſenſu difficultas eſt,dum alter alteri anathema eſſe cœpit,propè iam nemo Chriſti eſt. Incerto enim doctrinarum uento uagamur, & aut dum docemus,perturbamus:aut dum docemur,erramus. Iam uero proximi anni fides,quid iam de immutatione in ſe habet? Primum, homouſion decernit taceri,ſequens rurſum*quæ homouſion decernit & prædicat. Tertium deinceps, quæ uſiam ſimpliciter à patribus præſumptam, per indulgentiam excuſat.Poſtremum quartam,quæ non excuſat,ſed cõdemnat. Et quò tandem proceſſum eſt,ut neq; penes nos,neq; penes quenquam ante nos,ſanctum exinde aliquid atq; inuiolabile perſeueret. De ſimilitudine autẽ dei filij ad deum patrem,quod miſerabilis noſtri temporis fides eſt, ne nõ aut ex toto,aut tantũ ex portione ſit ſimilis, egregij ſcilicet arbitri, cœleſtiũ ſacramentorũ cõquiſitores, inuiſibiliũ myſteriorũ profeſſionibus de fide dei calũniamur,annuas atq; menſtruas de deo fides decernimus, decretis pœnitemus,pœnitentes defendimus, defenſos anathematizamus, aut in no-

Fides ſubinde noua inſcriptis

Idẽ nunc agitur

*Fort.*uſiæ*

A ſtris

In tã manifẽsto mendo cõsentiebãt exẽplaria, quũ nemini dubiũ sit esse legẽdum: & mordentes inuicẽ, iam cõsumpti sumus &c.

stris aliena, aut in alienis nostra damnamus,* & morientes morũ uice, iam absumpti sumus ab inuicem. Fides deinde quæritur, quasi fides nulla sit: fides scribenda est, quasi in corde non sit. Regenerati per fidem, nunc ad fidem docemur, quasi regeneratio illa sine fide sit. Christum post baptisma discimus, quasi baptisma aliquid esse possit sine Christi fide: emendamus, quasi in spiritum sanctum peccasse sit uenia. Sed impietatis ipsius hinc uel præcipue causa perpetua est, quod fidem apostolicam septuplo proferentes, ipsi tamen fidem euangelicam nolumus confiteri, dum impietates nostras nobis in populis multiloquijs defendimus, & magniloquentiæ uanitate aures simplicium uerbis fallentibus illudimus, dum euitamus de domino Christo ea credere, quæ de se docuit credenda, & per speciosum pacis nomen in unitatem perfidiæ subrepimus, & sub reijciendis nouitatibus rursum ipsi nouis ad deum uocibus rebellamus, & sub scripturarum uocabulo non scripta mentimur, uagi, prodigi, impij, dum & manentia demutamus, & accepta perdimus, & irreligiosa præsumimus. Quod hyeme undoso marí obseruari à nauigantibus maxime tutum est, ut naufragio defæuiente, in portum ex quo soluerant, reuertantur: uel incautis adolescentibus cõuenit, ut cum in tuenda domo sua mores paternæ obseruantiæ transgressi, profusa libertate sua usi sunt, iam sub ipso amittendi patrimonij metu solus illis ad paternam consuetudinem necessarius & tutus recursus est, ita inter hæc fidei naufragia cœlestis patrimonij iam penè profligata hæreditate, tutissimum nobis est, primam & solam euangelicam fidem confessam in baptismate, intellectamq; retinere, nec demutare quod solum acceptum atq; auditum habeo bene credere, non ut ea quæ synodo patrum nostrorum continentur, tanquam irreligiose & impie scripta damnanda sint, sed quia per temeritatem humanam usurpantur ad cõtradictionem, quod ob hoc sub nomine nouitatis euangelium negaretur impericulose, tanquam sub emendatione innouetur. Quod emendatum est, semper proficit, ut dum omnis emendatio displicet, emendationem omnem emendatio consequuta condemnet, ac si iam, quicquid illud est, non emendatio aliqua sit emendationis, sed cœperit esse damnatio. In quantum ego nunc beatæ religiosæq; uoluntatis uere te domine Constanti imperator admiror, fidem tantũ secundum ea quæ scripta sunt, desiderantem: & merito planè ad illa ipsa unigeniti dei eloquia festinans, ut imperatoriæ solicitudinis capax pectus etiam diuinorum dictorum conscientia plenum sit. Hoc qui repudiat, antichristus est, & qui simulat, anathema est. Sed unum hoc ego per hanc dignationis tuæ synceram audientiam rogo, ut præsente synodo quæ nunc de fide litigat, paucis me de scripturis euangelicis digneris audire, & loquar tecum de uerbis domini mei Iesu Christi, cuius uel exul sum, uel sacerdos. Habent enim uasa testea non ignobiles thesauros, & infirmiora corporum magis

reueren-

reuerenda ſunt,& apud nos modo deũ indocti piſcatores locuti ſunt: Super humilem & trementem uerba ſua,ſecũdum prophetam, deus reſpicit. Fidem imperator quęris,audi eam non de nouis chartulis,ſed de dei libris: ſcito eam poſſe etiam in occidente donari,unde ueniẽtes in regno dei, cum Abraham,& Iſaac,& Iacob recumbent. Memento eam non in quæſtione philoſophiæ eſſe,ſed in euangeliį doctrina. Non tam mihi rogo audienti am,quàm tibi,atq; eccleſijs dei.Ego enim penes me habeo fidem, exterio re non egeo.Quod accepi,teneo, nec demuto quod dei eſt. Sed memento tamen,neminem hæreticorum eſſe, qui ſe nunc nõ ſecundũ ſcripturas prædicare ea quibus blaſphemat,mentiatur.Hinc enim Marcellius, uerbũ dei cum legit,neſcit:hinc Photinus, hominem Ieſum Chriſtum cum loquitur, ignorat:hinc & Sabellius,dum quòd ego & pater unum ſumus, non intelligit,ſine deo patre, & ſine deo filio eſt:hinc & Montanus per inſanas fœminas ſuas paracletum alium defendit: hinc & Manichæus & Marcion legem odit,quia litera occidit,& mundi princeps diabolus eſt. Omnes ſcripturas ſine ſenſu loquuntur,fidem ſine fide prætendũt.Scripturæ enim non in legendo ſunt,ſed in intelligendo:neq; in præuaricatione ſunt,ſed in charitate.Audi,rogo,ea quæ de Chriſto ſunt ſcripta,ne ſub eis ea quæ nõ ſcripta ſunt prædicentur. Summitte ad ea quæ de libris locuturus ſum, aures tuas,fidem tuam ad deum erigas. Audi quod proficit ad fidem, ad unitatem,ad æternitatẽ. Locuturus ſum tecum cum honore regni & fidei tuæ, omnia ad orientis & occidentis pacem profutura,ſed publica cõſcientia ſub ſynodo diſſidenti ſub lite famoſa.Prætermitto interim pignus futuri apud te ſermonis mei,non aliqua ad ſcandalum,neq; quæ extra euangeliũ ſunt, defendam: ſed intelliges à me in ſacramento ſolius dei ueri, & quem miſit Ieſum Chriſtum, prædicari unum deum patrem,ex quo omnia:& unũ dominum Ieſum Chriſtum,per quem omnia, natũ ex deo, qui eſt ante tempora æterna, & erat in principio apud deum deus uerbum, qui eſt imago dei inuiſibilis,in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: qui cum in forma dei eſſet, humilians ſe ſalutis noſtræ cauſa, formam ſerui ex conceptu ſpiritus ſancti de uirgine accepit,factus obediens uſq; ad mortẽ, mortem autem crucis: & poſt reſurrectionem mortis deinde in cœleſtibus ſedens,aderit iudex uiuorum & mortuorum,& rex omnium ęternorum ſeculorum. Eſt enim unigenitus deus, & deus uerus, & deus magnus,ſuper omnia deus,& omnis lingua confitebitur, quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria dei patris eſt. Hæc ego in ſpiritu ſancto ita credidi, ut ultra hanc de domino Ieſu Chriſto fidem non poſſim doceri:non per hæc adimens patrum fidei religionem,ſed ſecũdum regenerationis meæ ſymbolum, & doctrinæ euangelicæ ſcientiam,ab ea iuxta iſta non diſſonans.

Et hic liber uidetur minutus.

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, CONTRA ARIANOS, VEL AVXENTIVM MEDIOLANENSEM, LIBER.



Dilectiſsimis fratribus in fide paterna manentibus,& Arianam hæreſim deteſtantibus epiſcopis, & omnibus plebibus,Hilarius cõſeruus ueſter ſalutẽ. Specioſum quidem nomen eſt pacis,& pulchra eſt opinio unitatis, ſed quis ambigat eam ſolam eccleſiæ atq; Euangeliorũ unitam pacem eſſe quæ Chriſti eſt? Quã ad apoſtolos poſt paſſionis ſuæ gloriam eſt locutus,quam ad ęterni mandati ſui pignus cõmendauit abiturus,hanc nos fratres dilectiſſimi, & amiſſam quærere,& turbatam componere,& repertam tenere curauimus.Sed huius ipſius temporis noſtri peccata non meruerunt, nec imminentis antichriſti præuiį miniſtricę ſunt paſſi,qui pace ſua,id eſt,impietatis ſuæ unitate ſe iactant,agentes ſe non ut Chriſti epiſcopos,ſed antichriſti ſacerdotes. Ac ne maledicis uerborũ in eos uti conuitijs arguamur,cauſam perditionis publicæ, ne cuiquam ignorata ſit,non tacemus antichriſtos plures eſſe, etiam apoſtolo Ioanne prędicante,cognouimus. Quiſquis enim Chriſtum,qualis ab apoſtolis eſt prædicatus,negauit,antichriſtus eſt.Nominis antichriſti proprietas eſt,Chriſto eſſe contrarium.Hoc nunc ſub opinione falſę pietatis efficitur, hoc ſub ſpecie prædicationis euẽgelicæ prædicatur,ut dominus Ieſus Chriſtus,dum prædicari creditur,denegetur. Ac primum miſerari licet noſtræ ætatis laborem,& pręſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcere, quibus patrocinari deo humana creduntur, & ad tuendam Chriſti eccleſiam ambitione ſeculari laboratur.Oro uos epiſcopi, qui hoc uos eſſe creditis,quibus nam ſuffragijs ad prædicandum euangelium apoſtoli uſi ſunt? quibus adiuti poteſtatibus Chriſtũ prædicauerũt,gentesq; ferè omnes ex idolis ad deum tranſtulerunt? An ne aliquam ſibi aſſumerent è palatio dignitatem, hymnum deo in carcere, inter catenas,& poſt flagella cantãtes? Edictisq; regis Paulus cum in theatro ſpectaculũ ipſe eſſet, Chriſto eccleſiam cõgregabat? Nerone ſe,credo,aut Veſpaſiano,aut Decio patrocinantibus tuebatur,quorũ in nos odijs confeſſio diuinæ prędicationis efloruit. Illi manu atq; opere ſe alentes, intra cœnacula ſecretaq; coëuntes, uicos & caſtella gentesq; ferè omnes terra ac mari contra ſenatuſconſulta & regum edicta peragrantes,claues,credo,regni cœlorum non habebant? Aut non manifeſta ſe tum dei uirtus contra odia humana porrexit, cum tanto magis Chriſtus prædicaretur,quanto magis prædicari inhiberetur? At nunc, proh dolor, diuinã fidem ſuffragia terrena commendant,inopsq; uirtutis ſuæ

Nũc idem fit maxime

suæ Christus, dum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur. Terret exilijs & carceribus ecclesia, crediq́ sibi cogit, quæ exilijs & carceribus est credita: pendet ad dignationem communicantium, quæ persequentium est consecrata terrore: fugat sacerdotes, quæ fugatis est sacerdotibus propagata: diligi se gloriatur à mũdo, quę Christi esse nõ potuit, nisi eam mundus odisset. Hæc de comparatione traditæ nobis olim ecclesiæ * nunq̃ deperditæ, res ipsa quæ in oculis omnium est atq; ore, clamauit. Quid autem illud sit quod ignorandũ ultra non sit, breuiter exponatur. Secundũ placitam deo plenitudinem coartata sunt tempora. incircunscripta enim ratio eorũ cœlestibus libris docetur, ac necesse est in ipsam nos ętatẽ antichristi incidisse, cui secundum Apostolum ministris satanæ in lucis se angelũ transformantibus, ab omnium ferè sensu & conscientia is qui est Christus aboletur. Vt enim erroris affirmatio certa sit, incerta uero opinio antefertur: sitq́ antichristo iam peruium, Christũ eum esse se falleret, de quo nunc usq;* discessum sit. Hinc illæ uariæ opiniones, hinc sub unius Christi fide prædicatio plurimorũ, hinc Arij spiritus nuper ex angelo diaboli in lucis angelũ transfiguratus, cuius hæreditas* nominis ad Valentem, Vrsatium, Auxentium, Germinium, Caium successit atq; defluxit: nam ipsi nunc Christũ nouum, per quem antichristus subreperet, intulerunt. Nolunt enim hunc suũ Christum non eiusdem diuinitatis esse, cuius & pater est, sed esse eum præstantem cæteris alijs creaturis creaturam, eumq́ per uoluntatem dei ex nihilo substitisse, & eum ante omnia quidem secula, & ante omne omnino tempus natum ex deo deum esse, sed non ex substantia dei esse, neq; diuinæ in eo natiuitatis maiestatisq́ eius, quæ dei est, intelligendã ueritatẽ, ne quàm uerus sit deus qui pater est, tam uerus sit deus qui filius est. Vt id quod unum esse filius & pater in euangelijs prędicãtur, in uoluntatis tantum sit & charitatis societate, non in diuinitatis ueritate: quæ si in filio non eadem est ipsa illa quæ dei est, ut in confessione fidei deus unus sit, quur dominum filium, quur ante tempora & secula confitentur? nisi quia dei nomen sancto cuiq; per indulgentiã est destinatũ, & regenerati omnes uere dei filij sunt, & angeli omnes per Christum utiq; conditi, *ante tempora, & ante omnia omnino secula sunt creati. Verũ antichristum arbitror minori inuidia introducendum, miserisq́ credendum. Tribuunt Christo dei nomen, quia hoc & hominibus sit tributum. Fatentur dei uere filium, quia sacramento baptismi uere dei filius unusquisq; perficitur. Ante tempora & secula confitentur, quod de angelis atq; diabolo est non negandum. Ita domino Christo sola illa tribuuntur, quæ sunt uel angelorum propria, uel nostra. Cæterum quod deo Christo legitimum & uerum est, Christus deus uerus, id est, eadem esse filij quę patris diuinitas, denegatur. Et huius quidem usq; adhuc impietatis occasio per fraudem perficitur, ut iam sub antichristi sacerdoti-

Nunc incendijs

** Legendum, nũc quàm deperditæ, licet reclamãtibus exemplaribus*

*Als*dissensum*

*Als*omnis*

*Als*non*

bus Christi populus non occidat,dum hoc putant illi filij dei esse,quod uocis est.Audiunt deum Christum,putant esse quod dicitur. Audiunt filium dei, putant in dei natiuitate inesse dei ueritatem. Audiunt ante tempora, putant id ipsum ante tempora esse,quod semper est.Sanctiores aures plebis,quàm corda sunt sacerdotũ.Si deum uere Ariani prædicant,Christum deum sine fraude confessi sunt: quòd si deum dicunt & negant uerum, tribuunt nomen,adimunt ueritatem. Quanquam igitur impijssimis eorum blasphemijs plenæ omnes ecclesiarum chartæ,plenicq; iam libri sunt, quid proxime tamen acciderit,nõ tacendum est. Cum edicto graui sanctus rex perturbari ecclesiam Mediolanensium,quę deum uerum Christum,& unius cum patre diuinitatis & substantiæ confitetur, sub unitatis specie & uoluntate iussisset,etiam importuna interpellatione suggessi, Auxentium blasphemum esse,& omnino hostem Christi habendum,atq; adieci, eum aliter credere quàm rex ipse,aut alij omnes haberent. Quibus rebus permotus,audiri nos à quæstore & magistro præcepit.Considentibus unà nobis cum episcopis ferè decem,primumcq;,ut in foro solet,de persona calumniatus est,damnatum me à quodam Saturnino, audiri ut episcopũ non oportere.Non est nunc temporis, quid ad hæc responsum sit enarrare, sed quitum audiebant, de fide potius,ut regi placuerat, agitandum esse decernũt. Cumcq; iam in arcto esset negandi periculo,credere se Auxentius Christũ deum uerum, & unius cum deo patre diuinitatis & substantiæ est professus. Placuit igitur hoc scribi, & ne memorijs audientium quæ dicta essent, elaberentur, continuo libellum regi per quæstorem offero, quo quid conueniret,contineretur:& ne quid mentiri arguar, eiusdem exempla subieci. Placet omnibus Auxentium hæc ipsa profiteri frequẽter, qui ut ipse scriberet,est caoctus.Qui diu consilia sua uersans,callidissime fidem regis eludit, dat scripturam stilo antichristi compositam. Nam primum ea quæ Niceæ Thraciæ omnium impietas ex se soluisset, sancta esse testatur, uim scilicet illatam episcopis,fidem esse ueræ confessionis affirmans. Negat quoq; se scire Arium,cum in Alexandria in Ariana ecclesia, cui Gregorius præerat, presbyter esse cœpisset. Sed de Ariminensi synodo, quæ ab omnibus est religiose dissoluta,nihil dicamus,tantũ diaboli commenta pandenda sunt. Cum placuisset igitur scribi deum uerum esse Christum, & unius cum patre diuinitatis esse atq; substantiæ,ponitur talis ab eo, ut à callidissimo diabolo,sententia, quæ significaret Christum ante omnia tempora natum deum uerum filium,ut secundum Arianos ueritas ad filium, non ad deum referretur.Et ut longe maior differentia huius significationis existeret,subijcitur:Ex uero deo patre,ut in patre dei ueritas esset, in Christo ueritas tantum filij scriberetur.Dehinc procedẽte sermone, unà ab Auxẽtio diuinitas prædicatur, & in ea non confitetur & filiũ,ut in solo patre,nõ etiam in filio

Tantũ initiũ posuit exemplorum

esset

eſſet ſola una diuinitas. Spargitur uero per populos, Auxentiũ uerum deum Chriſtum, & unius cum patre diuinitatis ac ſubſtantiæ eſſe ſcripſiſſe, neq; expoſitę per me fidei diſſidere ſententiã, poſtq; ad cõmunionem eius rex pro fidei ſuę ſynceritate aduenit. Sed cum hoc myſteriũ impietatis diu occultatum iam non taceretur, dicerentq; fingi omnia, fidem negari, deum atq; homines illudi, iubeor de Mediolano proficiſci, cum conſiſtendi mihi in ea inuito rege eſſet nulla libertas. Hęc igitur fratres, quibus dei iudicium in metu eſt, ita geſta eſſe ſignifico. Auxentius quod negare timuit, noluit cõfiteri: nam expoſitionis ipſius exemplar ſubieci.* Si idem ſcripſit, arguite fallentem: ſi uero aliud ſcripſit q̃ profeſſus eſt, intelligite iam Chriſtũ per eum alium, id eſt, antichriſtum prædicari. Luſit quidem ille uerbis, quibus poſſit fallere electos, ſed patet impietatis tantæ profeſſio. Negat ſe duos deos prædicare, quia non duo patres ſunt. Quis ſecundum hæc non uidet unius dei confeſſionem idcirco tantũ patri propriam eſſe, quia ſolus eſſet? Vnde & ille ſatanæ ſtilus extitit: Noui unũ ſolum uerum deum patrem. Et poſt maleuolas ſignificationes: Similem, inquit, ſecundum ſcripturas filium genitori ſuo patri. Si uſquam in ſanctis uoluminibus hoc ſcriptum eſt, habet innocentię profeſſionem. Si ueritate diuinitatis pater & filius unum ſunt, quid ſimilitudinis imperfecta opinio antefertur? Imago quidem dei Chriſtus eſt, ſed & hominẽ imaginem dei eſſe non dubiũ eſt, cum ad imaginem & ſimilitudinem dei Adam factus ſit. Quid tu hæres Arij, Chriſto tantũ noſtra cõcedis? Quid regem, quid comites, quid dei eccleſiam patris tui, id eſt, ſatanæ, arte circumuenis? Chriſtũ deum dicis, quid fallis in nomine? Nega Moſen Pharaoni deum dictũ, Chriſtũ filium & primogenitum dei loqueris. Nega primogenitum filium Iſraël deo eſſe, Chriſtũ ante tempora natum aſſeris, & creatum. Nega diabolũ ante tempora & ſecula ſubſtitiſſe, Chriſtũ ſimilem patri memoras. Nega ad imaginem & ſimilitudinem dei hominem eſſe cœpiſſe, ſolũ in Chriſto quod eſt denegas, ne deus uerus & unius cum patre diuinitatis atq; ſubſtãtiæ ſit, & ſolitus es unà cum magiſtris tuis me hæreticũ arguere. Expone quibus potes literis, impietatis meæ cauſam, & blaſphemiarũ mearum titulum propone. Mihi autem antichriſtus eſt, qui unius diuinitatis eſſe filium cum patre non confitetur, quiq; non ita unum deum uerum patrem prædicat, ut ueritas quoq; diuinitatis non intelligatur in filio. Si igitur unius diuinitatis Chriſtus & deus ſunt, quur hoc non ſimpliciter ſcripſiſti? Si tibi non ſunt, quur hoc non ſimpliciter denegaſti? Arcanum igitur tam peſtiferi myſterij optaſſem fratres ipſe potius quàm per literas reuelare, & omnes blaſphemias Auxentij uerbis ſingulis explicare: uerum quia id non licet, ſaltem unuſquiſq; quod ſibi placet intelligat. Multa alia proferre eccleſiæ me pudor inhibet, & committere epiſtolæ Arianorum blaſphemiarum dedecora pertimeſco.

Deeſt exẽplar

Angeli ante mũdũ creati

Vnum moneo,cauete antichriſtum. male enim uos parietum amor cepit, male eccleſiam dei in tectis ædificijſq; ueneramini, male ſub his pacis nomen ingeritis. An ne ambiguum eſt,in his antichriſtū eſſe ſeſſurum? Montes mihi,& ſyluæ,& lacus,& carceres,& uoragines ſunt tutiores,in his enim prophetæ aut manentes, aut demerſi, dei ſpiritu prophetabant. Abſiſtite ab Auxentio ſatanæ angelo,hoſte Chriſti uaſtato,perdito fidei negatore, quam ſic eſt regi profeſſus,ut falleret:ſic fefellit,ut blaſphemaret. Congreget nunc ille quas uolet in me ſynodos,& hæreticum,ut ſæpe iam fecit, publico titulo proſcribat, & quantam uolet iram in me potentium moliatur, mihi certe ille nunquam aliud quàm diabolus erit,quia Arianus eſt. Neq; pax aliquorum unquam optabitur,niſi eorum, qui ſecundum patrum noſtrorum apud Niceam tractatum,anathematizatis Arianis, Chriſtum deum uerum prædicabunt.

AVXENTII MEDIOLANENSIS EPISTOLA.

BEatiſſimis ac glorioſiſſimis imperatoribus, Valentiniano ac Valenti Auguſtis, Auxentius epiſcopus eccleſiæ catholicę Mediolanenſium. Ego quidem piiſſimi imperatores,exiſtimo non oportere ſexcentorū epiſcoporum unitatem poſt tantos labores ex contentione paucorū hominū refricari, abiectis decretis ante annos decem,ſicut & ſcripta manifeſtant. Sed & ſi aliqui è plebe, qui nunc̄q; cōmuni cauerant,neq; his qui ante me fuerunt epiſcopis, nunc amplius excitati ab Hilario & Euſebio,perturbantes quoſdam,hæreticū me uocauerunt. Iuſſit uero pietas ueſtra cognoſcere de his uiros laudabiles quęſtorem & magiſtrum,& ſicut prędixi non eos perſonā habere accuſatorū,aut iudicare,qui ſemel depoſiti ſunt,dico autē Hilariū,& qui ei cōſentiunt: tamen obediens ſerenitati ueſtræ,proceſſi manifeſta re, falſa dicētibus & blaſphemantibus & uocantibus me Arianū, & quaſi non confitentem Chriſtum filium dei deum eſſe. Expoſui amicis pietatis ueſtræ meā confeſſionem, primum ſatisfaciens,quia nunc̄q; ſciui Arium,non uidi oculis,non cognoui eius doctrinam: ſed ex infantia quemadmodum doctus ſum, ſicut accepi de ſanctis ſcripturis credidi, & credo in unū ſolum uerum deum patrem omnipotentem, inuiſibilem, impaſſibilem,immortalem: & in filium eius unigenitum dominū noſtrum Ieſum Chriſtum,ante omnia ſecula & ante omne principium natū ex patre deū,ex uero deo patre,ſecundum quod ſcriptum eſt in euangelio:Hæc eſt autē uita æterna,ut cognoſcant te ſolū uerum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtū. Per ipſum enim omnia facta ſunt, uiſibilia & inuiſibilia. Qui deſcendit de cœlis uoluntate patris propter noſtrā ſalutem,

natus

natus de ſpiritu ſancto ex Maria uirgine ſecundum carnem, ſicut ſcriptum eſt,& crucifixum ſub Pontio Pilato, ſepultum,tertia die reſurrexiſſe,aſcendiſſe in cœlis,ſedere ad dexteram patris, uenturum iudicare uiuos & mortuos.Et in ſpiritum ſanctum paracletum,quem miſit dominus & deus noſter ſaluator Ieſus Chriſtus diſcipulis ueritatis ſpiritũ. Sic credidi, & credo ſicuti & aſcendẽs in cœlis unicus filius dei tradidit diſcipulis dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filiꝭ & ſpiritus ſancti. Duos autem deos nunquam prædicaui, nec enim ſunt duo patres, ut duo dij dicantur,nec duo filij, ſed unus filius ex uno patre, ſolus à ſolo, deus ex deo,ſicut ſcriptum eſt: Vnus pater deus,ex quo omnia, & unus dominus Ieſus Chriſtus,per quem omnia, propter quod & unam deitatem prædicamus. Omnes ergo hæreſes quæ aduerſus catholicam fidem ueniunt,ſemper quidem congregati epiſcopi catholici condemnauerunt & anathematizauerunt,ſpecialiter autem cõuenientes Arimino, & inde condemnauimus. Catholicam autem & euangeliorum quam tradiderũt apoſtoli, hanc fideliter cuſtodiuimus. Vt autem pietas ueſtra uerius cognoſceret ea quæ geſta ſunt in concilio Ariminenſi tranſmiſi, & peto ut ea libenter legi præcipiatis.ſic enim cognoſcet ſerenitas ueſtra, quia iam dudum damnati, depoſiti, hoc eſt,Hilarius & Euſebius contendunt ubiq; ſchiſmata facere. Quæ enim bene de ſanctis ſcripturis catholicæ fidei expoſita ſunt, pietas ueſtra peruidet,hæc retractari non oportere.

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, DE SYNODIS FIDEI CATHOLICAE contra Arianos, & præuaricatores Arianis acquieſcentes.

*Dominis & beatiſsimis fratribus,& coëpiſcopis prouincię Germaniæ primæ & Germaniæ ſecundæ, & primæ Belgicæ & Belgicæ ſecundæ,& Lugdunenſi primæ & Lugdunenſi ſecundæ,& prouinciæ Aquitanicæ,& prouinciæ nouæ Populanæ,& ex Narbonenſi plebibus, & clericis Toloſſanis,& prouinciarum Britanniarum epiſcopis,Hilarius ſeruus Chriſti, in deo & domino noſtro æternã ſalutem. Conſtitutũ mecum habebam fratres chariſſimi, in tanto ſilentij ueſtri tempore nullas ad uos eccleſiaſtici ſermonis literas mittere.Nam cum frequẽter uobis ex plurimis Romanarum prouinciarũ urbibus ſignificaſſem, quid cũ religioſis fratribus noſtris orientis epiſcopis,fidei ſtudijq; eſſet, quãtaq; ſub occaſione temporalium motuũ diabolus uenenato ore atq; lingua mortiferæ doctrinæ ſibila protuliſſet, uerens ne in tanto ac plurium epiſcoporum calamitoſæ impietatis uel erroris periculo taciturnitas ueſtra de pollutæ atq; impiatæ conſcientiæ eſſet

*Alꝭ dilectiſſimis

eſſet deſperatione ſuſpecta, nam ignorare uobis frequẽter admonitis non licebat, mihi quoq; apud uos tacendum arbitrabar, dominicę ſententiæ ad modũ memor, quæ poſt primam atq; iteratam conuentionem, eos qui etiam ſub teſtimonio eccleſiæ inobedientes exiſterent, haberi ſicut ethnicos publicanosq; iuſſiſſet. Sed beatæ fidei ueſtræ literis ſumptis, quarum lentitudinem ac raritatem de exilij mei, & longitudine, & ſecretò intelligo conſtitiſſe, gratulatus ſum in domino incontaminatos uos & illæſos ab omni contagione deteſtandæ hæreſeos perſtitiſſe, uosq; cõparticipes exilij mei, in quod me Saturninus, ipſam conſcientiã ſuã ueritus, circumuento imperatore detruſerat, negata ipſi uſq; hoc tempus toto iam triennio cõmunione, fide mihi ac ſpiritu cohærere, & miſſam proxime uobis ex Syrmienſi oppido infidelis fidei impietatem, non modo nõ ſuſcepiſſe, ſed nunciatam etiam ſignificatamq; damnaſſe, neceſſarium mihi ac religioſum intellexi, ut nunc quaſi epiſcopus, epiſcopis mecum in Chriſto communicãtibus ſalutaris ac fidelis ſermonis colloquia tranſmitterem, & qui per metum incertorum, conſcientiæ tantum antea meæ, quòd ab his omnibus eſſem liber, gratulabar, nunc iam communis fidei noſtræ integritate gauderem. O glorioſæ conſcientiæ ueſtrę inconcuſſam ſtabilitatem. O firmam fidelis petrę fundamine domum. O intemeratæ uoluntatis illæſam imperturbatamq; conſtantiam. Manſit nanq;, atq; etiam nunc permanet poſt ſynodi Biturenſis profeſſionẽ, in qua patronos huius hæreſeos ingerẽdæ quibuſdam uobis teſtibus denunciaueram, innocens inuiolataq; religio. Expectatis eñ ſanctæ & indemutabilis perſeuerantiæ glorioſum triumphum, non cedendo Saturnini minis, poteſtatibus, bellis, & cum omnia inchoandæ blaſphemiæ in deũ certamina mouerentur, manentesq; nunc uſq; mecum in Chriſto fideles, neq; antea ad occaſionẽ prorupturæ hæreſeos *ceſſiſtis, & nũc omnem eius petulantiam in proruptionis congreſſione fregiſtis. Viciſtis enim fratres, cum ingenti fidei communis gratulatione, & geminã habuit illæſæ conſcientiæ ueſtræ honor gloriam, de integritate ſcilicet conſcientiæ, & de exempli autoritate. Nam fidei ueſtræ imperturbatę inconcuſſæq; fama quoſdam orientalium epiſcopos ſero iam ad aliquem pudorem nutritæ exinde hæreſeos auctæq; commouit: & auditis his quæ aqud Syrmiũ conſcripta impiſſime erant, irreligioſorum audaciæ quibuſdam ſententiarum ſuarum decretis contradixerunt. Et ſi diligenter ſententia hæc expenſa eſſet, fortè totius tractatus mei ratio non fuiſſet ſuſpitioſa. Non enim tacuiſſem illic, quod non niſi cum ſcandalo eſſet audiendum. Et licet non ſine aliquo aurium ſcandalo & piæ ſolicitudinis offenſione reſtiterint, tamen adeo reſtiterũt, ut ipſos illos qui tunc apud Syrmiũ in ſententiam Potamij atq; Oſij, ita ut ipſi conſentientes confirmantesq; * conſenſerant, ad profeſſionem ignorantiæ erroriſq; compellerent, ut ipſi rurſum ſubſcribendo damnarent

Als *ceſſatis

Als *conceſſerant

damnarent,quod fecerant. Quod utiq; ideo fecerant, ut aliud ante damnarent. Sed tenet etiam nunc inuicta fides uestra spectabilem cõscientiæ suæ gloriam,& nihil subdolum,nihil ambiguum,nihil trepidum agere contenta,secure in Christo libertatis suæ professione persistit, ab eorum se communione qui episcopos blasphemijs suis contradicentes,in exilio detinent abstinendo, neq; se in iniusti iudicij reatum per assensum dissimulationis subdole aggregando. Nam post multum & grauem omnium nostrum ob eas res quæ irreligiose ab impijs gerebantur dolorem, ex eo intra nos tantum cõmunio dominica cõtinetur, ex quo his perturbationibus uexari ecclesia cœpta est,ut exulent episcopi,demutentur sacerdotes, plebes terreatur,fides periclitetur,humano arbitrio ac potestate doctrinæ dominicę decreta statuant. Hoc fides illęsa uestra neq; nescire se simulat,neq; pati posse profitetur,nõ se extra conscientiæ crimen futurã intelligens ex ipso dissimulationis assensu. Et quanquam in omnibus quæ gessistis & geritis, constantem fidei uestrę libertatem & securitatem testemini, tamen etiam in eo feruentis spiritus ardorem probastis, quod nonnulli ex uobis quorum ad me potuerũt scripta deferri,quæ exinde orientales,fidei professionibus gerant & gesserũt,significari uobis humilitatis meæ literis efflagitastis, etiam hoc mihi onus imperitissimo atq; indoctissimo omniũ ex affectu charitatis addentes,ut quid ipse super omnibus dictis eorũ sentiam indicem, cum difficillimum sit sensum ipsum propriæ meæ fidei secundum intelligentiæ affectum loquendo proferre, ne dum modo facile sit intelligẽtiam eorum quæ absolute in hoc omni loco legentibus rationem consilij mei, quam literis complexus sum,ab alijs dicantur exponere. Oro autem uos per domini misericordiam,ut quia mihi ad uos de diuinis,ut uoluistis rebus,& de fidei nostræ intemerata cõscientia,erit per literas has sermo,ne quisquam de me ante sermonis consummationem per literarum exordia existimet iudicandum. Iniquum est enim nisi comperta usq; ad finem ratione dictorum, pręiudicatam sententiam ex initijs,quorum causa adhuc ignoretur afferre, cum non de inchoatis ad cognoscendum,sed de absolutis ad cognitionem sit iudicandum. Est enim mihi nõ de uobis, ut dominus sensui meo conscius est, sed de quibusdam nimium apud se cautis & prudẽtibus metus,non intelligentibus per beatum Apostolum sibi,ne superfaperent præceptum, ὑπερφρονεῖν quos uereor nolle omnia ea quorũ absolutio à me in consummatione erit pręstanda cognosci,dum uerũ intelligi ex ijs quæ absoluentur euitant. Sed quisquis hæc legenda & cognoscenda susceperit,modũ sibi atq; mihi patientiæ fidelis indulgeat,& usq; ad absolutionem uniuersa percenseat. Fortè enim omnis hic fidei meæ sermo præstabit,ut neque furtiui hæretici quod uolunt fallant, & perfecti catholici quod desiderant,consequantur. Obsequor igitur charitatis uestræ impatientissimæ uolũtati, & omnes fides quę

post

poſt ſanctam Synodũ Nicenam diuerſis temporibus & locis æditæ ſunt, cum ſententiarum omnium atq; etiam uerborum additis per me expoſitionibus deſtinaui. In quibus ſi quid uitioſum ineſſe intelligetur, nemo mihi uitium poteſt aſſignare dictorum. Internũcius enim, ut uoluiſtis, ſum ipſe, non conditor. Si quid uero rectum atq; ex doctrinis apoſtolicis deprehenditur, nemo ambigit non interpretantis in eo eſſe gloriam, ſed autoris. Ego tamen quę geſta ſunt, fideliter tranſmiſi, uos an catholica, an hæretica ſint, fidei ueſtræ iudicio comprobate. Quanquã enim reſponderi literis ueſtris neceſſarium fuerit, quibus mihi communionem dominicam fidei ueſtræ ſcriptis miſeratis, & quidam etiam ex uobis ad Synodum quæ in Bythynia futura uidebatur acciti, firmiſſima fidei cõſtantia intra communionem ſe meam continentes, ſe à cæteris extra Gallias abſtinerent. Et dignum ſanè erat epiſcopali miniſterio ac uoce, in tanto hæreticorum furore, aliqua uobiſcum per literas piæ fidei conſilia conferre. Non enim cum corporibus noſtris exulans, uinctum ac detentum eſſe potuit dei uerbum, ut non communicari uobiſcum poſſet ubicunque, ſed maxime cum comperiſſem Synodos in Ancyra atq; Arimino congregandas, & ex ſingulis prouincijs Gallicanis binos uel ſingulos eò eſſe uenturos, ea quæ inter nos atq; orientales epiſcopos mutuis ſuſpicionibus detinentur, per me qui in orientis partibus continebar, exponenda uobis licet iam ſcientibus, atq; ędenda exiſtimaui, ut cum hanc prorumpentem à Syrmio hæreſim & uos condemnaſſetis, & illi cum anathemate iudicaſſent, ſciretis tamen in cuius fidei profeſſionem id ipſum quod uos geſſeratis, etiam ab orientalibus epiſcopis eſſet effectum, & uos quos maxime uellem futuris Synodis probabiles elucere, non paterer uno atq; eodem apoſtolicæ fidei ſenſu catholica ſentientes, aliqua ſaltem à catholicæ fidei ſynceritate ignorata uerborũ opinione differre. Et quidem rectum ac conueniens exiſtimo, ut antequam de uerborum ſuſpicionibus ac diſſenſionibus in eo ſermonẽ, ea quæ ab orientalibus epiſcopis aduerſum conſcriptam apud Syrmium hæreſim, dicta & conſtituta ſunt, uerbis quàm poſſim abſolutiſſimis demonſtrem, non quod non ab alijs planiſſime omnia ædita ſint, ſed quod ex Græco in Latinum ad uerbum expreſſa translatio affert plęrunq; obſcuritatem, dum cuſtodita uerborum collatio eandem abſolutionem non poteſt ad intelligentiæ ſimplicitatem conſeruare. Meminiſtis nanq; in ea ipſa ſcripta proxime apud Syrmium blaſphemia, id tentatum ac laboratum fuiſſe, ut dum pater unus & ſolus omniũ deus prędicatur, deus eſſe filius negaretur, & dum de homouſio & homoeuſio taceri decernitur, id decretũ eſſe, ut aut ex nihilo, ut creatura, aut ex alia eſſentia, ut conſequentia creaturarum, & non ex deo patre deus filius natus cõfirmaretur. Tum porrò in eo quod honore, claritate, dignitate, maieſtate pater maior diceretur, id eſſe quæſitũ, ut filius his omnibus

bus quibus pater maior eſt,indigeret.Poſtremo dum ignorabilis natiuitas eius aſſeritur,per hoc ignorātiæ decretū neſcire quod ex deo ſit iuberemur. Perinde quaſi iuberi decerniq; poſſit, ut quis aut quod ignoraturus ſit ſciat,aut quod ſcierit ignoret.Ipſam aūt ex ſolido impñſſimę blaſphemiæ peſtem inuitus licet ſubdidi,ut reſponſionū quę è diuerſo ab orientalibus poſitæ ſunt,abſolutius & uirtus & ratio noſceretur,quibus ſtudiū fuit, ut ſecundum intelligentiæ ſuæ ſenſum omnibus hæreticorum artibus contrairent.

Exemplū blaſphemiæ apud Syrmiū per Oſium & Potamiū cōſcriptæ. Cum nōnulla putaretur eſſe de fide diſceptatio,diligēter omnia apud Syrmium tractata ſunt & diſcuſſa,præſentibus ſanctiſſimis fratribus & coepiſcopis noſtris, Valente, Vrſatio & Germinio. Vnum cōſtat deum eſſe omnipotentem patrem,ſicut per uniuerſum orbem creditur, & unicū filiū eius Ieſum Chriſtum dominū, ſaluatorem noſtrū,ex ipſo ante ſecula genitum. Duos autē deos nec poſſe nec debere prædicari, quia ipſe dominus dixit: Ibo ad patrem meum & patrem ueſtrū,deum meum & deum ueſtrū.Ideo omniū deus unus eſt,ſicut apoſtolus docuit: An Iudæorum deus tantum? nónne & gentium? imò & gentium. Quoniam quidem unus deus qui iuſtificat circunciſionem ex fide,& præputiū per fidem.Sed & cætera conuenerunt,nec ullam habere potuerunt diſcrepantiam. Quod uero quoſdam aut multos mouebat de ſubſtantia, quæ Græce uſia appellatur,* id eſt, ut expreſſius intelligatur,homouſion dicitur,aut homoeouſion, nullam omnino fieri oportere mentionem. Nec quenq; prædicare*eadem eſſe ratione,quod nec in diuinis ſcripturis contineatur, & quod ſuperbi nominis ſcientia ſit, nec quiſquam poſſit natiuitatem filij enarrare, de quo ſcriptū eſt: Generationem eius qui enarrabit? Scire autem manifeſtum eſt ſolum patrem,quomodo genuerit filium ſuum,& filium quomodo genitus ſit à patre.Nulla ambiguitas eſt,maiorem eſſe patrem.Nulli poteſt dubium eſſe, patrem honore,dignitate,claritate,maieſtate, & ipſo nomine patris maiorem eſſe,filio teſtante: Qui me miſit,maior me eſt.Et hoc catholicum eſſe, nemo ignorat,duas perſonas eſſe patris & filij, maiorem patrē,filium ſubiectum,cum omnibus his quæ ipſi pater ſubiecit. Patrem initium non habere,inuiſibilem eſſe,immortalem eſſe,impaſſibilem eſſe.Filium autem natum eſſe ex patre,deū ex deo,lumen ex lumine. Cuius filij generationem, ut ante dictum eſt, neminem ſcire niſi patrem ſuum. Ipſum autem filium dei dominum & deum noſtrum,ſicut legitur,carnem uel corpus,id eſt,hominem ſuſcepiſſe ex utero uirginis Mariæ,ſicut angelus prędicauit. Vt autem ſcripturæ omnes docent, & præcipue ipſe magiſter gentium Apoſtolus,hominem ſuſcepiſſe de Maria uirgine,per quem compaſſus eſt. Illa autem*clauis totius fidei & illa confirmatio, quod trinitas ſemper ſeruanda eſt,ſicut legimus in euangelio:Ite & baptizate omnes gentes in nomine patris,&

Als* idem

Als*ea de cauſa

Als*clauſula eſt

tris & filij & ſpiritus ſancti. Integer, perfectus numerus trinitatis eſt. Paracletus autem ſpiritus per filium eſt, qui miſſus uenit iuxta promiſſum, ut Apoſtolos & omnes credentes inſtrueret, doceret, ſanctificaret.

His itaq; tot & tantis impietatis profeſſionibus ęditis, has rurſum è contrario orientales epiſcopi in unum congregati ſententiarũ definitiones condiderunt. Sed quia frequens nobis nuncupatio eſſentiæ ac ſubſtantiæ neceſſaria eſt, cognoſcendum eſt quid ſignificet eſſentia, ne de rebus locuturi, rẽm uerborum neſciamus. Eſſentia eſt res quæ eſt, uel ex quibus eſt, & quę in eo quod maneat ſubſiſtit. Dici autem eſſentia, & natura, & genus, & ſubſtantia uniuſcuiuſq; rei poterit. Proprie autẽ eſſentia idcirco eſt dicta, quia ſemper eſt. Quæ idcirco etiã ſubſtantia eſt, quia res quæ eſt neceſſe eſt ſubſiſtat in ſeſe: quicquid autem ſubſiſtit, ſine dubio in genere uel in natura, uel ſubſtãtia maneat. Cum ergo eſſentiã dicimus ſignificare naturã, uel genus uel ſubſtantiã intelligimus eius rei quæ in his omnibus ſemper eſſe ſubſiſtat. Nũc igitur præſcriptas ab orientalibus fidei definitiones recenſeamus.

Vſia quid

1 Si quis audiens, imaginem eſſe filiũ dei inuiſibilis, idem dicat eſſe imaginem dei quod & deum inuiſibilem, quaſi nõ confitens uere filium, anathema ſit. Expoſitiones omnes ſi quid habent criminis, intra ſe habent: cæterum non habere in publica facie exiſtimantur. Sed quia ſcirem mea ſola Syrmiũ eſſe delata, excluſa eſt aſſertio uolentiũ nominibus tantũ patrem & filiũ prædicare, cum imago omnis, eius ad quem imaginetur, ſpecies indifferens ſit. neq; enim ipſe ſibi quiſquã imago eſt, ſed eũ cuius imago eſt, neceſſe eſt ut imago demõſtret. Imago itaq; eſt rei ad rem coęquãdæ imaginata & indiſcreta ſimilitudo. Eſt ergo pater, eſt & filius, quia imago patris eſt filius: & qui imago eſt, ut uere imago ſit, ſpeciem neceſſe eſt & naturam & eſſentiam ſecundum quod imago eſt, in ſe habeat autoris.

2 Et ſi quis audiens filium dicentem: Sicut enim pater habet uitam in ſemetipſo, ſic & filio dedit uitam habere in ſemetipſo, eundem dicat, qui acceperit à patre uitam, qui cõfitetur hoc idem: Ego uiuo propter patrẽ, quem & illum qui dederit, anathema ſit. Diſcernitur perſona accipiẽtis & dantis, ne ipſe ſit idem unus & ſolus. Cum enim anathema ſit, qui ſolitarium atq; unicũ in accipiẽtis & dantis profeſſione crediderit, nõ poteſt intelligi idem atq; unus à ſe accepiſſe qui dederit. Neq; enim eſt ipſe ſolus qui uiuit & per quẽ uiuit, quia alius eſt ſibi uiuẽs, alius profitẽs ſe uiuere per autorẽ: & unũ atq; eundẽ nemo profitebitur qui uita utatur, & per quẽ ſit cauſa uiuendi.

3 Et ſi quis audiens unigenitũ filiũ, inuiſibilis dei ſimilem, nõ dixerit eſſentia filiũ, qui eſt imago dei inuiſibilis, cuius imago & iuxta eſſentiã intelligitur, quaſi nõ uere dicens filiũ, anathema ſit. Indiſcreta cõfirmatur indiſſimilisq; natura. Cum enim unigenitus filius, & imago inuiſibilis dei ſit, neceſſe eſt per ſpeciem atq; naturã ſimilis eſſentia ſit. Aut quomodo inter filium

atq;

atq; patrem natura diſcernitur generis indifferentis, cum in his quæ patris ſunt propria, ſubſiſtens filius, per naturā in ſe genitā cōſiſtat, gloriæ ſcilicet, uirtutis, poteſtatis, inuiſibilitatis, eſſentiæ, atq; ita in his paribus diuinitatis bonis intelligitur. Neq; ille minor eſſe cum filius ſit, neq; hic pręſtare cū pater ſit, cum patri filius & coimaginatus ad ſpeciē ſit. Nec ſit diſſimilis in genere, quia diuerſitatē ſubſtātiæ geniti ex ſubſtātia patris & filij ſimilitudo nō recipit, & omnē in ſe diuinitatis paternæ, qualis & quanta eſt, formā inuiſibilis dei filius & imago cōplectit̄, & hoc uere eſt eſſe filiū, paternæ ſcilicet formę ueritatē, coimaginatę in ſe naturæ perfecta ſimilitudine retuliſſe.

Et ſi quis audiens hoc: Quomodo enim pater habet uitā in ſemetipſo, 4
ſic & filio dedit uitā habere in ſemetipſo, ſimilem nō dicat etiā iuxta eſſentiam filiū patri, ipſo teſtante quod ſic habet, quemadmodū dixit, anathema ſit. Manifeſtū eſt enim, quòd uita in patre hic intelligitur ſubſtantia ſignificata: uita quoq; in unigenito, quæ ex patre generata eſt, eſſentia intellecta, ita ſimilitudinē eſſentiæ ad eſſentiā ſignificari cōnectitur. Tali cōfeſſione originis ſuæ indiſcretæ naturæ perfecta natiuitas eſt. Quod enim in utroq; uita eſt, id in utroq; ſignificatur eſſentia: & uita quæ generatur ex uita, id eſt, eſſentia quæ de eſſentia naſcitur, dum nō diſſimilis naſcit̄ ſcilicet, quia uita ex uita eſt, tenet in ſe indiſſimilem naturā originis ſuæ, quia & natæ & gignentis eſſentiæ, id eſt, uitæ quæ habetur, & data eſt, ſimilitudo nō diſcrepet. Quod enim ex ſe deus eū ex naturæ ſuæ ſimilitudine genuit, nō deſeruit in eo genitā ſimilitudinē naturalis proprietate ſubſtātiæ. Non em̄ aliud habet q̄ dedit, & ſicut uitā habēs, ita habendā dedit uitā. Ac ſic quod de eſſentia tanq̄ uita ex uita, ſimile ſui ſecundū eſſentiā naſcitur, nullam diuerſitatem ac diſſimilitudinem admittit geniti & gignents eſſentia.

Si quis cōdidit uel creauit me, & genuit me, ab eodē audiens, hoc genu- 5
it me, nō tame ex ſimilitudine eſſentię intelligat, ſed idem eſſe dicat, genuit me & cōdidit me, quaſi nō dicens filiū de deo perfectū, ex duobus nominibus ſignificatū filiū, ſed per duo nomina, hoc eſt, cōdidit me & genuit, conditionē tantūmodo dicens, & nequaq̄ filiū, ſicut tradidit ſapientia ex duobus piū intellectū, anathema ſit. Dicentibus creaturā uel cōditionē eſſe filium dei cōtraitur ratione ſubiecta. Nanq; impietatis hæreticorū hinc prophana præſumptio eſt, quòd legiſſe ſe dicāt: Dominus cōdidit uel creauit me. id ipſum enim cōditio & creatio uidetur intelligi. Sed conſequentē ſententiam ſubtrahentes, ex qua intelligentiā prior ſumit: ex prima arripiunt impietatis ſuæ autoritatē, ut creaturā dicant, quia ſapientia dixerit ſe creatam. Quæ ſi creata eſt, quomodo potuit & naſci? quia omnis natiuitas quę cunq; eſt, in naturā ſuam ex natura gignente cōſiſtit. Creatio aūt ſumit exordium de creantis poteſtate: potente ſcilicet creatore ex nihilo cōdere creaturam. Sapientia itaq; quæ ſe dixit creatā, eadem in cōſequenti ſe dixit &

genitam,creationē referens ad parentis indemutabilem naturā, quæ extra humani partus ſpeciem & cōſuetudinem, ſine imminutione aliqua ac demutatione ſui creauit ex ſe ipſa quod genuit. Creātis enim opus nō habet paſſionē aut permixtionis,aut partus.Eſſe enim aliquādo incipit,quod creatur ex nihilo. Et qui creat, efficit pro poteſtate quod condidit:& eſt opus uirtutis creatio,nō naturæ ex natura gignente natiuitas. At uero natiuitas, legitimæ originis & genuinæ naturæ profectus eſt. Ex natura enim generante naturā ſumpſit genita natura.Sed quia dei filius nō corporalis partitudinis eſt genitus exemplo,ſed ex perfecto deo perfectus deus natus eſt, idcirco ait creatā ſe eſſe ſapientia, iam omnes in generatione ſua coporales paſſiones excludens.At uero ut oſtenderet,nō creationis in ſe, ſed natiuitatis naturā eſſe,ſubiecit & genitā,ut cum creatā ſe & genitā confitetur, abſolutam natiuitatis ſuæ intelligentiā præſtaret:dum & indemutabilem patris naturā in creatione ſignificat, & legitimā ac propriā ex deo patre genitam naturæ ſuæ oſtendit eſſe ſubſtantiā.Atq; ita perfectę natiuitatis intelligentiam,creationis & generationis attulit ſermo,cum alterū ſine demutatione, alterū in proprietate naturæ eſt.Fitq; utrunq; unū, & unum utrunq; perfectum,dum & filius ex deo ac ſine demutatione dei natus eſt,& ex patre naſcitur ut creetur,& indemutabilis ex ſe,ac naturalis filio, pater ſic filiū condit ut generet.Hæreſis ergo creaturā eſſe dei filiū profiteri auſa damnatur, quia impiā creaturę dei ex nihilo opinionē,impaſſibili per eam diuinitatis perfectione mōſtrata cōſequēs profeſſio naturalis generatiōis extinguat.

6 Et ſi quis in filio patris ſimilitudinē ſecundū eſſentiā quidem, ipſo filio reuelante,per hæc quæ dicit:Sicut enim pater habet uitā in ſemetipſo, ſic & filio dedit habere uitā in ſemetipſo, iuxta efficientiā aūt per ea quæ docet. Quæ enim pater facit, eadē & filius ſimiliter facit, ſolā ſecundū efficaciam ſimilitudinē cōcedens:iuxta eſſentiam uero, quod eſt principaliſſimū fidei noſtrę,filiū fraudet,quaſi ſemetipſum fraudans cognatione uitę perpetuę, quæ eſt in patre & filio,anathema ſit.Concluſi hæretici ſcripturarū autoritatibus hoc ſolū tribuere ſolent filio,ut patri tantū uirtute ſimilis ſit,adimāt autē ei ſimilitudinē naturæ,ſtulti atq; impij nō intelligentes, nō niſi ex naturæ ſimilitudine ſimilitudinē eſſe uirtutis. Neq; enim aliquando inferior natura,ſuperioris à ſe potioriſq; naturæ uirtutē cōſequetur. Aut quid hæc aſſerentes,de omnipotente patre deo profitebūtur,ſi uirtuti ſuæ uirtus naturæ inferioris exęquatur? Non enim poteſt negari quin filius idem poſſit cum dixerit: Quæcunq; facit pater,eadē & filius facit ſimiliter.Sed ſimilitudini uirtutis, naturæ ſimilitudo ſuccedit,cum dicit: Sicut enim pater habet uitā in ſemetipſo,ita & filio dedit uitā habere in ſemetipſo.In uita, naturæ & eſſentiæ ſignificatio eſt, quæ ſicut habetur, ita data eſſe docetur ad habendum.Tenet ergo uitę ſimilitudo uirtutis ſimilitudinē.Similitudo enim

uirtu-

uirtutis nō poteſt eſſe diſſimilis naturæ,atq; ita neceſſe eſt,ut eſſentiæ ſimilitudo uirtutis ſimilitudinē cōſequatur. Quia ſicut ea quæ pater facit, eadē & filius facit:ita ſicut habet uitā pater,ſic habendā filio dedit uitā. Cōdem natur ergo impiæ profeſſionis temeritas,quæ uirtutis ſimilitudinē cōfitens, diſſimilitudinē auſa ſit prædicare naturæ,cum principalis ſpei noſtræ fides ſit,indifferentem in patre & filio diuinitatis ſubſtantiam confiteri.

Et ſi quis patrem & filiū credere ſe promittens,patrē diſſimilis ſibi eſſen 7
tiæ dicat, ſed ſimilis efficaciæ,quaſi prophanas & nouas uoces cōtra eſſentiam filij loquēs,& interimens uerū dei filiū eſſe,anathema ſit. Cōfuſis permixtisq; uerbis ueritatē frequentiſſime hæretici eludūt, & incautorū aures communiū uocabulorū ſono capiūt,patrem & filiū ſolis nominibus,nō etiam per ueritatē naturalis & genuinæ eſſentiæ prædicātes, quia omniū creationum ſciant dici deū patrem,& ſanctos quosq; nūcupari meminerint dei filios,quo exemplo patrē & filium ſecundū cōmunia uniuerſitatis nomina cōfitentur,ut pater & filius dicātur potius q̄ ſint:dicūtur enim,nō etiā ſunt, ſi in his differentis eſſentiæ diſcreta natura eſt,cum nō poſſit paterni nominis ueritas niſi ex naturæ ſuæ progenie acquiri.Pater itaq; nō poteſt alienę à ſe ac diſſimilis ſubſtātiæ pater dici,quia natiuitas perfecta nō habet diſſidentem originalis ſubſtantiæ diuerſitatē.Repudiatur ergo hæc omnis impietas,quæ patrem nō ſecundū naturam ſuam,genitiq; ex ſe filij patrem loquatur.Neq; enim pater per id dicetur deus,ſi habeat uirtuti atq; efficaciæ ſuæ ſimilē creationem,ſed ſi genuerit nō diſſimilis atq; alienæ à ſe eſſentiæ naturā:quia diuerſitatē paternæ naturæ natiuitas naturalis nō recipit.Atq; ob id anathema ſint, qui patrem aſſerāt diſſimilis ſibi naturæ patrem eſſe, ut ex deo aliud q̄ deus natus ſit, & putent eſſentiā patris à ſe in filio degeneraſſe gignendo. Perimunt enim quantū in ſe eſt, ipſam illam innaſcibilem patris & indemutabilem eſſentiam, quia auſi ſunt in unigeniti ſui natiuitatem,diſſimilitudinem degeneratæ eſſentiæ naturalis ingerere.

Et ſi quis intelligens ſimilem ſecundū eſſentiam filium, eius cuius & fili- 8
us intelligitur,eundem dicens filiū quem patrem,aut patrem patris,aut per emanationem, aut aliquā paſſionē,quemadmodū corporales filios,ab incorporali patre incorporalem filiū ſubſiſtentem,anathema ſit. Cauetur in omnibus aduerſum ſingularū peruerſitatum uitia,neq; occaſio fraudis admittitur.Plures enim hæreticorū,idcirco ſimilem ſecundū diuinitatē eſſe patri filiū dicunt,ut per ſimilitudinis proprietatē eundē patrem eſſe quem filium cōfirment, quia indiſcreta ſimilitudo admittere uideatur unici ac ſingularis occaſionem.Quod enim non diſſentit in genere, id uidetur in unione manere naturæ.Sed natiuitas nō admittit hanc fabulā,quia unio nō habet natiuitatem:quod enim natū eſt, habet natiuitatis ſuæ patrem. Neq; quia indiſcreta eſt naſcentis à gignente natiuitas,ideo ipſe eſt & generator & ge-

nitus,cum nō poſſit niſi alius atq; alius eſſe generans & generatus,neq; rur ſum diſſimilis eſſe poſſit natus & generans. Anathema ergo eſt qui in pa/ tre & filio naturæ ſimilitudinē ad abolendā filij perſonalem ſignificantiam
Ab*prædi/ cabit *perſonabit. Quia cū in nullo differat res à re per mutuā ſimilitudinē, ſimi/ litudo tamen ipſa nō recipiens unionem, patrem & filiū per id quod filius indemutabilis ſimilitudo patris eſt,cōfitetur. Non enim aut pars eſt filius patris,ut unus dici poſſit & natus & generans.Neq; emanatio eſt, ut conti/ nenti fluxu per corporalem & indiuiduū procurſum, idem ipſe fluxus re/ tentus in origine,ipſum ſibi ſit ſerie atq; tractu cohærenti, origo quod flu/ xus,ſed perfecta natiuitas eſt,& cum naturæ ſimilitudine manens, nō con ceptu & partu corporali corporaliter inchoata, ſed ſecundū eiuſdem natu/ ræ ſimilitudinem incorporalis filius ex incorporali patre ſubſiſtens.

9 Et ſi quis propterea,quòd nūc̄q; pater filius intelligit̄,& quòd filius nun/ c̄q; pater intelligitur,aliū dicēs filiū pr̄eter patrē,propterea quòd alius ſit pa ter,alius ſit filius,ſecundū quod dictū eſt:Alius eſt qui teſtimoniū perhibet mihi, q̄ me miſit pater,propter hāc piā in eccleſia intelligendā proprietatē perſonæ patris & filij,timēs nequādo idem intelligat̄ filius & pater, ſimilē nō dicat etiā iuxta eſſentiā patri,anathema ſit.Dictū ad apoſtolos domini eſt:Eſtote prudētes ut ſunt ſerpētes,& ſimplices ut colūbæ. Per quod diſſi/ dentium à ſe animantiū ineſſe nobis uoluit naturā,ſed ita ut ſerpentinā pru dentiā colūbæ ſimplicitas tēperaret, & ſimplicitatē colūbę prudētia ſerpen tis inſtrueret:fieretq; & ſimplex ſapiētia,& ſapiens ſimplicitas,quod præce ptum in huius fidei expoſitione ſeruatū eſt.Nam cū ſuperior de qua locuti ſumus,ſentētia id cauiſſet,ne per ſimilitudinē eſſentiæ,perſonalis unio præ dicaretur,neq; ut naturæ indifferētia perimeret filij natiuitatē,& unus ac ſo litarius nobis eſſet in ſenſu,quia alter ab altero non differret in genere: ſed cōſequēti ſentētia illi prudētię ſerpētis,cui cōfigurari cū colūbę ſimplicitate pr̄cipimur,p̄ ſimplicē atq; apoſtolicā prudētiā rurſum occurſum eſt,ne for tè p̄ id quod p̄ſonalis unio nō reciperet̄,quia alius ſit pater,alius ſit & filius, prædicatio iterū diſſimilis naturæ poſſit obrepere:ne dū alius eſt qui miſit, & alius q̄ miſſus eſt,quia non unus eſt miſſus & mittēs,diſcretę ac diſſimilis naturę exiſtimarent̄ eſſe miſſus & mittēs,cū diuerſę eſſentię eſſe nō poſſint natus & generans.Retinet̄ itaq; in patre & filio naturæ indifferētis ſimilitu do per eſſentiæ natiuitatē.Nō tamē damnū p̄ſonę affert, ut unus ſit miſſus & mittēs,ſimilitudo naturæ.Neq; rurſum in perſonæ proprietate, cum nō poſſit ipſe ſibi unus & filius & pater dici, auferet̄ ſimilitudo naturæ, atq; ita & natiuitatis ueritas ad ſimilitudinē proficicit eſſentię, & ſimilitudo eſſen/ tiæ nō adimit natiuitatis perſonalem ueritatem. Neq; rurſum profeſſio gi/ gnentis & geniti ſimilitudinē excludit eſſentiæ, quia cum gignens & geni/ tus unus eſſe nō poſſit, nō tamen diuerſæ naturæ ſint natus & generans.

Et ſi

Et ſi quis in aliquo tempore patrem deũ unigeniti filij intelligat, & non 10
ſuper tempora,& ſuper omnem humanam exiſtimationem unigenitũ fili/
um ſine paſſione extitiſſe, quaſi prætergrediens euangelicam prædicatio/
nem,quæ temporũ quidem intercapedinem de patre & filio aſpernata eſt:
fideliter autem nos docuit,quòd in principio erat uerbũ,& uerbũ erat apud
deum,& deus erat uerbum,anathema ſit.Pia profeſſio eſt,patrem nõ intra
tempora contineri.Omnem enim intelligentiæ ſenſum excedit intempora
litas,paterni nominis ueritas.Et ſi ipſa paterni nominis, per quod impaſſi/
bilis origo naſcentis eſt,religioſa confeſſio eſt,nõ tenetur tamen in tempo/
re,quia nõ poteſt æternus & infinitus deus pater intelligi temporalis.Et ſe/
cundum euangelicã prædicationem cognoſcitur unigenitus deus, uerbum
magis iam in principio apud deum eſſe quàm naſci.

Et ſi quis ſeniorem tempore patrẽ dicat filio ex ſe unigenito, iuniorem 11
autem filium patre,anathema ſit.Similitudo eſſentię cõfigurata in genere,
indifferens quoq; docetur in tempore:ne qui imago eſt dei, qui uerbũ eſt,
qui deus eſt apud deum in principio,qui ſimilis eſt patri,interiecto inter ſe
ac patrem tempore,non perfectum in ſe habeat quod & imago eſt & uer/
bum eſt & deus eſt.Si enim tempore iunior prædicatur, amiſit & imaginis
& ſimilitudinis ueritatem, quia ſimilitudo iam non ſit quæ diſſimilis repe/
riatur in tempore.Quia ipſum illud quod deus pater eſt, tempus aliquod
non poteſt habere ne pater ſit.Ex quo nec in filio tempus poteſt eſſe ne fi/
lius ſit.Atq; ob id,nec pater filio ſenior,nec filius patre iunior eſſe dicendus
eſt,quia utriuſq; nominis ueritas non poſſit eſſe ſine altero.

Et ſi quis intemporalẽ unigeniti filij de patre* ſubſtantiã ad innaſcibilẽ 12
dei eſſentiã referat,quaſi filiũ patrem dicẽs,anathema ſit. Dediſſe ſuperior *ὑπόστασιν ma
definitio occaſionẽ hæreticis uidebatur,cum tempus natiuitatis filij negare le uerſum
tur,quia nefas eſſet,ſi pater eſſet in tempore.In tẽpore aũt eſſet,ſi filius tem
pori ſubderetur,ut per hãc opportunitatẽ temporis abnegati,ſub filij nun/
cupatione pater,qui innaſcibilis eſſet, ſingularis atq; unicus, ipſe ſibi & pa/
ter & filius prędicaretur.Quia ubi naſcendi tempus excludit,illic opinio ui/
detur innaſcibilitatis admitti,ut natus nõ putet,cuius natiuitas nõ ſit in tem
pore.Idcirco ne p hãc occaſionẽ tẽporis abnegati hęreſis unionis irreperet,
& hæc impietas dãnatur, quę audeat intẽporalẽ natiuitatẽ ad unicã ac ſin/
gularem innaſcibilis eſſentiæ referre ſubſtantiam,cum aliud ſit intempora/
lem eſſe, aliud ſit eſſe non natum, quorum unum habeat, licet extra tem/
pus,natiuitatẽ,aliud ipſum ſibi,ad id quod eſt, ſolus atq; idem autor æter/
nus ſit.Percucurrimus chariſſimi fratres, omnes orientalium epiſcoporum
æditas fidei definitiões,quas aduerſum emergentẽ proxime hæreſim, con
gregati intra Synodũ condidere:& nos quantum potuimus, ad intelligen/
tiæ eorũ ſenſum,expoſitionis noſtræ ſermonẽ coaptauimus, famulãtes po

tius eorum dictis,q̄ dictorū alienorum autores existimādi,quibus aduersum nouā & prophanā impietatem,hæc cōscientiæ suæ,& adeptæ iampridem doctrinæ suæ instituta decernūt,& eos qui hanc apud Syrmiū hæresim cōscripserant,uel cōscriptam susceperant,ignorationem confitentes,ad subscriptionē decretorū talium coëgerūt. Vbi filius patris imago perfecta est. Vbi sub indifferentis imaginis proprietate,per fraudem prophanā filius nō aboletur,ut pater sit. Vbi imago patris filius prædicatur per similitudinis ueritatē,à substantia patris,cuius imago est, substantię diuersitate nō differt. Vbi per habitā à patre uitam, & acceptā à filio uitā, nihil differens in substantia quæ significatur in uita,habeat pater, quā filius accepit ad habendum. Vbi non creatura est filius genitus, sed à natura patris indiscreta substantia est. Vbi sicut inter patrem & filiū indifferens uirtus est, ita nullā inter se diuersitatē patiatur essentiæ. Vbi pater generando filiū, nihil ex se in eodem degenerat diuersitate naturę. Vbi quia nihil differat in utroq; naturæ proprietas,tamen similitudinis personaliū nominū respuat unionem, ne subsistens unus sit, qui & pater dicatur & filius. Vbi quia pie dicitur & pater mittens,filius missus,in nullo tamen inter patrem & filiū, id est, inter missum atq; mittentem discernatur essentia. Vbi nō intra tempora paterni nominis ueritas continetur. Vbi filius patre non est posterior in tempore. Vbi ultra tempus omne perfecta natiuitas, innascibilitatis in se nō admittit errorem. Et hæc quidem fratres charissimi,omnis quæ ędita est fidei doctrina,per paucos iuxta uniuersitatis modū orientales, sub his ipsis propè diebus, quibus uos ingestam hæresim respuistis, emersit, cuius exponendæ ea fuit ratio,quòd unius substantię silentiū decernebatur. Sed iam superioribus diuersisq; temporibus,multis hic causis postulantibus, fides alias necesse fuit conscribi,quæ quales sint ex ipsis intelligetur,omnibus quæ ab his gesta sunt cognitis, ut facilius tum & plenius earū rerum, de quibus inter nos quæstio est,absolutionē religiosam & unitati cōgruam afferamus.

Expositio ecclesiasticæ fidei quę exposita est in Synodo,habita per Encænias Antiochenæ ecclesiæ cōsummatæ, quam exposuerunt qui affuerūt episcopi nonaginta & septem,cum in suspitionē uenisset unus ex episcopis quòd praua sentiret, consequenter euangelicæ & apostolicæ traditioni.

Credimus in unū deū patrē omnipotentē,cūctorū quę sunt ędificatorē & factorem & prouisorē,ex quo omnia: & in unū dominū Iesum Christū filiū ipsius unigenitū deum,per quē omnia,qui generatus est ex patre, deū ex deo,totū ex toto,unū ex uno, perfectū de perfecto, regem de rege,dominum de domino,uerbū,sapientiā,uitā,lumen uerū,uiam ueram, resurrectionem,pastorem, ianuam, inconuertibilem & incōmutabilem,diuinitatis essentiæq; & uirtutis & gloriæ incommutabilem imaginem, primū æditum totius creaturæ, qui semper fuit in principio apud deū uerbum deus,

iuxta

iuxta quod dictum est in euãgelio:Et deus erat uerbum, per quem omnia facta sunt,& in quo omnia constant,qui in nouissimis diebus descendit de sursum,& natus est ex uirgine secundum scripturas,& agnus factus est mediator dei & hominum,prædestinatus fidei nostrę & dux uitæ.dixit quippe:Non enim descendi de cœlo ut facerem uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui me misit.Qui passus est,& resurrexit pro nobis tertia die, & ascendit in cœlis, & sedet in dextera patris, & iterum uenturus cum gloria iudicare uiuos & mortuos.Et in sanctum spiritum, qui in paracletim & sanctificationem & cõsummationem credentibus datus est,iuxta quod & dominus Iesus Christus ordinauit discipulis dicens:Pergite & docete uniuersas gentes,baptizantes eas in nomine patris & filij & spiritus sancti.Manifesta utiq; patris,uere patris,certaq; filij,uere filij, notaq; spiritus sancti,ue re spiritus sancti,hisq; nominibus non simpliciter, neq; ociosis propositis, sed significantibus diligenter propriam uniuscuiusq; nominatorũ substantiam & ordinem & gloriam,ut sint quidem per substantiam tria,per consonantiam uero unũ.Hanc ergo habentes fidem, & ab initio & usq; in finem habituri in conspectu dei & Christi,omnem hæreticã prauam sectam anathematizamus,& si quis præter salubrem scripturarũ & rectam fidem docet, dicens aut tempus, aut spatium, aut seculũ, aut esse, aut fuisse prius q̃ generaretur filius, anathema sit.Et si quis filium conditionẽ dicit,quemadmodum unum conditionum:aut natiuitatem,sicut sunt natiuitates: aut factionem,sicut sunt facturæ,non sicut diuinæ scripturæ tradiderunt,singulæ quæque superius dictæ sunt. Et si quis aliud docet, aut euangelizat præter quod accepimus,anathema sit. Nos enim omnibus quæ diuinis scripturis tradita sunt à prophetis & apostolis,uere & cum timore & credimus & sequimur.Minus fortè expresse uidetur de indifferenti similitudine patris & filij fides hæc locuta esse,maxime cum de patre & filio & spiritu sancto ita senserit significatam in nominibus propriam uniuscuiusq; nominatorum substantiam & ordinem & gloriam, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam uero unum.Et primum sciendum est, nõ aduersum hæresim quæ dissimilis substantiæ patrem & filium & spiritum sanctum ausa est prædicare,in Antiochia fuisse conuentum, sed aduersus eam quæ post sanctam Synodum Nicenam in id proruperat, ut tria nomina patri uellet ascribere,de qua suo loco tractauimus.Memini enim me in exordio sermonis,patientiam & æquanimitatem legentium atq; audientium usq; ad absolutionem omnium dictorum meorum popposcisse, ne temerarius quisq; in me iudex ante cognitionem perfecti sermonis existeret.

Tria in diuinis ὑπόστασις

Conditio pro creatura

Tria

Volens igitur congregata sanctorum Synodus impietatẽ eam perimere,quæ ueritatem patris & filij & spiritus sancti, nominum numero eluderet,ut non subsistente causa uniuscuiusq; nominis, triplex nuncupatio obti-

neret

neret ſub falſitate nominum unionem, ut pater ſolus atq; unus idem atq;
Tres ſubſtantiæ in deo ipſe haberet & ſpiritus ſancti nomen & filij, idcirco tres ſubſtantias eſſe dixerunt, ſubſiſtentium perſonas per ſubſtantias edocẽtes, non ſubſtantiam patris & filij & ſpiritus ſancti diuerſitate diſſimilis eſſentiæ ſeparantes. Quod autem dictum eſt, ut ſint quidem per ſubſtantiam tria, per conſonantiam uero unum, non habet calumniam. Quia cognominato ſpiritu, id eſt, paracleto conſonantiæ potius quàm eſſentiæ, per ſimilitudinem ſubſtantiæ prædicari conuenit unitatem. Cæterum omnis ſuperior ſermo in nullo patrem & filium eſſentiæ ac naturæ diuerſitate diſcernit. Vbi enim dicitur, deum de deo, totum ex toto, non ambigitur totum deum ex toto deo natum. Nam & dei de deo natura nõ differt, & totus ex toto, in ijs eſt ipſe in quibus pater eſt. Vnus ex uno, paſſiones humani partus, & conceptiones excludit, ut dum unus ex uno eſt, non aliunde nec diuerſus, aut aliud ſit qui eſt unus ex uno, perfectus à perfecto. Non differt præter originis cauſam ab innaſcibilitate natiuitas, cum perfectio utriuſq; nõ differat. Rex de rege. Non admittit uno atq; eodem nomine poteſtas connuncupata diſſimilitudinem poteſtatis. Dominum de domino. Dominatus quoq; æquatur in domino. Nec recipit differentiam confeſſa in utroq; ſine diuerſitate dominatio. Illud uero quod poſt multa alia ſubiectum eſt, incõuertibilem & immutabilem diuinitatis & eſſentiæ & uirtutis & gloriæ incommutabilem imaginem, abſolutũ eſt. Nam ex deo deus, ex toto totus, ex uno unus, & ex perfecto perfectus, & ex rege rex, & ex domino dominus, cum in eo omnis diuinitatis gloria atq; natura in qua pater permanet, natus quoque ſubſiſtat, & filius etiam hoc ex paterna ſubſtantia habet, ne demutabilis fiat. Non enim in eo naſcente ea de qua eſt natus, demutata natura eſt, ſed indemutabilem eſſentiam natus obtinuit, ex indemutabilis autoritate naturæ. Nam quamuis imago eſt, tamen incõmutabilis eſt imago. Non commutatus in eo ſcilicet per diſſimilitudinem paternæ eſſentiæ, ex qua eſt genitus natura, quia in eo imago paternæ eſſentiæ naſceretur. Iam uero cum primus æditus eſſet totius creaturę, doceretur & ille ſemper fuiſſe in principio apud deum. Verbum deus dicitur, dum primus æditur. Natus fuiſſe
Als ſeparatur* oſtenditur, dum ſemper fuit, nec tempore* ſeparatus à patre. Non ergo uideri poteſt diuiſio ſubſtantiarum, quæ nihil aliud ſtuduit quàm ut per trium ſubſiſtentium nomen triplicis uocabuli excluderet unionem, ad ſeparationem diuerſæ in filio & in patre ſubſtantiæ introducta, cum totius fidei expoſitio patrem & filium innaſcibilem & unigenitum, nec tempore, nec nomine, nec eſſentia, nec dignitate, nec dominatione diſcernat. Dignum autem eſt conſcientia communi etiam cæteras eorundem epiſcoporũ orientalium diuerſis & locis & temporibus conſcriptas fides noſcere, ut per plures confeſſiones ſynceritas conſcientiæ poſſit intelligi.

Sancta

Sancta ſynodus in Sardica congregata ex diuerſis prouincijs orientalium partium, Thebaida, Aegypto, Paleſtina, Arabia, Phœnice, Syria Cœle, Meſopotamia, Cilicia, Cappadocia, Póto, Paphlagonia, Galatia, Bithynia, Helleſponto, Aſia, Phrygijs duabus, Piſidia, Cycladum inſularũ, Pamphylia, Caria, Lydia, Europe, Thracia*Eminonto, Maſſilia cũ Myſia, Pannonijs duabus, hãc expoſuimus fidem. Credimus in unum deum patrem omnipotentem creatorem & factorum uniuerſorum, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Credimus & in unigenitũ eius filium dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ante omnia ſecula ex patre genitus eſt, deum ex deo, lumen ex lumine, per quem facta ſunt omnia, & quæ in cœlis & quæ in terra, uiſibilia & inuiſibilia, qui eſt uerbum & ſapientia & uirtus & uita & lumen uerum, & qui in nouiſſimis diebus propter nos incarnatus eſt, & natus ex ſancta uirgine, qui crucifixus & mortuus eſt & ſepultus, & reſurrexit ex mortuis tertia die, & receptus eſt in cœlo, & ſedet in dextera patris, uenturus iudicare uiuos & mortuos, & reddere unicuiq; ſecundũ opera eius. Cuius regnũ ſine ceſſatione permanet in immenſa ſecula. Sedet enim in dextera patris, nõ ſolũ in hoc ſeculo, ſed etiã in futuro. Credimus & in ſpiritũ ſanctum, hoc eſt, paracletũ, quem promittens apoſtolis poſt reditũ in cœlos, miſit docere eos ac memorari omnia per quẽ & ſanctificantur ſynceriter in eum credentiũ animę. Eos aũt qui credunt, de non extantibus eſſe filium dei, uel ex alia ſubſtantia & nõ ex deo, & quod erat aliquando tempus aut ſeculũ quando nõ erat, alienos nouit ſancta & catholica eccleſia. Similiter & eos qui dicũt, tres eſſe deos, uel Chriſtũ non eſſe deum, & ante ſecula neq; Chriſtũ, neq; filium eum eſſe dei, uel eum ipſum eſſe patrem & filiũ & ſpiritum ſanctũ, uel innaſcibilem filium, uel quod neq; uolũtate pater genuerit filium, anathematizat ſancta & catholica eccleſia.

Fides ſecundũ orientis ſynodum

*Aſs*Eminũto*

Hilarius. Breuibus expoſitio fidei huius, ſed abſolutiſſimis uſa eſt definitionibus. Nã cõdemnans eos, qui de nõ extantibus eſſe filiũ dei dicerẽt, originem ei non cœptã, ſed manentẽ dedit. Ac ne hæc origo eius, ex qua natus eſt manens, alia potius cꝫ dei intelligeretur eſſe ſubſtantia, etiã eos blaſphemos pronũciat, qui ex alia aliqua ſubſtantia, & nõ ex deo filiũ natum eſſe loquerent, atq; ita cum nõ ex nihilo ſubſiſtit, neq; aliunde cꝫ ex deo quod eſt extitit, nõ poteſt ambigi in his natus eſſe quæ dei ſunt, quia neq; de non extantibus, neq; alia cꝫ de innaſcibili patris & æterna ſubſtantia, unigenita filij generatur eſſentia. Reſpuit uero & interualla temporũ ac ſeculorum, ut qui per naturam non differt, non poſſit ſeparabilis eſſe per tempus. Ex omni autem parte, qua ſe circumagere ſolicitudo potuit, hęreticorum ingenijs aditus obſtruitur, ne quid eſſe diuerſitatis prædicetur in filio. Anathematizat nanq; eos qui tres deos dicunt, quia ſecundũ naturæ ueritatem, numerum nuncupationũ ſubſtantia iſta nõ recipit, niſi ut hominibus atq; angelis

ſolet

ſolet,cum nomen tribuitur ex honore meritorum, naturæ tamen inter eos & deum differens eſt ſubſtantia,& idcirco dij plures ſunt. Cæterum in natura dei deus unus eſt,ita tamen,ut & filius deus ſit, quia in eo natura non differens ſit:& cum deus ex deo ſit, non poteſt non uterq; deus eſſe, quorum per generis indifferentiam non diſcernatur eſſentia. Numerus autem nominis in nuncupatione reſpuitur,quia non eſt in naturæ qualitate diuerſitas. Cum igitur anathema ſit duos deos dicens, anathema ſit filiũ deum denegans,abſolute oſtenditur unius ad utrunq; nominis unitatem de proprietate indifferentis eſſe ſubſtantiæ,cum in confeſſione innaſcibilis dei patris,& unigeniti dei filij,neutro à ſe diſſimilitudine eſſentiæ differente dicitur,ut uterq; cum deus ſit, deus tamen unus & credendus ſit & prædicandus. Solicita itaq; multum diligentiq; cautela epiſcoporũ fides munit naturæ genitæ & gignentis indifferentiam,nominis unionem cõfirmans. Tamen ne rurſum unius dei prædicatio, unicam ac ſine progenie ſua ſolitarij dei uelit affirmare ſubſtantiam, ſtatim etiam hanc condemnat temeritatẽ, quæ quia deus unus eſt,unum ac ſolitarium deum patrem,habentem in ſe nomen patris & filij confitetur, cum in generante patre & naſcente filio deus unus eſſet ob indifferentem abinuicem naturæ ſubſtantiam prædicandus. Innaſcibilem quoq; filium,ſanctorum fides neſcit,quia natura filij niſi ex natiuitate nõ extat. Natiuitatis autem in eo à deo perfecta natura eſt, ut qui ex ſubſtantia dei natus eſt,etiam ex conſilio eius ac uoluntate naſcatur. Ex uoluntate enim atq; conſilio,non ex corporalis paſſione naturæ eſſentiæ dei,de eſſentia dei,abſoluta perfectio eſt.

Conſequens autem eſt,ut eam nunc fidem retractemus,quę non olim, tunc cum Photinus epiſcopatu deiectus eſt,cõſcripta eſt. Exemplũ fidei Syrmio ab orientalibus contra Photinũ conſcriptæ. Credimus in unum deum patrẽ omnipotentem,creatorem & cõditorem, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terris nominatur. Credimus & in unicũ filium eiuſdem dominum noſtrũ Ieſum Chriſtũ,qui ante omnia ſecula ex patre natus eſt, deum ex deo, lumen ex lumine, per quem facta ſunt omnia in cœlis & in terra,uiſibilia & inuiſibilia. Qui & eſt uerbum & ſapientia & uita,& lumen uerum, qui in nouiſſimis diebus propter nos incorporatus eſt, & natus de ſancta uirgine,& crucifixus & mortuus & ſepultus, q & reſurrexit ex mortuis tertia die,& aſcendit in cœlũ,& ſedet in dextera patris, & uenturus eſt in conſummatione ſeculi iudicare uiuos & mortuos,& reddere unicuiq; ſecundum opera ſua, cuiusq; regnũ ſine fine perſeuerans permanet in æterna ſecula. Erit enim ſedens in dextera patris,non ſolũ in hoc ſeculo, uerum etiam & in futuro. Et in ſpiritum ſanctum,id eſt, paracletũ, quem promittens apoſtolis,poſteaquam cœlum aſcendit,miſit docere eos,& commonere omnia,per quem & ſanctificantur credentium in eum ſynceriter animæ.

Eos

Eos autem qui dicunt, de nullis extantibus eſt filius, uel de alia ſubſtan/ 1
tia, & non ex deo: & quod erat tempus uel ſeculum quando non erat, alie/
nos ſcit ſancta & catholica eccleſia. Si quis autem patrem & filium duos 2
dicit deos, anathema ſit. Et ſi quis unum dicens deum, Chriſtum autem 3
deum ante ſecula filium dei obſecutum patri in creatione omniũ non con/
fitetur, anathema ſit. Et ſi quis innaſcibilem deũ, uel partem eius de Ma/ 4.
ria natum eſſe audet dicere, anathema ſit. Et ſi quis ſecundum præſcienti 5
am uel prædeſtinationem, ex Maria dicit filium eſſe, & non ante ſecula ex
patre natum apud deum eſſe, & per eum facta fuiſſe omnia, anathema ſit.

Si quis ſubſtantiam dei dilatari & contrahi dicit, anathema ſit. Si quis 6.7
dilatatam ſubſtantiam dei filiũ dicat facere, aut latitudinẽ ſubſtantiæ eius,
ſicuti ſibi uidetur, filium nominet, anathema ſit. Si quis inſitum uel prola 8
tiuum uerbum dei filium dicat, anathema ſit. Si quis hominem ſolum di 9
cit de Maria filium, anathema ſit. Si quis deũ & hominem de Maria na/ 10
tum dicens, deũ *innaſcibilem ſic intelligit, anathema ſit. Si quis uerbũ ca 11
ro factum eſt audiens, uerbum in carnem tranſlatum putet, uel demutatio ἀγέννητον.
nem ſuſtinentem accepiſſe carnem dicit, anathema ſit. Si quis unicum fi/ 12
lium dei crucifixum audiens, dealitatem eius, corruptionem, uel paſſibilita/
tem, aut demutationem, aut diminutionem, uel interfectionem ſuſtinuiſſe
dicat, anathema ſit. Si quis, faciamus hominem, nõ patrem ad filium di/ 13
xiſſe, ſed ipſum ad ſemetipſum dicat deũ locutum, anathema ſit. Si quis 14.
filium non dicat Abrahæ uiſum, ſed deum innaſcibilem, uel partem eius di
cat, anathema ſit. Si quis cum Iacob non filium quaſi hominem collucta 15
tum, ſed deum innaſcibilem, uel partem eius dicat, anathema ſit. Si quis, 16
pluit dominus à domino, nõ de filio & patre intelligat, ſed ſeipſum à ſeipſo
dicat pluiſſe, anathema ſit. Pluit enim dominus filius à domino patre. Si 17
quis dominum & deum, non patrem & filium quaſi dominum à domino
intelligat, quia dominũ & deum duos dicat deos, anathema ſit. Non enim *Filius patri*
exæquamus uel conformamus filium patri, ſed ſubiectũ intelligimus. Ne/ *ſubiectus etiam iuxta naturitatem diuinam*
que enim deſcendit in Sodomam ſine patris uoluntate, neq; pluit ex ſe, ſed
à domino autoritate patris: nec ſedet in dexera à ſemetipſo, ſed audit di/
centem patrem: Sede ad dexteram meam. Si quis patrem & filium & ſpi 18
ritum ſanctum unam perſonam dicat, anathema ſit. Si quis ſpiritum ſan 19
ctum paracletum dicens, innaſcibilem deum dicat, anathema ſit. Si quis, 20
ſicut docuit nos dominus, nõ alium dicat paracletum à filio, dixit enim: Et
alterum paracletum mittet uobis pater, quem rogabo eum, anathema ſit.

Si quis ſpiritum ſanctum partem dicat patris uel filij, anathema ſit. Si 21.22
quis patrem & filium & ſpiritum ſanctum tres dicat deos, anathema ſit.

Si quis, quod dictũ eſt: Ego deus primus, & ego deus nouiſſimus, & præ 23
ter me non eſt deus, ad deſtructionem idolorum dictum, & eorum qui nõ

ſunt dij, in deſtructionem unici ante ſecula dei Iudaice dictum intelligens,
24 anathema ſit. Si quis uoluntate dei tanquàm unum aliquid de creatura
25 factum dicat filium, anathema ſit. Si quis nolente patre natũ dicat filium, anathema ſit. Non coactus pater, uel naturali neceſſitate ductus, cum nol/let genuit filium, ſed mox ut uoluit, ſine tempore & impaſſibiliter ex ſe uni/
26 genitum demonſtrauit. Si quis innaſcibilem & ſine initio dicat filium tan quàm duo ſine principio, & duo innaſcibilia, & duo innata dicens, duos faci at deos, anathema ſit. Caput enim quod eſt principium omnium filius, ca/put autem quod eſt principium Chriſti, deus. Ita enim ad unum, qui eſt ſi/ne principio, omniũ principium, per filiũ uniuerſa referimus, & iterum con/

Chriſtus miniſtrat etiam ut deus filius

firmantes Chriſtianiſmi intellectum, dicimus: Quoniam ſi quis Chriſtum deum filium dei ante ſecula ſubſiſtentem & miniſtrantem patri ad omniũ perfectionem non dicat, ſed ex quo de Maria natus eſt, ex eo & Chriſtum & filium nominatũ eſſe & initium accepiſſe, ut ſit deus, anathema ſit. Hi/larius. Neceſſitas & tempus admonuit eos qui tum cõuenerant, per mul/tiplices quæſtiones latius ac diffuſius expoſitionẽ fidei ordinare. Quia mul tis & occultis cuniculis in catholicam domum ea quæ per Photinum reno/uabatur hæreſis, tentaret irrepere, ut per ſingula genera intemeratæ & illæ/ſæ fidei unicuiq; generi hæreticæ ac furtiuæ fraudulentiæ contrairetur: eſ/ſentq; totidem fidei abſolutiones, quotidem eſſent quæſitæ perfidiæ occa/ſiones. Ac primũ poſt generalem illam atq; indubitatam ſacramentorum expoſitionem, hinc exponendæ fidei aduerſum hæreticos cœpit exordiũ.
1 Eos autẽ qui dicunt, de nullis extantibus eſt filius, uel de altera ſubſtan/tia & non ex deo, & quod erat tempus uel ſeculum quando non erat, alie/nos ſcit ſancta & catholica eccleſia. Quis hic ambiguitatis locus, aut quid ex ſyncerę fidei conſcientia reliquum eſt? Non eſt de nõ extantibus. Vt ei ex/tans origo ſit, non eſt extans ei ad originem ſubſtantia aliqua alia, niſi ſola quæ dei eſt. Vt in eo quidem nihil aliud quàm deus ſit, quia non ex nihilo extans aliunde nõ ſubſiſtit. Non differt in tempore, ut cum patre ſit intem/poralis & filius. Inſeparabilia itaq; inter innaſcibilem patrem & unigenitũ filium cuncta ſunt, quos in tempore pares ipſa illa unius tantũ paternæ in/naſcibilitatis æternitas, ex qua natiuitas ſumitur, indifferenti in nullo diſcer/
2 nat eſſentiæ. Si quis autẽ patrem & filium duos dicit deos, anathema ſit.
3 Et ſi quis unum dicens deum, Chriſtum autem deum ante ſecula filium dei obſecutum patri in creatione omnium non confitetur, anathema ſit. Re rum nobis abſolutam intelligentiam ipſa illa nominis religioſa profeſſio tribuit. Cum enim in damnatione ſit, patrem & filium duos deos dicere: & rurſum anathema ſit, filium deum negare ſubſtantiæ diuerſæ alterius ab al/tera, opinio in prædicandis dijs duobus excluditur. Non enim eſt alia præ/ter illam dei patris, ex qua dei filius deus intemporalis eſt natus, eſſen/

tia,

tia. Nam cum neceſſario deum patrem confitemur, & abſolute Chriſtum dei filium deum prædicamus,& inter hæc duûm deorum ſit irreligioſa confeſſio,nó poſſunt ſecundũ naturæ indifferentiam & nomen indifferens nõ unum eſſe in eſſentiæ genere,quorum eſſentiæ nomẽ nõ licet eſſe niſi unũ.

Si quis innaſcibilem deum,uel partem eius de Maria natũ eſſe audet di- 4
cere,anathema ſit.Ne quod nuncupatæ eſſentiæ in patre & filio,per indiſſimilem naturam nomen unum eſt,occaſionem hæreticis præſtaret,ut innaſcibilem deum uel partem eius naſci de Maria prędicarent,occurſum eſt ſalutaris definitione ſententiæ,ut anathema eſſet hoc confitens.nõ enim religioſa unitas nominis ex indifferentis naturæ eſſentia conſtituta,perſonam genitæ ademit eſſentiæ,ut unica ac ſingularis dei ſubſtantia per unionẽ nominis intelligatur,cum utriuſq; eſſentiæ nomen unum,id eſt,deus unus,ob indiſcretæ in utroq; naturæ indiſſimilem ſubſtantiam prędicetur. Si quis 5
ſecundũ præſcientiam & prædeſtinationem,à Maria dicit filium eſſe,& nõ ante ſecula ex patre natum apud deũ eſſe,& per eum facta eſſe omnia,anathema ſit.Deum omnium noſtrum dei filium antequàm corporeus naſceretur,negaturi,ſecundũ præſcientiam & prædeſtinationem,non ſecundum naturæ ſubſiſtentis eſſentiam fuiſſe confirmant, id eſt, ut per præſcientiam patris,quia eum prædeſtinauit ut eſſet, aliquando ſcilicet gignendus ex uirgine nunciatus nobis fuerit potiuſquàm ante ſecula in naturæ diuinæ ſubſtantia natus extiterit, utq; omnia quæ ipſe in prophetis de incorporationis ſuæ ac paſſionis ſacramentis locutus eſt, ſecundum præſcientiam de eo à patre ſint dicta. Itaq; doctrinæ huius peruerſitas cõdemnatur, ut cognitus nobis unigenitus filius dei,natus potius ex patre ante ſecula,& ipſa ſecula cum creaturis omnibus cõdens, quàm prædeſtinatus ſit eſſe gignendus.

Si quis ſubſtantiam dei dilatari & contrahi dicit,anathema ſit.Contrahi 6
& dilatari,corporalis eſt paſſio,deus autẽ qui ſpiritus eſt,& ſpirat ubi uult, nõ ſe per demutationem ſubſtantiæ aut dilatat aut contrahit.Extra corporalis enim naturæ neceſſitatem liber manens, quod uult id præſtat ex ſeſe. Impium ergo eſt,ſubſtantiæ demutationem libertati tantæ uirtutis aſcribere. Si quis dilatatam ſubſtantiam dei filium dicat facere, aut latitudinem 7
ſubſtantiæ eius nominet filium,anathema ſit.Superior ſententia etſi indemutabilem docere deũ uoluerit,ad hanc ſe tamen ſequentem hæreſim prę parauit. Quidam enim auſi ſunt innaſcibilem deum uſq; ad ſanctam uirginem,ſubſtantiæ dilatatione protendere,ut latitudo deducta, quodam naturæ ſuæ tractu aſſumensq; hominẽ filius nuncuparetur,neq; filius ante ſecula perfectus deus natus,idem poſtea & homo natus ſit. Totũ hoc itaque catholica fides damnat, in quo & demutabilis pater dicitur, & natus filius abnegatur. Si quis inſitum & prolatiuum uerbũ,dei filium dicat,anathe- 8
ma ſit.Hæretici perimentes quantum in ipſis eſt,dei filium,uerbũ eſſe tan-

tum confitentur,prodeuntem ſcilicet ex loquentis ore ſermonem,& in ſub/ſtantiuæ uocis incorporalem ſonum,ut deo patri iſtiuſmodi ſit uerbum fi/lius,cuiuſmod iper inſitam nobis loquendi naturam uerbum omne profer/tur in uocem.Fraus ergo hæc omnis in damnatione eſt,quę deum uerbum quod in principio apud deum erat,tanq; uerbum eſſe inſitæ ac prolatæ uo
9 cis affirmet. Si quis hominem ſolum dicat de Maria filium, anathema ſit. Filium dei de Maria nō prædicamus,niſi & hominem & deū prędicemus.
10 Si quis deum & hominem de Maria natum dicens, deū innaſcibilem ſic intelligit,anathema ſit.Sed ne id quod deū & hominem prædicamus,frau dis habeat occaſionem, cōtinuo ſubiecit,deum innaſcibilem:ſic intelligenti conſeruatur ſubſtantię & nomen & uirtus,cū in anathemate ſit,qui ex Ma ria dei filium,hominem ſine deo dixerit,& in eodem iudicio ſit, qui in ho/mine innaſcibilem deum dixerit:nō deus is qui in homine eſt, nō eſſe deus dicitur, ſed deus innaſcibilis abnegatur, patre à filio non naturæ nomine,
11 quia nec diuerſitas eſſet, ſola innaſcibilitatis autoritate diſcreto. Si quis, uerbum caro factum eſt, audiens, uerbū in carnem tranſlatū putet, uel de/mutationem ſuſtinentem accepiſſe carnem dicat,anathema ſit. Conſerua/tur dignitas diuinitatis,ut in eo quod uerbum caro factū eſt, dum uerbum caro fit,nō amiſerit per carnem quod erat uerbum, neq; tranſlatum in car/nem ſit,ut uerbum eſſe deſineret, ſed uerbū caro factum eſt, ut caro potius hoc inciperet eſſe quod uerbū. Alioquin unde carni in operibus uirtutes? in monte gloriam? in cogitationibus humanorum cordium ſcientiam? in paſſione ſecuritatem? in morte uitam? Sed demutationē deus neſciens,ni/
12 hil ex ſubſtantiæ ſuæ bonis caro factus amiſit. Si quis unicum filium dei crucifixum audiens,deitatem eius corruptionem,uel paſſibilitatem,aut de mutationem,uel diminutionē, uel interfectionem ſuſtinuiſſe dicit,anathe/ma ſit.Abſolute oſtenditur,cur uerbum,licet caro factū ſit,nō tamen tranſ/latum fuerit in carnem. Cum enim hæc paſſionū genera infirmitatem car/nis afficiant,deus tamē uerbum caro factus nō potuit demutabilis eſſe pa/tiendo.Non enim id ipſum eſt pati & demutari,quia omnem carnem paſ/ſio cuiuſq; generis demutet ſenſu,dolore,patientia, tolerantia.Verbum au tem quod caro factum eſt,licet ſe paſſioni ſubdiderit, non tamen demuta/tum eſt paſſibilitate patiendi.Nam pati quidem potuit paſſione,ſed paſſi/bilitate paſſibilis eſſe non potuit,quia paſſibilitas naturæ infirmis ſignifica tio eſt.Paſſio autem eſt eorū quæ ſint illata, perpeſſio. Itaq; quia indemu/tabilis eſt deus, cum tamen uerbū caro factum ſit, habuerunt in eo paſſio/nes materiam ſine paſſibilitatis infirmitate. Manet itaq; indemutabilis etí/am in paſſione natura autori ſuo indifferens, & impaſſibilis eſſentiæ nata
13 ſubſtantia. Si quis,faciamus hominem,nō patrem ad filiū dixiſſe,ſed ip/
14 ſum à ſemetipſo dicat deum locutum, anathema ſit. Si quis filium non

dicat

dicat Abrahæ uiſum,ſed deũ innaſcibilem,uel partem eius,anathema ſit.

Si quis cum Iacob non filium, quaſi hominem colluctatum, ſed deũ in- 15
naſcibilem,uel partẽ eius dicat, anathema ſit. *Si* quis pluit,dominus à do 16
mino,non de filio & de patre intelligat,ſed ipſum à ſe pluiſſe dicat, anathe
ma ſit. Pluit enim dominus filius à domino patre.Hæc quia Photinus,ad-
uerſum quem tunc conuentũ erat,negabat,inferenda fidei fuerunt, ne quis
auderet non ante dei filium quàm uirginis filiũ prædicare,& ſuperiora om
nia quæ propria dei filio ſunt, ſtultiſſima hæreticę inſanię peruerſitate deo
innaſcibili coaptaret,& dum hæc ad patrem refert, filio ſubſtantiam dene-
garet. Quæ quia abſoluta ſunt, neceſſitatem nobis interpretandi non reli-
querunt. *Si* quis dominum & deum nõ patrem & filium intelligat, quia 17
dominum & deum duos dicat deos,anathema ſit.Non enim exęquamus,
uel comparamus filium patri, ſed ſubiectum intelligimus. Neq; enim de-
ſcendit in Sodomã ſine patris uoluntate,neq; pluit ex ſeſe, ſed à domino,
autoritate ſcilicet patris.Nec ſedet in dextera à ſemetipſo,ſed audit dicentẽ
patrem: Sede ad dexteram meam. Et ſuperiora & cõſequentia ſuſpicionẽ,
ſi qua eſſe in his dictis uidebitur,penitus excludunt,ne diuerſitas diſſimiliũ
in domino & domino prædicetur,& in eo nõ comparatur,quia duos deos
dici impium ſit. Non autem idcirco non comparatur uel exæquatur filius
patri,ne deus ſit ipſe creator.Cum enim anathema ſit, Chriſtum deum de
negans, nõ poteſt idcirco prophanum uideri, duos deos cognominari, ne
& Chriſtus deus prædicetur,cum per eſſentiæ naturalis proprietatem idcir
co deus unus eſt, quia ex innaſcibili deo patre, qui unus eſt, deus unigeni-
tus filius deus natus non aliunde,quàm ex deo habeat eſſe quod deus eſt,
& indifferenti ipſi qui genitus eſt, ab eo qui genuit, eſſentia nõ potuit eſ-
ſe,nam indifferentis unum nomen eſt naturæ, uel in eo quidẽ maxime nõ
comparatur,nec coæquatur filius patri, dum ſubditus per obedientiæ obſe
quelam eſt,dum pluit dominus à domino, ne à ſe ipſe ſecundum Photinũ
aut Sabelliũ pluerit,ut dominus à domino,dum ad dexteram dei tum con-
ſedit,cum ſibi ut conſideret dictũ ſit,dum mittitur,dum accipit,dum in om
nibus uoluntati eius,qui ſe miſit,obſequitur.Sed pietatis ſubiectio non eſt *Filius ſub-*
eſſentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem facit naturam, cum *iectus*
per id quod cum & innaſcibilis pater deus eſt, & unigenitus filius dei deus
eſt,deus tamen unus ſit, & ſubiectio filij doceatur & dignitas, dum ei ipſi
non niſi filius nuncupandus ſubĳcitur. Quod cum dei patris ſit,tamen ſibi
ex natura ſit,nomen habens alienum, ſed eius cuius & filius eſt, ut ſit patri
& obſequio ſubiectus & nomine: ita tamen ut ſubiectio nominis proprie-
tatem naturalis atq; indifferentis teſtetur eſſentiæ. *Si* quis patrem & filiũ 18
unam perſonam dicit,anathema ſit. Non habet neceſſitatem contradicen-
di ſibi abſoluta peruerſitas, & tamen ſtultus quorundam furor in id pro-

rumpit,ut personam unam duûm nominum ausa sit prædicare.

19 Si quis spiritum sanctum paracletum dicens, innascibilem deum dicat, anathema sit. Adiectio nunc paracleti,anathemati obnoxiam facit innascibilis in eo dei prædicationem. Impijssimum enim est, innascibilem deum eum dici,qui ad consolationem nostram sit missus à filio.

20 Si quis sicut docuit nos dominus,non alium dicat paracletum à filio,dixit enim:Et alterum paracletum mittet uobis pater, quem rogabo ego patrem,anathema sit. A filio paracletum missum meminimus,& in principio hoc fides ipsa exposuit. Sed quia frequenter filius per indifferentis naturæ uirtutem opera sua opera patris esse dixit,dicens: Ego opera patris mei facio, missurus quoq; paracletum,sicuti frequenter * exposuimus, interdum eum & mittendum dixit à patre,dum omne quod ageret, pie referre est solitus ad patrem.Ex quo hęretici occasionem frequenter arripiunt,ut ipsum esse filium paracletum dicant,cum in eo quod alium paracletum mittendũ à patre sit precaturus, differentiam missi rogantisq́; significent.

Als*spopõdit

21 Si quis spiritumsanctum partem dicat patris uel filij,anathema sit.Stultitia hæretici furoris hæc coegit scripto referre non quæstio. Nam cum spiritussancti nomen habeat suam significationem,& spiritussanctus paracletus habeat substantiæ suæ & officium & ordinem,& cum ubiq; indemutabilis pater & filius prædicetur, quomodo pars esse aut patris,aut filij, sanctusspiritus asseritur? Sed quia sicut inter cætera insaniarum genera etiam hoc quoq; proferri ab impijs solet,idcirco à sanctis debuit improbari.

22 Si quis patrem & filium & spiritumsanctum tres dicit deos, anathema sit. Duûm deorum professio cum irreligiosa sit, quia nusquàm nisi unum deum prędicatum meminerimus & prædicemus,quanto magis trium deorum in patre & filio & spiritusancto nuncupatio damnabilis est? Quod tamen,quia hæretici dicunt,recte catholici condemnant.

23 Si quis quod dictum est: Ego deus primus, & ego deus nouissimus, & præter me nõ est deus,ad destructionem idolorum dictum, & eorum qui non sunt dij, in destructionem unici ante secula dei Iudaice dictum intelligat,anathema sit. Deorũ numerositate damnata,& deo tantum uno prædicato, negari deus filius dei non potest. Verum naturæ istud præstat genuina proprietas, ut nomen quod negatur ad numerũ, debeatur essentiæ: & id quod non est deus præter me, non posse filio auferre quod deus est. quia deus alius quàm qui est ex deo, nullus est. Et præter hanc uocem patris,non potest nõ deus esse, qui ex se indifferenti ad naturam suam est natus essentia.Quod idcirco Iudæi ad unionem dei referũt, quia unigenitum deum nesciunt.Sed nos cum duos deos negamus, diuersitatem in patre & filio naturalis abominamur essentiæ, quia id quod non est deus premere, impiam de falsis dijs perimit opinionem. Cum uero unum deum confitentes,fi-

tes, filium quoq; deum dicimus, nihil diuerſum per ſubſtantiam in utroq; ſub uno nomine prædicamus. Si quis uoluntate dei tanquàm unum ali- 24
quem de creatura filiũ factum dicat, anathema ſit. Omnibus creaturis ſub-
ſtantiam uoluntas dei attulit, ſed naturam filio dedit ex impaſſibili ac non
nata ſubſtantia, perfecta natiuitas. Talia enim cuncta ſunt creata, qualia ea
eſſe deus uoluit. Filius autem natus ex deo talis ſubſtitit, qualis & deus eſt,
nec diſſimilem ſui ędidit natura naturam. Sed ex ſubſtantia dei genitus, na
turæ ſecundum originem attulit eſſentiam, nõ ſecundum creaturam uolun
tatis eſſentiam. Si quis nolente patre natũ dicat filium, anathema ſit. Nõ 25
enim nolente patre coactus pater, uel naturali neceſſitate ductus cum nol-
let genuit filium, ſed mox ut uoluit ſine tempore & impaſſibiliter ex ſe uni-
genitum demonſtrauit, cum nõ ex uoluntate, ut cætera, filius ſubſiſtere do
ceretur, ne ſecundum uoluntatem tantum nõ etiam ſecundum naturam ha
beret eſſentiam, data hæreticis occaſio uidebatur, ut neceſſitatem deo patri
gignendi ex ſe filij aſcriberẽt, tanquàm naturali lege cogente, inuito ſe ædi-
derit. Sed hæ paſſionum non eſt in deo patre conditio, cum inenarrabili &
perfecta natiuitate filij, nec uoluntas ſola genuit filium, nec demutata, aut
coacta imperio naturalis legis eſſentia eſt, nec ad gignendum quæſita ſub-
ſtantia eſt, nec gignentis in genito diuerſa natura eſt, nec in tempore pater
ni nominis ſolitudo, ſed ante tempora omnia pater ex naturæ ſuæ eſſentia,
impaſſibiliter uolens filio dedit naturalis natiuitatẽ eſſentiæ. Si quis in- 26
naſcibilem & ſine initio dicat filium, tanquàm duo ſine principio, & duo in-
naſcibilia, & duo innata dicẽs, duos faciat deos, anathema ſit. Caput enim
quod eſt principium omnium, filius: caput autẽ, quod eſt principium Chri
ſti, deus. Sic enim ad unum ininitiabile omnium initium per filium uniuer
ſa referimus, filium innaſcibilem confiteri, impĳſſimum eſt. Iam enim non
erit deus unus, quia deum unum prędicari natura unius innaſcibilis dei exi
git. Cum ergo unus deus ſit, duo innaſcibiles eſſe non poſſunt, cum idcirco
deus unus ſit, cum pater deus ſit, & filius dei deus ſit, quia innaſcibilitas ſola
penes unum ſit. Filius autem idcirco deus, quia ex innaſcibili eſſentia natus
exiſtat. Reſpuit ergo innaſcibilem filiũ prædicari fides ſancta, ut per unum
innaſcibilem, deum unum prædicet, ut naturam unigenitam ex innaſcibili
genitam eſſentia, in uno innaſcibilis dei nomine cõplectatur. Caput enim
omnium filius eſt, ſed caput filij deus eſt. Et ad unum deũ omnia hoc gra-
du atq; hac cõfeſſione referuntur, cum ab eo ſumant uniuerſa principium,
cui ipſe principium ſit, & iterum confirmantes Chriſtianiſmi intellectum,
dicimus. Quoniam ſi quis Chriſtum deum, filium dei ante ſecula ſubſi- 27
ſtentem & miniſtrantem patri ad omnium perfectionem non dicat, ſed ex
quo de Maria natus eſt, ex eo & Chriſtum & filium nominatum eſſe, &
initium accepiſſe ut ſit deus, dicat, anathema ſit. Concludi damnatio eius

hæresis,propter quam conuentum erat,expsitione totius fidei cui aduersa/batur, oportuit, quæ initium dei filij ex partu uirginis mentiebatur. Hoc enim fidei nostrę secundum Euangelicam & apostolicam doctrinam principale est, dominum nostrum Iesum Christum deum & dei filium à patre nec honoris confessione,nec uirtutis potestate,nec substantiæ diuersitate, nec interuallo temporis separari. Multifarie, ut intelligitur ex episcoporum consilijs atque sententijs, quæsita ueritas est, & intelligentiæ ratio exposita est per singulas scriptæ fidei professiones, singulis quibusque generibus impiæ prædicationis extinctis. Non enim infinitus & immensus deus breuibus humani sermonis eloquijs uel intelligi potuit uel ostendi. Fallit enim plerunque & docentes breuitas uerborum, & compendio sermonum aut non intelligi potest quod requiritur,aut etiam corrumpitur quod significatum magis quàm enarratum rationis absolutione non constat. Et idcirco episcopi in intelligentiæ suæ sensu loquentes, ob difficultatem naturalis intelligentiæ & plurimis definitionibus & copiosioribus uerbis usi sunt ad docendum, ut & sensum audientium distinctione æditæ per multa ueritatis imbuerent, & de diuinis rebus nihil aut periculosum aut obscurum in hac multimoda plurium sententiarum absolutione loquerentur. Nihil autem mirum uideri uobis debet fratres charissimi, quòd tam frequenter exponi fides cœptæ sunt, necessitatem hanc furor hæreticus imponit. Nam tantum ecclesiarum orientalium periculum est, ut rarum sit huius fidei, quæ qualis sit uos iudicate, aut sacerdotes aut populum inue/
Als*multa niri. *Male enim per quosdam impietatis autoritas data est in exilijs epi/
Als*auctæ scoporum,quorum causam nō ignoratis,uires*autem sunt prophanorum. Non peregrina loquor,neq; ignorata scribo:audiui ac uidi uicia præsentiū: non laicorum, sed episcoporum. Nam absque episcopo Eleusio & paucis cum eo, ex maiori parte Asianæ decem prouinciæ, intra quas consisto,uere deum nesciunt. Atque utinam eum nescirent, cum procliuiore enim ue/
Als*se intra nia ignorarent quàm obtrectarent. Sed horum episcoporum dolor *ultra silentium non continens, unitatem fidei huius quærit, quam iamdudum per alios amisit. Nam in illa in prima collatæ expositionis synodo,fides hanc habuit necessitatem,quum apud Syrmium per Osium immemorem gestorum suorum dictorumq;,nouæ & tamen iam diu suppuratæ impietatis doctrina proruperat. Sed de eo nihil loquor, qui idcirco est reseruatus,ne iudicio humano ignoraretur qualis ante uixisset. Vbiq; autē scandala,ubiq; schismata,ubiq; perfidiæ sunt. Hinc illud est,ut ad professionē subscribendæ fidei aliqui eorū,qui ante aliud scripserant, cogerentur. Non queror de patientissimis uiris orientalibus episcopis, quibus sufficit post blasphemiæ uoluntatem coactæ saltem fidei professio. Gratulandū enim uidetur in tanta blasphemantium episcoporū hæretica pertinacia,aliquem

ex

ex his ſuſcipi pœnitentẽ. Sed inter hæc ô beatos uos in domino & glorioſos, qui perfectam atq; apoſtolicam fidem conſcientia & profeſſione dei retinentes, conſcriptas fides huc uſq; neſcitis. Non enim eguiſtis litera, qui ſpiritu abundabatis. Neq; officiũ manus ad ſcribendũ deſideraſtis, qui quod corde à uobis credebatur, ore ad ſalutem profitebamini. Nec neceſſarium habuiſtis epiſcopi legere, quod regenerationis officio tenebatis. Sed neceſſitas conſuetudinem intulit, exponi fides, & expoſitis ſubſcribi. Vbi enim ſenſus conſcientiæ peirclitatur, illic litera poſtulatur. Nec ſanè ſcribi impedit, quod ſalutare eſt confiteri. Confitemur planè in ſancti ſpiritus dono ſemper innocentes, & ſcribimus uolentes, non deos duos, ſed deum unum, neq; per id nõ & deum dei filium. Eſt enim ex deo deus. Non innaſcibiles duos, quia autoritate innaſcibilitatis deus unus eſt. Neq; per id nõ & unigenitus deus eſt. Namq; origo ſua innaſcibilis ſubſtantia eſt. Non unum ſubſiſtentem, ſed unam ſubſtantiam. Non differentem, non unum indiſſimilibus naturis dei nomen, ſed unius nominis atq; naturæ indiſſimilem eſſentiam. Non præſtantẽ quenquam cuiquam genere ſubſtantiæ, ſed ſubiectum alterũ alteri natiuitate naturæ. Patrem in eo maiorem eſſe quòd pater eſt, filiũ in eo nõ minorem eſſe quòd filius eſt. Significationẽ intereſſe, nõ intereſſe naturam. Patrem nõ intra tempora confiteri, ſed cointemporalem patri nõ negare. Patrem in filio prædicare, quia nihil in ſe habeat filius à patre diſſimile: filiũ in patre confiteri, quia non eſt aliunde quod filius eſt. Mutuam ſibi ac ſimilẽ inuicem naturam nõ neſcire, quia par ſit quod unus ſit, nõ exiſtimare, quia unum ſunt, unum eos ſic per indiſſimilis naturæ indifferentiam prædicare, ne unus ſit. Expoſui chariſſimi quantũ humani ſermonis cõſuetudo patiebatur, & dominus mihi ſemper, ut ipſe ſcit, à me oratus indulſit, cõmunis fidei conſcientiam. Et ſi quid minus, imò quia minus, ac propè nihil dictum eſt, mementote non ſenſum mihi, ſed uerba deeſſe. Arguam fortè in eo naturam meam, non tamen arguam uoluntatem: & ignoſco naturæ, ſi loqui de deo quod uult non poteſt, cui ſufficiat ad ſalutem, credidiſſe quæ dei ſunt. Nunc quia fides mea atq; ueſtra, quantum mihi conſcius ſum, apud deũ non periclitatur, & oſtendi uobis, ſicut uoluiſtis, quæ ante expoſitæ fides eſſent ab orientalibus epiſcopis, ſed paucis: repetam ergo, quia ſecundũ numerum eccleſiarum orientalium, epiſcoporum paucorum fides iſta eſt, ipſe quoq; quid de diuinis rebus ſecundũ doctrinam apoſtolicam ſentirem profeſſus ſum. Reliquum eſt, ut profeſſio quæ errorẽ nobis aſpergere uidetur ſimplicitatis ex ſermone ſine ſuſpicione aliqua, quia iam nec*relata eſt, audienda ſit. Et quanquàm iam non*moueat de me iudicari ſecundum expoſitionem totius fidei, tamen patimini, ut nolim de me adhuc, niſi abſolutis omnibus, iudicari. Multi ex nobis fratres chariſſimi, ita unam ſubſtantiam patris & filij prædicant, ut uideri poſſint, non

Filius patri ſubiectus etiam iuxta diuinam naturam

*Als*relicte*
*Als*uercar*

non magis id pie quàm impie prædicare. habet enim hoc uerbū in ſe & fi/dei conſcientiam & fraudem paratam. Nam ſi ſecundum naturæ proprie/tatem ac ſimilitudinē,ut ſimilitudo non ſpeciem ſolam afferat,ſed genus te neat,religioſe unam ſubſtantiam prædicamus, dummodo unam ſubſtan/tiam proprietatis ſimilitudinem intelligamus,ut quod unum ſunt,non ſin/gularem ſignificet,ſed æquales: æqualitatē dico,id eſt,indifferentiam ſimi/litudinis,ut ſimilitudo habeatur æqualitas. Aequalitas uero unum idcirco dicitur eſſe,quia par ſit. Vnum autē in quo par ſignificatur,non ad unicum uendicetur. Vna igitur ſubſtantia ſi non perſonam ſubſiſtentem perimat, nec unam ſubſtantiam partitam in duos diuidat, religioſe prædicabitur. Quæ ex natiuitatis proprietate, & ex naturæ ſimilitudine ita indifferēs ſit, ut una dicatur. At uero ſi idcirco unius ſubſtantiæ pater & filius dicatur, ut hic ſubſiſtens ſub ſignificatione licet duûm nominum unus ac ſolus ſit,con feſſum nomine filium conſcientia nō tenemus, ſi unam ſubſtantiam confi/tentes,ipſum ſibi unicū ac ſingularem & patrem eſſe dicimus & filiū. Quin æque & huius tanti erroris occurrit occaſio, ut diuiſus à ſe ipſe pater intelli/gatur, & partem execuiſſe quæ eſſet ſibi filius. Id enim hæretici unam ſub/ſtantiam prædicantes contendunt, & his multū pie confeſſionis noſter ſer/mo blanditur. Vt dum hoc uerbū indefinita breuitate dubiū eſt, proficiat ad errorem. Eſt præterea error hic tertius,ut cū unius ſubſtantiæ pater & fi lius eſſe dicitur,ſignificari exiſtimetur ſubſtantia prior quā inter ſe duo pa/res habeant. Ac ſic tres res ſermo ſignificet,ſubſtantiam unam,& duos uni us ſubſtantiæ uelut cohæredes. Vt enim cohæredes duo ſunt,& hæreditas anterior eſt cuius duo ſunt cohæredes, ita unius ſubſtantiæ anterioris duo poſſunt uideri cōſortes. Atq; ita una ſubſtantia patris & filij prædicata,aut unum qui duas nuncupationes habeat, ſubſiſtentē ſignificat, aut diuiſam unam ſubſtantiam duas imperfectas feciſſe ſubſtantias,aut tertiam prioré ſubſtantiam quæ à duobus & uſurpata ſit & aſſumpta. Quę idcirco una di catur,quia in duas una deſecta ſit. Et ubi poſt hæc natiuitas, ubi pater, ubi filius intelligitur,ſi patrem & filiū uel deſectio potius,uel anterioris ſubſtan tiæ communio, quàm naturæ natiuitas prædicabit? In his igitur tot tamq; grauibus fidei periculis,uerborū breuitas temperanda eſt:ne impie dici exi ſtimetur,quod pie intelligitur:ne ſecura atq; innocente conſcientia, per oc/caſionem hæreticorū reus ſermo dicturus, unam ſubſtantiam catholicam patris & filij nō inde incipiat, neq; hoc quaſi maximum teneat, tanq; ſine hoc uera fides nulla ſit,tuto unam ſubſtantiam dicet,cum ante dixerit: Pa/ter ingenitus eſt, filius natus eſt, ſubſiſtit ex patre, patri ſimilis eſt, uirtute, honore,natura. Patri ſubiectus eſt,ut autori: nec ſe per rapinam deo,cuius in forma manebat,æquauit:obediens uſq; ad mortem fuit. Non ex nihilo eſt,ſed natiuitas eſt. Non eſt innaſcibilis, ſed cōtemporalis. Non eſt pater,

ſed

ſed ex eo filius eſt. Non eſt portio aliqua, ſed totus eſt. Non eſt autor ipſe, ſed imago eſt. Imago dei ex deo, in deum nata. Non eſt creatura, ſed deus eſt. Non eſt alter deus in genere ſubſtantię, ſed unus deus per indifferentis ſubſtantiæ eſſentiam. Non perſona deus unus eſt, ſed natura: quia nihil in ſe diuerſum ac diſſimile habent natus & generans. Et poſt hæc, unam ſubſtantiam patris & filij dicendo, non errat, at unam ſubſtantiam negando, iam peccat. Nemo itaq; unam ſubſtantiam negari à nobis putet, cuius idcir co ratio oſtenditur, ne negetur. Nemo unam ſubſtantiam breui ac nudo ſermone putet prædicandam, ut poſſit religioſe dici, una eſſe ſubſtantia. Non enim ego audio: Chriſtus ex Maria natus eſt, niſi & audiam: In principio erat uerbum, & deus erat uerbum. Non audiam, Chriſtus eſuriuit, niſi poſt quadraginta dierum ieiunium audiam: Non in pane ſolo uiuit homo. Nō audiam, ſitiuit, niſi audiam: Qui biberit de aqua quam ego dedero ei, nō ſitiet in æternū. Non audiam, Chriſtus paſſus eſt, niſi audiam: Nunc eſt hora ut filius hominis clarificetur. Nō audiam, mortuus eſt, niſi audiam, reſurrexit. Nihil ſolitarium ex diuinis ſacramentis ad ſuſpicionem audientium & ad occaſionem blaſphemantium proferamus. Ante natiuitas filij, ante ſubiectio, ante ſimilitudo naturę filij prędicanda eſt, ut nō impie unius eſſe & pater & filius ſubſtantiæ prædicetur. Et nō intelligo, cur ante cætera tanquam maximum & potiſſimum & ſolitarium prædicandum ſit, quod nec pie poſſit ante cætera prędicari, & iam impie neceſſe ſit poſt cętera denegari. Non eſt, fratres chariſſimi, una patris & filij neganda ſubſtantia, ſed nec irrationabiliter prædicanda ſit una ſubſtantia ex naturæ genitæ proprietate. Non ſit, aut ex portione, aut ex unione, aut ex cōmunione. Poteſt una ſubſtantia impie dici, & pie taceri. Habes natiuitatem, habes ſimilitudinē. Quid uerbi calumniam ſuſpicioſe tenemus, rei intelligentia nō diſſidentes credamus: & dicamus eſſe unam ſubſtatiam, ſed per naturam proprietate non ad ſignificationem impiæ unionis. Vna ſit ex ſimilitudine, non ex ſolitudine. Sed fortè parum proprietatis in ſe habere ſimitudo uideatur. Hoc ſi eſt, quęro quo modo poſſim alterum ad alium, niſi per ſimilitudinem coæquare? Aut nunquid nō id eſt eſſe ſimile quod æquale? Si unum dico, habet & unici ſuſpicionem: ſi ſimilem dixero, habet indifferentis comparationem. Inter ſimilem & unum quæro quem locum habeat æqualis, & interrogo utrum ſimilitudinis potius aut ſolitudinis res ſit. Non eſt æqualitas in diſſimilibus, nec ſimilitudo eſt intra unū. Aut quid differūt ſimilis & æqualis, ut ab uno iterum diſcernatur æqualis? Non ſunt itaq; diſſimiles æquales. Et quid aliud poſſunt eſſe ſimiles quàm æquales, cū in diſſimilibus non ſit æqualitas? Prædicantes itaq; fratres chariſſimi ſimilem filium in omnibus patri, nihil aliud quàm æqualem prædicamus, perfectę æqualitatis habet ſignificantiam ſimilitudo, & hoc ex ſanctis ſcripturis intelligendū eſt.

legimus

legimus namq; Vixit autẽ Adam ducentis triginta annis, & genuit ſecundum effigiem & ſimilitudinem ſuam, & cognominauit nomen eius Seth. Quæro cuiuſmodi ſimilitudinem & effigiem ſuam Adam in Seth genuerit. Tolle corporum infirmitates, tolle conceptus initium, tolle dolores partitudinis, & omnem humanam neceſſitatem. Quæro ſimilitudo hæc quæ in Seth eſt, utrum per naturam diſſentiat autori, aut utrũ alterius generis eſſentia fuerit in utroq;, ne nõ naturalem habuerit Adæ Seth natus eſſentiam. Sed ſimilitudo Adæ eſt, etiam ſi genus, quia nõ eſt natura diſſimilis. Similitudo autem naturæ non habuit in Seth alterius generis naturam, quia non aliunde Seth natus eſt: ita ſimilitudo res ipſas naturales coæquat per ſimilitudinẽ nõ indifferentis eſſentiæ. Omnis itaq; filius ſecundũ naturalẽ natiuitatẽ, ęqualitas patris eſt, quia eſt & ſimilitudo naturę. Et beatus Ioannes docet in natura patris & filij, quam Moyſes in Seth Adam ſimilitudinem dicit, hanc eandem æqualitatẽ eſſe naturæ. ait enim: Propter hoc eum magis quærebant Iudæi interficere, quoniam non ſolum ſoluebat ſabbatũ, ſed & patrem ſuum dicebat deum, æqualem ſe faciens deo. Quid tantorũ uirorum doctrinis atq; dictis inſerimus torpentia peccatis grauibus ingenia? & ſenſus hebetes atq; temerarios aduerſum indiſſolubilis prædicationis autoritatẽ impij fatigamus? Per Moyſen Seth Adæ ſimilitudo eſt. Per Ioannem filius patris æqualitas eſt. Et quęrimus tertiũ neſcio quid inter patrem & filiũ, quod natura nõ recipit. Similis eſt patri filius, filius patris eſt, ex eo natus eſt. Per hoc ſolũ pie poteſt, quod unum ſit prædicari. Nec me fallit fratres chariſſimi, quoſdam eſſe qui ſimilitudinem confitentes negant æqualitatem. Sed loquantur ut uolunt, & blaſphemiæ ſuæ uirus ingerant ignorantibus. Si inter ſimilitudinem & æqualitatem differre dicunt, quęro unde comparetur æqualitas. Namq; ſecundũ eſſentiam & uirtutem & gloriam & tempus patri filius ſimilis eſt. Interrogo ex quo nõ uideatur æqualitas. Nam etiam hæc in ſuperiori fidei conſtituta damnatio eſt, ut anathema eſſet, qui patrem diſſimilis ſibi eſſentiæ diceret patrem. Si ergo naturam neq; aliam, neq; diſſimilẽ ei, quẽ impaſſibiliter generabat, dedit, non poteſt aliam dediſſe, niſi propriã. Ita ſimilitudo proprietas eſt, proprietas æqualitas eſt, & æqualitas nihil differt. Quę aũt nihil differũt, unũ ſunt, nõ unione perſonæ, ſed æqualitate naturæ. Quanq; uero & cõmuni ſenſu & diuinis autoritatibus inter ſimilitudinem & æqualitatem nihil differe intelligatur: quippe cum ſecundũ Moyſen & Ioannem patri filius & ſimilis ſit & æqualis, tamẽ uideamus an dominus Iudæis iraſcentibus quòd patrem ſibi deũ dicendo, deo ſe coęquaſſet, ſe eſſe docuerit deo ęqualem. ait enim: Non poteſt filius à ſe facere quicq̃, niſi quod uiderit patrem facientem. Au-

Obedĩtia etiam in filio dei

torem diſcreuit, cũ ait: Non poteſt à ſe facere. Obedientiam ſignificat cum addit: Niſi quod uiderit patrem facientem. Non enim uirtutis differentia

eſt

eſt,non poſſe niſi uideat, quia uirtutem magis præſtat natura quàm uiſus. At uero obſequelæ eſt,tunc poſſe cũ uidet.Atq; ita per id quod uidet,ſignificat,non ex uiſu ſe accipere uirtutem,ſed autoritate uiſus præſumere poteſtatem.Non ergo differt naturæ uirtus in patre & filio,cui hoc poſſe,quod pater poſſit,nõ ex incremento aliquo naturæ profectus tribuat,ſed autoris exemplũ.Deniq; honore in quẽ ſubiectio conſeruauit,naturæ uirtus æquauit.Subiecit enim : Quæcunq; enim ille facit,eadem & filius ſimiliter facit. Nunquid ſimilitudo nõ æqua eſt? æqua planè eſt,etiam ſi negemus, eadẽ enim ſimiliter facit.Nunquid ſimiliter facta,nõ eadem ſunt,aut eadem nõ recipiunt æqualitatem,aut aliquid inter ſimile differt & æquale?Cumq; ſimiliter fiunt,eadem fieri intelligantur,niſi fortè quiſq; quæ eadem ſunt,negauerit æqualia,ut quæ ſimilia ſunt,nõ dicantur æqualia:cumq; ſimiliter fiunt,nõ modo æqualia fieri, ſed eadem prædicentur. Caret igitur fratres ſimilitudo naturæ contumeliæ ſuſpicione, nec poteſt uideri filius idcirco in proprietate paternæ naturæ nõ eſſe, quia ſimilis eſt, cũ ſimilitudo nulla ſit niſi ex æqualitate naturæ.Æqualitas autem naturæ nõ poteſt eſſe,niſi una ſit.Vna uero nõ perſonæ unitate,ſed generis.Hæc fides pia eſt,hæc conſcientia religioſa,hic ſalutaris ſermo eſt,unam ſubſtantiam patris & filij idcirco nõ negare,quia ſimilis eſt: ſimilem uero ob id prædicare, quia unũ ſunt. Expoſita chariſſimi pietate unius ſubſtantiæ,quæ Græce homouſion dicitur,& ſimilis ſubſtantiæ,quæ homœouſion, uicijs quæ ex uerborũ uel breuitate ſubdola, uel periculoſa nuditate accidere poſſint, abſolutiſſime demonſtratis,reliquus mihi ſermo ad ſanctos uiros orientales epiſcopos dirigendus eſt. Et quia iam de fide noſtra nihil inter nos ſuſpitionis relictum eſt, ea quæ adhuc in ſuſpitionem ex uerbis ueniunt purgentur, & dabunt ueniam ex cõmuni conſcientiæ fide ſecum liberius locuturo.O ſtudioſi tandem apoſtolicæ atq; Euangelicę doctrinæ uiri, quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit.Quantam ſpem reuocandæ ueræ fidei attuliſtis conſtanter audacis perfidiæ impetũ retundendo.Antea enim in obſcuro atq; in angulis dominus Chriſtus dei eſſe ſecundũ naturam filius negabatur,& eſſentiæ inops paternæ, accepiſſe cum creaturis originem de nõ extantibus prædicabatur.At uero nũc publicæ autoritatis profeſſione hæreſis prorumpens,id quod antea furtim muſſitabat, nunc uictrix gloriabitur . Quibus enim antea cuniculis in catholicam eccleſiam nõ tentauit irrepere? Quas non * exercuit falſæ religionis blandimento,ſeculi poteſtates? Homines enim peruerſi eouſq; proruperant,ut cum hoc ipſi prædicare publice nõ auderent, imperatorem tamen fallerent ad audiendũ. Fefellerunt enim ignorantem regem,ut iſtiuſmodi perfidię fidem bellis occupatus exponeret, & credendi formam eccleſijs nondum regeneratus imponeret. Contradicentes epiſcopos ad exilium coegerunt. coegerunt enim nos ad

Als *exeruit

uoluntatem exulandi, dum impietatis imponũt necessitatẽ. Sed exulemus semper, dummodo incipiat uerũ prædicari: domino enim gratias quòd ignorationem per uos admonitus imperator agnouit, & errorem nõ suũ, sed * astantium, per has fidei uestræ sententias recognouit, & se inuidia apud deũ atq; homines impiæ uoluntatis exemit, cum legationem uestram honorifice habens, falsitatem eorum, quorũ autoriate in inuidiam deducebatur, coacta à nobis ignorantiæ suæ professione cognouit. Fallunt quantum & uereor, & mihi uidetur fratres charissimi fallunt, quia semper fefellerunt, & ipsa illa præsens nũc subscriptio nõ caret falsitate. Excusant enim se idcirco homusion & homœusion taceri uoluisse, quia unũ atq; idem significari uerbo utroq; existimarent. Rudes credo episcopi ignorauerunt homousij significationem, quasi nunq̃ de hoc aut synodus fuisset, aut lites. Sed esto, ignorauerunt homousion, aut nesciebant homœusion id significari, quod similis esset essentiæ. Iam si hoc nesciebant, cur nesciri uolebant generationem filij? Nunquid si inenarrabilis est, ideo & ignorabilis est? Sed si ignoratur quomodo natus est, nunquid ignorari potest, quòd filius deus nõ ex alia substantia, sed ex deo natus nõ diuersam habeat essentiam? Nunquid nõ legerant, sicut patrem, ita & filiũ honorandũ, ut patrem honore præferrent? Nunquid incognitũ habebant, patrẽ in filio uideri, ut filius apud eos dignitate, charitate, maiestate differret? An & hoc ex ignorantia uenit, ut cũ cæteris patri subiectus sit filius, ut dum cũ cęteris subijcitur, nõ * diceretur natura patri æqualis, natura cæteris cum infirma sit? Passum quidem sciebant, sed dicant quæso, cõpassum quomodo cognouerant? cur euitant homousion atq; homœusion, quia nusq̃ scriptũ sit, quæro compassum esse unde præsumpserint? Aut nunquid uolũt duos esse qui passi sunt? Id enim compassio testatur. Vbi illud est? Iesus Christus filius dei. Aut nunquid alius est Iesus Christus, alius filius dei? Si nõ idem atq; unus intra extraq; filius est, credite in homousio ignorationẽ, si hæc ignorare licet: si aũt in his ipsis ipsa illa ignoratio impia est, quæ tamen nõ potest in eo falso excusari, uereor ne & homousij ignorationem professio mentiatur. Non queror admodum de uenia quã dedistis. religiosum est deo sua reseruare, & ignorationis error humanus est. Sed ignoscant mihi iam duo episcopi Valens & Vrsatius, quòd eos pro ætate atq; exercitatione sua ignorasse nõ credo. Et difficillimũ est ne mentiri existimentur, qui se in alio negocio non possunt nisi mendacio purgare. Sed dominus hoc magis tribuat, ut nos male opinemur, quàm illi nõ ignorauerint. Malo enim ego male existimans iudicari, quàm fidem uestram hæretica & cõscientia & cõmunione uiolari. Oro autem uos sanctissimi uiri, ut cum bona uenia solicitudines meas æstimetis. * Testis enim dominus est conscientiæ meæ, in nullo me expositiones has quas in Syrmiũ detulistis fidei uestræ uelle conuellere. Sed date ueniam, si quædam

Als adhortantium*

In quodã codice sic erat, Discernatur à cæteris, cum subiectio filij naturæ proprietas sit, subiectio autẽ cæterorũ creationis infirmitas sit

Hæc erant addita, sed in re-

quædam intelligere non poſſum,& conſolabor me, quia legi:Spiritus prophetarũ prophetis ſubiectus eſt.Ex quo fortè non impudenter etiam à me præſumitur,ut & ego intelligam quod alius ignoret.Non quod quicq̃ uos ſecundũ menſuram ſcientię ignorare auſus ſim dicere,ſed ſuper fidei catholicę unitatem patimini nõ minus in nobis eſſe ſolicitudinẽ quàm in uobis. Epiſtolam quã à uobis de homouſij & homœuſij expoſitione apud Syrmium Valens & Vrſatius & Germinius popoſcerunt legi, intelligo in quibuſdam nõ minus circunſpectã eſſe quàm liberam.Et ipſa homouſij & homœuſij demonſtratio,nihil reliquit difficultatis.Et quidem de homœuſio, quod eſt ſimilis eſſentiæ,cõmune iudiciũ eſt.De homouſio uero,quod eſt unius eſſentiæ,tractantes,primũ idcirco reſpuendũ pronunciaſtis,quia per uerbi huius enunciationẽ ſubſtantia prior intelligeretur, quã duo inter ſe partiti eſſent,intelligo uitiũ intelligentiæ.Et prophanus hic ſenſus eſt,& cõmuni iudicio ab eccleſia reſpuendus. Secundo quoque id addidiſtis,quod patres noſtri, cũ Paulus Samoſateus hæreticus pronunciatus eſt,etiam homouſion repudiauerint,quia per hanc unius eſſentiæ nuncuputionẽ ſolitarium atq; unicũ ſibi eſſe patrẽ & filiũ prædicabat. Et hoc ſanè nunc quoq; prophaniſſimũ eccleſia recognoſcit,patrem & filiũ in his nominũ profeſſionibus ad unionis ac ſingularis ſolitudinem negata perſonarũ proprietate reuocare. Tertio etiã hæc cauſa improbandi homouſij cõmemorata à uobis eſt,quia in ſynodo,qud apud Niceam fuit,coacti patres noſtri propter eos qui creaturam filiũ dicebant, nomẽ homuſij indidiſſent.Quod nõ recipiendum idcirco ſit,quia nuſquàm ſcriptũ reperiretur.Quod à uobis dictũ ſatis miror. St enim homouſion propter nouitatẽ uerbi repudiandũ ſit,ueror ne & homœuſion periclitetur,quia nuſquam ſcriptum reperiatur.Sed hinc nõ calumnior.Malo enim aliquid nouum cõmemoraſſe, quàm impie reſpuiſſe. Prætermiſſa itaq; quæſtione nouitatis, ne in his quidem reſidet quæſtio,quę & cõmuni omniũ noſtrũ iudicio damnantur. Quis enim ſanę mentis tertiam ſubſtantiam,quæ patri & filio cõmunis ſit,prædicabit? Vel quis ſecundũ Samoſateum in Chriſto renatus, & filiũ cõfeſſus ac patrem, quòd Chriſtus in ſe ſibi & pater & filius ſit,confitebitur? Par itaq; in condemnandis impietatibus hæreticorũ ſententia eſt, & hanc homouſij intelligentiam nõ modo reſpuit,ſed & odit. Atq; ita nõ relinquitur uitioſæ intelligentiæ quęſtio,ubi in uitij damnatione cõmunis aſſenſus eſt.Dicturo autem me tandem de tertia quæſtione,oro uos,ne ubi pax conſcientiæ eſt,ibi ſit pugna ſuſpicionũ. Neq; quicq̃ me niſi ad unitatis profectum proferre exiſtimetis.Inane enim eſt calumniã uerbi pertimeſcere, ubi res ipſa, cuius uerbũ eſt, nõ habeat difficultatem. Diſplicet cuiquam in Synodo Nicena homouſion eſſe ſuſceptũ? Hoc ſi cui diſplicet,neceſſe eſt placeat qđ ab Arianis eſt negatũ.Negatũ enim idcirco eſt homouſion,ne ex ſubſtantia dei

centiore codice, Pro prudentia ueſtra expendite qd ſit à ſanctiſſimis uiris poſcere,ut cũ bona uenia audiant dicentẽ,et an eiuſdem ſit exulare et obiurgare. hoc ideo dictũ eſt, quia quæ ab his adpræſens tacita fuiſſent eram producturus. Nõ tamẽ in his quæ poſſent tanq̃ excuſabilia defendi uiderer calumniari

patris deus filius natus, sed secundum creaturas ex nihilo conditus prędicaretur. Nihil nouum loquimur, pluribus ædita literis, ipsa Arianorum perfidia sibi testis est. Si propter negantiũ impietatem pia tum fuit intelligentia cõfitentium, quæro cur hodie conuellatur, quod tum pie susceptũ est, quia impie negabatur? Si pie susceptũ est, cur uenit constitutio pietatis in crimẽ? quæ impietatẽ pie per ea ipsa quibus impiabatur extinxit? Videamus igitur quid Nicena Synodus statuerit, homousion, id est, unius substãtiæ cõfitendo, nõ utiq; hæresim parturire, quæ de homousij uitiosa opinione cõcipitur. Non opinor illud loquentur, quod unam anteriorem substantiam pater & filius in substantiam suam partiendo diuiserint. Et ipsam quidem tum religiose conscriptam fidem, nunc quoq; huic sermoni nostro nõ irreligiose inseremus. Credimus in unum deũ patrem omnipotentem, omniũ uisibilium & inuisibilium factorem. Et in unum dominũ nostrum Iesum Christum filiũ dei, natum ex patre unigenitũ, hoc est, de substantia patris, deũ ex deo, lumen ex lumine, deũ uerũ de deo uero, natũ nõ factum, unius substantiæ cum patre, quod Græce dicunt ὁμούσιον, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo & in terra, qui propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est, & homo factus est, & passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cœlos, uenturus iudicare uiuos & mortuos. Et in spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt, erat quando nõ erat, & anteq̃ nasceretur non erat, & quòd de nõ extantibus factus est, uel ex alia substantia aut essentia, dicentes esse cõuertibilem & demutabilem deũ, hos anathematizat catholica ecclesia. Non hic sanctissima religiosorum uirorũ Synodus nescio quã priorem quæ in duos diuisa sit, substantiam introducit.* Sed filium natum de substantia patris, nõ quidem nos negamus, aut quid aliud confitemur. Et post cæteras cõmunis fidei expositiones ait, natũ nõ factum, unius substantiæ cum patre, quod Græci dicunt ὁμούσιον. Quæ hic uitiosæ intelligentiæ occasio est? natus esse de substantia patris filius, nõ factus prædicatur, ne natiuitas diuinitatis, factura sit creationis. Idcirco autẽ unius substantię, nõ ut unus subsistat, aut solus, sed ex substantia dei natus nõ aliunde subsistat, neq; ut aliqua dissidentis substantiæ diuersitate subsistat. Aut nũquid nõ hæc fides* nostra est, ut nõ aliunde subsistat, neq; quòd indissimilis subsistat? Aut aliud hic testatur homousion, quàm ut una atq; indissimilis sit secundum naturæ propaginem essentia, quia essentia filij non sit aliunde, quæ quia aliunde non est, unius recte esse ambo creduntur essentiæ, quia substantiam natiuitatis filius nõ habeat nisi de paternæ autoritate naturæ? Sed fortè econtrario dicetur, idcirco improbari oportere, quia uitiose intelligi soleat. Hoc si timemus, deleamus in apostolo quod dictum est: Mediator dei & hominũ homo Christus Iesus, quia ad autoritatem hæresis suæ Photinus hoc utitur: & nõ legatur à nobis, quia ab illo male intelligatur. Pereat

Als Et*

Als uera*

E sacris literis hæreses ortæ, nec ideo damnantur

reat quoque ad Philippenſes ſcripta epiſtola,aut igni,aut ſpongia,ne in ea Marcion relegat:Et habitu repertus ut homo,phantaſiam corporis confi/tens eſſe nō corpus.Non extet Euangeliū Ioannis,ne Sabellius dicat: Ego & pater unum ſumus. Neq; iſti nunc creaturæ prædicatores ſcriptū male legant:Pater maior me eſt. Neq; illi qui diſſimilem patri filiū affirmare uo lunt,legant: De die autē & hora nemo ſcit, neq; angeli in cœlis,neq; filius, niſi pater ſolus. Non ſint quoq; libri Moyſi,ne tenebræ deo,qui innaſcibi/lem lucem habitat,coæuæ ſint,quia in Geneſi poſt noctem dies cœpta ſit, ne anni Mathuſale ętatem diluuij excedant,& nō tantum octo ſint animę reſeruatæ,ne clamorem Sodomorū repletis iam peccatis deus audiens, tan quàm ignorans clamorem deſcendat ut uideat an plena ſint cum clamore peccata,& reperiatur deus neſcire quod ſcierit. Ne quiſquàm quoq; ſepeli/entium ſepulti Moyſi ſciat ſepulchrū,ne per hoc, ut hæretici putant,diuer/ſa lex ipſa ſibi hoſtis ſit. Et quia hæc ab his nō intelliguntur, nō legantur à nobis.Pereant quoq; ſi uidetur(quod nō ego dixerim,ſed reſponſionis ne ceſſitas) omnia diuina illa & ſancta Euangelia ſalutis humanæ,ne ſe inui/cem contraria dictorum opinione compugnent,ne miſſurus dominus ſpi/ritum ſanctum ipſe de ſpiritu ſancto natus legatur. Ne mortem & gladiū denunciaturus,uſuris gladium paſſurus interdicat.Ne ad inferos deſcenſu/rus,in paradiſo ſit cum latrone.Ne poſtremo apoſtoli reperiantur in crimi ne, qui baptizare in nomine patris & filij & ſpirituſſancti iuſſi, tantum in Ieſu nomine baptizauerunt. Vobis enim fratres uobis dico, qui non iam lacte alimini , ſed firmo cibo ualetis , Nunquid, quia iſta ſapientes mundi non intelligunt,& his ſtulta ſunt,nos cum mundo ſapientes erimus, ut hæc ſtulta credamus? Et quia hæc impijs cæca ſunt,nos nō lucebimus intellecta ueritate doctrinæ ? Male ſanctis rebus præiudicatur,ſi, quia non ſanctæ à quibuſdam habentur,eſſe nō debeant.Non ergo gloriemur in cruce Chri ſti, quia ſcandalum mundo eſt: neq; in uiuente deo mortem prædicemus, ne ab impijs mortuus deus arguatur. Male intelligit homouſion, quid ad me bene intelligentē? Male homouſion Samoſateus cōfeſſus eſt,ſed nun/quid melius Ariani negauerunt? Octoginta epiſcopi olim reſpuerunt, ſed trecenti decem & octo nuper receperūt. Et mihi quidem ipſe ille hic nume/rus ſanctus eſt, in quo Abram uictor regum impiorū ab eo qui æterni ſa/cerdotij eſt forma,bene dicitur.Illi contra hæreticum improbauerūt. Nun/quid & iſti nō aduerſum hæreticum probauerunt? Grauis autoritas eſt ue/terum.Nunquid & horū leuis ſanctitas eſt ? Si contraria inuicem ſenſerūt, debemus quaſi iudices probare meliora:ſi uero & probando & improban/do unum utriq; ſtatuerunt, quid bene conſtituta conuellimus ? Sed fortè dicetur mihi, aliqui hodie ex his qui tunc ſynodo interfuerunt, tacendum de homouſio eſſe decreuerūt.Et ego inuitus licet reſpondebo dicenti.Nun

quid non & ipſi tacendum eſſe de homœuſio. Oro uos,ne quiſquam alius ex his præter ſenem Oſium,& ipſum illum nimiũ ſepulchri ſui amantem, reperiatur,qui tacendum eſſe exiſtimet de utroq;.Et quò tandem n tantis hæreticorum peruerſitatibus recidimus, ſi dum nõ utrunq; recipimus,neutrum retinemus? Non enim uideri poteſt impie dici,ut quia neutrũ ſcriptũ reperiatur,aut neutrum cõfitendum ſit,aut utrunq;. Homouſion ſanctiſſimi uiri,intelligo ex deo deum,nõ diſſimilis eſſentiæ, nõ diuiſum, ſed natũ, & ex innaſcibili dei ſubſtantia cõgenitam in filio ſecundum ſimilitudinem un genitam natiuitatem,ita me antea intelligentem non mediocriter ad id confirmauit homouſion.Quid fidem meam in homouſio damnas,quam per homœuſij confeſſionẽ nõ potes probare? Damnas enim fidem meam uel potius tuam, cũ damnas intelligentiam eius in nomine. Sed male alius intelligit: Damnemus in cõmune uitioſam intelligentiam,nõ auferamus ſi dei ſecuritatem.Synodo Samoſatenæ ſubſcribendum putas,ne ſecundum Samoſatei intelligentiã quiſquàm ſibi uſurpet homouſion. Subſcribamus & Nicenæ ſynodo,ne homouſion improbẽt Ariani.Sed uerendum eſt,ne ſi ſecundum fidem homœuſion homouſion ſignificare uideantur,decernatur,nihil differre unius & ſimilis eſſe ſubſtantiæ.Sed & homouſion poteſt male intelligi.Conſtituatur qualiter bene poſſit intelligi.Vnum atq; idem quod ſapimus,pium inter nos eſſe uelimus.Date ueniam fratres quam frequenter popoſci.Ariani nõ eſtis,cur negando homœuſion cenſemini Ariani? Sed dices.Mouit me cum ſcandalo,homœuſij ambiguitas.Iterum audi oro ſine ſcandalo,& me mouit homœuſij nuditas.Multa ſæpe fallunt quę ſimilia ſunt.Timeo aurum bracteæ,quia me fallere poſſit interius. Et tamẽ auro ſimile eſt quod uidetur.Timeo lactis ſimilitudinem, ne oblatum mihi lac,non lac ouium ſit,quia ei ſimile uideatur & bubulum, ut lac ouium lacti ouium ſimile ſit,nõ poteſt ſimile eſſe,niſi ouis ſit.Similitudo uera in ueritate naturæ eſt,ueritas autem in utroq; naturæ, nõ negatur homœuſios? hæc eſt enim ſecundum eſſentiam ſimilitudo. Si maſſa maſſæ cõſimilis nõ fallat in bractea,ſi lac quod concolor eſt,non diuerſum ſit in ſapore,ſimile auro quicquam non poteſt eſſe niſi aurum: ſimile lacti, niſi ſui generis ſit, eſſe non poterit.Fefellit me frequenter color uini,& tamen guſtatu alterius generis liquorem recognoui.Vidi carnes carnibus ſimiles, ſed poſtea mihi naturæ diſſimilitudinẽ ſapor prodidit.has enim ſimilitudines,quæ non ex unitate naturæ ſint,metuo. Vereor enim fratres,orientis hæreſes in tempora ſingula pullulantes, & quid uerear edicam. Iam & legi. Mihi quidem in his,quę uos de orientalium quorundam aſſenſu,ſuſceptæ legationis miniſtri ſubſcribenda Syrmium detuliſtis,nihil ſuſpicionis relictum eſt:ſed habuerunt ab exordio nõ nihilum offenſionis, quæ credo uos ſanctiſſimi uiri Baſilij & Euſtathij & Eleuſi ne quid ſcandali afferretur,abolenda tacuiſ-

ſe.Quæ

ſe. Quę ſi recte ſcripta ſunt, taceri non debuerunt. Si autem quia non recte ſcripta ſunt adhuc tacentur, cauendum eſt ne aliquando dicantur. Parcens enim adhuc de his nihil dico, tamen mecum recognoſcitis, quod nõ ita omnis ſcripta apud Ancyram fides ſe habeat. Non famæ fabulam loquor, literarum fidem teneo, non à * lectoribus ſumptam, ſed ab epiſcopis datam. Als *laicis
Oro uos fratres, adimite ſuſpicionem, ſecludite occaſionẽ, ut probari poſſit ὁμοιούσιον, nõ improbemus ὁμόσιον. Cogitemus tot ſacerdotes ſanctos & quieſcentes iam, quid de nobis dominus iudicabit, ſi nunc anathematizantur à nobis? Quid de nobis erit, qui rem eò deducimus, ut quia epiſcopi nõ fuerunt, nos quoq; nec ceperimus? Ordinati enim ab his ſumus, & eorum ſumus ſucceſſores. Renunciemus epiſcopatui, quia officium eius ab anathemate ſumpſerimus. Date ueniam fratres dolori meo. Impium eſt quod *au Als *audetis
ditis, non patiar hanc uocem, ut in anathemate ſit ὁμούσιον, ſecundum religioſam intelligentiam confitens. Nomen nihil habet criminis, quod ſenſum non perturbat religionis: homœuſion neſcio, nec intelligo, niſi tantum ſimilis eſſentiæ confeſſionem. Teſtor dominũ cœli atq; terræ, me cum neutrum audiſſem, ſemper tamẽ utrunq; ſenſiſſe quod per homœuſion & homouſion oporteret intelligi, id eſt, nihil ſimle ſibi ſecundum naturam eſſe poſſe, nõ quod eſſet ex eadem natura. Rege manens fidem Nicenam nunquam niſi exulaturus audiui, ſed mihi homouſij & homœuſij intelligentiam Euangelia & apoſtoli intimauerunt. Pium eſt quod uolumus, ne damnemus patres, ne animemus hæreticos, ne dum hæreſim appellamus, hæreſim nutriamus. Interpretati patres noſtri ſunt poſt Synodũ Nicenam homouſij proprietatem, religioſi extant libri, manet conſcientia, ſiquid ad interpretationem addendum eſt, communiter conſulamus. Poteſt inter nos optimus fidei ſtatus condi, ut nec ea quæ bene ſunt conſtituta uexentur, & quæ male ſunt intellecta reſecentur. Egreſſus ſum fratres chariſſimi, humanæ conſcientiæ pudorem, & humilitatis meæ immemor de tantis ac tam reconditis rebus, & ad uſq; hanc ætatem noſtram intentatis ac tacitis, amore ueſtri coactus hæc ſcripſi, & quæ ipſe credebam loquutus ſum. Conſcius mihi, hoc me eccleſiæ, militiæ meæ ſtipendium debere, & per has literas, epiſcopatus mei in Chriſto uocem, ſecundum doctrinas Euangelicas, deſtinate. Veſtrum eſt in cõmune tractare ac prouidere atq; agere, ut quod uſq; nunc inuiolabili fide manetis, religioſa conſcientia conſeruetis & teneatis quod tenetis. Mementote exilij mei in orationibus ſanctis, à quo me poſt expoſitionem huius fidei neſcio an tam iucundum eſt ad uos in domum Chriſti reuerti, quàm ſecurum eſt mori. Deus & dominus noſter incontaminatos uos & illæſos in diem reuelationis reſeruet opto fratres chariſſimi.

FINIS

HAEC EPISTOLA MERVM EST NVGAMENTVM HOMINIS OCIOSE INDOCTI, HYMNVS eiuſdem eſt farinæ, ſed bene habet quòd non plures nænias affinxerint ſancto Hilario.

EPISTOLA S. HILARII AD ABRAM FILIAM SVAM



Dilectiſſimæ filiæ Abræ Hilarius in domino ſalutem. Accepi literas tuas, intelligo deſiderantē te mei eſſe, & certum ita habeo. Sentio enim quantū preſentia horū qui amantur optabilis ſit, & quia grauē tibi eſſe abſentiam meam ſcio, ne me fortè impiū eſſe erga te exiſtimares, qui tam diu à te abeſſem, excuſare tibi & profectionē meam & moras uolui, ut intelligeres me non impie tibi, ſed utiliter deeſſe. Namq; cū te filiam ut unicam, ita, quantū à me eſt, unanimem habeam, & uellem te pulcherrimam omniū & ſanctiſſimā uiuere. Nunciatū mihi eſt, eſſe quendam iuuenem habentē margaritam, & ueſtem inęſtimabilis precij, quā ſiquis ab eo poſſit mereri, ſuper humanas diuitias & ſalutē & diues & ſaluus futurus eſſet. Ad hunc ergo his auditis profectus ſum, ad quē cū per multas & longas & difficiles uias ueniſſem, uidens eum procidi ſtatim. Adeſt enim tam pulcher iuuenis, ut ante conſpectū eius nemo audeat conſiſtere. Qui ubi me procidiſſe uidit, tinterrogari me iuſſit quid uellē, & quid rogarem, & ego reſpondi, audiſſe me de ueſte ſua & margarita, & ideo ueniſſe, & ſi eam dignaretur præſtare, eſſe mihi filiam quā uehementer dilige rem, cui hanc ueſtem ac margaritam quærerem. Et in terram proſtratus facie fleo plurimum, & noctibus ac diebus gemiſcens rogo uti audire dignaretur precē meam. Poſt quæ, quia bonus iuuenis & melius illo nihil eſt, ait mihi: Noſti hanc ueſtem atq; hanc margaritam, quam à me lachrymis rogas uti eam filiæ tuæ concedam? Et ego reſpondi illi, domine auditu cognoui de ipſis, & fide credidi, & ſcio quia optima ſunt, & ſalus uera eſt hac ueſte uti, & hac margarita ornari. Et ſtatim miniſtris ſuis præcepit ut mihi & ueſtem hanc & margaritam oſtenderent. Et confeſtim ita fit. Hanc ueſtem anno primo uidi, uidi filia, uidi quod eloqui nō poſſum. Nunquid nō & ſericum ſecundū ſubtilitatem eius* partem habuerat? Nunquid candori eius niues comparatæ nō nigreſcebant? Nunquid aurum iuxta fulgorem eius liuebat? Ipſa enim multicolor & nihil prorſus comparatū ei poterat æquari. Poſtq; uideo margaritam, qua uiſa ſtatim concidi. Nō enim poterāt oculi mei ſuſtinere tantū eius colorē. Nam nec cœli, nec lucis, nec maris, nec terræ ſpecies pulchritudini eius poterat cōparari. Et cū proſtratus iacerem, ait mihi quidam de aſſiſtentibus: Video te ſolicitū, & bonū patrem eſſe, & hanc ueſtem atq; hanc margaritam ad filiam tuam mittere deſiderare, ſed ut magis

Als par erat*

gis desideres, ostendo tibi quid adhuc hæc uestis atq; margarita boni habeat: uestis hæc nunq; tineis comeditur, nō usu atteritur, non sorde inficitur, nō ui scinditur, nō damno amittitur, sed semper talis qualis est permanet. Margarita uero hæc uirtutis eius est, ut si quis eam induitur, non ægrotet, nō senescat, nō moriatur. Nihil omnino in se habet quod sit obnoxium corpori, sed utenti ea nihil accidit, quod aut mortem afferat, aut ætatem demutet, aut impediat sanitati. Quod ut audiui filia, exanimari magis desiderio margaritæ & uestis istius cœpi, & sicut prostratus iacebam, indeficienti fletu & intenta oratione iuuenem precari cœpi, dicens: Domine sancte, mi/sere preci meæ, & miserere solicitudini & uitæ meæ. Si enim hanc uestem mihi & margaritam nō cōcedis, miser futurus sum, filiam meam uiuentem perditurus sum, ego propter hanc uestem & margaritam peregrinari uolo. Scis domine, quia tibi nō mentior. Postq; uocem meam audiuit, iubet me leuare, & ait mihi: Mouerunt me preces & lachrymæ tuæ, & bene est quod credidisti. Et quia dixisti, te pro hac margarita ipsam uitam tuam uelle impendere, nō possum eam tibi negare, sed scire debes propositū & uoluntatem meam. Vestis quā ego dedero talis est, ut si quis uoluerit uestē alia colorata & serica & aurata uti, uestem meam capere non possit. Sed illi dabo eam quæ contenta sit, nō serico habitu, sed natiuis coloribus, & insumptuoso textu uestiri: ita ut propter consuetudinem, purpuream per augustas uestes habeat: nō etiam purpura ipsa defundatur in uestē. Margaritam uero quā à me petis naturæ eius est, ut habere eam nō possit, si quis margaritam aliam habuerit. Quia aliæ margaritę, aut de terra, aut de mari sunt: mea autem, ut ipse tu uides, speciosa & preciosa est incompabilis & cœlestis, nō dignatur ibi esse ubi aliæ sunt. Non enim rebus meis conuenit cum rebus hominis, quia qui uestē mea & margarita utitur, in æternum sanus est, nō febre exardescit, nō uulneri patet, nō annis demutatur, nō morte dissoluitur, æqualis æternis. Ego tamē hanc uestem & hanc margaritam meam petenti tibi dabo, eam ut filiæ tuæ perferas. Sed prius scire debes quid uelit filia tua, si se huius uestis & margaritæ meæ facit dignam, id est, si uestes sericas & auratas & infectas habere noluerit: si alteram margaritā oderit, tunc hæc quæ me rogas tibi prēstabo. Post uocem filia lætus exurgo, & secretum habens, hanc ad te epistolam feci, rogans te per multas lachrymas meas, ut te huic uesti & margaritæ reserues, neq; miserum senem tali damno tuo facias, si hanc uestem & hanc margaritam nō habueris. Testor autem tibi filia deum cœli & terrę, quia nihil hac uestē atq; hac margarita preciosius est, & tui iuris est ut hanc habeas. Tu modo quando tibi uestis alia affertur, uel serica, uel infecta, uel deaurata, dicito ei qui tibi offert: Ego uestem alterā expecto, propter quā pater meus à me tam diu peregrinatur, quā mihi quærit, quam nō possum habere si hanc habuero. Sufficit mihi lana ouis meæ:

sufficit

ſufficit mihi color quem natura attulit: ſufficit mihi lectus inſumptuoſus. Cæterum ueſtem illam deſidero quæ dicitur nō abſumi, nō atteri, nō ſcindi. At uero ſi tibi margarita offeratur aut ſuſpendenda collo, aut digito coaptanta, dices ita, nō mihi impedimēto ſint iſtæ inutiles & ſordidę margaritę, ſed expecto illam precioſiſſimam, pulcherrimam & utiliſſimam. Credo patri meo, quia & ille qui ſpopondit ei ſe credidit, propter quā mihi ſignificauit ſe etiam mori uelle. Hanc expecto: hanc deſidero, quæ mihi præſtabat ſalutem & æternitatem. Ergo filia ſubueni ſolicitudini meæ, & hanc epiſtolam meā ſemper lege, & huic ueſti & margaritæ te reſerua. Et ipſa tu mihi, nullum interrogans, quomodolibet potes literis reſcribe, utrū ueſti huic & margaritæ te reſerues, ut ſciam quid iuueni illi reſpondeam: & ut ſi illam deſideras, ſi expectas, lætus poſſim ad te reditum cogitare. Cum autem tu mihi reſcripſeris, tunc tibi & ego quis ſit hic iuuenis, & qualis ſit, & quid uelit, & quid promittat, & quid poſſit, indicabo. Interim tibi hymnum matutinum & ſerotinum miſi, ut memor mei ſemper ſis. Tu uero ſi quid minus per ætatem hymno & epiſtola intelligis, interroga matrem tuam, quæ optat ut te moribus ſuis genuerit deo, & deus qui te genuit, hic & inæternū cuſtodiat, quod & opto filia deſideratiſſima.

D. HILARII PICTAVORVM EPISCOPI hymnus filiæ ſuæ Abræ tranſmiſſus.

Hymnus epiſtolæ reſpondens, hoc eſt, dignū patella operculū

Lucis largitor optime
Poſt ipſa noctis tempora
Tu uerus mundi lucifer,
Venturæ lucis nuncius,
Sed toto ſole clarior
Materna noſtri pectoris
Adeſto rerum conditor
Cuius amota gratia
Tu quoq; pleno ſpiritu
Ne rapientis perfidi
Vt inter actus ſeculi,
Omni carentes crimine
Probroſas matris caſtitas
Sanctumq; puri corporis
Hęc ſpes precantis animæ,
Vt matutinæ nobis ſit
Gloria tibi domine,
Cum ſpiritu paraclito

Cuius ſermonis lumine
Dies refulſus panditur.
Non is qui parui ſyderis
Anguſto fulget lumine.
Lux ipſe totus & dies
Illuminans præcordia.
Paternæ lucis gloria,
Noſtra paueſcunt corpora
Secum deum geſtantia,
Diris pateſcat fraudibus.
Vitæ quos uſus exigit
Tuis mittamus legibus.
Carnis uincat libidines
Delubrum ſeruet ſpecie.
Hæc ſunt uotiua munera
Lux in noctis cuſtodiam.
Gloria unigenito,
Nunc & per omne ſeculum.

FINIS

ELENCHVS CANONVM D. HILARII IN EVANGELIVM MATTHAEI, ordine quo ab eo sunt æditi.

CANON I

De natiuitate Christi. De Magis cum muneribus,& de infantibus occisis.

CANON II

De Iesu regresso ex Aegypto. De prædicatione Ioannis, & baptismo. De domino baptizato.

CANON III

De tentatore diabolo.De ieiunio Iesu quadraginta diebus. De Petro & Andrea piscatoribus.

CANON IIII

De beatitudine & præceptis. De reconciliatione fratrum.De adulterio. De oculo & manu eruenda.De iuramentis & eleemosyna.

CANON V

De oratione & ieiunio. De thesauro in cœlo. De lucerna corporis. De duobus dominis. De cibo & uestitu. De uolatilibus & liliis agri, & fœno. De solicitudine diei. De festuca & trabe in oculo.

CANON VI

De margaritis ante porcos. De pseudoprophetis. De domo ædificata super petram.

CANON VII

De leproso quem curauit dominus.De puero tribuni paralytico. De socru Petri.De plurimis & diuersis curis.

CANON VIII

De discipulis in naui excitantibus Iesum.De duobus dæmoniacis in terra Gerasenorum.De paralytico curato & lectum ferente.

CANON IX

De Matthæo publicano.De pharisæorum,& discipulorum Ioannis ieiunio.De adsutu panni rudis.De profluuio mulieris. De filia principis excitata à mortuis.De duobus cæcis.De surdo & muto.

CANON X

Misertus turbarum dominus,duodecim discipulos præmittit cum potestate & doctrina &c.

CANON XI

Ioannes de carcere ad Iesum mittit, & Iesus de Ioanne ad turbas loquitur.Item confessio Iesu ad patrem.

CANON XII

Discipuli spicas uellunt. Manus aridæ hominem sabbato curauit. Cæcum & dæmoniacum curauit. De blasphemia spiritus. De fructu arboris bonæ

bonæ & malæ. De omni uerbo ocioſo. De ſigno Ionæ. De Niniuitis & regina Auſtri. De ſeptem ſpiritibus & octauo. De matre Ieſu & fratribus.

CANON XIII

Sedens in nauicula Ieſus turbis parabolas loquitur. De ſeminante bonum ſemen. De zizania & tritico. De grano ſinapis. De fermento abſconſo in farina. Expoſitio zizaniæ. De theſauro in agro. De bona margarita. De rete miſſo in mare.

CANON XIIII

De ſcriba in regno cœlorum. De fratribus & ſororibus domini. De Ioannis capite in diſco. De quinq; panibus & duobus piſcibus. Vbi ſuper mare ambulabat, & Petrum merſum erexit.

CANON XV

De lauandis manibus. Et nō ea quæ in os intrant, ſed ea quæ ex ore exeunt inquinare. De filia Chananææ mulieris. De ſeptem panibus & paucis piſcibus.

CANON XVI

De Ionæ prophetæ ſigno. De fermento phariſęorū, & cōfeſſione Petri. De benedictione domini, & de ſe abnegando qui Dhriſtū ſequi uoluerit.

CANON XVII

Vbi in monte cū Moyſe & Helia uidetur, & uox de cœlo auditur. Vbi puerum lunaticum ſaluat. De credentium fide. De didragma poſtulata, & ſtatere in ore piſcis inuento.

CANON XVIII

De infantibus inhibitis. De humilitate eorū aſſumēda. De manu & pede, & oculo eruēdo, & de oue perdita. De corripiendis fratribus ſecreto primū, tū duobus teſtibus, poſtremo eccleſia præſente. Et quòd ſemper ignoſcendum. De eo qui conſeruum, remiſſo ſibi à domino debito, ſuffocauit.

CANON XIX

Tranſit in Galilæam. Vxorem non debere dimittere. De eunuchis. De infantibus inhibitis. Diuitem difficile introire in regnum cœlorum.

CANON XX

De ſpe apoſtolorum. De nouiſſimis primis efficiendis. Vbi conducuntur operarij ad uineam. De filijs Zebedęi. De primo accubitu. De duobus cæcis ſecus uiam ſedentibus.

CANON XXI

De aſina & pullo eius. De eiectis è templo nummularijs. De ficu maledicta. De duobus filijs ad uineam miſſis. De publicanis & meretricibus.

CANON XXII

De uinitoribus, qui miſſos ad ſe ob recipiendos fructus interficiunt. De inuitatis promiſcuis, & de ueſte nuptiali.

CANON XXIII

De tributo Cæſari dando, & de imagine Cæſaris. De eadem ſeptem fratrum

fratrum uxore. De mandatis maximis. De Dauid filio.

CANON XXIIII

De cathedra Moysi,super quã sederũt scribæ & pharisæi. De clauso ab ijsdem regno cœlorũ.Et ab ijsdem comedi domos uiduarũ, & circumeunti um mare & arida.Et dicẽtibus:Quicũq; iurauerit in templo,nihil est. Et de decimantibus mentã & anetũ. Et ædificantibus sepulchra prophetarũ. Et de Hierusalem,quę interficit prophetas,& lapidat eos qui ad se missi sunt.

CANON XXV

De structura tẽpli interrogãtibus discipulis.Et de his, qui in tecto sunt, ne descendant tollere aliquid de domo, & qui in agro sunt ne reuertantur tollere tunicam suam. Et de prægnantibus & nutrientibus.

CANON XXVI

De sole obscurato,& luna & stellis.

CANON XXVII

De seruo fideli quẽ cõstituit dñs super familiã suã. Et de decem uirginibus.De homine peregre profecto, qui tradidit substantiã suam seruis suis.

CANON XXVIII

De aduentu filij hominis uenientis ad iudicium cum maiestate sua.

CANON XXIX

De muliere quæ accessit ad Iesum in domo Simonis leprosi, habẽs alabastrum unguenti precioſi.

CANON XXX

De die prima azymorum, in qua accesserunt discipuli ad Iesum dicentes:Vbi uis paremus tibi manducare pascha?

CANON XXXI

Venit Iesus in agrum, qui dicitur Gethsemani, & dicit discipulis suis: Sedete hic donec eam illuc orare. Et tristata est anima eius usq; ad mortẽ. Et de calice mortis dicit:Pater si possibile est,transeat à me calix iste.De spiritu prompto,& carne infirma.Et rursum de eo quod dixit: Pater non potest hic calix transire,nisi illum bibam? fiat uoluntas tua.

CANON XXXII

De Iuda,qui erat unus de duodecim discipulis, ueniente ad Iesum cum plurima turba ut eum traderet. De gladio quem iussit Petro conuertere in locum suum.

CANON XXXIII

De Pilato cum sederet pro tribunali, & cum misit ad illum uxor sua,dicens:Nihil tibi sit & iusto isti.De transeuntibus iuxta crucem,qui mouebãt capita sua & dicebant:Hic est qui destruebat templum,& in triduum illud reædificabat.

ELENCHI FINIS

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, IN EVANGELIVM Matthæi canones, seu commentarius.

De natiuitate Christi. De Magis cum muneribus, & de infantibus occisis. Canon I

Hæc in quodã codice sic habebantur, Et quẽ Lucas per sacerdotalem ordinem dinumerat, uterq; agnitionem in domino utriusq; tribus significat: rectæq; generationis gradus ponitur, quia sacerdotalis & regiæ tribus societas per Dauid ex cõiugio inita, à Salathiel in Zorobabel cõfirmetur ex genere.



IBER generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abrahæ &c.

Gressus quem Matthæus* & Lucas in ordine regiæ successionis ędiderãt, quẽ dum uterq; dinumerat, & agnitionem in domino utriusq; tribus uterque significat, & rectæ generationis gradum ponit, quia sacerdotalis & regię tribus societas, per Dauid ex coniugio inita, iam à Salathiel in Zorobabel confirmatur ex genere. Atq; ita dum Matthæus paternã originem, quæ ex Iuda proficiscebatur, recensęt, Lucas uero acceptum, per Natham ex tribu Leui genus edocet, sub is uterq; partibus domino nostro Iesu Christo, qui est æternus & rex & sacerdos, etiam in carnali ortu utriusq; generis gloriam probauerunt. Quòd uero Ioseph potius q̃ Mariæ natiuitas recensetur, nihil refert. Eadẽ enim est totius tribus atq; una cognatio. Exemplũ autem etiã Matthæus & Lucas dederũt, patres inuicem appellantes, non tam genere q̃ gente, quia ab una tribu cœpta, sub unius successionis & originis familia continetur. Cum enim filius Dauid atq; Abrahæ sit ostendendus, ita Matthæus cœpit:

Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abrahæ.) Non refert quis in originis numero atq; ordine collocetur, dummodo uniuersorũ familia cœpta esse intelligatur ab uno. Itaq; cum eiusdem tribus sit Ioseph & Maria, dum profectus esse ex Abrahæ genere Ioseph ostẽditur, profecta quoq; docetur & Maria. Hæc enim in lege ratio seruata est, ut si mortuus sine filijs familiæ princeps esset, defuncti uxorem posterior frater eiusdem cognationis acciperet, susceptosq; filios in familiam eius qui mortuus esset referret: maneretq; ita in primogenitis successionis ordo, cum patres eorũ, qui post nati essent, aut nomine haberentur, aut genere. Sequens illud est, ut quia diximus secundum rerum fidem generationis istius ordinem, nec numero sibi, nec successione constare, huius quoq; rei ratio adferatur. Non enim leuis causa est, ut aliud in narratione sit, aliud fuerit in gestis: & aliud referatur in summa, aliud uero teneatur in numero. Nanq; ab Abraham usq; ad Dauid quatuordecim generationes numeratæ sunt, & à Dauid usque ad transmigrationem Babylonis, in quibusdã libris decem & septem

deprehen-

deprehenduntur.Sed in hoc non mendacij aut negligentiæ uitiũ eſt. Tres enim ratione præteritæ ſunt,Nam Ioras genuit Ochoziam, Ochozias uero genuit Ioam,Ioas deinde Amaſiam,Amaſias autem Oſiam.Et in Matthæo Ioras Oziam genuiſſe ſcribitur, cum quartus ab eo ſit. Hoc ita quia ex gentili fœmina Ioras Ochoziam genuit, ex Achab ſcilicet, qui Hiezabel habuit uxorem.Deniq; per prophetam, non niſi in quartam generationem, in throno regio Iſraëlis,quenquã de domo Achab eſſe ſeſſurum dicitur.Purgata igitur labe familiæ gentilis tribus,quæ pręteritis iam regulis in quarto generationum conſequentium ordine numeratur,& uſque ad Mariam generationes quatuordecim eſſe ſcribuntur, cum in numero decem & ſeptem reperiantur,nullus error eſſe poterit, ſcientibus non eam ſolum eſſe domino noſtro Ieſu Chriſto originem, quæ cœpit ex Maria, ſed procreatione corporea natiuitatis ęternæ ſignificantiam comprehendi.Generationis autem ratio ſimplex eſt.Nam conceptum ex ſpiritu ſancto, natum ex Maria uirgine,omnium opus prophetarum eſt. Sed plures irreligioſi,& à ſpirituali doctrina admodum alieni, occaſionem ex eo occupant turpiter de Maria opinandi,quod dictum ſit: Prius quàm conuenirent inuenta eſt in utero habens.& illud:Noli timere accipere coniugem tuam. & illud:Non cognouit eam donec peperit, non recordantes deſponſatam fuiſſe, & dictum hoc Ioſeph uolenti eam abijcere, quia iuſtus ipſe nollet in eam lege decerni.Igitur ne qua de partu eius ambiguitas exiſteret,ipſe conceptí ex ſpiritu ſancto Chriſti teſtis aſſumitur.Dehinc quia deſponſata eſſet,in coniugem reciperetur. Cognoſcitur itaq; poſt partum,id eſt, tranſit in coniugis nomen.Cognoſcitur enim,non admiſcetur. Deniq; cum tranſire Ioſeph ad Aegyptum admonetur, ita dicitur: Accipe puerum & matrem eius, & reuertere cum puero & matre eius. Et rurſum in Luca:Et erat Ioſeph & mater eius. Et quotieſcunq; de utroque fit ſermo, mater potius Chriſti, quia id erat, non uxor Ioſeph eſt nuncupata, quia non erat.Sed hæc quoq; ab angelo ratio ſeruata eſt,ut tum cum deſponſatam eam iuſto Ioſeph ſignificabat, coniugem nuncuparet.nam ita ait: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariã coniugem tuam.Ergo & coniugis nomen ſponſa ſuſcipit,& poſt partum in coniugem recognita tantum Ieſu mater oſtenditur,ut quemadmodum iuſto Ioſeph deputaretur eiuſdem Mariæ in uirginitate coniugium,ita uenerabilis eius oſtenderetur in Ieſu matre uirginitas. Verum homines prauiſſimi hinc præſumunt opinionis ſuæ autoritatem, quòd plures dominum noſtrum fratres habuiſſe ſit traditum, qui ſi Mariæ illi fuiſſent, & non potius Ioſeph ex priore coniugio ſuſcepti, nunquam in tempore paſſionis Ioanni apoſtolo tranſcripta eſſet in matrem, domino ad utrunque dicente:Mulier ecce filius tuus.& Ioanni: Ecce mater tua, niſi quòd ad deſolatæ ſolatium charitatem filij in diſcipulo relinque-

bat.Stellę autem ortus primum à Magis intellectus indicat,mox gentes in Christo credituras,& homines professionis longe à scientia diuinæ cognitionis auersæ,lumen,quod statim in ortu eius extitit,cognituros. Denique oblatio munerum, intelligentiam in eo totius qualitatis expressit, in auro regem,in ture deum,in myrrha hominem confitendo. Atq; ita per uenerationem eorum,sacramenti omnis est cõsummata cognitio, in homine mortis,in deo resurrectionis,in rege iudicij. Quòd uero repetere iter atq; ad Herodem in Iudæam redire prohibentur,nihil à Iudæis petere scientiæ cognitionisq; permittimur,sed in Christo salutem omnem & spem locantes,admonemur prioris uitæ itinere abstinere. Parante autem Herode paruuli necem, Ioseph per angelum monetur,ut eum in Aegyptum transferat.) Aegyptum idolis plenam,& omnigenum deũm monstra uenerãtem,iam post Iudæorum insectationem, & in extinguendo eo prophanæ plebis assensum, Christus ad gentes inanissimis religionibus deditas transit, & Iudaicam relinquens ignorantiam seculo colendus, infertur Bethleem, id est,Iudæam martyrum sanguine redundantem. Herodis uero furor & infantium mors,populi Iudaici in Christianos sæuiẽtis est forma,existimantis se beatorum martyrum cæde posse in omniũ fide & professione Christi nomen extinguere. Sed glorioſus per prophetam eorum honor redditur dicentem: Vox in rama audita est,ploratus & ululatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari,quia non sunt.) Rachel Iacob uxor fuit diu sterilis,sed nullos ex his quos genuit amisit. Verum hæc in Genesi ecclesiæ typum prætulit. Non igitur illius uox & ploratus auditur, quæ nullam habuit amissorum filiorum dolorem, sed huius ecclesiæ diu sterilis,nunc uero fœcundæ ploratus ex filijs,non idcirco, quia peremptos dolebat,auditur,sed quia ab his perimebãtur, quos primum genitos filios retinere uoluisset. Denique consolari se noluit quæ dolebat. * Non enim non erant ij, qui mortui putabantur, in æternitatis enim profectum per martyrij gloriam efferebantur. Consolatio autem rei amissæ erat præstanda,non auctę.

In quodam codice habebatur, Neque enim erant ij, qui mortui putabãtur, ut sit sensus:Neq; enim erãt mortui, q mortui putabantur.

De Iesu regresso ex Aegypto.De prædicatione Ioannis & baptismo. De domino baptizato. Canon 11

POst quæ mortuo Herode per angelum monetur,ut in Iudæam cum puero & matre ipsius redeat.Et reuertens cum Archelaum Herodis filium regnare audisset,timuit eò uenire, & per angelum monetur,ut in Galilæam transeat,& in regionis eius ciuitate Nazareth inhabitet.Reuerti ergo ad Iudęam monetur,& reuersus timet. Et rursum uisu admonitus, transire ad regionem gentium iubetur. Sed aut timere eum qui admonitus sit non oportuit, aut per angelum deferri admonitio mox mutãda non debuit. Verum typica ratio seruata est.

Ioseph

Ioſeph enim apoſtolorum habet ſpeciem, quibus Chriſtus circumferendus eſt creditus..Hi tanquam Herode mortuo,id eſt,populo eius in paſſione domini deperdito,Iudæis prædicare ſunt iuſſi.Miſſi enim erant ad oues perditas domus Iſraël, ſed manẽte hæreditariæ infidelitatis dominatu metuunt & recedũt.Admoniti per uiſum,ſancti ſcilicet ſpiritus, donum in gentibus contemplantes,ad eas transferunt Chriſtum Iudææ miſſum, ſed uitam & ſalutem gentium nuncupatum. In diebus illis uenit Ioannes prædicans in deſerto Iudææ dicens:Pœnitentiam agite,appropinquauit enim regnum cœlorum &c.) In Ioanne locus,prædicatio,ueſtitus,cibus eſt contuendus:atq; ita ut meminerimus,geſtorum ueritatem non idcirco corrumpi,ſi gerendis rebus interioris intelligentiæ ratio ſubiecta ſit. Fuerant enim prædicãti & locus opportunior, & ueſtitus utilior,& cibus aptior: ſed ſubeſt geſtis rebus exemplum,& in eo operatio ipſa meditatio eſt.Nam & ad deſertam Iudæam uenit:deſertam dei frequentatione non populi, & uacuam ſancti ſpiritus habitatione non hominum, ut prædicationis locus, eorum quibus prędicatio erat miſſa,ſolitudinem proteſtaretur.Pœnitentiam quoq; regno cœlorum propinquante pronũciat, per quam eſt reditus ab errore,& recurſus à crimine, & poſt uitiorum pudorem profeſſio deſinendi:ut deſerta Iudæa meminiſſet ſe eum ſuſcepturã, in quo cœlorum eſt regnum, non uacuam deinceps futuram, ſi ſe à ueteribus uitijs pœnitentiæ confeſſione purgaſſet. Pilis etiam camelorum ueſtis adtexta, peregrinum propheticæ iſtius prædicationis habitum deſignat,cum exuuijs immundarum pecudum, quibus pares exiſtimamur, Chriſti prædicator induitur, fitq; ſanctificatum habitu prophetali, quicquid in nobis uel inutile fuerat ante uel ſordidum.Zonę autem pręcinctio, efficax in omne opus bonum eſt apparatus, ut ad omne miniſterium Chriſti uoluntatis cingulo ſimus accincti.In eſum etiam eliguntur locuſtæ fugaces hominum, & ad omnem aduentus noſtri ſenſum auolantes. Nos ſcilicet, qui ab omni ſermone & congreſſu prophetarum impijs quibuſdam corporum ſaltibus effereba/mur, uoluntate uagi, in operibus inutiles,in uerbis queruli, ſede peregrini, nunc ſumus ſanctorum alimonia,& ſatietas prophetarũ, electi ſimul cum melle ſylueſtri,dulciſſimum ex nobis cibum, non ex aluearijs legis, ſed ex truncis ſylueſtrium arborum præbituri. Tali igitur Ioannes habitu prædicans,uenientes phariſæos & Saducæos ad baptiſmum, progenies nuncupat uiperarum,fructum ut dignum pœnitentiæ faciant monet,ne ue Abraham patrem habere ſe glorientur,quia ex lapidibus deus potens eſt Abrahæ filios excitare.Non enim ſucceſſio carnis quæritur,ſed fidei hæreditas. Dignitas igitur originis in operum conſiſtit exemplis, & proſapiæ gloria fidei imitatione retinetur.Zabulus infidelis,Abraham fidelis. Nam ille in hominis tranſgreſſione fuit perfidus,hic uero iuſtificatus eſt ex fide. Igitur

uniuſcuiuſq; mores atq; uita propinquitatem cognationis acquirit, ut qui fideles ſunt, Abrahæ propago per fidem ſint: qui autem infideles ſunt, in Zabuli progeniem infidelitate mutentur: quando & phariſæi uiperarum natio nuncupantur, & gloriatio ſanctificati parentis eis inhibetur, & ex ſaxis ac rupibus Abrahæ filij excitantur, & ut operantes dignos fructus pœnitentiæ ſint admonentur, ut qui diabolum patrem habere cœperant, cum eis qui de lapidibus excitarentur, rurſum Abrahæ filij per fidem fiant. Securis uero radicibus arborum appoſita, infructuoſarum arborum cæde & concremationē ſignificans, inutilis perfidiæ excidium conflagrationi iudicij præparari. Et quia legis opus eſſet iam inefficax ad ſalutem, & Ioannes baptizandis in pœnitentiam nuncius extitiſſet: prophetarum enim officium erat, à peccatis reuocare: Chriſti uero propriū, ſaluare credentes: ſe quidem baptizare in pœnitentiam dicit, ſed fortiorem eſſe uenturum, cuius ferendorum ac ſoluendorum calciamentorum ſit indignus officio: apoſtolis circunferendæ prædicationis gloriam derelinquens, quibus ſpecioſis pedibus pacem dei erat debitum nunciare. Salutis igitur noſtræ & iudicij tempus deſignat in domino dicens: Ille baptizabit uos in ſpiritu ſancto & igni, quia baptizatis in ſpiritu ſancto reliquum ſit conſummari igne iudicij.

Habens uentilabrum in manu purgabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.) Ventilabri opus eſt ab infructuoſis fructuoſa diſcernere. Quòd in manu domini ſit, arbitrium indicat poteſtatis. Triticū ſuum, perfectos ſcilicet credentium fructus, horreis recondendum. Paleas uero, id eſt, inutilium atq; infructuoſorum hominum inanitatem, igne iudicij cōcremandas. Tunc uenit Ieſus in Galilæam, in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo, & reliqua.) Erat in Ieſu Chriſto homo totus, atq; ideo in famulatum ſpiritus corpus aſſumptum, omne in ſe ſacramentum noſtræ ſalutis expleuit. Ad Ioannem igitur uenit ex muliere natus, conſtitutus ſub lege, & per uerbum cato factus. Ipſe quidem lauacri egens non erat, quia de eo dictū eſt, peccatum non fecit: & ubi peccatum non eſt, remiſſio quoq; eius eſt ocioſa: ſed aſſumptum ab eo creationis noſtræ fuerat & corpus & nomen, atq; ita non ille neceſſitatem habuit abluendi, ſed per illum in aquis abluitionis noſtræ erat ſanctificanda purgatio. Deniq; & à Ioanne baptizari prohibetur, ut deus: & ita in ſe fieri oportere, ut homo edocet. Erat enim per eum omnis implendi iuſtitia, per quem ſolum lex poterat impleri. Atq; ita & prophetæ teſtimonio, lauacro non eget, & exempli ſui autoritate humanæ ſalutis ſacramenta cōſummat, hominem & aſſumptione ſanctificans & lauacro. Ordo etiam in eo arcani cœleſtis exprimitur. Nam baptizato eo, reſeratis cœlorum aditibus, ſpiritus ſanctus emittitur, & ſpecie columbæ uiſibilis cognoſcitur, & iſtiuſmodi paternæ pietatis unctione perfunditur, uox

deinde

deinde de cœlis ita loquitur: Filius meus es tu, ego hodie genui te.) Filius dei auditu conſpectuq; monſtratur, plebiq; infidæ & prophetis inobedienti, teſtimonium de domino ſuo mittitur & contemplationis & uocis, ac*ſummi, ut ex eis quæ conſummabãtur in Chriſto, cognoſceremus, poſt aquæ lauacrum, & de cœleſtibus portis ſanctum in nos ſpiritum inuolare, & cœleſtis nos gloriæ unctione perfundi, & paternæ uocis adoptione dei filios fieri, cum ita diſpoſiti in nos ſacramenti imaginem ipſis rerum effectibus ueritas præfigurauerit. A*ſimul

De tentatore diabolo. De ieiunio Ieſu quadraginta diebus. De Petro & Andrea piſcatoribus. Canon III

TVnc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à Zabulo, & reliqua.) Et in deſertũ traductio, & quadraginta dierum ieiunium, & poſt ieiunium fames, & ſatanę tentatio, & reſponſio domini, magni cœleſtisq; conſilij effectibus plena ſunt. Nam quòd in deſertũ ductus eſt, ſignificatur libertas ſpiritus ſancti, hominem ſuũ iam diabolo offerentis & permittentis tentandi & aſſumendi occaſionem, quam non niſi datam tentator habuiſſet. Erat igitur in diabolo de metu ſuſpitio, non de ſuſpitione cognitio. Mouebatur enim quadraginta dierum ieiunio. Sciebat totidem diebus aquas abyſſi effuſas, exploratam repromiſſionis terram, Moyſi legem à deo ſcriptam, annorum quoq; quibus plebs in eremo uita angelorum habituq; manſit, hunc numerum expletum fuiſſe. Igitur iſtius temporis metu, in tentando eo quem hominem contuebatur, ſumpſit temeritatem. Adam enim pellexerat, & in mortem fallendo traduxerat. Sed ita dignum nequitia eius & ſcelere erat, ut in eo, cuius morte & calamitatibus gloriabat, homine uinceretur, & qui dei beneficia homini inuidiſſet, ante tentationem deum in homine intelligere non poſſet. Tentatur igitur ſtatim poſt baptiſmum dominus, tentatione ſua indicans in ſanctificatis nobis maxime diaboli tentamenta graſſari, quia uictoria ei eſt magis exoptata de ſanctis. Non cibum etiam hominum eſurijt, ſed ſalutem. Nam poſt quadraginta dies, non in quadraginta diebus eſurijt, Moyſe & Helia in eodem ieiunij tempore non eſurientibus. Igitur cum eſurijt dominus, non inediæ ſubrepſit operatio, ſed uirtus illa, quadraginta dierum non mota ieiunio, naturæ ſuæ hominem dereliquit. Non enim erat à deo diabolus, ſed à carne uincendus: quam utiq; tentare auſus non fuiſſet, niſi in ea per eſuritionis infirmitatẽ quæ ſunt hominis recognoſceret, quam utiq; in eo ſentiens ita orſus eſt: Si filius dei es.) Anceps ſermo eſt: Si filius dei es. Licet eſurientem uideret, quadraginta tamen dierũ in eo ieiuniũ pertimeſcebat, quia rerum ratione indicat, poſt quadraginta dierũ conuerſationẽ, quibus poſt paſſionem in ſeculo erat cõmoraturus, eſuritionẽ ſe humanę ſalutis habiturũ. Quo in tempore expectatũ deo

patri munus hominem quem assumpserat reportauit. Contuendum itaq; nunc illud est,quibus tandem interrogationibus usus sit, ait enim: Si filius dei es,dic ut lapides isti panes fiant. Fallax diabolus, & ad traducendū artifex callidissimus,posse omnia Christum sciebat, & esuritionem in homine ex ipso ieiunij tempore sentiebat,ignarus quid nam esuriretur. Eam ergo in tentando conditionem operis proposuit, per quam & in deo ex demutatione lapidum in panes uirtutem potestatis agnosceret,& in homine oblectamento cibi patientiam esurientis illuderet.Sed dominus nō panem potius quàm salutem hominum esuriēs ait: Non in pane solo uiuit homo. Quia ipse non solum homo,sed & deus, licet usq; in tentationis diem cibo hominis abstineret,dei tamen spiritu alebatur,ostendens non in pane hoc solitario,sed in uerbo dei alimoniam æternitatis esse sperandam. Sequens etiam interrogatio talis est,cum eum in summum templi sustulisset: Si filius dei es,mitte te deorsum,& reliqua.) Laborat tentatione dominum de excelsis ad inferiora deducere,& positum in templi summo,id est, supra leges & prophetas eminentem in humilibus continere: Sciebat quidē & ministeria angelorum prompta esse dei filio,neq; in lapidem posse offensionis incidere,quippe super aspidem & basiliscum ambulaturum,& cōculcaturum leonem & draconem.De his enim quæ in se dicta sunt tacuit,sed superiora memorando,uult quoquo modo obedientiā elicere tentato,relaturus hinc gloriam si sibi dominus maiestatis,licet per confidentiā, paruisset. Sed nulla diabolo contigit tantę fraudis occasio,idipsum deo tempore posteriore testante,cum dicit: Venit princeps huius seculi, & nō inuenit in me quicquam.Digna igitur hanc eius petulantiam domini est secuta respōsio:

Non tentabis deum & dominū tuum.) Diaboli conatus & tentamenta contundens,& deum se protestatur & dominum,docens,à fidelibus abesse oportere iactantiam: quia cum omnia possibilia deo sint, nihil tamen in tentationem eius audendum sit. Sed iam tertio tota diabolicæ potestatis commouetur ambitio.Constituto igitur domino in monte excelso, uniuersa orbis terrarum regna,eorumq; gloriam obtulit, si modo adoraretur ipse.Iam gemina responsio opinionem suspitionis excesserat.Cibo Adam pellexerat,& de paradisi gloria in peccati locum,id est,in regionem uetitæ arboris deduxerat: tertio diuini nominis ambitione corruperat, dijs futurum similem pollicendo. Igitur aduersus dominū tota iam seculi potestate pugnatur,& creatori suo possessio huius uniuersitatis offertur,ut tenens ordinem fraudis antiquæ,quem neq; cibo pellexerat,nec loco mouerat,nunc uel ambitione corrumperet. Sed responsio domini dignum de superioribus gradum fecit.Ait enim: Vade retro satana. Scriptum est enim:Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Temeritatis tantæ congruum exitum tulit, cum & criminum suorum in Satana nomen audiuit,

& dominum

& dominum deum ſuum adorandum in homine cognouit. Præbuit etiam huius reſponſionis effectu magnum nobis dominus exemplũ, ut contempta humanæ poteſtatis gloria, & ſeculi ambitione poſtpoſita, ſolum meminiſſemus deum & dominum adorandum, quia omnis ſeculi honor diaboli ſit negocium. Poſt hanc ergo diaboli fugam, angeli Chriſto miniſtrant, oſtendentes, à nobis uicto calcatoq; diaboli capite, & angelorum miniſteria, & uirtutum in nos cœleſtium officia non defutura. Cum audiſſet autem Ieſus quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galileam, tranſiens in Capharnaum.) Et prophetę Eſaiæ rei geſtæ ordo eſt. In piſcatorum uero allectione, ex hominum arte futuri eorum officij opus proditur, ut piſcibus è mari, ita hominibus deinceps è ſeculo in locum ſuperiorem, id eſt, in lumen cœleſtis habitaculi protrahendis. Quibus & artem & patrias domos relinquentibus, docemur Chriſtum ſecuturi, & ſecularis uitæ ſolicitudine, & paternæ domus conſuetudine non cõtineri. In quatuor uero primum apoſtolis eligendis, præter rerum fidem, quia & ita geſtum eſt, futurorum euangeliſtarum numerus præfiguratur. Galilæam igitur circumit, & in ſynagogis prædicat regni euangelium, & omnium ægritudinum infirmitates medendo, factis ipſe ſe profert, ut quem in prophetarum uoluminibus legere erãt ſoliti, præſentem operibus contuerentur.

De beatitudine & præceptis. De reconciliatione fratrũ. De adulterio. De oculo & manu eruenda. De iuramentis & eleemoſyna. Canon IIII

CONgregatis igitur pluribus turbis, montem conſcendit & docet, in paternæ ſcilicet maieſtatis poſitus celſitudine, cœleſtis uitæ præcepta conſtituit. Non enim æternitatis inſtituta, niſi in æternitate poſitus tradidiſſet. Deniq; ita ſcriptum eſt: Aperuit os ſuum & docebat eos.) Locutum eum fuiſſe promptius erat dicere, ſed quia in gloria paternæ maieſtatis inſtiterat, & æternitatem docebat, idcirco ad motum ſpiritus eloquentis obediſſe oſtenditur humani oris officium. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.) Exemplo dominus docuerat humanę ambitionis gloriam relinquendam, dicens, Dominum deum tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et cum ſe per prophetas populum humilem & ad uerba ſua trementem, præmonuit eſſe lecturum, in ſpiritus humilitate perfectæ beatitudinis poſuit exordiũ. Igitur humilia ſpirantes, id eſt, ſe homines recordãtes, in cœleſtis regni poſſeſſione conſtituti, conſcij ſibi ex ſordentibus ac tenuiſſimis ſe principijs coalitos, in hanc formã perfecti corporis procreari, & in hunc ſentiendi, contuendi, iudicandi, agendi ſenſum deo profectũ miniſtrante procedere: nihil cuiq; ſuum eſſe, nihil propriũ, ſed cunctis dono parentis unius eadem & uenienti in uitam tribui primordia, & utendi eandem ſubſtantiam miniſtrari, ac nos optimi illius, qui nobis ſit iſta largitus, exemplo, perfunctæ in nos

bonitatis

bonitatis esse æmulos oportere,ut boni omnibus simus,communia omnia omnibus existimemus.Nulla nos nec secularis fastus insolentia,nec opum cupiditas,nec inanis gloriæ ambitio corrũpat,sed subiecti deo simus, & de communione uiuendi in omnes communis uitæ charitate teneamur. Magnum etiam in eo quod nati sumus, diuinæ bonitatis futurum profectum existimantes,cuius præmiũ atq; honos præsentis uitæ operibus sit merendus,atq; ita per hãc spiritus humilitatẽ, qua à deo nobis meminerimus & indulta omnia, & deinceps potiora speranda, cœlorũ regnũ erit nostrum.

Beati mites,quoniam ipsi hæreditabunt terram.) Mitibus terræ hæreditatem pollicetur,id est,eius corporis,quod ipse dominus adsumpsit habitaculum.Et quia per mansuetudinem mentis nostræ habitauerit Christus in nobis,nos quoq; gloria clarificati eius corporis uestiemur. Beati lugentes,quoniam ipsi consolabuntur.) Lugentibus æternæ consolationis solatia repromittit,non orbitates aut contumelias aut damna merentibus, sed peccata uetera flentibus, & criminum quibus obsordescimus, conscientia ærumnosis. Hæc sedula in cœlo consolatio præparatur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam,quoniam ipsi saturabuntur.) Sitientibus & esurientibus iustitiam,beatitudinem tribuit,significãs extensam in dei doctrinam sanctorũ auiditatem bonis perfectæ in cœlo satietatis expleri. Beati misericordes,quia ipsis misericordiam præstabit deus.) Misericordibus misericordiæ munera præparat. In tantum enim deus beneuolentiæ nostræ in omnes delectatur affectu, ut misericordiam suam sit solis misericordibus præstiturus. Beati mundo corde,quoniam deum ipsi uidebunt.) Mundis corde conspectum dei spondet. Nihil enim pollutum & sordidum ad occursum diuinæ charitatis insistit,& ad conspectũ dei acies obsoletæ mentis hebetatur,eos scilicet & uisui & occursui dei esse patentes,quibus per animi nitorem ac uitæ puritatẽ potestas eius sit contuendi.Non enim nisi spiritu perfecti,etiam mortalitate immutati,quod solis mundis corde dispositum est,hoc quod in deo est immortale cernemus. Beati pacifici,quoniam filij dei uocabuntur.) Pacificorum beatitudo adoptionis est merces,ut filij dei maneant. Parens enim omnium deus unus est, neq; aliter transire in nuncupationem familiæ eius licebit, nisi obliuione earum rerum assumpta,quibus possimus offendi,fraternæ inuicem charitatis pace uiuamus.

Beati qui persequutionem patiũtur propter iustitiam, & reliqua.) Perfecta ad postremũ beatitudine eos muneratur,quibus omnia pro Christo pati promptus affectus est,quia ipse iustitia est.His igitur & regnũ reseruatur,& merces in cœlo copiosa promittitur,qui in cõtemptu seculi pauperes spiritu,& damnis rerum præsentiũ,iacturisq; probrosis, & aduersus maledicta hominũ cœlestis iustitiæ confessores, ac deinceps glorioſi promissorum dei martyres,omnẽ uitæ usum testimonio ueritatis eius impenderint.

Vos

Vos eſtis ſal terræ, quòd ſi ſal infatuatũ fuerit, ad nihilũ ualet id quod ſalietur.) Sal, ut arbitror, terræ nullũ eſt, quomodo ergo apoſtolos ſal terræ nuncupauit? Sed proprietas eſt quęrenda dictorũ, quam & apoſtolorum officium, & ipſius ſalis natura monſtrabit. Sal eſt in ſe uno cõtinens aquæ & ignis elementũ, & hoc ex duobus eſt unũ. Hic igitur in omnem uſum humani generis effectus incorruptionẽ corporibus, quibus fuerit aſperſus, impertit, & ad omnem ſenſum cõditi ſaporis aptiſſimus eſt. Apoſtoli autem ſunt rerum cœleſtiũ prædicatores, & æternitatis uelut ſatores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorũ ſermo aſperſus fuerit, conferentes. Atq; ſuperius Ioannes teſtis eſt ſacramenti aquæ ignisq; perfecti, dum ait: Ipſe uos baptizabit ſpiritu & igni. Merito igitur ſal terræ ſunt nũcupati, per doctrinæ uirtutẽ ſaliendi modo æternitati corpora reſeruãtes, ſed natura ſalis ſemper eadẽ eſt, nec immutari unq; poteſt, uerũ quia cõuerſioni homo ſubiacet, & ſolus beatus, qui uſq; ad finẽ in omnibus dei operibus permanſerit, ideo eos ſal terræ nuncupatos monet in traditæ ſibi poteſtatis uirtute perſiſtere, ne infatuati nihil ſaliant, & ipſi ſenſu accepti ſaporis amiſſo uiuificare corrupta nõ poſſint, & proiecti de eccleſię promptuariis, cum his quos ſalierint, pedibus incedentiũ proterantur. Vos eſtis lumen mundi.) Natura luminis eſt, ut lucem quocũq; circũferatur emittat, illatumq; ędibus tenebras interimat, luce dominante. Igitur mundus extra cognitionẽ dei poſitus obſcurabatur ignorantiæ tenebris, cui per apoſtolos ſciẽtiæ lumen inuehitur, & cognitio dei claret, & de paruis eorũ corpuſculis quacunq; inceſſerint, lux tenebris miniſtratur. Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem ædificata, neq; accendũt lucernã, & ponũt eam ſub modio, & reliqua.) Ciuitatem carnem quã aſſumpſerat, nuncupat, quia ut ciuitas ex uarietate ac multitudine conſiſtit cohabitantiũ, ita in eo per naturã ſuſcepti corporis quædã uniuerſi generis humani cõgregatio cõtinetur. Atq; ita & ille ex noſtra in ſe cõgregatione fit ciuitas, & nos per conſortiũ carnis ſuæ ſumus ciuitatis habitatio. Abſcondi ergo iam nõ poteſt, quia in altitudine poſitus, celſitudinis dei admiratione operũ ſuorum & cõtemplandus & intelligendus omnibus effertur. Sed nec lucerna accenditur recondenda ſub modio.) Quis enim fructus eſt, clauſi impenſam luminis continere? Verũ ſynagogam digne dominus modio cõparat, quę ſuſceptos fructus intra ſe tantum receptans, certum modũ dimenſæ obſeruantiæ cõtinebat. Nunc tamen fructu omni adueniente, ſe uacuauit, nõ tamen potens luminis occulendi, atq; ideo iam lucerna Chriſti nõ recondenda ſub modio eſt, neq; operimento occultanda ſynagogæ, ſed in ligni paſſione ſuſpenſa lumen æternum eſt in eccleſia habitantibus præbitura. Pari etiam fulgere apoſtolos monet lumine, ut admiratione operis eorũ deo laus impertiatur, nõ quòd hominibus oporteat gloriam quęrere, quia omnia in honorem dei agenda ſunt, ſed ut diſſimu-

diſſimulantibus licet nobis opus noſtrum,his inter quos uiuimus eluceat.

Nolite putare quoniam ueni diſſoluere legem aut prophetas,non ueni diſſoluere,ſed adimplere.) Virtus & poteſtas uerborum cœleſtiũ magna in ſe momẽta complexa ſunt.Lex enim operũ poſita eſt,& omnia in fidem eorũ,quæ in Chriſto erant reuelanda,concluſit, cuius & doctrina & paſſio grande & profundum eſt paternæ uoluntatis arbitrium,Lex autẽ ſub uelamento uerborũ ſpiritualiũ natiuitatẽ domini noſtri Ieſu Chriſti, & corporalitatem & paſſionem & reſurrectionem loquuta eſt, atq; id ita iam ante tempora ſecularia in ætatis noſtræ tempus eſſe diſpoſitũ, frequens & prophetica & apoſtolica autoritas eſt. Igitur poſt ieiuniũ dierum quadraginta, ſatanas tantis ſuſpicionibus anxius, uſq; ad tentandi erupit audaciam, ingens in Ieſu pertimeſcens cœleſtis molitionis arcanũ,Ieſus enim domino noſtro nomen ex corpore eſt, itaq; & corporalitas eius & paſſio uoluntas dei & ſalus ſeculi eſt,& ultra humani ſermonis eloquiũ eſt,deum ex deo,filium ex patris ſubſtantia, atq; intra patris ſubſtantiam conſiſtentem, primum in hominem corporatum, dehinc morti hominis conditione ſubiectum,poſtremo poſt triduum in uitam ex morte redeuntem, conſociatam ſpiritus & ſubſtantiæ ſuæ æternitati materiem ad cœlum aſſumpti corporis retuliſſe. Ne igitur aliud exiſtimaremus in operibus ſuis eſſe quàm contineretur in lege,nõ ſoluere ſe legem profeſſus eſt,ſed implere.Cœlum quidem & terram,maxima,ut arbitramur,elemẽta eſſe ſoluenda, cæterum ne minimum quidem poſſe eſſe de mandatis legis infectum. In ipſo enim lex & prophetia omnis impletur.Sub paſſione & iamiam ſpiritum traditurus, magni huius in ſe certus arcani, poto aceto conſummata omnia eſt profeſſus.Fidem enim geſtorum omnia tum prophetarum dicta ſumebãt. Itaq; ne minima quidem mandatorum dei,niſi cum piaculo dei cõſtituit eſſe ſoluenda,futuros minimos,id eſt,nouiſſimos,ac penè nullos denuncians, minima ſoluentes. Nulla autem his minora poſſunt eſſe, quæ minima ſunt. Minimum autem eſt omnium,domini paſſio & crucis mors, quam ſi quis tanquam erubeſcendam non confitebitur, erit minimus. Confitenti uero magnæ in cœlo uocationis gloriam dominus eſſe cõfitetur. Dico autem uobis, quia niſi abundauerit iuſtitia ueſtra plus quàm ſcribarum & phariſæorum,non intrabitis in regnum cœlorum.) Pulcherrimo ingreſſu opus legis cœpit excedere,ut non diſſolueret eam, ſed profectu potiore præcelleret,aditum apoſtolis in cœlum, niſi iuſtitiam phariſæorum æquitate anteiſſent, denuncians non futurum.Propoſitis igitur his quæ in lege prę ſcripta ſunt,profectu ea nõ abolitione tranſgreditur. Lex uetuit occidere,reatum homicidij ſeueritate iudicij expiatura, ſed male in alterum commotæ mentis affectio idem in euangelijs habet pœnæ, & ex præcepto fidei non minus rea ira eſt ſine ratiõe ſuſcepta, quàm in operibus legis homicidium.

Coacta interpretatio

Et qui

Et qui dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio.) Racha uacuitatis opprobrium eſt,& qui ſancto ſpiritu plenum conuitio uacuitatis inſimulet,ſit reus concilio ſanctorum,contumeliam ſpiritus ſancti ſanctorum iudicium animaduerſione luiturus, Qui autem fatuum dixerit,reus erit gehennæ ignis.) Piaculi magni periculum eſt,quem ſalem deus nuncupauerit, eum cõtumelia infatuati ſenſus laceſſere: & ſtultorum intelligentiam ſalientem, ſtultæ intelligentię exaſperare maledicto. Iſtiuſmodi igitur ęterni ignis erit pabulum. Ita quicquid lex in ipſis quidem operibus damnauit, euangeliorum fides pro contumelioſa tantũ uerborum facilitate cõdemnat. Mutua igitur uniuerſos charitate deuinciens,nullam impacificæ orationis fieri precem patitur,ſed altario munera offerentes,ſi recordentur habere ſe cum fratribus aliquid ſimultatum,recõciliata humana pace reuerti in diuinam pacem iubet, in dei charitatem de charitate hominũ tranſituros. Et quia nullum tempus uacuum affectu placabilitatis eſſe permittit, cito in omni uitæ noſtræ uia recõciliari nos aduerſario benignitate præcepit, ne in reditu gratiæ moroſi in mortis tempus non inita pace ueniamus, nosq; aduerſarius iudici tradat,& iudex miniſtro,& in carcerẽ mittamur, & nõ exeamus inde donec reddamus nouiſſimum quadrantem. In præceptis dominicæ orationis remitti nobis peccata noſtra oramus exemplo,& data aduerſarijs conditione ueniæ,ipſi ueniam deprecamur. Hæc itaq; negabitur nobis,ſi alijs negetur à nobis: noſtroq; ipſi iudicio rei ſumus,ſi in iudicij tempus non remiſſis ſimultatibus tranſeamus,aduerſario tradẽte nos iudici,quia manens in eum ſimultatis noſtræ ira nos arguit. Et quia charitas plurimum peccatorum tegit,& errorum noſtrorum ambitioſa ad deum patrona eſt,nouiſſimum pœnæ quadrantem ſoluemus,niſi precio ipſius aliquantorũ crimi-num culpa redimatur. Quid autẽ à pluribus in hoc capite ſenſum ſit, non putaui eſſe tractandum. Hoc enim quod aduerſario recõciliari beneuolentia iubemur, ad corporis & ſpiritus aduerſantiũ ſibi concordiam*retulerit, ſed nos ordinem doctrinæ tenentes, & opus legis euangelicis profectibus excedentes,non putauimus intelligentiæ continuationẽ oportere conuelli.

*Als*retulerunt*

Audiſtis quia dictum eſt,non mœchaberis &c.) Fertur ſuo curſu ordo præcepti,& prætermiſſis legis operibus, iam in euãgelicis adulterio motus tantum oculi * incidentis æquatur, & cum fornicationis opere punitur illecebroſa uiſus tranſcurrentis affectio. Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te &c.) Fit innocentiæ gradus celſior, & profectum fides ſumit. Carere enim non ſolum propriis uitijs, ſed & extrinſecus incidentibus admonemur. Non enim ex cauſis peccantium membrorum corporis damna præcepta ſunt. Dextero enim oculo non minus ſiniſter erraret. Certe pes ſenſu concupiſcentiæ carens damno inutilis eſt, in quem pœnæ cauſa non incidet. Sed quia diuerſa inuicem membra,cor-

*Fort. * inſidiantis*

pus tamen omnes unum ſumus,abiícere à nobis,uel potius eruere propin/quitates chariſſimorum hominum admonemur, ſi in illis aliquid tale cer/namus,ne in conſortium criminis eorum de familiaritate ueniamus,rectius utilibus & maxime neceſſariis, tanquam oculi & pedis membris carentes, quàm uſque in ſocietatem gehennæ uitioſæ propinquitatis teneamur affe/ctu.Eſſet autem abſciſio membrorum utilis,ſi & cordis eſſe poſſet exectio. Cum enim concupiſcentia efficientiæ compararetur, damnū corporis ocio ſum eſt,relicto uoluntatis inſtinctu. Dictum eſt autem: Quicunq; dimi ſerit uxorem ſuam, det illi repudium &c.) Aequitatem in omnes concili/ans,manere eam maxime in coniugiorum pace præcepit, legi addens plu/ra,nihil demens.Nec ſanè profectus argui poteſt.Nam cum lex libertatem dandi repudij ex libelli autoritate tribuiſſet, nunc marito fides euangelica non ſolum uoluntatem pacis indixit,uerum etiam reatum coactæ in adul/terium uxoris impoſuit,ſi alij ex diſceſſionis neceſſitate nubēda ſit, nullam aliam cauſam deſinendi à coniugio præſcribens, quàm quæ uirum proſti/tutæ uxoris ſocietate pollueret. Iterum audiſtis, quia dictū eſt antiquis: Non periurabis &c.) Lex pœnam poſuerat periurio,ut fraudulentiā men tium ſacramenti religio contineret, ſimulq; plebs rudis atq; inſolens fre/quentem de deo ſuo mentionem haberet familiaritate iurandi: fides uero ſacramenti conſuetudinem remouet,uitæ noſtræ negocia in ueritate conſti tuens, & abiecto fallendi affectu,ſimplicitatem loquendi audiendiq; præ/ſcribens,ut quod erat eſſet, non eſſet uero quod non erat, quia intereſt,& non patens eſſet materia fallendi, & quod ultra eſt, id omne de malo eſt. Quod enim eſt,ſuū eſt ut ſemper ſit:quod uero non eſt, naturæ eſt ut non ſit. Ergo in fidei ſimplicitate uiuentibus iurādi religione opus non eſt,cum quibus ſemper quod eſt, eſt:quod non, non: & per hæc eorum & opus & ſermo omnis in uero eſt. Neq; per cœlū iurabis,quia ſedes dei eſt, & re/liqua.) Non ſolum reddere nos deo ſacramenta non patitur, quia omnis dei ueritas dicti factiq; noſtri ſimplicitate retinēda eſt, ſed ſuperſtitionem contumaciæ ueteris condemnat.His enim elementorum nominibus Iudę/is erat religio iurare,& cœli & terrę,Hieruſalem,& capitis ſui,quibus in con tumeliam dei ſacramento uenerationem deferebant.Quid enim momenti erat iurare per cœlum dei ſedem,iurare per terram ſcabellum pedum eius, iurare per Hieruſalem urbem breui ob inſolentiam & peccata inhabitanti/um deſtruendam,cum præſertim in præformationem eccleſię,id eſt,corpo ris Chriſti, quæ magni regis eſt ciuitas, eſſet conſtituta? Per caput autem iurare quur uellent? Nunquid uel capilli unius mutandi facultas eſſe pote/rat iuranti,cum omnibus colorem natura à deo profecta ſuggereret? Atq; ita hæc ſacramentorum pignora plena apud eos piaculi fuiſſe demōſtrat, cum ignorato aut neglecto opifice,religionem operibus impertirentur.

Audiſtis

Audiſtis,quia dictum eſt:Oculum pro oculo,dentem pro dente,& reliqua.) Extenſam fidei noſtræ in æternam ſpem rebus ipſis dominus uult probari,ut ipſa diſſimulandæ iniurię & tolerãtia teſtis iudicij ſit futuri. Lex infidelem Iſraël intra metum continebat,& iniuriæ uoluntatem iniuriæ uiciſſitudine coercebat. Fides autẽ nullius tam grauem dolorem eſſe patitur iniuriæ,ut ultionem expetat, & illatæ ſibi quiſquam uindex ſit cõtumeliæ, quia in iudicio dei & perpeſſis iniuriã plus eſt conſolationis, & pœna ſeuerior iniurioſis. Atq; ita non ſolũ ab iniquitatibus nos abeſſe euangelia præcipiunt,uerum etiam ulciſcendæ iniuriæ exigunt diſſimulationẽ. Nam accepta alapa maxillam alteram iubemur offerre,& mille paſſus onus uehentes,progredi in ſpacium paſſuum duũm millium, iniuriæ augmento profectum ultionis habituri,ipſo uirtutum cœleſtium domino ad incrementum gloriæ & maxillas palmis,& flagris ſcapulas offerente. Non ſolum autem iudicij humani refugienda eſſe arbitria præcepit, uerum etiam cum damni uoluntate uitanda, ut tunicã nobis uolenti iudicio exuere mittamus & pallium, & per ſpem bonam ſecularem ſupellectilem contemnentes, inanem gentium cupiditatem,& uanitatem infructuoſæ auaritiæ arguamus. Omnibus etiam dari quæ popoſcerint iubet, & à precibus uolentium mutuari, os atq; animum non referre, ut his quibus indigent, per noſtram munificentiam expleãtur,& eorum uel ſitim potu,uel famem cibo,uel nuditatem ueſtitu indulto arceamus,ac ſic bonorum eorum quibus à deo indigemus, digni reperiamur,cum obtinendi meritum indulgendi conſuetudo concilieț.In officio quoq; diſpendendæ eius quam accepimus gratię,pronos eſſe oportere demonſtrat, ut boni gratuiti ſit diſpenſatio gratuita, & mutuari uolentibus non negemus quod mutuamur à deo,ſemper ſine habẽdi damno impertiendi miniſterio functuri. Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odies inimicum tuum, & reliqua.) Concluſit omnia bonitate perfecta. Amari enim lex proximum exigebat, & in inimicum licentiam odij dabat. Diligi uero inimicos fides prȩcipit,& petulantes humanarum mentium motus publicę charitatis frangit affectu,non ſolum iram ab ultione depellens,ſed etiam in amorẽ mitigans iniurioſi, quia gentium ſit amantes amare,& commune ſit diligere diligentes. Vocat igitur nos in dei ut hæreditatem, ita & imitationem bonis & iniuſtis Chriſti ſui aduentu in baptiſmi & ſpiritus ſacramẽto,& ſolem tribuentis & pluuiam, ita nos ad perfectam uitam per hanc publicæ bonitatis concordiam, quia nobis in cœlo perfectus pater ſit imitandus inſtituit. Attendite iuſtitiã ueſtrã, ne faciatis coram hominibus &c.) Omnem curam rerum prȩſentiũ amouet,& attentos tantum eſſe in ſpem futuri iubet, neq; ſectari uel hominum fauorem oſtentatione bonitatis, uel iactantiam religionis orationis publicæ copia, ſed intra conſcientiam fidei fructum boni operis continendum,

quia humanæ laudis conſectatio eam tantum quam ab hominibus expe/ctet,mercedem ſit receptura.Cæterum promerendi dei expectatio, præmi um ſit longæ patientiæ conſequutura. Siniſtra quoq; manus ut ignoret o/pus dextræ.Sed nunquid iſtud natura corporis ſinet? aut intelligentiæ ſen ſum manuum miniſteria ſortiuntur? Verum ut in dei ſcientia opera noſtra conſiſtunt,cum ſub nuncupatione membrorū in his quæ geramus, eorum quæ noſtra ſunt,atq; nobiſcum ſunt,conſcientia arceatur.

De oratione & ieiunio.De theſauro in cœlo. De lucerna corporis. De duobus dominis.De cibo & ueſtitu. De uolatilib. & liliis agri, & fœno.De ſolicitudine diei.De feſtuca & trabe in oculo.

Canon V

CLauſo quoque cubiculi oſtio iubemur orare, atq; in omni loco precem fundere docemur,& ſanctorum oratio inter feras, car/ceres,flammas,& de profundo maris, ac beſtiæ uentre ſuſcep/ta eſt.Ergo non occulta domus, ſed cordis noſtri cubiculum in gredi,& clauſo mentis noſtræ ſecreto orare ad deum,non multiloquio, ſed conſcientia admonemur,quia dictorum uerbis opus omne præcellat.

Cyprianus Tertullianus De orationis autem ſacramenti neceſſitate nos commendandi, Cypria nus uir ſanctæ memoriæ liberauit. Quanquam & Tertullianus hinc uolu/men aptiſſimum ſcripſerit, ſed conſequens error hominis detraxit ſcriptis probabilibus autoritatem. Cum aũt ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocri/tæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, ut pateant hominibus ieiunantes &c.) Ieiuniorum profectum docet extra iactantiam cõfecti corporis eſſe oportere, neq; de inediæ oſtentatione fauorem gentium conſectandum, ſed omne ieiunium in ſanctæ operationis decore ponendũ. Oleum enim fructum miſericordiæ eſſe cœleſtis,& propheticus ſermo eſt.Ergo bonita/tis operibus caput noſtrum,id eſt,uitæ noſtrę ſenſus ornandus eſt,quia in/telligentia omnis in capite eſt.Sordesq; in facie abluendæ,ne quid ſit hor/roris ex uitijs,ſed magis gratia candoris ſit in occurſu,,atq; ita nos in ſplen/dorem bonę conſcientiæ elutos, & in gratiã miſericordiæ operis delibutos, deo iciunia noſtra commendent.Cæterum fugientes in ieiunijs hominum conſcientiam unctis capitibus,& ridiculi magis erimus,& cogniti. Noli/te theſaurizare uobis theſauros in terra,& reliqua.) Prętermiſſa igitur hu manæ gloriæ & opulentiæ ſolicitudine, omnem placendi deo curam ſumi oportere demonſtrat.Quia humanam laudem uel corporum uitia,uel ob/trectatio inuidentium corrumpat, & hic theſaurus pecuniæ aut detrimen/to ſit periculoſus,aut furto.Cæterum laus cœleſtis æterna eſt,nec ſubrepen tis furto ſubtrahenda, nec tinea aut rubigine inuidiæ exedenda, cordę no/ſtro ſedem theſauri utram ſit ſequutus habituro,& intelligentiæ noſtræ lu mine aut cum pecunia damnoſa futuro,aut cum deo ſempiterno.

Lucerna

Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.) Continens ſenſus eſt. De oculi enim officio lumen cordis expreſſit. Quod ſi ſimplex & lucidum manebit, claritatem æterni luminis corpori tribuet, & ſplendorem originis ſuæ corruptioni carnis infundet: ſi autem obſcurum peccatis, & uoluntate erit nequã, uitijs mentis natura corporis ſubiacebit. Et ſi lumen quod in nobis eſt, tenebroſum ſit, quantas neceſſe eſt ipſarũ tenebras eſſe tenebrarum? Quia iam periculoſe ſolet animi generoſitati terrenæ carnis uitioſa origo dominari, longeq; magis peccata corporis ingraueſcere, ſi etiam cupiditatibus adiuuentur animorum, ex eoq; fieri præter naturam ſuam corpora noſtra tenebroſa, ſi illis mentium lumen extinctum ſit. Quod ſi per ſimplicitatem ſpiritus retinuerimus, lumine ſuo neceſſe eſt & corpus illuminet. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire &c.) Duûm dominorum infidele ſeruitium eſt, nec par eiuſdem poteſt eſſe ad ſeculum atq; ad deum cura. In alterum enim neceſſe eſt odium ſit, in alterum amor: quia idem opus diuerſæ dominorum non conueniat uoluntati, nec pauperes ſpiritu deo placentes, ambitioſæ ſeculi huius poſſint apti eſſe iactantiæ. Ideo dico uobis, ne cogitetis in corde ueſtro, quid manducetis, neque corpori ueſtro, quid ueſtiatis. Nónne anima ueſtra pluris eſt quàm eſca, & corpus pluris eſt quàm ueſtimentum?) Contemptum ſeculi, & fiduciam futurorum toto ſuperiore ſermone præceperat. Nam cum ad iniuriam pronos iubet eſſe, & ad damnum uoluntarios, & ad ultionem negligentes, & ad diligendum promiſcuos, & ad humanam gloriam incurioſos, confirmare nos in ſpem bonorum æternorum laborat. Plures enim & amor præſentium, & deſperatio futurorum incertos facit, & aut illecebris capit, aut infidelitate cõfundit. Ergo regnum cœlorum quod prophetæ nunciauerunt, Ioannes prædicauit, dominus noſter in ſe eſſe poſitum eſt profeſſus, uult ſine aliqua incertæ uoluntatis ambiguitate ſperari, alioquin iuſtificatio ex fide nulla eſt, ſi fides ipſa fiat ambigua. Igitur curam nullam eſſe ueſtitus & cibi præcepit dicens, & eſcis animam, & cibo corpus eſſe precioſius. Et quidem pulchrum eſt, præſentium rerum cõtemptu curam tantum diuinis rebus impendere, ſed altius ſermo deſcendit, & in cœleſtis dicti intelligentiam uerbis ſubiecta ratio extenditur. Theſaurũ dominus condi iuſſit in cœlo, & ex oculi lumine corpori quoque ſplendorẽ ſpopondit, & dominis duobus neminẽ placere poſſe teſtatus eſt, & poſt hęc ait: Ideo dico uobis, ne cogitetis in corde ueſtro qd manducetis, neq; corpori ueſtro quid induatis. Quæ cõſequuntur, nõ ſatis propoſitionibus cõgruunt. Nunquid & unius domini ſeruus nõ poſſit circa ueſtem eſſe cibumq; ſolicitus? Nunquid per aduerſam ualetudinẽ hebetato oculi lumine obſcurabitur corpus, aut quod corporis lumen eſſe poſſit ex oculo? Nunquid theſaurizare in cœlis ſola nuditas ac fames poterit? Sed quia corruptus circa futurorũ curam infideliũ ſenſus eſt, calumniantiũ quæ

in reſurrectione corporum ſpecies ſit futura, quæ in ſubſtantia æternitatis alimonia,& cum ex difficultatibus quæſtionũ inutilium quædam utendarum præſentium uoluptatum ratio quæſita eſt, inutili metu circa dei reuerentiam demorantes,in ſeculi gaudia tranſeunt, atq; ita eſt,ut duobus dominis unius infidele ſeruitium ſit,igitur ex ſummo pietatis affectu, grauiſſimoq; diffidentiæ periculo ante prædicto,ita admonet:Nónne anima pluris eſt quàm eſca,& corpus pluris eſt quàm ueſtimentum? In dictis dei ueritas eſt,& rerum creandarum efficiẽtia omnis in uerbo eſt, itaq; nec quod ſpopondit ambiguum eſt,nec inefficax quod loquutus eſt. Nihil eſt quod non in ſubſtantia ſua & creatione corporeum ſit, & omnium ſiue in cœlo, ſiue in terra,ſiue uiſibilium,ſiue inuiſibilium elementa formata ſunt. Nam & animarum ſpecies, ſiue obtinentium corpora, ſiue corporibus exulantium,corpoream tamen naturæ ſuæ ſubſtantiã ſortiuntur, quia omne quod creatum eſt,in aliquo ſit neceſſe eſt. Atq; ideo inertiam inutiliſſimæ quęſtionis deus arguens, non patitur, anima & corpore in æternitatis ſubſtantia collocandis, ſpem noſtram futuri in reſurrectione cibi & ueſtitus ſolicitudine demorari,*ne tanto precioſa reddẽti,corpus ſcilicet atq; animam, contumelia in non efficiendis leuioribus inferatur. Reſpicite uolatilia cœli, quoniam non ſerunt,neque congregant in horrea, & pater ueſter cœleſtis paſcit illa.Nónne uos magis pluris eſtis illis?) Sub nomine uolucrum exemplo nos immundorum ſpirituum adhortatur, quibus ſine aliquo negocio quærendi & cõgregandi,uiuendi tamen tribuitur de æterni conſilij poteſtate ſubſtantia.Atq; ut ad immũdos iſtud ſpiritus referri oporteret,adiecit:Nónne uos magis pluris eſtis illis? De comparationis præſtantia diſcrimen nequitiæ & ſanctitatis oſtendens. Quis autem ueſtrum poteſt adiícere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Et de ueſtimento quid ſoliciti eſtis?) Fidem uitalis ſubſtantiæ noſtræ documento ſpirituum firmauit, opinionem autem habitus futuri, iudicio communis intelligentiæ dereliquit.Cum enim uniuerſorum corporum quę uitam*auxerint diuerſitatem in unum cõſummatum uirum perfectumq; ſit excitaturus, ſolusq; potens ſit ad uniuſcuiuſq; proceritatem cubitum unum & alterum tertium ue præſtare,de ueſtitu,id eſt,de ſpecie corporum, cum tanta eius contumelia ambigemus? qui ut æqualem atq; uniformem omnem hominem efficiat,tantum menſuræ ſit humanis corporibus additurus. Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant, neq; nent. Dico autem uobis quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis &c.) Lilia non laborant,neq; nent, & Salomon coopertus eorum gloria non fuit, propheta magnus,& merito dilectæ ſapientię deo charus. Sed lilia naſcuntur potius quam cooperiuntur. Coopertio autem uelamentum eſt corporis,non corpus ipſum. Quod ſi ad ſenſum humanæ intelligentiæ refertur,

colorem

*Suſpicor ita legendum, ne tanto precioſiora regenti &c.

*Non dubito quin legendũ ſit,hauſerint

colorem lilij uelamenti candor potuerat æmulari. Sed lilia non laborantia, neq; nentia significari intelligẽda sunt, ut angelorum cœlestium claritates, quibus extra humanæ scientiæ eruditionem, suiq; operis mercedem à deo gloriæ candor indultus atq; indutus est, ne quid ex proprio labore aut arte existimarentur habuisse. Et cũ in resurrectione similes omnes angelis erũt, sperare nos cœlestis gloriæ uoluit operimentum exemplo angelicæ claritatis. Est autem in natura istius germinis, ut aptissime cœlestibus angelorum substantijs comparetur. Hoc enim efflorescens, cum à stirpe detentæ humi radicis auellitur, naturæ suæ uirtutem licet aruisse putetur occultat, & redeunte tempore rursum lilij sui honore uestitur. Ex se igitur efflorescit ac redditur, & quod est, nec radici potest debere, nec terræ, cum ille qui se subeat succus ex se sit. Atq; ita annuæ licet huius uiriditatis exemplo uirtutem cœlestis substantiæ æmulatur, cum ex eo tantum quod intra se acceptum habeat alatur in florem. Ideo ergo lilia non laborant, neq; nent, quia uirtutes angelorũ ex ea quam adeptæ sunt originis suæ sorte ut sint semper accipiunt. Si enim fœnum agri quod hodie est, & cras in ignem mittitur, deus sic uestit, quanto magis uos modicæ fidei?) Fidei nostræ inuiolabilem confidentiam exemplorum autoritate confirmat, ut tanto maioris periculi res sit ambigere, quãto impensiore cura omnem occasionem infidelitatis abstulerit. Fœnũ non idcirco nascitur, ut detur igni, neq; ideo uestiendi eius peculiaris deo cura est ut cremetur, sed sub fœni nomine nuncupatas esse à deo gentes crebro inuenimus. Germen autem illud est, quod uirtutis suæ flore dilapso, ad calorẽ solis arescit. Igitur requies nulla gentibus, neq; mortis, ut uolunt, cõpendio quies dabitur, sed corporalis & ipsis æternitas destinabitur, ut ignis æterni in ipsis sit æterna materies, & in uniuersis sempiternis exerceatur ultio sempiterna. Si igitur gentibus idcirco tantum indulgetur æternitas corporalis, ut mox igni iudicij destinentur, q̃ profanum est, sanctos de gloria ętternitatis ambigere, cũ iniquis ętternitatis opus præstetur ad pœnã? Omnem igitur expectationem nostrã in fide repromissionum & uirtutis suæ potestate exigit collocari, ut cura rerũ quibus indigemus omissa, ab eo potius omnia à quo ipsi uitale exordium sumimus, expetamus, regnũ dei uitæ nostræ stipendijs quæramus. Et hæc recte perfecteq; uiuentiũ merces est, ut in nouã cœlestemq; substantiam ex hac corruptibilis corporis materie transferantur, & corruptio terrena cœlesti incorruptione mutetur. Gentiũ igitur est, infidelitatis istius cura angi, quibus seculi amore detentis, & corporis gaudijs occupatis, nullũ per fidẽ & confessionem dei in cœleste regnũ iter quæritur & optatur. Nolite ergo soliciti esse de crastino. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipse, sufficit diei malitia sua.) Cõmune iudiciũ est, diem esse labentium temporũ cursum luce solis illuminatũ, quem nox interiectu discriminat, & interuentu suo diei diem

ſubrogat. Futuri autem temporis ſignificantia continetur in craſtino, ergo de futuro ſolicitos nos eſſe deus uetuit: incuria autem ſolicitudinis relaxatæ, non negligentiæ, ſed fidei eſt. Quur enim ſoliciti ſimus in craſtino, cum craſtinus dies ſibi ipſe ſolicitus ſit? Ergo anxietatem noſtram ipſa pro nobis dies ſolicita depellit. Sed ſolicitudo, ut arbitror, proprius eſt hominis affectus, hanc autem excitat aut curæ, aut metus, aut doloris anxietas. Dies uero curſus eſt temporis, & ſola prouidentia conſequuta, ſolicitudinis recipiunt affectum. Conſtituetur ergo dies eſſe animal quod & caueat, & proſpiciat & curet, cui & malicia propria ſufficiat, neq; extrinſecus accidenti ſit cumulanda peccato. Sed natura rei nō capit diei deputare mētis affectum, ergo & quòd ſibi ipſa ſolicita eſt, & quòd ei malicia ſua ſufficit, & quòd inhibemur ſoliciti eſſe de craſtino, totum ſub dicti cœleſtis ſignificantia continetur. Iubemur igitur non ambigere de futuris, ſatis enim uitæ noſtræ malitia, & dierum quibus uiuimus peccata ſufficiunt, ut circa hæc purganda & promerenda omnis uitæ noſtrę meditatio laborq; uerſetur, ne etiam de futurorum diffidentia inexpiabilis irreligioſitas contrahatur. Cum ceſſante cura noſtra, ipſa in officio ſuo, quæ ſunt futura, ſolicita ſint, & nobis æternæ claritatis profectus dei procurāte bonitate iam nō ſolicitis præparetur.

Nolite iudicare, ne iudicemini. Quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de uobis.) Omne iudicij officium penitus ſubmouet, nec ullum omnino ſuſcipi patitur, ſed compugnare propoſitis ſubſequentia exiſtimantur, cum dicit: Quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de uobis. Sed ſuperius ait: Nolite iudicare, ne iudicemini. Nunquid boni iudicij arbitrium ſuſcipi non oportebit? Atqui profitetur pro conditione iudicij iudicandos, & uniuerſis genere quo menſi ſunt metiendum, ergo nunq; bene iudicabitur, ſi omnino non erit iudicandum. Sed iamdudum, ut ſuperius cognoſcitur, nihil in uerbis dei leue aut inane tractatur, omnisq; hic ultra ſenſum gentilium aurium ſermo eſt. Iudicari enim de ſpōſionibus ſuis uetuit, quia ut iudicia ex incertis rebus inter homines ſumūtur, ita & hoc iudicium aduerſum deum ex ſentiendi atq; opinandi ambiguitate ſuſcipitur, quod penitus repellit à nobis, ut conſtans potius fides retineatur, quia nō ſicut in rebus cæteris peccatum ſit perperam iudicaſſe, ſed in his rebus tantūmodo de deo iudicium initum eſſe ſit criminis. Quid aūt uides feſtucā in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo nō uides? & reliqua.) In cōſequentibus docuit ſolā in ſpiritum blaſphemiā extra ueniam futurā, cæteris omnibus deo indulgētiam largiēte. Peccatū autem in ſpiritū eſt, deo uirtutis poteſtatē negare, & Chriſto ſubſtantiam adimere æternitatis, per quem quia in hominem deus uenit, homo rurſum fiet in deū. Ergo quantū inter feſtucā & trabem diſcriminis eſt, tantū oſtendit peccatū in ſpiritū conditionem cæterorum criminum excedere, ut cum infideles delicta corporis alijs exprobrent, onus peccati

quo

quo de promiſſis dei ambigãt,in ſe ante non uideant?In oculo utroq; tanquam in mentis acie inſidente.Fit enim ſæpe,ut aſſumamus nobis arguendi aliquos autoritatẽ ſine ullo propriæ emendationis exemplo, & medendæ cæcitatis alienæ iactantiam præferamus, ipſi in tenebris corrupti luminis conſtituti,cum difficile quenquã ſit præſtare quod exigat, & optimum ſit exemplo potius docere quàm dictis.Cura ergo proprie adhibenda eſt cæcitati, quia ex natura rerum eſt,non prius aliquem purgandæ de oculo fratris feſtucæ idoneum effici poſſe doctorem,quàm de mentis ſuæ lumine trabem perfidiæ grauantis eiecerit.

De margaritis ante porcos.De pſeudoprophetis.De domo ædificata ſuper petram. Canon VI

NOlite dare ſanctum canibus,neq; miſeritis margaritas ueſtras ante porcos &c.) Præceptis & promiſſis dei nihil precioſius ſanctiuſq; eſt,quæ ſanctificatis nobis immortalitatis theſaurum largiuntur. Horum igitur ſacramenta atq; uirtutes neq; in gentes efferre,neq; cum hæreticis conferre permittimur.Canes enim ob latrandi aduerſus deum rabie, gentes ſunt nuncupatæ. Porcorum uero hæreticis eſt nomen,quia quamuis ungulæ bifidæ ſint, acceptã tamen dei cognitionem non ruminando diſponunt. Ergo & incorporationẽ uerbi dei, & paſſionis myſterium, & uirtutem reſurrectionis non promiſcue tractare nos cõuenit, neq; imperite incurioſeq; proferre,ne ignorantiam noſtram, ſi perfectæ ſcientiæ deſit inſtructio,proterant atq; cõculcent, & infirmitatem in deo paſſionis irrideant, conuerſiſq; in nos contradictionũ aculeis, imperitiam noſtrã fidemq; diſrumpant.Sed in his quæ ignorabimus, uia nobis conſequendę ueritatis aperitur,quam obtinere in ſola precum mora eſt. Vt igitur ſentiamus credamusq; omnia, & nullo ambiguæ uoluntatis differamur incerto, orandum eſt,quęrendum eſt,pulſandum eſt,oratione miſericordiã,inquiſitione profectum,tentamento aditum reperturis.Quin etiam ad ſpem obtinendi exemplo humani affectus docemur. Nam cum nos filijs piſcem panem ue poſcentibus,non ſerpentem ſimus aut lapidem reddituri,quanto magis nobis optimus ac præſtãtiſſimus pater deus orantibus perfectæ fidei munera largietur, neq; ſit pro uitæ cibo lapidem duritiæ gentilis,aut pro baptiſmi cõſeruatione ſerpentem ueneni hæretici præſtiturus.Cõſummauit deinde omnia bonitatis exemplo,uniuerſos amoris mutui pace coniungens,in eo legis & prophetarum mandata conſtituens, ut uniuerſorum in nos bonitatem optantes,ipſi omnibus boni ſimus.

Intrate per anguſtam portam.) Quàm lata & ſpacioſa uia quæ ducit ad perditionem.Arduum in cœlum iter homini eſt, & aditus anguſtus ac tenuis. Cæterum perditionis uia lata eſt, hanc plures obtinent,illam porrò pauci inueniunt. Paucis enim damna rerum præſentium chara ſunt,

quibus

quibus cupiditates & animi uincere & corporis frangere, & expoſita totis ſeculi uiribus illecebrarum omnium lenocinia prę̃terire maximum cœleſtis ſpei lucrum eſt. Illis autem quibus ſolum bonū eſt ſcortari, comeſſare, ambire, inſoleſcere, faſtidire, odiſſe, diripere, plurimus eſt frequentantium iter tale comitatus. Et quia paucorum eſſet uiam anguſtam inuenire, fraudulentiam eorum qui eam ſe quærere mentiuntur exponit dicens: Attendite à pſeudoprophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium, & reliqua.) Blandimenta uerborum & manſuetudinis ſimulationem admonet fructu operationis expendi oportere, ut non qualem quis uerbis referat, ſed qualem ſe rebus efficiat ſpectemus. Quia in multis ueſtitu ouium rabies lupina contegitur. Ergo, ut ſpinæ uuas, ut tribuli ficus non generant, ut iniquæ arbores utilia poma non afferunt, ita ne in iſtis quidem cōſiſtere docet boni operis effectum, & idcirco omnes cognoſcendos eſſe de fructibus. Regnum enim cœlorum ſola uerborum officia non obtinent. Neq; qui dixerit: domine domine, hæres illius erit. Quid enim meriti eſt domino dicere, domine? Nunquid dominus non erit, niſi fuerit dictus à nobis? Et quæ officij ſanctitas eſt nominis nuncupatio, cum cœleſtis regni iter obedientia potius uoluntatis dei nō nuncupatio repertura ſit? Multi mihi dicent in illa die: domine domine, nónne in tuo nomine prophetauimus? & reliqua.) Etiam nunc pſeudoprophetarum fraudulentiam & hypocritarum ſimulamenta condemnat, qui gloriam ſibi ex uerbi uirtute præſumunt, in doctrinæ prophetia & dæmoniorum fuga, & iſtiuſmodi operum uirtutibus. Atque hinc ſibi regnum cœlorum pollicentur, quaſi uero eorum aliquid proprium ſit, quæ loquuntur aut faciunt, & non omnia uirtus dei inuocata perficiat, cum doctrinæ ſcientiam lectio afferat, dæmonia Chriſti nomen exagitet. De noſtro igitur eſt beata illa æternitas promerenda: præſtandumq; eſt aliquid ex proprio, ut bonum uelimus, malum omne uitemus, totoq; affectu præceptis cœleſtibus obtemperemus, ac talibus officijs cogniti deo ſimus, agamusq; potius quod uult, quàm quod poteſt gloriemur, repudians eos ac repellens, quos à cognitione ſua opera iniquitatis auerterint. Omnis ergo qui audit uerba mea & facit, ſimilem æſtimabo uiro ſapienti, qui ædificat domum ſuam ſuper petram, & reliqua.) Senſus eſt ſuperioribus iunctus. Obiurgans enim pſeudoprophetarum iactantiam, & hypocritarum figmenta, per comparationis exemplum, perfectæ in ſe fidei hominem exponit. Quòd is qui uerba ſua & audit & facit, ſuper petram ſit ædificatus, & fundamento ſtabili firmoq; incidentium tempeſtatum impetu non poſſit diſſolui. In petra ſeipſum dominus ſignificat ualidum excelſi ædificij fundamentum. Eum autem qui ex ſe in ſublime opus excreuerit, moueri non poſſe uel pluuijs, uel fluminibus, uel uento. In pluuijs, blandarum & ſenſim illabentium uoluptatum illecebras ſignificat,

quibus

quibus primum fides rimis patentibus immadescit, postq; torrentium pro cursus, id est, grauiorum cupiditatum motus incurrit, atq; exinde tota uentorum uis circunflantium desæuiat, uniuersus scilicet zabolicæ potestatis spiritus inferatur. Sed fundamẽto petræ homo ædificatus insistet, nec mouerí loco suo poterit. Stultus uero hæc audita dissimulans, tanquam super harenam opus ędificationis impenderit, infideliter stat, cito pluuijs illabentibus subluendus, & fluminibus propellendus, & uentis differendus, secundum naturam super quas ædificatus est harenarum, cum graui ruinæ suæ strage soluendus. Atque ita superiorum conturbationum exemplo dominus nos uoluit & efficere quæ iussit, & credere quę spopondit. Consummatis igitur omnibus, turbæ mirabantur doctrinam eius, quia se non scribarum & pharisæorum more docuisset. In uerborum enim uirtutibus effectus potestatem metiebantur.

De leproso quem curauit dominus. De puero tribuni paralytico. De socru Petri. De plurimis & diuersis curis. Canon VII

ET descendente eo de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus quidam ueniens adorabat eum dicens: Domine, si uis potes mundare me &c.) In exordio sermonis admonuimus, ne quis fortè existimaret aliquid rerum gestarũ fidẽi detrahendum, si res ipsas profectus rerum consequentium continere in se doceremus. Nihil enim ueritati detrahit, imitationem ueritas consecuta. Toto igitur superiore sermone dominus fidei præcepta tradiderat, legem excesserat, iam inutilem atq; inefficacem excedendo significans. Mandatorum obseruantiam exegerat, ante promissorum suorum spem fidissimam impetrauerat, quid igitur post hæc primum gesserit contuendum est. Adest leprosus, emundari se rogat, purgatur uerbi potestate, contactum iubetur ferre, sed tamen ostendere se sacerdoti, & munus quod Moyses in testimonium fieri præcepit offerre. Curatio igitur obedientis & credentis turbæ, & cum domino de monte uenientis adoratio in leproso ostenditur, quæ uitiosa labe corporis contaminata, audita regni cœlorum prædicatione, curari se rogat, contactu corporis uisitatur, uerbi uirtute curatur. Et ut salus hæc non offerretur potius quàm quæreretur, silentium imperatur. Et ostendere se sacerdotibus iubetur, ut prænunciatus in lege factis & operibus cernatur, & in quo lex infirmabatur, in eo uirtus intelligeretur, præmiũ quoq; receptæ salutis qui purgatus est, deo offerat. Sed ut donũ illud non sit ex auibus, sed ut homo ipse à sordibus peccati corporis emundatus, in sacrificium dei transeat. Quia quod Moyses in lege præceperit, testimonium sit, non effectus. Post hæc autem cum introisset Caparnaum, accessit ad eum quidam tribunus rogans eum & dicens: Puer meus iacet in domo paralyticus &c.) Sequitur emundationem leprosi, paralytici pueri

curatio

curatio. Sed quid iſtud eſt, quod non dignum ſe tribunus pueri dominus profitetur eſſe,ut Chriſtus domum eius introeat,puerũ uideat, & præſens
Alꝫ*Seq; preſenti opem afferat?*Sed habere milites,iubere quod uelit,& in poteſta te poſito parere ſibi plurimos? Similiter & dominum curationem uerbo poſſe præſtare? De tribuno poſuiſſe me ſatis ſit principem eſſe gentiũ creditrarũ. Quis hic princeps ſit cui ſubiecti ſunt plures,qui uolet ſcire,Moyſi in Deuteronomio canticum,& Salomonis librum Eccleſiaſticum, ubi de diſperſione gentium quædam locuti ſunt, legat: nobis tantũ de puero tractatus ſit. Sccedit deinde in hoc puero poſt paralytici ſanitatem curationi populi de monte deſcendentis ſalus gentium. Iacebat enim puer diſſolutus in domo humili,corruptibili,& ingreſſu eius,cuius tamen egens erat,ſaluatoris indigna. Et tribunus ſcit puerum uerbo poſſe ſanari, quia ſalus gentium omnis ex fide eſt, & in præceptis domini uita eſt uniuerſorum. Igitur iacentes in ſeculo,& peccatorũ morbis diſſolutæ gentes exiſtimandæ ſunt, omnibus undiq; artubus fluidis, & ad conſiſtendi officium ingrediendiq; corruptis. Quarum ſalutis ſacramentum in tribuni puero expletur, non tamen ingreſſuro domum Chriſto,quia licet in ſeculo demoratus ſit, uitia tamen ſeculi & peccata non adijt. Miratus deinde fidem ait: Non inueni tantam fidem in Iſraël. Non erat tribunus iſte de gentibus,& quomodo in Iſraël fides talis non eſt reperta,cum qui crederet eſſet Iſraëlita? Sed ut ſimilitudinem futuri hæc ipſa ueritas æmularetur, idcirco uerbi ratio ſubiecta eſt, tantam fidem quanta gentium eſt, in Iſraël non reperiendam, & cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cœlorum ex ultimis gentibus quieturos. Perfecta quidem eſt in puero ſecundum credentis fidem ueritas ſanitatis,ſed præſentium efficientia etiam futurorum imagini proficere monſtratur,quando & tribuno credente,& puero ſaluato, nec talis in Iſraël fides reperta eſt,& regni cœlorum conſortiũ cum Abraham gentibus deſtinatur.

Cum ueniſſet Ieſus in domum Petri, uidit ſocrum eius iacentem & febricitantem,& reliqua.) In ſocru Petri uitioſa infidelitatis æſtimatur affectio,cui adiacet libertas uoluntatis, quæ nos quadam ſibi coniugij ſocietate coniungit. Ergo ingreſſu domini in Petri domum,id eſt,in corpus, curatur infidelitas peccatorum calore exæſtuans, & uitiorum ægra dominatu, mox deinde ſanata officij famulatu miniſtrat. Nã primus credidit, & apoſtolatus eſt princeps, & quod in eo ante languebat, dei uerbo inualeſcens miniſterio tanq; publicæ ſalutis operatum eſt. Recte autem hanc ex ſocru Petri ſimilitudinem ad affectionem infidelitatis aptari,loco qui de nuru & ſocru cõſequitur tractabimus,nunc autem ideo infidelitas ſocrus Petri nuncupabitur,quia uſq; dum credidit,uoluntatis ſuæ ſeruitio detinebatur.

Veſpere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habẽtes,& eijciebat ſpiritus immundos &c.) Curationem promiſcuam horis ueſpertinis

concurſu

concurſu eorum quos poſt paſſionem docuit recognoſcimus, omniũ pec/
cata dimittens,omnium infirmitates auferens,& malarum uoluptatum in/
ſidentium incentiua depellens, paſſione corporis ſui ſecundum propheta/
rum dicta infirmitates humanæ imbecillitatis abſorbens.

Videns aũt Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit diſcipulos ſuos ire trans
fretum.Et accedens ad eum quidam ſcriba,ait:Magiſter ſequar te quocun/
que ieris,& reliqua.) Multa incurrunt quæ ſenſum communem mouere
poſſunt, ad quæ non nos intelligentiam fingimus, ſed geſta ipſa nobis in/
telligentiam impertiuntur.Neq; enim res intelligentiæ, ſed rei intelligentia
ſubſecundat. Turbæ plures ſunt,& ire trans fretum dominus diſcipulis prę
cipit. Non exiſtimo cadere in ſaluatoris bonitatẽ,ut circuncurſantes relin/
quere uoluerit,& ſecretum quoddam * imperandæ ſalutis eligere. Deinde *Aß imperi/
conſequitur ſcriba dicens, magiſtrum ſe quocunq; ierit ſecuturum.Sed ni/ tiendæ
hil à ſcriba dictum factum ue legitur,quod poſſet offendere, dominus re/
ſpondit: uulpibus eſſe foueas, & cœli uolucribus nidos quieſcendi,filio au/
tem hominis,quo reclinet caput ſuum, locum eſſe nullum. Et diſcipulũ po/
ſtulaſſe dari ſibi tempus patris ſepeliendi, hoc negatum, & pij atq; huma/
ni officij uetitam religionem.Ergo rerum tantarum, & tam diuerſarum ra/
tio promenda eſt, atq; ita ut ſecundum continentem rerum ordinem gra/
uiſſimas ueritatis ipſius cauſas interioris ſignificantiæ intelligentia explicet,
diſcipulorum nomen non in duodecim tantũ apoſtolis uerſari exiſtiman/
dum eſt.Nam præter apoſtolos plures fuiſſe diſcipulos legimus. Ex omni
igitur turba quædam fieri uidetur electio, eorum ſcilet qui dominum per
multa ſeculi huius pericula & iactationes eſſent ſecuturi. Eccleſia enim in/
ſtar eſt nauis, & plurimis locis ita nuncupata eſt, quæ diuerſiſſimi generis
& gentis uectore ſuſcepto,ſubiecta eſt omnibus & uentorum fluctibus,& *Vector*
maris motibus. Atque ita illa & ſeculi & immundorum ſpirituum uexatur *paßiue*
incurſibus.Propoſitis enim periculorũ omnium motibus, Chriſti nauem,
id eſt,eccleſiam introimus,ſcientes nos mari uentoq; iactandos. Vt igitur
ordo typicæ ſignificantiæ cohæreret,poſſetq; intelligi fidelium portio con
ſcendentium nauem, & infideliũ turba reſidentium,ſcribæ & diſcipuli per/
ſona ſubiungitur:Et quidam ſcriba,qui eſt unus ex doctoribus legis, an ſit
ſecuturus interrogat,quaſi uero lege non hunc eſſe Chriſtum, quem ſequi
eſſet utile contineretur.Igitur infidelitatis affectum ſub differentia interro/
gationis expreſſit, quia fidei aſſumptio non interroganda eſt, ſed ſequen/
da. Vt autẽ eadem interrogatio infidelitatis eſſet punita iudicio,dominus
reſpondit: uulpes habere foueas,& uolucres cœli nidos quibus requieſcãt,
hominis autem filium non habere ubi caput ſuum inclinet. Vulpes eſt ani
mal inſidioſum circa domorũ ſe occulens foueas, & domeſticis auibus inſi/
dians, atq; hoc nomine pſeudoprophetas nũcupari aliquot locis legimus.

Volucres autem cœli ſæpenumero immundos ſpiritus cognominari didicimus. Dei ergo filius paucitatem ſequentiũ contuens, & doctori legis diffidenti an ſequeretur, ipſum exprobrat pſeudoprophetis eſſe foueas, & immundis ſpiritibus nidos quieſcendi, quòd extra nauem relicti, id eſt, extra eccleſiam poſiti, effecti ſint incolatus pſeudoprophetarum & habitatio dæmonum. Filiũ autẽ hominis, ſe ſcilicet, cui caput deus ſit, nõ reperire in quos collocata dei cognitione requieſcat, inuitatis omnibus ut in nauem, ita in eccleſiam paucis metu maris, id eſt, ſeculi ſecuturis. Adeſt poſt hæc diſcipulus non interrogans an ſequatur (iam enim ſequi oportere ſe credidit) ſed permitti ſibi orans ſepelire patrem. Accipimus in dominicæ orationis exordio, ita primum precandum: Pater noſter qui in cœlis es. Ergo quia credentis in diſcipulo populi perſona eſt, admonetur, ut meminerit quòd pater ſibi unus in cœlis eſt. Sequi autem dominum iubetur, quia & uolebat, ita ut mortui mortuum ſepeliant. Sed nullum arbitror officium expectari à mortuis poſſe. Quomodo ergo mortui mortuos humabunt? Primum igitur oſtendit perfectam in ſe fidem nulla ſecularis in alterũ officij religione eſſe deuinctam. Deinde inter fidelem filium patremq; infidelem ius paterni nominis non relinqui. Non igitur obſequium humandi patris negauit, ſed addendo: dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos, admonuit non admiſceri memorijs ſanctorum mortuos infideles. Mortuos autem & iam eos eſſe qui extra deũ uiuant. Et idcirco mutua mortuis officia relinquenda, ut mortui ſepeliantur à mortuis, quia per dei fidem uiuos uiuo oporteat adhibere.

De diſcipulis in naui excitantibus Ieſum. De duobus dæmoniacis in terra Geraſenorum. De paralytico curato & lectum ſuũ ferente. Canon VIII

ET aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli. Et ecce tempeſtas magna facta eſt in mari. & reliqua.) Nauem diſcipulis introgreſſis tempeſtas oritur, mare commouetur, nauigantes turbantur. Ipſe uero ſomno cõſopitus timentium metu excitatur, oratur ut opem afferat. Et increpitis his quod modicæ eſſent fidei, uento & mari tranquillitatem imperauit, cum admiratione hominum præceptis eius uentum & mare obediſſe. Igitur ſecundum hæc eccleſiæ intra quas uerbum dei nõ uigilauerit, naufragæ ſunt, nõ quòd Chriſtus in ſomnum relaxetur, ſed quòd ſomno noſtro conſoporetur in nobis. Maxime autem illud accidit, ut à deo præcipue in periculi metu & uexatione ſperemus, atq; utinam, uel ſpes ſera confidat ſeſe periculum poſſe euadere Chriſti intra nos ſeruitute uigilante. Perpetuam autem nobis obiurgationis ſuæ recordationem relinquit, dicens: Modicæ fidei, quid timidi eſtis? Metum ſcilicet motuum ſecularium, cum quibus Chriſti fides uigilet, nullum

lum esse oportere. Consequitur deinde hominum admiratio dicentium: Qualis hic homo est, quòd uenti & mare obediunt ei? Non discipulorum hic sermo, sed gentium est. Nam cum superius & discipulos tantũ nauem introisse, & à discipulis excitatũ esse dixisset, nunc admiratos esse homines significat, hominem in ipsa admiratione dicentibus: qua nominum conuersione intelligitur, omnia opera Christi omnesq; eius uirtutes ut dei esse laudandas, quia piaculi gentilis miserrimiq; erroris stultitiam demonstrat, quòd eum ex humilitate passionis hominem potius nuncupent, quàm ex uirtutibus deum. Et cum uenisset trans fretum in regione Gerasenorum, occurrerunt ei duo homines dæmonia habentes, de monumentis exeuntes, periculosi nimis. & reliqua.) Duũm hominũ occursus, dæmonum in duos homines longa possessio, & periculosa transeuntibus uia, & transfugiendi in porcos deprecatio, & purgatis hominibus gregis ipsius per præceps in mare casus, dehinc pastorum in oppidum fuga, populi de ciuitate progressus, & ne urbem dominus adiret legatio, & reditus eius in patriam, & illic paralytici lecto iacentis oblatio, & pro fidei merito in tempore ipso peccatorum remissio, & murmur scribarum, & uirtutis confessio, & paralytici etiam sub onere lectuli in domum reditus, & hominũ admiratio, hanc habent causam. In exordio generis humani in tres fuit humani generis diuisio, Noe scilicet & filiorum, ex quibus secundum prophetiam Geneſis Sem in possessionem dei lectus est. Extra urbem autem, id est, extra legis & prophetarum synagogam, duos homines in monumentis dæmones detinebant, duarum scilicet gentium origines, intra defunctorũ sedes & mortuorum reliquias obsederant, efficientes prætereuntibus uiam uitę præsentis infestam. Igitur ut esset in rebus gerendis futuri plena meditatio, ueniente domino duo homines occurrunt, ut occursus eorum cõcurrentium ad salutem uoluntas indicaretur. Sed in hominibus dæmones proclamant, cur sedem inuideat, cur ante iudicij tempus infestet. Adiacebat etiam eis duobus gentium populis plebs ex Sem genere Sadducæorum, quorum hæresis ex Iudæis negatæ resurrectionis piaculum est. Videntes igitur dæmones, non sibi iam locum in gentibus derelinqui, ut patiatur habitare se in hæreticis deprecantur, quibus occupatis totus in mare impetu rapido per præceps grex coactus est, in cupiditatem scilicet secularium, dæmonum præcipitatur instinctu, in aquis multis, id est, cum reliquiarum gentiliũ infidelitate morituri. Atq; etiam in hoc typica ratio seruata est, ut non satis esset dixisse præcipitatos in mare, nisi etiam adderet, & mortui sunt in aquis multis. Quorum principes, atq; pastores rerum talium admiratione turbati ad urbem ueniunt, & quæ gesta sunt nunciant. Vrbs illa Iudaici populi habet speciem, qui Christi operibus auditis, domino suo obuiam pergit, prohibens ne fines suos urbemq; contingeret. Neq; enim Euangelica lex

præcipit, à qua repudiatus in ciuitatem ſuam reuertitur. Deo ciuitas fidelium plebs eſt. In hanc igitur naui, id eſt, eccleſiam inuectus introĳt. Iamq; in paralytico gentium uniuerſitas offertur medenda, & curationis ipſius uerba ſunt contuenda. Non dicitur paralytico: ſanus eſto, non dicitur: ſurge & ambula, ſed dicitur: Conſtans eſto fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua. In Adam uno peccata uniuerſis gentibus remittuntur. Hic itaq; angelis miniſtrandus offertur, hic filius nuncupatur, qui primum dei opus eſt, huic remittuntur animæ peccata, & indulgentia primæ tranſgreſſionis ex uenia eſt. Non enim paralyticũ peccaſſe aliquid accepimus, cum præſertim alio in loco idem dominus dixerit, cæcitatem à natiuitate non ex peccato aut proprio aut paterno fuiſſe contractam. Veritatis deinde ordo ſuccedit in geſtis, quàmuis futuri ſpecies expleatur in dictis. Mouet ſcribas remiſſum ab homine peccatum. Hominem enim tantum in Ieſu Chriſto contuebantur, & remiſſum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim ſola iuſtificat. Deinde murmurationem eorum dominus introſpicit, dicitq; : facile eſſe filio hominis in terra peccata dimittere. Verum enim nemo poteſt dimittere peccata, niſi ſolus deus: ergo qui remittit deus eſt, quia nemo remittit niſi deus: deus in homine manens curationẽ homini præſtabat, & nulla ei agendi aut loquendi erat difficultas, cui ſubeſt totũ poſſe quod loquitur. Porrò autẽ ut ipſe in corpore poſitus, intelligi poſſet eſſe, qui & animis peccata dimitteret, & reſurrectionem corporibus præſtaret, ait: Vt ſciatis quoniam filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge & tolle lectum tum. Satis fuerat dixiſſe ſurge, ſed quia omnis erat perficiendi operis ratio explicanda, adiecit: Tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Primum remiſſionem tribuit peccati, dehinc uirtutem reſurrectionis oſtendit: tum ſublatione lectuli infirmitatem ac dolorem corporibus docuit abfuturum: poſtremo reditum in domũ propriam iter in paradiſum credentibus eſſe inhibendum, ex quo Adam parens uniuerſorum peccati labe diſſolutus exceſſerat. Videntes autẽ turbæ timuerunt. Opus iſtud admiratio potius conſequi nõ metus debuit, ſed manet etiamnum ordo myſterĳ, ut ueritati præſentium futurorum ſpecies adiecta ſit dictorum & factorum. Domini uirtutem turbæ timent. Magni enim timoris res eſt, non dimiſſis à Chriſto peccatis in mortem reſolui, quia nullus ſit in domum æternam reditus, ſi cui indulta non fuerit uenia delictorum.

Et honorificauerunt deũ, quòd tantam dedit poteſtatem hominibus.) Concluſa ſunt omnia ſuo ordine, & ceſſante iam deſperationis timore honor deo redditur, quòd tantam dederit hominibus poteſtatẽ: ſed ſoli hoc Chriſto erat debitum, ſoli de communione paternæ ſubſtantiæ hæc agere erat familiare. Non ergo hoc uenit in admiratione quòd poſſet iſta (quid enim non poſſe deus credetur?) alioquin laus de uno homine, non de pluribus

ribus extitiſſet, ſed delati deo honoris hinc cauſa eſt, quòd poteſtas homi/nibus hac uia data ſit per uerbum eius & peccatorum remiſſionis & corpo rum reſurrectionis & reuerſionis in cœlum.

De Matthæo publicano. De phariſæorum & diſcipulorum Io/annis ieiunio. De aſſutu panni rudis. De profluuio mulieris. De filia principis excitata à mortuis. De duobus cæcis. De ſur/do & muto. Canon IX.

ET cum tranſiret inde Ieſus, uidit hominem ſedentem in telo/neo Matthæum nomine, & ait illi: ſequere me. & reliqua.)

Matthæum publicanum ſedentem in teloneo ſequi ſe iu/bet, & concedens in domum conuiuium inſtruit, & cum eo pu blicanorum & peccatorum turba diſcumbit, phariſæis diſcipulos obiurgan tibus, cur magiſtro cũ publicanis cibus eſſet. Quibus reſpondit: Sanis me/dico opus non eſſe, ſed curatione ægrotos indigere, euntesq; iubet diſcere quid ſit, miſericordiam malle quàm ſacrificium. Publicanorum nomen ex uita eſt, qui relictis legis operibus, gerere ſe uſu communi & publico ma/luerunt. Ergo è domo, id eſt, ex peccatis corporis Matthęum dominus euo cauit, in cuius mentem ingreſſus recumbit. Hic enim idem Euangelij iſtius ſcriptor eſt, & de peccati ſui domo exiens, dominum ipſe ſuſcepit, interio/re eius habitatione illuminatus, intra quem Euangelicis cibis peccatoribus & publicanis conuiuium* de uitæ copia præparatur. Aemulatio deinde agi tat Iudæos, dominum publicanis & peccatoribus communicare, quibus il/le operta infidelitatis uelamine uerba legis exprompſit. Se quidem ægro/tis opem ferre, & medicinam egentibus præſtare. Eis autem qui ſe ſanos exiſtimarent neceſſariam curationem nullam eſſe. Sed ut intelligerent, ne/minem ſuorum ſanum eſſe, admonuit ut ſcirent quid eſſet: Miſericordiam uolo, non ſacrificium, legem ſcilicet ſacrificiorum obſeruatione deinctam opem ferre non poſſe, ſed ſalutem uniuerſis in miſericordię indulgentiæ re ſeruari. Non enim ueni iuſtos uocare, ſed peccatores in pœnitentiam. Om/nibus uenerat, quomodo ergo nõ ſe iuſtis ueniſſe dicit? Erant ergo quibus neceſſe non erat ut ueniret? Sed nemo iuſtus ex lege eſt. Oſtendit ergo in/anem iuſtitiæ eſſe iactantiam, quia ſacrificijs infirmis ad ſalutem, miſericor dia erat uniuerſis in lege poſitis neceſſaria. Nam ſi iuſtitia fuiſſet ex lege, ue nia per gratiam neceſſaria non fuiſſet. Tunc acceſſerunt ad eum Ioan/nis diſcipuli, dicentes: Quare nos & phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipu li autem tui non ieiunant?) Ieiunabant phariſæi & diſcipuli Ioannis, & apoſtoli non ieiunabant. Sed iſtis ſpiritualiter reſpondit, ſponſumq; ſe Io/annis diſcipulis oſtendit. Ioannes enim repoſitam in Chriſto omnem uitæ

*Als diuite

ſpem ſpopondit, & recipi à domino diſcipuli eius adhuc eo prædicante nõ poterant,uſq; in eum enim lex & prophetę ſunt,& niſi lege finita in fidem Euangelicam, eorum nemo concederet. Quòd uero præſente ſponſo ieiunandi neceſſitatem diſcipulis non eſſe reſpondit, præſentiæ ſuæ gaudium & ſacramentum ſancti cibi edocet,quo nemo ſe præſente, id eſt, in conſpectu mentis Chriſtum continens indigebit. Ablato autẽ ſe ieiunaturos eſſe dicit, quia omnes non credentes reſurrexiſſe Chriſtum,habituri nõ eſſent cibum uitæ.In fide enim reſurrectionis ſacramentum panis cœleſtis accipitur,& quiſquis ſine Chriſto eſt,in uitę cibi ieiunio relinquetur. Vt autem intelligerent,nõ poſſe ſibi in ueteribus poſitis perfecta hæc ſalutis ſacramenta committi, comparationis poſuit exemplum . Pannũ rudem ueſtimento ueteri nõ adſui, quia uetuſtatis infirmitatem uirtus adſumenti rudis diſſoluat: & uinum nouum ueteribus utribus non infundi.Feruentis enim muſti calor utres ueteres abrumpit, infirmas uidelicet uetuſtate peccatorũ & animas & corpora nouæ gratiæ ſacramenta non capere.Fiet enim ſciſſura peior,effuſoq; uino utres ueteres peribunt.Duplex enim talium erit reatus,ſi præter uetuſtatem peccatorum ſuorum uirtutem nouæ gratiæ nõ ſuſtinebunt. Atq; ideo & phariſæos & diſcipulos Ioannis noua nõ accepturos eſſe,niſi noui fierent. Hæc illo loquente ecce princeps unus acceſſit & adorabat eum,dicens:Domine filia mea modo defuncta eſt,ueni & pone manum ſuper eam.&c.) Preces principis,fides mulieris,turbę in domo conuentus, & cæcorũ duũm clamor, muti & ſurdi & dæmoniaci oblatio ex ſuperioribus dictis connexæ ſibi intelligentiæ tenent ordinem . Princeps hic lex eſſe intelligitur,quæ dominum orat,plebs,quam ipſa Chriſti prædicatio aduentus eius expectatione nutriuerat,uitam mortuæ reddat.Nam nullum principem credidiſſe legimus, ex quo perſona principis huius orantis merito in typum legis aptabitur . Cui quidem dominus opem ſpopondit, ad quam præſtandam proſecutus eſt . Sed prior cum apoſtolis peccatorũ turba ſaluatur . Et cum primum electionem, quæ ex lege deſtinabatur, uiuere oportuiſſet,anterior tamen in mulieris ſpecie ſalus publicanis & peccatoribus redditur. Hæc itaq; ad domini prætereuntis occurſum tactu ueſtis domini ſanam ſe de profluuio ſanguinis futuram eſſe confidit,ſordibus ſcilicet polluta corporis ſui,& interioris uitij immundicijs diſſoluta,fimbriam ueſtis per fidem feſtinat attingere:donum uidelicet ſpirituſſancti de Chriſti corpore modo fimbriæ exeuntis cum apoſtolis conuerſata contingere, fitq; mox ſana,ita alteri ſalus dum alij defertur eſt reddita.Cuius fidem & conſtantiam dominus laudauit, quia quod Iſraeli parabatur, plebs gentiũ occupauit. Eſt autem in ſimplici intelligentia magna uirtutis dominicæ admiratio, cum poteſtas intra corpus manens, rebus caducis efficientiam ad-

deret

deret ſanitatis,& uſq; in ueſtium fimbrias operatio diuina procederet. Nó enim diuiſibilis & comprehenſibilis erat deus,ut corpore clauderetur.Ipſe enim dona in ſpiritu diuidit,cæterum non diuiditur in donis. Virtutem autem eius fides ubiq; conſequitur,quia ubique eſt,& nuſquàm abeſt. Et aſſumptio corporis non naturam uirtutis incluſit,ſed ad redemptionẽ ſuam, fragilitatem corporis uirtus aſſumpſit, quæ tam infinita, tam libera eſt, ut etiam oſtenderit,nó ex ſalute fidem,ſed per fidem ſalutem expectandam. Cæci enim quia crediderant uiderunt, non quia uiderant crediderunt. Ex quo intelligendum eſt,fide merendum eſſe quod petitur, non ex impetratis fidem eſſe ſumendam. Ingreditur deinde dominus domum principis, ſynagogam uidelicet,cui in canticis legis hymnus luctuum perſonabat. & irridetur à plurimis.Nunquàm enim illi deum in homine crediderunt,quin potius prædicari reſurrectionem ex mortuis riſerunt.Apprehenſam igitur puellam manu,cuius apud ſe mors erat ſomnus, retraxit ad uitam. Nanq; ut rarus hic eſſe ex lege credentium electionis numerus intelligi poſſet,turba omnis expulſa eſt, quam utiq; ſaluari dominus optaſſet, ſed irridendo dicta geſtaq; reſurrectionis non fuit digna conſortio. Et exeunte fama in uniuerſam terram illam, in electionis ſalutem donum Chriſti atque opera prædicantur.Exeuntem igitur dominum mox cæci duo ſequuntur.Sed cæci & egreſſum & nomen domini quomodo ſcire potuerunt? Quinetiam & filium Dauid nuncupant, & ſaluari ſe rogant. In cæcis duobus ratio totius ſuperioris præfigurationis abſoluitur. Ex his enim filia principis eſſe monſtratur, Phariſæi ſcilicet & diſcipuli Ioannis, qui dominum iam ſuperius in commune tentauerant. His igitur neſcientibus à quo ſalutem peterent, indicauit, & his ſaluatorem ſuum in corpore ex Dauid genere monſtrauit. Et cæcis uetere peccato, quia Chriſtum niſi admoniti nó uidebant, lumen menti inſerit. Quibus dominus, ſi credidiſſent, uiſum pollicetur, credentibus præſtat,& ſilentium imperat,quia apoſtolorum erat proprium prædicare. Quinetiam poſt hæc in muto & ſurdo & dæmoniaco gentium plebs indiga totius ſalutis offertur. Omnibus enim undiq; malis circumſeſſa, totis corporis uitijs implicabatur.Et in eo rerum ordo ſeruatus eſt. Nam dæmon prius eijcitur,& tum reliqua corporis officia ſuccedunt. Deus quippe cognitione ſuperſtitionum omnium uæſania effugata, & uiſus & auditus & ſermo ſalutis inuehitur,cuius facti admirationem talis turbæ eſt conſecuta confeſſio:Nunquam ſic apparuit in Iſrael.Eum cui per legem nihil afferri opis potuerat, uerbi uirtute ſaluari, quodq; laudes dei homo mutus ſurdusq; loqueretur. Salute autem gentibus data, ciuitates omnes & caſtella omnia uirtute & ingreſſu Chriſti illuminantur, & omnem infirmitatem ueterni languoris euadunt.

Miſertus turbarum dominus duodecim diſcipulos præmittit cum poteſtate & doctrina. Canon x



Idens autem turbas miſertus eſt,quòd eſſent uexatę & iacentes.& reliqua.) Verborum uirtutes nõ minus oportet introſpicere quàm rerum,quia,ut diximus,paria in dictis atq; in factis ſignificationum momenta conſiſtunt. Turbarum dominus miſeretur uexatarum & iacentium,tanquàm gregis ſine paſtore diſperſi,& ait:Meſſem multam,paucos operarios. Orandum dominum meſſis, ut operarios plures in meſſem eiſciat. Et diſcipulis conuocatis dedit poteſtatem eiſciendorum ſpirituum immundorum, curandæq; cunctæ infirmitatis,omniſq; languoris.) Hæc igitur licet in præſens geſta ſint, quid tamen in futurum ſignificent contuendum eſt.Nullus in turbas uexator irruperat,neq; caſu aliquo motuq; perculſæ iacebant.Quomodo ergo iacentes uexatasq; miſeratur? Immundi uidelicet ſpiritus dominante uiolentia uexatam, & ſub legis onere ægrotam plebem dominus miſeratur. Quia nullus adhuc his paſtor eſſet cuſtodiam ſancti ſpiritus redditurus. Erat autem doni iſtius copioſiſſimus fructus, ſed nondum miſſus à quoquàm. Eius enim copia haurientium*diſſimilitudinem uincit.Nam quantumlibet aſſumatur à cunctis ad largiendum ſe,tamen ſemper exuberat.Et quia plures eſſe utile ſit per quos miniſtretur, rogari dominum meſſis iubet, ut in meſſem operarios plures eiſciat.Ad capeſſendum ſcilicet quod præparatur donum ſpirituſſancti * miſſorum copiam deus præſtet.Per orationem enim ac precem hoc nobis à deo munus effundetur.Atq; ut meſſem illam meſſoresque numeroſos ex his duodecim primum apoſtolis diffundendos indicaret, conuocatis illis dedit eiſciendorum ſpirituum poteſtatem, & omnis infirmitatis medendæ. Huius enim doni uirtutibus poterant & turbator expelli, & infirma curari. Et dignum eſt præceptorum ſingulorum ſignificantiam contueri. Abſtinere ſe à uiis gentium admonentur, non quòd non etiam ad ſalutem gentium mitterentur,ſed ut opere & uita gentilis ignorantiæ abſtinerent. In ciuitates Samaritanorum uetiti ſunt introire.Nunquid non potius Samaritanam ipſe curauit? Sed ut eccleſias hęreticorum non adeant admonentur. Nihil enim differt ab ignoratione peruerſitas. Mittuntur deinde ad oues perditas domus Iſrael. Atqui in eũ luporum ac uiperarum linguis & faucibus ſæuierunt. Sed legiſlatio obtinere priuilegium Euangelij debebat. Hoc minus Iſrael ſceleris ſui excuſationem adhibiturus,quòd plus ſedulitatis in admonitione ſenſiſſet. Tota deinde in apoſtolos poteſtas uirtutis dominicæ transfertur, & qui in Adam in imaginem & ſimilitudinem dei erant figurati, nunc perfectam Chriſti imaginem & ſimilitudinem ſortiantur, nihil à domini ſui uirtutibus differentes. Et qui terreſtres ante erant,cœleſtes modo fiunt. Prædicent regnũ cœlorum

Forte multitudinem

*Als*meſſorũ*

cœlorum propinquare. Imaginem ſcilicet & ſimilitudinem dei, nunc in con ſortium ueritatis aſſumi, ut ſancti omnes qui cœli nuncupati ſunt, domino conregnent, infirmos curent, mortuos ſuſcitent, leproſos emundent, dæmo nes eiiciant. Quicquid malorum Adę corpori Satanæ inſtinctus intulerat, hoc rurſum ipſi de communione dominicæ poteſtatis emundent. Et ut ex toto, ſecundum Geneſis prophetiam, dei ſimilitudinem conſequantur, da re gratis quod gratis acceperunt iubentur, ut ſit ſcilicet miniſtratio gratuita muneris gratuiti. Aurum, argentum, pecuniam poſſidere inhibentur in zo nis, & peram in uia ferre, & duas tunicas & calciamenta, & uirgam in mani bus aſſumere. Et dignus mercede ſua eſt operarius. Non inuidioſus (ut ar bitror) theſaurus in zona eſt, & quid ſibi uult auri, argenti, atq; æris in zo na inhibita poſſeſſio? Zona eſt miniſterij apparatus, & ad efficaciam ope ris precinctio. Ergo ne quid in miniſterio noſtro uenale ſit admonemur, neq; hoc apoſtolatus noſtri opus fiat, auri, argenti, æriſq; poſſeſſio. Nec peram in uia ferre, curam ſcilicet ſecularis ſubſtantiæ relinquendam. Quia omnis theſaurus ſit pernicioſus in terra, corde noſtro illic futuro ubi conda tur & theſaurus. Non duas tunicas. Sufficit enim nobis ſemel Chriſtus in dutus, néue per prauitatem intelligentiæ noſtræ altera deinceps uel hære ſeos, uel legis ueſte induamur. Non calciamenta. Nunquid humanorum pedum infirmitas patiens nuditatis? Sed in ſancta terra, & peccatorum ſpi nis atque aculeis non obſeſſa, ut Moyſi dictum eſt, nudis pedibus ſaturi admonemur, non alium ingreſſus noſtri habere quàm quem à Chriſto accepimus apparatum. Neque uirgam in manibus.) Id eſt, poteſtatis externæ iure nõ indigi, habentes uirgam de radice Ieſſe, nam quæ alia fue rit non erit Chriſti. Inſtructi omni ſuperiore ſermone ad conficiendum iter ſeculi, gratia, uiatico, ueſte, calciamento, poteſtate. In his enim ope rantes, digni mercede noſtra reperiemur, id eſt, in horum obſeruantia cœ leſtis ſpei prędmia recepturi. In quamcunque ciuitatem intraueritis, inter rogate quis in ea dignus eſt, & reliqua.) Leuia fortè dominus dediſſe Apoſtolis præcepta exiſtimabitur, quòd ſe uſque ad monita intreundi, ha bitandi, morandi, exeundiq; ſummiſerit. Hæc quidem intellecta ſimplici ter ſanctorum modeſtiæ congruunt, ut cum dignis ſit hoſpitalitas, néue per incuriam aut ignorantiam cohabitatione probroſæ familiæ polluan tur: ſed introeuntes ciuitatem de digno iubet interrogari, & cum eo habita re uſque ad profectionem. Domum quoque ab introeuntibus pacifice ſa lutari, quæ ſi digna eſt, & pacis communione ſit digna: ſi indigna, pax in uicem reuertatur. Qui autem non receperint eos, ſermonesq; eorum, his excuſſo pedum puluere, æternæ maledictionis ſemina relinquenda. Hæc non mediocriter ſenſus intelligentiæ commouent. Si enim ſucceſſuri ho ſpitio nõ erunt, niſi ante quis dignus ſit interrogauerint, quomodo indigna

domus

domus poſtea reperietur? Et quomodo ſermones eorum non audiet, & ipſos non audiens,& ipſos non recipiens? Aut enim hoc in eo qui iuſtus eſt non eſt uerendum,aut ſi indignus repertus ſit, nec communio erit habitationis ineunda? Et quid interrogaſſe proderit & quæſiſſe de digno,ſi aduerſus indignũ hoſpitem & obſeruantia præcipiatur & pœna? Sed inſtruit eos dominus,non admiſceri eorum domibus ac familiaritatibus,qui Chriſtum aut inſectantur, aut neſciunt. Et in quacunque ciuitate interrogare quis eorum habitatione ſit dignus,id eſt, ſicubi eccleſia ſit,& Chriſtus habitator,neque quoquam alibi tranſire, quia ſit domus digna,& iuſtus hoſpes. Quòd autem ab introeuntibus ſalutari domũ uoce præcepit, dicens: Dicite,pax huic domui.Et ſi digna domus reperta ſit,uenire ſuper eam pacem oportere,ſi uero indigna,ad ipſos pacem reuerti. Sed ſi iam primo ingreſſu in ſalutatiõis officio dicta pax eſt,quomodo poſtea ueniet,aut quomodo poſtea reuertetur? Aut enim dici pax antea nõ habuit, quàm utrum digna eſſet probaretur,aut ſi digna fuit & ſalutata cum pace eſt,conditio & uenturæ & reuerſuræ pacis non poteſt ex ratione ſuperioribus cohærere. Quæ ergo dictorum ſit proprietas monſtrandum eſt. Iudæorum plures erant futuri,quorum tantus in fauorem legis affectus eſſet,ut quamuis per admirationem operũ in Chriſto credidiſſent,tamen in legis operibus morarentur. Alij uero explorandæ libertatis quæ in Chriſto eſt curioſi,tranſiſſe ſe ad Euangelia ex lege eſſent ſimulaturi. Multi autem etiam in hæreſim per intelligentiæ peruerſitatem traducerentur, & quia huiuſmodi omnes fallentes, & audientibus blandientes, penes ſe eſſe ueritatẽ catholicam mentiuntur,ideo ſuperius admonuit,dignum cum quo habitandum ſit eſſe quærendum. Quia uero per uerborum fallaciam incidere ignorantes in iſtiuſmodi hoſpitem poſſent,domo ipſa quæ digna ſit dicta,id eſt,eccleſia quæ catholica dicetur, caute & diligenter utendum. Salutandam quidem cum pacis affectu,ſed ita ut potius pax dicta quàm data ſit. Nam ita præcepit:Salutate eam,dicentes:Pax huic domui.Ergo pax ſalutationis in uerbis eſt,& orationis ſermone tribuenda.Porrò autem pacem propriam,quę uiſcera miſerationis ſunt, non oportere in eam uenire niſi digna ſit, quæ ſi digna reperta non fuerit, ſacramentum pacis cœleſtis intra propriam eorũ conſcientiam continendum.In eos autem qui audita cœleſtis regni prædicatione Apoſtolorum præcepta reſpuerint,egreſſu eorum, & ſigno pulueris pedibus excuſſis, æterna maledictio relinquatur: neſcio quæ enim inſiſtenti in loco cum eo in quo inſtiterit loco uidetur cõmunio, & fit inter eos quędam corporis ſolićp cõiunctio.Ergo omne domus illius habitationiſćp peccatum intra ipſam excuſſo puluere pedum relinquitur,nihilćp ſanctitatis de inſiſtentium apoſtolorũ ueſtigijs mutuatur,ut quorum aditu ingreſſućp delicta terrenę originis auferuntur,eorum teſtimonio infidelitas cum

omni

omni terræ ſuæ puluere iudicetur. Tolerabilius in die iudicij terræ Sodo/morum & Gomorrhorũ erit quàm ciuitati iſti.) Quia illis ignorato Chri ſto erraſſe ſit leuius, his uero inexpiabile ſit, aut prædicatum non recepiſſe, aut receptum non ſancte neq; catholice prædicaſſe. Et quidem plures hos qui ueſano furore in Apoſtolos deſæuituri eſſent, futuros eſſe ſignificat, cũ ſe eos ſicut oues in medio luporum ait mittere, prędicens ſimplices ſicut co lumbas, & prudentes ſicut ſerpentes eſſe oportere. Sed columbæ ſimplici/tas in abſoluto eſt. Quæ autem ſit ſerpentis prudentia contuendum eſt. Ne ſcio quid in illo prudentiæ cõſilij́q; extet, licet quædam hinc aliqui memo/riæ mandauerint, quod ubi ſe in manus hominum ueniſſe intelligat, omni genere ab ictu caput ſubtrahat, idq; aut collecto in orbẽ corpore cõtegat, aut foueæ immergat, cædiq; partem reliquam derelinquat. Nosq; hoc ex/emplo oportere, ſi quid acciderit perſecutionum, caput noſtrum, quod eſt Chriſtus, occulere, ut ablatis nobis in omnes cruciatus, fidẽ ab eo acceptam iactura corporis communiamus. Sed omnis hic domini de Iudæis atq; hæ reticis ſermo eſt. Tradet frater fratrem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes.) Id eſt, familiam inter ſe eiuſdem domus diſſidere, quia de pa/rentum cognationumq; nominibus populi quondam unitas indicatur. Nũc hoſtili inuicem odio, diuerſisq; iudicibus, etiam regibus terræ offeren dos, dum extorquere aut ſilentium noſtrum, aut conniuentiam tentant, te/ſtes & ipſis & gentibus futuri. Quo teſtimonio excuſatio ignoratę diuinita tis adimenda ſit perſequentibus, gentibus uero uia pandenda credendi Chriſtum pertinacibus inter ſæuientium pœnas confeſſorum uocibus prę dicatum. Inſtructos igitur uos ſerpentis prudentia monet eſſe oportere. Hunc antequàm Adam traduceret, iam ſapientem Geneſis nuncupauit, & prudentiam eius malignantis conſilij ordine docuit. Primum enim animũ ſexus mollioris aggreſſus eſt, ſpe deinde illexit, & cõmunionem immorta/litatis ſpopondit, & per hæc tanta præmia opus conſilij & uoluntatis ſuæ geſſit. Pari igitur opportunitate introſpecta uniuſcuiuſq; & natura & uolũ/tate uerborum adhibenda prudentia eſt. Spes bonorũ futurorum reuelan da, & cœleſtia perfectę fidei præmia proferenda. Et quod ille mentitus eſt nos prædicemus ex uero, ſecundũ ſponſionem dei, angelis ſimiles futuros eſſe qui credent, ut mentes plebium faciles & abſolutas, circunſæuientibus licet lupis & hęreticis promiſſis regnorum cœleſtiũ occupemus, & rerum fi dem ſerpentis prudentia columbę ſimplicitate tradamus. Monet etiam tra ditis abeſſe oportere curam reſponſionis, ſed expectandũ potius quid ſpi/ritus dei ſuggerat. Quia fides noſtra omnibus præceptis diuinę uoluntatis intenta, ad reſponſionem ſcientiæ inſtruetur, in exemplo habentes Abra/ham, cui poſtulato ad hoſtiam Iſaac non defuit aries ad uictimam. Ex una deinde in duas urbes fugam ſuadet, quia prædicatio eius primum à Iudæa

Solœciſmus q doctis quoq; nonnunquam obrepit

effugata

effugata transijt ad Græciam, dehinc diuersis intra Græciæ urbes Apostolorum passionibus fatigata,tertio in uniuersis gentibus demoratur. Sed ut ostenderet gentes quidem apostolorum prædicationi credituras, uerum ut reliquum Israel crederet,esse aduentui suo debitum ait:Non consummabitis ciuitates Israel donec ueniat filius hominis.) Post plenitudinem scilicet gentium quod erit reliquum Israel ad implendum numerum sanctorum futuro claritatis suæ aduentu in ecclesiam conuocandum. Non est discipulus super magistrum,neq; seruus super dominum.) Multum proficit ad tolerantiæ assumptionem rerum imminentium cognitio, maxime si patientiæ uoluntas præsumatur exemplo.Dominus noster lumen æternum & dux credentium,& immortalitatis parens discipulis suis futurarum passionum solatia ante præmisit,ne se quis discipulus magistro potiorem, aut super dominum esse seruus existimaret. Si enim patrifamiliâs cognomentum per inuidiam dæmonis addiderunt,quanto magis in domesticos eius omnia iniuriarum & contumeliarum genera perficient? Sed ea nihil nos terreant,glorię loco potius amplectentes si domino nostro uel passionum conditionibus adæquemur. Nihil est occultum quod non reuelabitur.) Diem scilicet iudicij ostendit, quæ abstrusam uoluntatis nostræ conscientiam prodet,& ea quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia,non potestates infectantium monet esse metuendas,quia dies iudicij nulla hæc fuisse atque inania reuelabit. Et quod dico uobis in tenebris,dicite in lumine:& quod in aure auditis,prædicate super tecta.) Non legimus dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, & doctrinam in tenebris tradidisse, sed quia omnis sermo eius carnalibus tenebræ sunt, & uerbũ eius infidelibus nox est, itaq; id quod à se dictum est,cum libertate fidei & confessionis uult esse loquendum. Idcirco quæ in tenebris dicta sunt, prædicari iussit in lumine,& quæ secreto aurium cõmissa sunt,super tecta,id est,excelsum loquenda, ut præconio audiantur. Constanter enim dei ingerenda cognitio est, & profundum doctrinæ Euangelicæ secretum lumine prędicationis apostolicæ reuelandum,non timentes eos quibus cum sit licentia in corpora,tamen in animam ius nullum est, sed timentes potius deum cui perdendæ in gehenna animæ & corporis sit potestas. Nónne duo passeres asse ueneũt,& unus ex illis non cadit in terram sine uoluntate patris uestri?) Non est (ut puto) criminis agere aucupium, neque uenditio passerum habet culpam, & quod ait, unus ex illis non cadit super terram sine uoluntate patris uestri, contra apostolicum dictum facere uidetur quod ait: Nõ est pecudum deo cura.Et autoritati eius multum derogabitur,si sensisse aliter quàm in Euangelijs traditum est reperietur.Nec sanè apostolis multum dignitatis tribuetur,si passeribus antestabunt.Locus hic ex sensu superiore proficiscitur.Iniquitates

quitates enim eorum exaggerantur qui tradituri ſunt,qui inſecuturi,qui in fugam coacturi, quibus propter nomen domini eſſe odio nos oportet,qui omne ius ſuum in ſolis corporibus exerceant, poteſtatem in animam non habentes.Hi igitur paſſeres duo aſſe ueneunt.Et quidem quæ ſub peccato uendita ſunt redimit ex lege Chriſtus. Ergo quod uenditur, corpus atque anima eſt:& cui uenditur, peccatum eſt, quia Chriſtus & de peccato redemit,& animæ ac corporis eſt redemptor. Quid igitur duo paſſeres aſſe ueneunt,ſeipſos peccato minimo uendunt natos ad uolandum, & ad cœlum pennis ſpiritualibus efferendos.Sed capti præcijs præſentium uoluptatum & ad luxum ſeculi uenales totos ſe talibus auctionibus nundinantur. Sed quærendum eſt, quomodo unum ex illis eſt quod ſine uoluntate dei non cadet.Dei uoluntas eſt,ut unum ex illis magis euolet,ſed lex ex conſtitutione dei profecta decernit unum ex eis potius decidere. Quemadmodũ autem ſi euolarent unum eſſent,id eſt,corpus in naturam animæ tranſiſſet,& grauitas illa terrenæ materiæ in profectum & ſubſtantiam animæ abolere tur,fieretq; corpus potius ſpirituale,ita peccatorum pretio uenditis,in naturam corporum animæ ſubtilitas ingraueſcit,& terrenam contrahit ex uitiorum ſorde materiam,fitq; unum ex illis quod trudatur in terram.Plurimis autẽ eos anteſtare paſſeribus cum dicit, oſtendit multitudini infideliũ, electionum fidelium præeſſe, quia his caſus in terram ſit,illis uolatus in cœlũ. In numerum autem aliquid colligi diligentiæ ac ſolicitudinis cura eſt. Neq; enim dignum negocium eſt peritura numerare. Vt igitur nihil ex nobis periturum eſſe cognoſceremus,quia multo paſſeribus meliores ſumus,ipſo capillorum noſtrorum ſupputatorum numero indicatur,ſaluis nobis ex ſolido futuris, cum quod innumerabile in nobis ſit, conſeruandi & affectu & poteſtate numeretur. Nullus igitur corporum noſtrorum caſus eſt pertimeſcendus,neq; ullus interimendæ carnis admittendus eſt dolor, quando pro naturæ ſuæ atq; originis conditione reſoluta in ſubſtantiam ſpiritualis animæ refundatur.Et quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam confitendi dei habere conſtantiam,etiam conditionem qua teneremur adiecit: negaturum ſe eum patri in cœlis, qui ſe hominibus in terra negaſſet: eum porrò qui confeſſus coram hominibus ſe fuiſſet,à ſe in cœlis confitendum. Qualesq; nos nominis ſui teſtes hominibus fuiſſemus, tali nos apud deum patrem teſtimonio eius uſuros. Nolite arbitrari quoniam ueni pacem mitterere in terram.Non ueni pacem mittere,ſed gladium. Veni enim ſeparare filium aduerſum patrem, & filiam aduerſus matrem, & nurum aduerſus ſocrum ſuam,& inimici hominis domeſtici eius.) Quæ iſta diuiſio eſt? Inter prima enim legis præcepta accepimus: Honora patrem tuũ & matrem tuam.Et ipſe dominus ait: Pacẽ meam do uobis, pacem meam relinquo uobis.Quid ſibi uult miſſus potius gladius in terram,& ſeparatus

à patre filiús,& filia à matre, & nurus aduerſus ſocrum, & hominis domeſtici eius inimici? Igitur exinde publica autoritas impietati proferetur,ubique odia,ubiq; bella & gladius domini,inter patrem & filiū, & inter filiam matremq; deſæuiēs? Et in Luca quidem talis de hoc ſermo eſt: Erunt enim ex hoc quinq; in una domo diuiſi, tres in duos, & duo ſuper tres diuidentur. Nunquid non in maiorem numerum poteſt agnitionis domeſtica familia diffundi? Aut preſcripto temporis cōtinebatur,ut ex hoc eſſent quinque tantum in domo una,ijdemq; diuiſi? Ergo qui ſit gladius in terra,quæ proprietas nominum, & in numero quinq; quæ ratio, & quomodo tres in duos,& duo ſuper tres diuidendi,& quatenus homini domeſtici eius inimici,contuendum eſt. Singularū quidem rerum & uniuerſæ quæſtionis primum natura eſt explicanda. Nec minus intelligentiam noſtram ſenſus & ſuperior & conſequens adiuuabit. Gladius telorum omnium telum acutiſſimum eſt,in quo ſit ius poteſtatis,& iudicij ſeueritas, & animaduerſio peccatorum, & huius quidem teli nomine noui Euangelij prædicationem appellatam frequens in prophetis autoritas eſt. Dei igitur uerbum nuncupatum meminerimus in gladio,qui gladius miſſus in terram eſt,id eſt,prædicationem eius hominum cordibus infuſam. Hoc igitur quinq; habitantes in domo diuidit tres in duos & duos ſuper tres. Sed tria tantum in homine reperimus,id eſt,corpus & animam & uoluntatem. Nam ut corpori anima data eſt,ita & poteſtas utriq; utendi ſe ut uellet indulta eſt. Atq; ob id lex eſt præpoſita uoluntati. Sed hoc in illis deprehenditur qui primi à deo figurati ſunt, in quibus cœptæ originis ortus effectus eſt. Non traductus aliunde,ſed ex peccato atq; infidelitate primi parentis ſequentibus generationibus cœpit eſſe corporis noſtri pater peccatum, mater animæ infidelitas. Ab his enim mortem per tranſgreſſionem primi parentis accepimus. Nam uoluntas unicuiq; ſua adiacet. Ergo iam unius domus quinque ſunt,pater corporis peccatum,mater animæ infidelitas, & incidens uoluntatis arbitrium,quod totum hominem quodam coniugij ſibi iure adſtringit. Huic infidelitas ſocrus eſt, nos ex ea natos, atq; à fide metuq; dei peregrinantes accipiens,ut inter infidelitatē uoluptatemq; poſſeſſos & ignoratione dei & in omnium uiciorum oblectatione detineat. Cum ergo innouamur baptiſmi lauacro per uirtutem ab originis noſtræ peccatis atq; autoribus ſeparamur,reciſiq; quadam exectione gladij dei, à patris & matris affectionibus diſſidemus, & ueterem cum peccatis atq; infidelitate ſua hominem exuentes,& per ſpiritum anima & corpore innouati, neceſſe eſſet ingeniti & uetuſti operis cōſuetudinem oderimus. Et quia corpus ipſum per fidem mortificatum in naturam animæ quę ex afflatu dei uenit,quamuis id ipſum adhuc in materia ſua extet,euadat,quia cōmunio ipſis inuicem concilietur ex uerbo. Idcirco iam unum atq; idem cum anima uelle cœpit,effici ſci-

ci ſcilicet ut illa eſt ſpiritualis, quibus libertas uoluntatis à ſocru ſua, id eſt, ab infidelitate diuiſa ius ſuum omne concedit,ut quod erat libertas uoluntatis,deinceps animæ ſit poteſtas,fitq; grauis in domo una diſſenſio,& domeſtica nouo homini erunt inimica, quia ille per uerbū dei diuiſus ab illis manere & interior & exterior, id eſt,& corpus & anima in ſpiritus nouitate gaudebit. Ea uero quæ ingenita & à quadam proſapiæ antiquitate deducta,conſiſtere in his quibus oblectata ſunt concupiſcent,& origo carnis & origo animæ, & libertas poteſtatis in duos diuidentur, animam ſcilicet & corpus hominis noui,quæ unū atq; idem uelle cœperunt, diuiſiq; tres duobus ſubiacebunt in dominatum eorum de ſpiritus nouitate potioribus. Et idcirco illi qui domeſticas nominū charitates dilectioni eius prætulerunt, futurorum bonorum indigni erunt hæreditate. Pergit deinde eorum præceptorum & intelligentiæ decurſu.Nam poſtea quàm relinquenda omnia quæ in ſeculo chariſſima ſunt imperauerat, adiecit: Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me,non eſt me dignus.) Quia qui Chriſti ſunt crucifixerunt corpus cum uitijs & concupiſcentia. Et indignus eſt Chriſto,qui non crucem ſuam in qua compatimur, commorimur,conſepelimur,conſurgimus, accipiens dominum ſit ſecutus,in hoc ſacramento fidei ſpiritus nouitate uicturus. Qui inuenerit animam perdet illam,& qui perdiderit animam ſuam propter me inueniet eam.) Verbi ſcilicet poteſtate & ueterum diuiſione uitiorum proficiet lucrum animæ in mortem, & damnum in ſalutem. Ergo ſuſcipienda mors eſt in nouitate uitæ,& cruci domini configenda ſunt uitia,& aduerſus perſequentes contemptu præſentium glorioſæ cōfeſſionis retinenda libertas eſt,& damnoſum animę lucrum refugiendum, ſcientibus cuiquam ius in animam non relinqui, & detrimento breuis uitæ fœnus immortalitatis acquiri. Qui recipit uos me recipit, & qui me recipit,recipit eum qui me miſit.& reliqua.) Vniuerſis doctrinæ affectum & pręceptorum ſedulitatem impendit,& qui periculum non recipientiū Apoſtolos excuſſi pulueris teſtimonio denunciaſſet recipientium meritum ultra gratiam ſperati officij commendat, docetq; in ſe etiam mediatoris officium,qui cum ſit receptus à nobis, atq; ille profectus ex deo ſit,deus per illum transfuſus in nos ſit. Atq; ita qui Apoſtolos recipit, Chriſtum recipit, qui uero Chriſtum receperit,patrem deum recipit,quia non aliud in Apoſtolis recipit quàm quod in Chriſto eſt.Neque in Chriſto aliud eſt quàm quod in deo eſt. Perq; hunc ordinem gratiarum, non aliud eſt Apoſtolos recepiſſe quàm deum,quia & in illis Chriſtus,& in Chriſto deus habitat.

Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.) Qui prophetam recipit,habitantem recipit in propheta,fitq; prophetæ mercede dignus,prophetam prophetæ nomine recipiens. Par quoque recepiſſe iuſtum merces deputatur, fitq; iuſtus ex honore iuſtitiæ, ac

ſic conſummatur iuſtitia ex fide,& mercedem acquirit officium,plures conſequendę æternitatis occaſiones deo largiente,quando in recipiendo iuſto & propheta ipſe reuerentiæ affectus & iuſti honorẽ accipiat & prophetæ.

Et quicunq; potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ. & reliqua.) Non inane eſſe bonæ conſcientiæ opus docuit,neq; ſpem fidei alienæ infidelitatis crimine laborare. Prouidẽs enim plures futuros tantum apoſtolatus nomine glorioſos,omni uero uitæ ſuæ opere improbabiles,eoſdemq; diu fallere diuq; mentiri, tamẽ obſequium quod ipſis ſub religionis opinione delatum ſit,mercede operis ſui ſpeiq; non fraudat.Nam licet ipſi minimi eſſent, id eſt, peccatorũ omnium ultimi (minimum autem eſt quo minus nihil aliud eſt)non inania tamen in eos etiam leuia,quę ſub frigidæ aquæ nomine deſignat,officia eſſe decernit.Non enim peccatis hominis,ſed diſcipuli nomini honor præſtitus eſt.Atq; ita ad probitatem obſequentis,fallentis de ſe probra non lædunt,cum mercedem ſuam dantis fide,non aſſumentis mendacio conſequatur.

Ioannes de carcere ad Ieſum mittit, & Ieſus de Ioanne ad turbas loquitur.Item confeſſio Ieſu ad patrem. Canon XI

IOannes cũ audiſſet in carcere opera Chriſti, mittens ad eum diſcipulos ſuos,ait illi: Tu es qui uenturus es,an alium expectamus?) Ioannes detentus carcere dominũ ignorat? & prophęta tantus deum ſuum neſcit? At qui uenturum ut præitor nunciauit,conſiſtentem ut propheta agnouit, adeuntem ut cõfeſſor ueneratus eſt,unde tam uariæ & tam abundanti eius ſcientiæ error obrepſit? Sed cõſequens de eo domini teſtimonium ſentiri hoc ita non ſinit.Neq; ſanè credi poteſt,ſpirituſſancti gloriam in carcere poſito defuiſſe,cum apoſtolis uirtutis ſuæ lumen eſſet in carcere poſitis miniſtraturus. Sed præbetur in his quæ in Ioanne geſta ſunt intelligentia amplior, & cum facti efficentia gratia in eo expreſſa ſentitur,ut propheta ipſe ipſo quoq; conditionis ſuæ genere prophetaret, quia in eo forma legis elata eſt. Chriſtum etiam lex annunciauit,& remiſſionem peccatorum prædicauit,& regnum cœlorum ſpopondit,& Ioannes totum hoc opus legis expleuit. Igitur ceſſante iam lege quæ peccatis plebis incluſa,& populi uincta uitijs,ne Chriſtus poſſet intelligi,uinculis & carcere continebatur.Ergo ad Euangelia contuenda lex mittit,ut infidelitas fidem dictorum contempletur in factis:& quod intra eum peccatorũ fraude fit uinctum, per intelligentiam libertatis Euangelicæ abſoluatur. Tali igitur Ioannes exemplo non ſuæ ſed diſcipulorum ignorantiæ conſulit. Ipſe enim uenturum in remiſſionem peccatorum prædicauit, ſed ut ſcirent nõ alium à ſe prædicatum, ad opera eius intuenda diſcipulos ſuos miſit, ut autoritatem dictis ſuis illius opera conferrent,neq; Chriſtus

alius

alius expectaretur quàm cui teſtimonium opera præſtitiſſent. Et cum totum ſe dominus rerũ miraculis prodidiſſet, cæcorum ſcilicet uiſu, claudorũ curſu, leproſorum curatione, ſurdorum auditu, uoce mutorum, uita mortuorum, pauperum prædicatione, ait: Beatus qui in me non fuerit ſcandalizatus.) Nunquid aliquid iam in Chriſto erat geſtum quod Ioannem ſcandalizaret? Non utiq;. Nam in ipſo doctrinæ ſuæ curſu & operis morabatur, ſed ſuperioris ſententiæ uis & proprietas cõtuenda eſt, quid illud ſit quod pauperes bene nunciantur, id eſt, qui perdiderint animam, qui crucem ſuam acceperint & ſequentur, qui humiles ſpiritu fient, quorum regnũ præparatur in cœlo. Ergo quia in domino hæc paſſionum uniuerſitas conueniret, futuraq; eſſet crux ſua plurimis ſcandalũ, beatos eos profeſſus eſt, quorum fidei nihil tentamenti deferret crux, mors, ſepultura. Itaque cui rei Ioannes cauiſſet oſtendit dicens: Beatos eos quibus aliquid in ſe ſcandali nõ fuiſſet. Quia metu eius, diſcipulos ſuos Ioannes ut Chriſtum audirent uiderentq; miſiſſet. Ac ne iſtud referri ad Ioannẽ poſſet tanquàm aliquid ſcandalizatus eſſet in Chriſto, abeuntibus illis ad turbas de eo locutus eſt.

Quid exiſtis in deſerto uidere, arundinem uento moueri?) Deſertum ſancto ſpiritu uacuum ſentiendũ eſt, in quo habitatio dei nulla ſit. In arundine enim homo talis oſtenditur, de gloria ſeculi uitæ ſuæ inanitate ſpecioſus, ipſe autem fructu ueritatis cauus, exterior placens & nullus interior, ad omnem uentorum motum, id eſt, immundorum ſpirituum flatum mouendus. Neque ad conſiſtendi firmitatem ualens, & animi medullis inanis. Ergo cum dicit: Quid exiſtis in deſerto uidere? Arundinem uento moueri? hoc loquitur: Nunquid exiſtis uidere hominem cognitione dei uacuum, & ad immundorum ſpirituum flatum uagantem? Nam increpantis affectu potius quàm confirmantis hæc loquitur, oſtendens ſcilicet non eum in Ioanne conſpici, qui & inanis & mobilis ſit. Sed quid exiſtis uidere? Hominem mollibus ueſtitũ? Ecce qui mollibus ueſtiuntur, in domibus regum ſunt.) Veſtem ambitum corporis quo induitur anima ſignificat, quòd luxu ac laſciuijs molleſcat. Sed qui ueſtiti mollibus ſunt, in domibus regum ſunt. In regibus trangreſſorum angelorum nuncupatio eſt. Hi enim ſeculi ſunt potentes, mundiq; dominantes. Ergo ueſtiti mollibus in domibus regum ſunt, id eſt, eos quibus per luxum fluida & diſſoluta ſunt corpora eſſe dæmonum habitationem, conſimilem ſedem propoſitis ſuis atq; operibus eligentium. Sed quid exiſtis uidere? Prophetam? Dico uobis etiam plus quàm prophetam &c.) Gloriam omnem Ioannis dominus oſtendit, dicens: eſſe eum ultra prophetam, quia ſoli ipſi licuerit & prophetare Chriſtum & uidere. Et quomodo Chriſtum ignorare creditur, qui miſſus in angeli poteſtate uiam uenturo parauerit? & quo ex natis mulierum nullus maior propheta ſurrexit? Niſi quod qui minor eo eſt, id eſt, qui interro-

gatur,cui nō creditur,cui teſtimonium nec opera ſua præſtant,hic in regno cœlorum maior eſt. A diebus autem Ioannis baptiſtæ uſq; nunc regnū cœlorum uim patitur,& uim facientes diripiunt illud.) Vt rerum natura exigit uim potior afferret,minorq; erit cui uis afferat. Quid ergo eſt quod diripiens eſt,quodq; uim patitur,contuendum eſt. Infidelitatem diſcipulorum Ioannis dominus aduerterat, turbæ etiam opinionem de eius nuncio intellexerat, in crucis ſcandalo ingens fidei periculum ſentiebat, ire potius apoſtolos ad oues Iſrael perditas iuſſerat, ipſos conſtitui oportebat in regno,& in Abrahæ & Iſaac & Iacob familia ac natione retineri. Sed omnis hæc prædicatio profectū publicanis & peccatoribus afferebat. Ex his enim iam credentes,ex his iam apoſtoli,ex his iam regnum cœlorum. Cæterum Ioanni à plebe non creditur,autoritatē Chriſti opera non merentur. Crux futura erat ſcandalo. Iam prophetia ceſſat,iam lex repletur,iam prædicatio omnis includitur, iam Heliæ ſpiritus in Ioannis uoce præmittit. Alijs Chriſtus prædicatur,& ab alijs agnoſcitur: alijs naſcitur,& ab alijs diligitur. Sua eum reſpuunt,aliena ſuſcipiunt. Proprij inſectantur,complectuntur inimici. Hæreditatem adoptio expetit,familia reijcit. Teſtamentū filij repudiāt, ſerui recognoſcunt,itaq; uim regnum cœlorum patitur, inferentesq; diripiunt illud. Quia gloria Iſrael à patribus debita,à prophetis nunciata,à Chriſto oblata,fide gentium occupatur & rapitur. Cui autē ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro & clamantibus inuicem &c.) Totus hic ſermo infidelitatis opprobrium eſt, & de affectu ſuperioris querimoniæ deſcēdit, quia inſolens plebs per diuerſa prædicationum genera edocta non fuerit. In pueris ſcilicet prophetas ſignificans, qui in medio ſynagogæ tanquàm in publico fori conuentu populum coarguant, quòd cantantibus ſibi officio corporis nō obſecundauerint, id eſt,quòd dictis ſuis non paruerint. Ad cantuum enim modum ſaltantium motus aptatur. In ſimplicitate autē ſenſus ut pueri prædicauerunt,& ad cōfeſſionem pſallendi deo prouocauerūt,ut cantico Moyſi tenetur,ut Eſaiæ, ut Dauid,ut cæterorum prophetarum. Rurſumq; eos in pœnitentiam peccatorum,& ad dolorem ac luctum ueterum delictorum nec Ioannis prædicatio inflexerit, quibus & lex grauis uiſa ſit,potus cibiq; præſcriptis & difficilis & moleſta peccatum in ſe,quod dęmonium nuncupat,habens. Quia per obſeruantię difficultatem neceſſe ſibi eſſet in legem peccare. Rurſumq; in Chriſto Euangelij prædicatio uitæ libertate non placeat, per quam difficultates legis & onera laxata ſunt,& ad eam publicani peccatoresq; crederint,atq; ita tot & tantis admonitionū generibus fruſtra habitis, nec per gratiam iuſtificentur,& à lege ſint abdicati. Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis.) Ab his ſcilicet, qui uim facientes regno cœlorū ipſum illud fidei iuſtificatione diripiunt. Confitentes iuſtū ſapientiæ opus eſſe,quia munus

Diripi regnū cœlorum quid ſit

ſuum

ſuum ad fideles & obſequentes à contumacibus infidisq; tranſtulerit. Eſt autem non ocioſum hoc in loco uirtutem dicti contueri: Et iuſtificata eſt ſapientia. De ſe utiq; locutus eſt. Eſt enim ipſe ſapientia, nō ex efficientijs, ſed ex natura. Res enim omnis habet poteſtatem, cæterū negotium omne poteſtatis effectus eſt, ut nō idem eſt opus uirtutis & uirtus, ut efficiens diſcernitur ab effecto. Plures enim eludere dictum Apoſtolicum quod ait: Chriſtum ſapientiam & dei uirtutē, his modis ſolent, quòd in eo ex uirgine creando efficax dei ſapientia & uirtus extiterit, & in natiuitate eius diuinæ prudentię & poteſtatis opus intelligatur, ſitq; in eo efficientia potius quàm natura ſapientiæ. Quorum ne quid tale intelligi poſſet, ipſum ſe ſapientiam nuncupauit, eam in ſe, nō quæ eius ſunt oſtendēs. Eſt enim ſapientiæ opus, fides, charitas, ſpes, pudicitia, ieiunium, continentia, humilitas, humanitas, ſed hæc naturæ opera ſunt, non ipſa natura, & nō in his quæ fiunt conſiſtit res ipſa quæ faciat, cur apoſtolus dei uirtutē & dei ſapientiam dixerit, quia ex ea ſapientia quæ erat creata ſapientia eſt. Væ tibi Chorozaín & Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent uirtutes quæ factæ ſunt in uobis. & reliqua.) Inobedientiæ maledictum cum obedientię benedictione decernitur. Primum enim Iudæis oportuit prædicari, ſed priuilegio prædicationis infidelitatis cumulatur inuidia, cum credentium arguantur exemplo, quibus nulla factorum admiratione propoſita, ſalus omnis ex fide ſit. Dominum enim in Bethſaida & Capernaum muti laudant, cęci uident, ſurdi audiunt, claudi circuncurrunt, mortui ſentiunt, & nulla fidei uoluntate rerum tantarum admiratio commouebat, cum ſola geſtorum auditio uocare ad metum atq; ad fidem rapere debuiſſet. Sed nō ſolum Tyri & Sidonis, ſed ipſa Sodomorum & Gomorrhorum facient leuia peccata, quia fortè illis credendi fuiſſe affectus, ſi talium uirtutum contemplatio contigiſſet.

In illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi domine pater cœlorum & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & reuelaſti ea paruulis. & reliqua.) Digne ſuperioribus dictis confeſſio talis adiungitur. Nam tametſi optabilis fuerit ſalus Iſrael, tamen nō extra gaudiū domino erat prædicata olim fides gentiū. Cœleſtiū enim uerborū arcana atq; uirtutes ſapientibus abſconduntur, & paruulis reuelantur, paruulis malicia nō ſenſu, ſapientibus uero ſtultitiæ ſuæ præſumptione non prudentiæ cauſis. Factiq; huius æquitatem dominus paternæ uoluntatis iudicio cōfirmat, ut qui dedignantur paruuli in deum fieri, ſtulti deinceps in ſapientia ſua fiant. Ac ne quid in illo minus quàm quod in deo eſt æſtimaret, omnia ſibi à patre ait tradita eſſe, ſoliq; ſe patri cognitū, patrēq; ſoli ſibi notū, uel cui ipſe reuelare uoluiſſet: reuelaturus ei, à quo ut reuelare uelit oret, qua reuelatione eandem utriuſq; in mutua cognitione eſſe ſubſtantiā docet, cū qui filiū cognoſceret, patrē quoq; cogniturus eſſet in filio, quia oīa ei à patre ſint tradita.

Tradita autē nō alia ſunt, quàm quæ in filio ſoli nota ſunt patri. Nota uero filio ſoli eſſe, quæ patris ſunt, atq; ita in hoc mutuę cognitionis ſecreto intelligitur, non aliud in filio quàm quod in patre ignorabile ſit extitiſſe. Legis deinde difficultatibus laborantes, & peccatis ſeculi oneratos ad ſe aduocat, dempturumq; ſe laborem onusq; promittit, ſi modo eius iugum tollunt, mandatorum ſcilicet ſuorum præcepta ſuſcipiant, eumq; ſacramento crucis adeant, quia corde humilis & mitis ſit, & in his animabus ſuis requiem inueniant, iugi ſuauis & leuis oneris blandimenta proponens, ut credentibus eius boni ſcientiam præſtet, quod ſolus ipſe nouit in patre. Et quid iugo ipſius ſuauius? quid onere leuius? Probabilem fieri, ſcelere abſtinere, bonum uelle, malum nolle, amare omnes, odiſſe nullum, æterna conſequi, præſentibus non capi, nolle inferre alteri quod ipſi ſibi perpeti ſit moleſtum.

Diſcipuli ſpicas uellunt. Manus aridæ hominem ſabbato curauit. Cæcum & dæmoniacum curauit. De blaſphemia ſpiritus. De fructu arboris bonæ & malæ. De omni uerbo ocioſo. De ſigno Ionæ. De Niniuitis & regina auſtri. De ſeptem ſpiritibus & octauo. De matre eius & fratribus Canon XII

IN illo tempore abiit Ieſus per ſegetes ſabbatis, diſcipuli autem eius eſurientes cœperunt uellere ſpicas & manducare.) Et egreſſus in ſegetem, & dies ſabbati, & diſcipulorum eſuritio, & ſpicarum prȩcerptio, & phariſæorum inſimulatio, & domini reſponſio, habent, ut cætera, ſubiacentē interioris cauſæ intelligentiam. Omnes enim (ut diximus) factorum ueritates in ipſis illis geſtorum effectibus ſui ſimilem atq; ex ſe intelligendam futuræ ueritatis imaginem conſequuntur. Ac principio contuendū ſermonem hunc ita cœptum eſſe: In illo tempore abiit Ieſus per ſegetes.) Id eſt, in eo tempore quo patri deo gratiam data gentibus ſalute cōfeſſus eſt, ut idem ſenſus & ſuperiora & conſequentia contineret. Ergo per reliqua curramus. Ager mundus eſt, ſabbatū ociū eſt, ſeges crediturorum profectus in meſſem eſt. Ergo ſabbato in agrum profectus, in legis ocio domini progreſſus in hunc mundum eſt, ſegetem eam, id eſt, ſationem humani generis inuiſens. Et quia eſuritio fames eſt ſalutis humanæ, ſpicas præcerpere ac uellere, ſcilicet ſanctorum ſe ſalute ſatiare diſcipuli feſtinant. Neq; enim homini congruit cibus ſpicæ, neq; præcerptarum eſus eſt utilis ariſtarū, ſed futuri fidē facti ſpecies exequitur, & uirtus interiecta uerborum ſacramentum & eſuritionis & ſatietatis abſoluit. Phariſæi qui penes ſe clauem cœlorum eſſe exiſtimarent, illicita agere diſcipulos coarguunt, quos dominus facti eius in quo ſub rerū argumento prophetiæ ratio continetur, admonuit Dauid unà cum his qui ſecum aderant eſurientem panibus illicitis expletum fuiſſe. Neq; enim ſi non licebat fieri, Dauid creditus fuit feciſſe ſine crimine, uerum ſine criminis piaculo factis

prophetat

prophetat in lege,ut ipse cum cæteris panibus propositionis expletus sit, ita ostendens Christum cum Apostolis gentium salute satiandum, quod Iudæis illicitum uideretur. Alterius quoque eos admonet prophetiæ, ut consummari in se omnia quæ anterius sunt dicta,cognoscerent in lege,sabbatum in templo sacerdotes uiolant sine crimine, templum se ipsum scilicet indicans,in quo per apostolicam doctrinam populo legis infideliter ociante,salus gentibus datur, quia maior ipse sit sabbato,& absque uiolatæ legis culpa Euangelica fides operetur in Christo.Atque ut ostenderet omnem rerum efficientiam hanc speciem futuri operis continere,adiecit: Si enim sciretis quid est, misericordiam uolo non sacrificium, nunquàm condemnassetis innocentes.) Opus salutis non in sacrificio,sed in misericordia est.Et lege cessante in dei bonitate saluamur. Cuius rei donum si intellexissent,nunquam condemnassent innocentes, id est,apostolos, quos insimulaturi erant transgressæ legis inuidia, cum sacrificiorum uetustate cessante uniuersis per eos misericordiæ nouitas subueniret.Neq; existimassent sabbati præscrito dominum sabbati contineri. Hæc in campo dicta gestáque sunt. Et post hæc synagogam ingresso hominem aridæ manus offerunt, interrogantes an curare sabbatis liceret, occasionem arguendi eum ex responsione quærentes:quos decidentis in foueam ouis conclusit exemplo, quam sine crimine sabbato extrahere sint soliti, rectiusq́; homini, qui oui præstet,medendum esse.Neq; in ministerio salutis humanæ existimandũ sabbatum posse uiolari,quod extrahendæ de fouea ouis solicitudo nõ uiolet.Subijcitur recte talis domino curatio. Nam post reditum de segete, ex qua iam apostoli fructus sationis acceperant,ad synagogam uenit,etiam illinc messis suæ operarios paraturus,qui plures postmodum unà cum apostolis extiterũt.Hi igitur curant̃. In manu enim dandæ salutis substantiam non habebant. Et manus officium cessabat, & ministerium corporis quo aliquid agitur,atq;*imperatur,aruerat.Dominus igitur manum eum iussit extendere,quę restituta est ei sicut altera.Curatio omnis in uerbo est,& manus sicut altera redditur, id est, similis ministerio apostolorum in officium dandæ salutis efficit̃, docetq́; pharisæos ægre ferre non oportere operationem humanæ salutis in apostolis,cum ipsis ad officij eiusdem ministerium manus sit reformanda,si credant.Sed inuidia facti pharisæos commouet, & aduersus eum ineunt consilium, quia contuentes hominem in corpore, deum in operibus non intelligebant. Sciensq́; eorum consilia secessit,ut à consilijs malignantium procul abfuturus cognosceretur. Pluresq́; turbæ eum secutę sunt,ab infidelibus uidelicet recedenti fideliũ comitatus assistit. His uero quos curat,silentium imperauit. Sed nunquid curationis taciturnitas iubebatur? Non utiq;. Nam salus unicuique reddita, erat sibi ipsa testis: sed iubendo secretum, & gloriandi de se iactantiam declinat,& nihilo

*Als*impertitur*

minus

minus cognitionem ſui præſtat in eo ipſo, dum admonet de ſe taceri, quia obſeruantia ſilentij ex re quæ ſit ſilenda proficiſcitur. Quinetiam per hanc tacendi de ſe uoluntatem, dictorum per Eſaiam effectus impletur, de cuius prophetia illud nunc tantum admonemus, hunc & dilectum à deo, & paternæ bene placitum uoluntati, & ſpiritum dei ſuper eum eſſe, & ab eo iudicium gentibus nunciari, & arundinem quæ quaſſata ſit, non eſſe confractam, & linum fumigans nō extinctum, id eſt, caduca & quaſſata gentium corpora non fuiſſe contrita, ſed in ſalutem potius reſeruata, neq; exiguitatem ignis tantum iam in lino fumigantis extinctam, ex Sion Iſrael, & ex reliquis ueteris gratiæ ſpiritum non ablatum, quia reſumendi totius luminis in tempore pœnitentiæ ſit facultas. Sed iſtud intra certi temporis ſtatuta præſcribitur, donec eijciat uictoriam ad iudicium, ſublata ſcilicet mortis poteſtate, iudicium claritatis ſuæ reditu introducat, in nomine eius per fidem gentibus crediturís. Tunc oblatus eſt ei homo dæmonium habens, cæcus & mutus. & reliqua.) Sequitur dæmoniaci, & cæci, & muti opportuna curatio. Non enim ſine ratione, cum turbas omnes curatas in commune dixiſſet, nunc extrinſecus dæmonium habens cęcus & mutus offertur, ut ſine ambiguitate aliqua idem intelligentiæ ordo ſequeretur. Spicas uellere, id eſt, homines ſeculi præcerpere, apoſtolos phariſæi arguebant: miſericordia ſuper ſacrificium prædicabatur: manus aridæ homo oblatus in ſynagoga curatur. Atq; hæc ad conuertendum Iſrael non ſolum nihil proficiunt, uerum etiam phariſęi conſilium necis ineunt. Oportebat igitur, ut poſt hac in unius huius forma gentium ſalus fieret, ut qui erat habitatio dæmonis & cæcus & mutus, deo capax pararetur, & deum contueretur in Chriſto, & Chriſti opera dei confeſſione laudaret. Stupuerūt facti iſtius opus turbæ, ſed phariſæorum ingraueſcit inuidia. Nam quia humanam infirmitatem hæc tanta eius opera excederent, pudorem confeſſionis ſuæ maioris perfidiæ ſcelere declinant, ut quia hæc opera eſſe exiſtimare hominis non poſſent, & cōfiteri dei nollent, omnem hanc eius ex Belzebub principe dæmonum eſſe dicerent in dæmones poteſtatem. Ieſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit illis: Omne regnum diuiſum contra ſe deſolabitur.) Sermo dei diues eſt, & ad argumentū poſitus intelligentiæ, pluriū de ſe exemplorum copiam præbet, & uel ſimpliciter intellectus, uel inſpectus interius, ad omnem profectum eſt neceſſarius. Sed relictis his, quę ad communem intelligentiam patent, cauſis interioribus immoremur. Omne regnum diuiſum contra ſe deſolabitur. Reſponſurus ad id quod de Belzebub erat dictum, in eos ipſos, quibus reſpondebat, reſponſionis ipſius conditionem retorſit. Lex enim à deo eſt, & regni Iſrael pollicitatio ex lege eſt, & Chriſti ortus & aduentus ex lege eſt. Si regnum legis contra ſe diuiditur, diſſoluatur neceſſe eſt, & poteſtas omnis diuiſione detrahitur, & regni uirtus aduer-

ſum

ſum ſe ſeparata conſumitur,ac ſic regnum Iſrael amiſit ex lege,quum adim pletionem legis in Chriſto plebs legis impugnet. Sed & ciuitas & do mus diuiſa contra ſe non ſtabit.) Domus quoq; & ciuitatis eadem eſt ra tio quæ regni. Sed ciuitas hic Hieruſalem indicatur,gentium ſemper glo rioſa dominatu:nunc poſtea quàm in dominum ſuum furore plebis exar ſit, & apoſtolos eius cum credentium turbis effugauit, deſcendentiũ illinc diuiſione non ſtabit,atq; ita quod mox conſecutũ eſt,per hanc diuiſionem ciuitatis,illius denunciatur excidium. Si enim ſatanas ſatanam eijcit, ad uerſus ſe diuiſus eſt.) Dicti ſuperioris maleuolentiam, quo eum in Belze bub hæc agere loquebantur, eo ipſo quo locuti ſunt genere condemnat, non intelligentes confeſſos ſe fuiſſe Belzebub eſſe diuiſum,& ſi ad diuiſio nem ſuam coactus eſt,ut dęmone dæmones perturbaret,& aduerſus ſe di uiſio ipſa conſiſteret. Hinc quoq; exiſtimandum eſſe,plus in eo qui diuiſe rit,quàm in his qui diuiſi ſint ineſſe uirtutis. Ergo iam diuiſus eſt, & aduer ſum ſe coactus eſt,regnũq; eius diuiſione tali eſt diſſolutũ. Quòd ſi in uir tute Belzebub Chriſtus dæmones eijcit,filij eorum,id eſt,apoſtoli in cuius nomine eijcient? Atq; idcirco digne ſunt in eos iudices conſtituti, quibus id dediſſe Chriſtus aduerſus dęmonas poteſtatis reperietur, quod ipſe ſit ne gatus habuiſſe.Ergo ſi diſcipuli operant in Chriſto,& ex ſpiritu dei Chri ſtus operatur,adeſt dei regnum iam in apoſtolos,mediatoris officio tranſ fuſum. Sed cũ per Belzebub poſſe Chriſtus arguitur, deus blaſphematur in Chriſto, atq; ita in deum inexpiabilis conuitij cõtumelia per phariſæos in Belzebub nomine comparatur. Quomodo poteſt intrare quis in do mum fortis,& uaſa eius diripere? & reliqua.) Contuſam à ſe in tentatione prima omnem zaboli indicat poteſtatem,quia nemo domum fortis introe at eiusq; uaſa diripiat,niſi fortem alligauerit, & tunc domum eius diripiet, & neceſſe eſt hæc agens illo forte ſit fortior.Ligatus eſt ergo, tum cum ſata nas à domino nuncupatus, ipſa nequitiæ ſuæ nuncupatione cõſtrictus eſt, cui ita uincto ſpolia detraxit,& domum abſtulit: nos ſcilicet quondam ar ma eius regnicq; militiam in ius ſuum redegit,uictoq; atq; uincto domum ſibi ex nobis uacuam & utilem comparauit.Longe autẽ à ſe eſſe,ut aliquid ab eo mutuatus ſit poteſtatis oſtendit, ut quando qui ſecum non eſt,ad uerſum ſe ſit: & qui ſecum non congregat,diſpergat.Ex quo ingentis peri culi res intelligetur, male de eo opinari, cum quo nõ eſſe idipſum eſt quod contra eſſe,& non congregare,diſpergere. Omne peccatum & blaſphe mia non remittetur.) Phariſæorum ſententiæ, & eorum qui ita cum his ſentiunt peruerſitatem ſeueriſſima definitione condemnat, peccatorũ om nium ueniam promittens,& blaſphemiæ ſpiritus indulgentiam abnegans. Nam cum cætera dicta geſtaq; liberali uenia relaxentur,caret miſericordia ſi deus negetur in Chriſto,& in quo ſine uenia peccator beneuolentiam ite

Zabolus pro diabolus

ratæ

ratę admonitionis impendit. Omnino peccata cuiuſcę generis remittenda, blaſphemiam in ſpiritum ſanctum non remittendam. Quid enim tam extra ueniam eſt, quàm in Chriſto negare quod dei ſit, & conſiſtentem in eo paterni ſpiritus ſubſtantiam adimere, cũ in ſpiritu dei opus omne conſummet, & ipſe ſit regnum cœlorum, & in eo deus ſit mundum reconcilians ſibi. Ergo quicquid contumeliæ extiterit in Chriſto, id omne extabit in deo: quia in Chriſto deus, & Chriſtus in deo ſit. Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos: aut facite arborem malam, & fructus eius malos. & reliqua.) Sermo ſe & in præſens exerit, & effert in futurum. Nam in prę ſens Iudæos refellit, qui cum intelligerent Chriſti opera ultra humanam eſſe uirtutem, nollent tamen quòd dei ſint confiteri: futuram autẽ omnem fidei peruerſitatem coarguit, eorũ ſcilicet qui diuinitatem & cõmunionem paternæ ſubſtantiæ domino detrahentes, in diuerſa hæreſeos ſtudia efferbuerunt: neutrũ facientes, nec inter gentes ſub uenia ignorationis habitantes, nec in ueritatis cognitione uerſantes. Arborem ſe in corpore poſitum ſignificat, quia per interiorem uirtutis ſuæ fœcunditatem exeat ubertas omnis in fructus. Igitur aut arbor bona facienda cum bonis fructibus eſt, aut mala conſtituenda cum malis fructibus, quia ex fructibus ſuis de ſe arbor ipſa teſtabitur. Non quòd ſecundũ arborũ naturam arbor mala poſſit cunſtitui quæ bona ſit, aut eadem ipſa cum ramis ſuis bona eſſe ſi mala ſit: ſed
Coacte ut per hanc ſignificantiam intelligeremus, Chriſtũ aut tanquam inutilem relinquendum, aut tanquam bonum bonorum fructuum utilitate retinendum: quia aduerſum filium hominis dicta ſub uenia ſint, blaſphemia autẽ ſpiritus careat uenia. Cæterum medium ſe agere, & Chriſto aliqua deferre, negare quæ maxima ſunt: uenerari tanquam deum, dei cõmunione ſpoliare, hæc blaſphemia ſpiritus eſt, ut cum per admirationem operum tantorum dei nomen detrahere non audeas, per maleuolentiam mentis & ſenſus generoſitatem eius, quam confiteri es coactus in nomine, abnegata paternæ ſubſtantiæ communione decerpas. Atq; ideo etiam in eo dominus bonitatis ſuæ munus extendit, dicens: Aut malam arborem cum malis fructibus, aut bonam cum bonis fructibus eſſe faciendam: quia in malæ arboris opinione, ſub ſecreto indulgentię dei repoſita ſit uenia, qua omne peccatum ſit remittendum: in bonæ cõfeſſione fructus æternus ſit, ne incidentes
Als*cum conſtat uere mediam inter utrunq; ſententiam, *cum conſtituere malum non audemus, confiteri bonum nolimus, indiſſolubili corruptæ de ſe opinionis iudicio relinquamur. Omnem autem ita ſentiendi corruptelam ex naturæ uitio proficiſci docuit, dicens: De malo theſauro non niſi quæ mala ſunt poſſe proferri, & omnis ocioſi, id eſt, inepti & inutilis dicti rationem dẽo eſſe reddendam, quia de confeſſionis noſtræ uerbis aut condemnandi ſumus, aut iudicandi, talem futuri iudicij beneuolentiam recepturi, qualem de cœleſtis

gloriæ

gloriæ domino ſententiam tenuerimus. Signum deinde rogatur ut præ/ſtet, quod ſe ex Ionæ ſigno daturum eſſe reſpondit, ut ſicut triduo & toti/dem uoctibus Ionas in ceti uentre detentus ſit, ita ſe intra interiora terræ pa ri temporis ſpatio demoraturum. Sed maiorem futuram gentium fidem monſtrat. Niniuitæ enim Iona prædicante pœnitentiam egerunt, & à deo ueniam pœnitendi confeſſione meruerunt. Sed & Auſtri regina nũc in ex/emplum eccleſiæ præſumpta ſapientiam admirata Salomonis, ex ultimis terræ partibus uenit audire quam erat admirata ſapientiam. Cumulat igi/tur inuidiam comparatio, & Iudæos ſine excuſatione facit fides gentium, ut cum illi prophetis, id eſt, Ionę Salomonić̨ crediderint, Chriſto iſti non credant Iona Salomoneć̨ potiori. Et idcirco in reſurrectione eos iudica/bunt, quia in his repertus timor dei fuerit, quibus lex non erat prædicata, hoc magis indigni uenia, quia ex lege ſunt infideles, quo plus fidei in eis qui legem ignorauerunt, ſit repertum. Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inue/niet, & reliqua.) Continens lectio eſt, & ex ipſo iniți ſermonis exordio, ex ſenſu ſuperiore proficiſci indicatur. Ex uerbi enim coniunctione cœ/pit, ſed totius propoſitæ comparationis ratio tractanda eſt. Exiens ab ho/mine immũdus ſpiritus, arida & inaquoſa loca circuit, in quibus nullus fons uitæ effluebat: & cum requiem non inueniet, tum intra ſe loquetur, congru/um ſibi eſſe, ad domũ ſuam unde exiuit reuerti, quam inueniet uacantem, ſcopis mundatam & ornatam, aſſumetć̨ ſecum ſeptem nequiores ſe ſpiri/tus, qui introeũntes habitabunt, & nouiſſima hominis illius primis peiora fiunt. Et quidem dominus abſoluit dicẽs: Sic erit generationi huic peſſimę. Non igitur ambigere poſſumus, totum hoc ad perſonam populi huius eſ/ſe referendum, ſed contuendum eſt quatenus propoſita ſingula ſingulis temporibus rebuſć̨ reddantur. Superius nempe in Niniuitarum & regi/næ Auſtri nomine iuſtificata fides gentium eſt, ſed longe antea, poſt mul/ta in deum & grauia peccata Iudæis data lex eſt. Et peccata quidem eo/rum libro Moſi continentur. Verum poſt tot diuinæ uirtutis documen/ta, id eſt, decem plagis percuſſam Aegyptum, & columnam nubis ac lu/minis die nocteć̨ famulantem, & in Erythreo mari iter prębitum, & fon/tes ruptis ſaxis effluentes, & miniſtratam eſurientibus mannam, & ad po/ſtremum in quadraginta annorum tempore, uita atć̨ habitu angelorum populum uiuentem, adoratum ſupplicatumć̨ poſtea pecudibus & ſaxis, hiſć̨ cum choris canticiſć̨ ſaltatum, & metalla deos nuncupata. Ergo in/ſidentem plebis iſtius pectoribus ſpiritum immundum lex quæ poſtea da ta eſt interuentu ſuo eiecit, & ueluti quadam cuſtodia circumiectæ po/teſtatis excluſit. Qui illinc exiens, circum gentes deſertas atć̨ aridas ober/rauit, domum ueterem derelinquens, ut in his uſque in diem iudicij non

inquietata habitatiõe requieſceret,ſed rurſum dei gratia impertita gẽtibus, poſt quàm in aquæ lauacro fons uiuus effluxit, habitandi cum his locus nullus eſt, & cum iam in his requiem non habebit, intra ſe reputans,optimum credit regredi in eam ex qua profectus eſt domum. Hæc emundata per legem, & prophetarum ornata præconijs, & Chriſti aduentu præparata,uacua inuenitur,à qua & cuſtodia legis abſceſſerit, quia omnis lex uſque ad Ioannem eſt,& ad habitandum non receptus ſit Chriſtus: atq; ita & habitatore uacua eſt,& deſerta cuſtodibus, cum tamen uenienti habitatori præeuntium ſolicitudine & mundata ſit & ornata.Septem igitur ſpiritus nequiores aſſumuntur,quia tot erant gratiarum munera deſtinata cum Chriſto,quæ in eo multiformis illa dei ſapientia,ſeptiformi gloria collocauit, ut tanta iniquitatis fieret poſſeſſio,quanta futura fuerat gratiarũ. Atq; ita nouiſſima hominis illius peiora erunt prioribus,quia ex Iudæis immundus ſpiritus metu legis exceſſerat,nunc autem in eos cum ultione repudiatæ ab eis gratiæ reuertetur.Et quia totum iſtud in paternæ maieſtatis uirtute loqueretur,nuncianti ſibi quòd foris à matre atq; à fratribus expectaretur,manum in diſcipulos extendens,eos ſibi fratres eſſe matremq; reſpondit:quicunq; uoluntati paternæ obſecutus eſſet,eum eſſe & fratrem & ſororem & matrem,formam ſeipſum uniuerſis agendi ſentiendiq; conſtituens: propinquitatum omnium ius atq; nomen, iam non de conditione naſcendi,ſed de eccleſiæ communione retinendum. Cæterum non faſtidioſe de matre ſua ſenſiſſe exiſtimandus,cum ipſi in paſſione poſitus maximæ ſolicitudinis tribuerit affectum. Eſt autem etiam in eo typica ratio ſeruata, ut mater eius & fratres foris ſtarent, cum utiq; ingrediendi ad eum haberent ut cæteri poteſtatẽ.Sed quia in ſua uenit,& ſui eum non receperunt,in matre eius ac fratribus ſynagoga & Iſraëlitæ præfigurantur, ingreſſu eius atque aditu abſtinentes.

Sedens in nauicula Ieſus turbis parabolas loquitur.De ſeminante bonum ſemen.De zizania & tritico.De grano ſinapis. De fermẽto abſconſo in farina. Expoſitio zizaniæ. De theſauro in agro. De bona margarita. De rete miſſo in mare. Cãnon XIII

 N illa die exĩt Ieſus,& ſedebat ſecus mare, & cõgregatæ ſunt ad eum turbæ,ita ut in nauiculam aſcenderet.) Sediſſe domiñ in naui, & turbas foris ſtetiſſe,ex ſubiectis rebus eſt ratio. In parabolis enim erat locuturus,& facti iſtius genere ſignificat eos, qui extra eccleſiam poſiti ſunt, nullã diuini ſermonis capere poſſe intelligentiam.Nauis enim eccleſiæ typum præfert, intra quam uerbum uitæ poſitum & prædicatum: hi qui extra ſunt & harenæ modo ſteriles atq; inutiles adiacent,intelligere non poſſunt.De parabolis autem iam à domino abſolutis loqui ocioſum eſt. Qui enim habet dabitur ei, & abundabit:qui

bit,qui autem nō habet, & quod habet auferetur ab eo.) Regni myſteria fides percipit: hæc in quibus fuerit proficiet, & incrementis profectus ſui abundabit:in quibus uero non fuerit, etiam quod habent auferetur ab eis. Damnum ſcilicet legis ex fidei inopia declarat,quam fidem Iudæi non habentes,legem quoq; quam habuerant perdiderunt, & ideo perfectum fides euangelica habet donum,quia ſuſcepta nouis fructibus ditat,repudiata uero etiam ueteris ſubſtantiæ opes detrahit. Veſtri autem beati oculi qui uident,& aures quæ audiunt.) Apoſtolici temporis beatitudinē docet, quorum oculis atq; auribus contigit dei ſalutare uiſere & audire, prophetis atq; iuſtis cupientibus uidere & audire plenitudinem temporū deſtinatorum,& expectationis iſtius gaudiū apoſtolis reſeruatum. Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, & reliqua.) Grano ſinapis ſe dominus comparauit,acri maxime, & omnium ſeminum minimo, cuius uirtus ac poteſtas tribulationibus & preſſuris accēditur. Granum hoc igitur poſt quàm in agro ſatum fuerat, id eſt, ubi à populo comprehenſus & traditus morti,tanquam in agro ſatione quadā fuit corporis conſepultus,ultra menſuram omnium olerum excreſcit, & uniuerſam prophetarum gloriam excedit. Oleris enim uice,tanquam ęgroto Iſraeli data eſt prędicatio prophetarum.Sed iam ex ramis arboris ex ſolo in ſublime prolatæ cœli uolucres inhabitant, apoſtolos ſcilicet ex Chriſti uirtute protenſos & mundum inumbrantes,in ramis intelligemus,in quos gentes in ſpem uitę aduolabunt, & aurarum turbine,id eſt,diaboli ſpiritu flatuq; uexatæ,& tanquam in ramis arboris acquieſcent. Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ menſuris tribus, donec fermentatum eſt totum.) Fermentum de farina eſt,quod uirtutem acceptam aceruo generis ſui reddit, huic ſe dominus comparauit. Quod acceptum mulier ſynagoga ſcilicet,per iudiciū mortis abſcondit,arguens legem, & prophetas euangelijs diſſolutos.Hoc autē in farinæ menſuris tribus, id eſt, legis,prophetarum,euangeliorum æqualitate coopertum,omnia unū facit,ut quod lex conſtituit,prophetę nunciauerunt,id ipſum euangeliorum profectibus expleatur.Fiuntq; omnia per dei ſpiritum eiuſdem & uirtutis & ſenſus, nihilq; aliud ab alio menſuris æqualibus fermentatum diſſentiens reperietur.Quanquam ad fidei ſacramentum,id eſt,ad patris & filij & ſpiritus ſancti unitatem, ſed & ad trium gentiū uocationem, ex Sem,Cam & Iaphet, tres menſuras farinæ eſſe referēdas ſenſiſſe multos memini. Sed neſcio an hoc ita opinari ratio permittat, cum tametſi omnium gentium uocatio ſit æque,tamen in his Chriſtus non abſconſus ſit,ſed oſtenſus, & in tanta infidelium multitudine non fermentatum ſit totum. In patre autem & filio & ſpiritu ſancto in ea admixti extrinſecus fermenti neceſſitate in Chriſto omnia unum ſint. Iterum ſimile eſt regnum cœlorum theſauro abſcon-

ſo,& reliqua.) Per ſimilitudinem theſauri in agro, ſpei noſtræ opes intra ſe poſitas oſtendit, quia deus in homine ſit repertus,in cuius pretium omnes ſeculi uendendæ ſunt facultates, ut ueſtitu, cibo,potuq; indigentium, æternas cœleſtis theſauri diuitias comparemus. Sed contuendum eſt, inuentum theſaurum & abſconſum fuiſſe,cum utiq; qui inuenit,& ſecreto & tempore quo abſcondit, auferre potuiſſet, & auferens emendi neceſſitate caruiſſet.Sed ut rei,ita & dicti fuerit ratio explicanda.Ideo enim abſconſus eſt theſaurus,quia & agrum emi oportebat.Theſaurus enim in agro,ut diximus,Chriſtus intelligitur in carne,quem inueniſſe eſt gratum. Euangeliorum enim prædicatio in abſoluto eſt, ſed utendi & poſſidendi huius theſauri, cum agro poteſtas non poteſt eſſe ſine pretio, quia cœleſtes diuitiæ non ſine damno ſeculi poſſidentur. Et de margarita * par ratio eſt.Sed ad negociatorem iam diu in lege uerſantem proficiens hic ſermo eſt, qui longo ac diutino labore ad margaritæ ſcientiam peruenerit,& ea quæ ſub one re legis adeptus ſit derelinquat. Diu enim eſt negociatus, & margaritam aliquando qualem optabat,inuenit. Cui & unius huius deſiderati lapidis pretium reliqui laboris iactura eſt comparandum. Iterum ſimile eſt regnum cœlorum reti miſſo in mare, & reliqua.) Merito prædicationem ſuam reti comparauit,quæ in ſeculũ ueniens,ſine ſeculi damno habitantes intra ſeculum congregauit, modo retis, quod mare penetrans ita agitur de profundo,ut per omne elementi illius corpus euadens, clauſos intra habitum ſuum extrahat,noſq; ex ſeculo in lumẽ ueri ſolis educat: in bonorum electione,& in malorum abiectione futuri iudicij examen oſtendens.

*Als*comparatio eſt*

De ſcriba in regno cœlorum.De fratribus & ſororibus domini.De Ioannis capite in diſco.De quinq; panibus & duobus piſcibus. Vbi ſuper mare ambulabat,& Petrũ merſum erexit. Canon XIIII

INtellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Vtiq;. Et ait illis: Ideo omnis ſcriba doctus in regno cœlorum &c.) Non turbis ſed diſcipulis eſt locutus, & intelligentibus parabolas dignum teſtimonium reddidit, ipſos ſcilicet ſub patriſfamiliæ nomine ſibi comparans, quòd doctrinam de theſauro ſuo nouorum ſpiritus ſancti ac ueterum ſint adepti,quoſq; ſcribas propter ſcientiam nũcupat, quòd intellexerint ea quæ ille noua & uetera,id eſt, in euangelijs & in lege protulerit, & eiuſdem patriſfamiliâs,& unius utraq; theſauri. Et factũ eſt cum conſummaſſet Ieſus parabolas iſtas,tranſit inde, & uenit in patriã ſuam,& reliqua.) Inhonoratur dominus à ſuis, & quanquam & docendi prudentia & operandi uirtus admirationem commoueret,infidelitas tamen eorũ uirtutem iudicij non recipit. Non enim credunt hæc in homine deum agere, quinetiam patrem ipſius, matrem fratresq; nuncupant, & paternæ artis quodã

quodam opprobrio laceſſunt. Sed planè hic fabri erat filius ferrum igne uincentis, omnem ſeculi uirtutem iudicio decoquentis, maſſamq; formantis in omne opus utilitatis humanę, formam ſcilicet corporum noſtrorum, & materiem in diuerſa membrorum miniſteria, & ad omnia æternæ uitæ opera fingentis. In his igitur ſcandalizabantur omnes, & inter tot, quæ magnifice gerebat, corporis eius contemplatione commouebantur. Quibus dominus inhonorabilem in patria ſua prophetam eſſe reſpondit, quia in Iudæa eſſet uſq; ad crucis ſententiam contemnendus. Et quia penes ſolos fideles dei uirtus eſt, propter eorum incredulitatem omnibus diuinæ operibus uirtutis abſtinuit. In illo tempore audijt Herodes tetrarcha famā Ieſu, & reliqua.) Frequenter monuimus, omnem diligentiam euangeliorum lectioni adhibere oportere, quia in his quæ geſta narrantur, ſubeſſe interioris intelligentiæ ratio reperiatur. Habet enim omnium operum narratio ſuum ordinem, ſed geſtorum effectibus cauſæ ſubiacenti ſpecies præformatur, ut in Herode ac Ioanne intelligetur. Nam & Herodes princeps erat populi, & Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui in matrimonium ſuum iure poteſtatis aſſumpſerat, & huic Herodiadi erat filia: & natali die, cum ſaltans placeret, poteſtatem cuius uellet præmij, ſacramento iurantis accepit, & Ioannis caput, qui in carcere diu habitauerat, puella matre admonente, diſco ſibi inferri precata eſt. Et Herodes triſtis licet, ſacramento fidem reddidit, & matri puella munus exhibuit, & ſepulto eo diſcipuli eius ad dominum tranſeunt. Auditisq; his dominus in nauiculam in loca deſerta ſeceſſit, & ſequentium ſe turbarum uexationē miſeratus eſt, & dimitti eas in caſtella ad coëmendos cibos apoſtoli admonēt, & dominus reſpondit, neceſſitatem eò reuertendi ipſas non habere, dariq; his cibum præcipit. Et ſolos ſe quinq; panes & duos piſces habere cauſantur. Et offerri ſibi eos iuſſit, turbamq; ſubſtrato fœno accumbere, & oblata benedixit, & turbæ manducanda cōminuit, & dedit diſcipulis ut offerrent: & ſaturatis omnibus ſupplementa cophinorum duodecim ſuperfuerunt, cum tamen mulierum puerorumq; ſuper numerum, quinq; milia uirorum expleta eſſent. Et diſcipulos nauiculam conſcendere, & trans fretum præcedere iubet, dimiſſaq; ipſe turba in montem orare ſolus aſcendit, factoq; ueſpere ſolus fuit, & nauis mari medio uento aduerſante fluctibus iactabatur, & quarta uigilia dominus uenit ſuper mare ambulans, uidentesq; turbati ſunt, & inanis uiſus phantaſma credentes, clamauerunt præ timore, quibus mox dominus locutus eſt, & conſtantes eſſe iuſſit, & ex plurimis Petrus reſpondens poſtulauit uti ad dominum ſuper aquas ueniret, qui de nauicula deſcendens, & progreſſus aliquantulum, uento inualeſcente timere cœpit & mergi, quem apprehendens dominus obiurgat cur fidei modicæ ſit, ingreſſusq; nauem tranquillitatem uento & mari acquieſcente reuocauit.

Igitur hæc ut commemorauimus geſta ſunt: ſed his omnibus perſonis, effectibus, cauſis, numeris modus adiacet, ut quæ geſſerunt, præter gerendi munus inſtinctumq́;,* quem ex natura ſua ſumpſit, extrinſecus omnia geſſerint in exemplum: hoc maiore ita opinandi reuerentia, ſi tam diuerſarum cauſarum efficientiam una atq; eadem intelligentia conſequitur. Sermo igitur ad originem propoſitionis referendus eſt. Ioannes, ut frequenter admonuimus, formam prætulit legis, quia lex Chriſtum prædicauit. & Ioannes profectus ex lege eſt, Chriſtum ex lege pronuncians. Herodes uero princeps eſt populi, & populi princeps ſubiectæ ſibi uniuerſitatis nomen cauſamq́; complectitur. Ioannes ergo Herodem monebat, ne fratris ſui uxorem ſibi iungeret. Sunt enim atq; erant duo populi, circunciſionis & gentium. Sed Iſraëlem lex admonebat, ne opera gentium infidelitatemq́; ſibi iungeret. Gentibus enim ſocia infidelitas eſt, quæ ipſis tanquam uinculo coniugalis amoris annexa eſt. Hi igitur fratres ex eodē humani generis ſunt parente. Ob hanc itaq; aſperæ admonitionis ueritatem, Ioannes tanquam lex in carcere continebatur: die autē natalis, id eſt, rerum corporalium gaudijs Herodiados filia ſaltauit.* Voluntas enim tanquam ex infidelitate orta, per omnia Iſraëlis gaudia totis illecebræ ſuæ curſibus efferebatur, cui ſe omnem etiam ſacramēto uenalem populus addixit. Sub peccatis enim & ſeculi uoluptatibus Iſraëlitæ uitæ æternæ munera uendiderunt. Hæc matris ſuæ, id eſt, infidelitatis inſtinctu, deferri ſibi Ioannis caput, id eſt, gloriam legis orauit, quia lex inceſtuoſum Iſraelem autoritate diuinorum pręceptorum arguebat. Sed ſuperius Herodes ſignificatus eſt Ioannem uelle occidere, & metu populi demorari, quia ſicut propheta habebatur: nunc uero petita ipſius nece, cum præſertim religione ſacramenti detineretur, quomodo triſtis efficitur? Contrarium uidelicet eſt, tunc eum uoluiſſe, nunc nolle. Et præſens moleſtia anteriori non conuenit uoluntati. Verum in ſuperioribus geſtæ rei ordo eſt, in his autem nunc ſpecies cauſæ conſequētis exponitur. Gloriam legis uoluptas ex infidelitate orta occupauit, ſed populus boni eius, quod in lege erat, cōſcius, uoluntatis conditionibus non ſine aliquo certi periculi ſui dolore concedit, ſcitq́; ſe tali præceptorum gloria non oportuiſſe concedere, ſed peccatis tanquam ſacramēto coactus, & principum adiacentium metu atq; exemplo deprauatus, & uictus illecebris uoluntatis etiam mœſtus obtemperat. Igitur inter reliqua diſſoluti populi gaudia, in diſco Ioannis caput affertur, damno ſcilicet legis* uoluntas corporum, & ſecularis luxus augetur: ita per puellam ad matrem defertur, ac ſi probroſus Iſrael & uolūtati & infidelitati ſuæ familię, ſcilicet antegentium gloriam legis addixit. Finitis igitur legis temporibus, & cum Ioanne conſepultis, diſcipuli eius res ita geſtas domino nunciant, ad euangelia ſcilicet ex lege uenientes. Ergo dei uerbum lege finita nauem conſcendens eccleſiam

Als* quĕ unuſquiſq; ex nat.

Als* uoluptas, ut paulo poſt aliquoties

ecclesiam adit,& in desertum concedit. Relicta quippe conuersatione Isra/elis,in uacua diuinæ cognitionis pectora transit. Turba hæc audiens domi num,de ciuitate pedes sequitur in desertum:de synagoga uidelicet ad eccle siam concedit: quam uidens misertus est,& omnem languorem eius infir/mitatemq; curat, obsessas scilicet mẽtes & corpora infidelitatis ueterno,ad intelligentiam nouæ prædicationis emundat. Et cum discipuli dimitti tur/bas in castella proxima ad coemendos cibos admonerent,respondit:Non habẽt necesse ire,ostendens eos,quibus mederetur, uenalis doctrinæ cibo non egere,neq; necessitatem habere regredi ad Iudæam cibumq; mercari, iubetq; apostolis uti escam darent.Nunquid ignorabat non esse, quod da ri posset,& humanarum mentium interna conspiciens,modum repositi pe nes apostolos cibi nesciebat? Sed erat omnis typica ratio explicanda.Non dum enim concessum apostolis erat,ad uitæ æternę cibũ cœlestem panem perficere ac ministrare.Quorum responsio ad spiritualis intelligentiæ ordi nem tendit.Solos enim se quinq; panes & duos pisces responderunt habe re,quia adhuc sub quinq; panibus,quinq; libri legis continebantur,& pisci um duorum,id est,prophetarum & Ioannis prædicationibus alebantur.In operibus enim legis tanquam ex pane erat uita: prædicatio autem Ioan/nis & prophetarum,in uirtute aquæ uitæ humanæ spem cõfouebant. Hæc igitur primum quia in his adhuc erant,apostoli obtulerũt, sed ex his euan/geliorum prædicatio profecta monstrat,& his originibus deducta in ma/iorem uirtutis suæ abundantiam crescit. Acceptis igitur panibus atq; pisci/bus, dominus respexit ad cœlum. Benedixit & fregit patri agens gratias, post tempora legis ac prophetarum se in euangelicum cibum uerti signifi/cans.Accumbere post hæc super fœnum populus iubetur, non iam in ter/ra iacens,sed legis suffultus,& tanquam terræ fœno, fructibus operis sui u/nusquisq; substernitur. Dantur quoq; apostolis panes,quia per eos erant diuinæ gratiæ dona reddenda. Plebs deinde quinque panibus & duobus piscibus pascitur & expletur,& fragmenta panis & piscium saturatis accum bentibus,usq; in duodecim cophinorum plenitudinem abundauerunt:dei scilicet uerbo ex doctrina legis prophetarumq; ueniente multitudo satia/tur,& reseruata gentium plebi & æterni cibi ministerio, in duodecim apo/stolorum plenitudinem,copia diuinæ uirtutis exuberat. Idem autem eden tium numerus inuenitur, qui futurus erat crediturorum. Nam sicut libro Praxeon continetur, ex Israelitici populi infinitate uirorũ quinq; milia cre/diderunt. Rerum enim admiratio usq; in mensuram causæ subiacentis ex/tenditur.Confractiq; cum piscibus panes,saturato populo,in tantum dein ceps cumulantur augmentum, quantus & credentis populi, & explendo/rum cœlesti gratia apostolorũ numerus destinabatur, ut & modus nume/ro,& numerus modo obtemperaret, & intra fines suos ratio concluſa, ad

conſequentis effectus conditionem, ipſo diuinæ uirtutis moderamine continueretur. Vincit autem humanam intelligentiã opus facti: & cum frequenter quædã ſint, quę cõcepta ſenſu ſermo non explicet, in his tamen ipſa ſenſus ſublimitas ingraueſcit, & ad rei cõtemplationem pro difficultate tam inuiſibilis negocij obſtupeſcit. Acceptis enim panibus quinq; in cœlũ dominus reſpexit, honorem eius à quo erat ipſe cõfeſſus, non quòd carnalibus oculis contueri patrem eſſet neceſſe, ſed ut qui adeſſent intelligerent, à quo uirtutis tantæ accepiſſet effectũ. Dat deinde diſcipulis panes. Non quinq; multiplicantur in plures, ſed fragmentis fragmenta ſuccedunt, & fallũt ſemper præfracta frangentes. Creſcit deinde materies, neſcio utrum in menſarum loco, an in manibus ſumentium, an in ore edentium. Ne mirere, fontes fluere, ineſſe uuas uitibus, & uuis uina diffundi, & omnes mundi opes annuo quodam meatu indefeſſoq; defluere, autorem enim huius uniuerſitatis tantus panum profectus oſtendit, per quẽ tali incremento modus pertractatæ materiæ adderetur. Agitur enim in opere uiſibili inuiſibilis molitio, & arcanorũ cœleſtium dominus arcanũ negocij præſentis operatur. Superat autem omnẽ naturã uirtus operãtis, & ſupergreditur facti intelligentiam ratio uirtutis, & ſola relinquitur admiratio poteſtatis. Ordo etiã cauſarum operumq; cõſequitur. Conſcendere poſt hæc in nauem diſcipulos præcepit, donec turbas ipſe dimitteret, & dimiſſa turba montem conſcendit orare, & ueſpere facto ſolus erat. Horum ratio diſtinguenda temporibus eſt. Quòd ueſpere ſolus eſt, ſolitudinẽ ſuã in tempore paſſionis oſtendit, cæteris trepidatione dilapſis. Quòd autem nauem conſcendere diſcipulos iubet, & ire trans fretum dum turbas ipſe dimittit, & dimiſſis turbis aſcendit in montem, eſſe intra eccleſiam, & per fretum, id eſt, per ſeculum ferri uſq; in id tempus iubet, quo reuertens in claritatis aduentu, populo omni, qui ex Iſrael erit reliquus, ſalutem reddet ipſe, eiusq; peccata dimittet, dimiſſoq;, uel in cœleſte regnum potius admiſſo, agens deo patri gratias, in gloria eius & maieſtate conſiſtat. Sed inter hæc diſcipuli uento ac mari differuntur, & totis ſeculi motibus immundo ſpiritu aduerſante iactantur. Sed quarta uigilia dominus uenit. Quarto enim tum ad eccleſiam uagam & naufragam reuertetur. In quarta enim noctis uigilia totidem ſolicitudinis eius numerus reperitur. Prima enim uigilia fuit legis, ſecunda prophetarum, tertia corporalis aduentus, quarta autem in reditu claritatis. Sed inueniet feſſam & antichriſti ſpiritu, & totius ſeculi motibus circumactam. Veniet enim maxime anxijs atque uexatis. Et quia de antichriſti conſuetudine ad omnem tentationum nouitatem ſoliciti erunt, etiam ad domini aduentum expaueſcent, falſas rerum imagines, & ſubrepentia oculis figmenta metuẽtes. Sed bonus dominus ſtatim loquetur, timoremq; repelet, dicetq; ego ſum, aduentus ſui fide metũ naufragij imminentis abſpel-

lens

lens. Quòd uero ex omniũ consistentium in naui numero respondere Petrus solus audet, & iuberi sibi, ut super aquas ad dominum ueniat precatur, passionis tempore uoluntatis suæ designat affectum, tum cum solus retro ueniens,& uestigijs domini inhærens,contemptis seculi,ut maris,motibus, pari ad contemnendam mortem uirtute comitatus est, sed infirmitatem futuræ tentationis timiditas eius ostendit. Nam quamuis incedere ausus esset, tamen submergebatur. Per imbecillitatem enim carnis & metum mortis, etiam usque ad negandi necessitatem coactus est.Sed proclamat, & salutem orat à domino.Clamor iste pœnitentiæ ipsius gemitus est. nondum enim passo domino in confessionem reuersus est, & negandi ueniam habuit in tempore, Christo postea pro uniuersorum redemptione passuro.Quòd autem trepidanti illi non uirtutem perueniendi ad se dominus indulsit,sed manum extendit,apprehensumq; sustinuit, hæc ratio est: Non erat quidem Petrus domini sui indignus accessu, nam & tentauit accedere,sed & typicus in eo ordo seruatus est.Non enim domino seculi motus tempestatesq; calcanti quisquã passionis esse particeps poterat. Solus enim passurus pro omnibus omniũ peccata soluebat, nec socium admittit quicquid uniuersitati præstatur ab uno: ita cum esset ipse redemptio uniuersorum,erat etiã Petrus ante redimendus,ad redemptionis istius fidem, cum in Christi martyrem reseruatur.Et hoc in Petro cõsiderandum est, fide eum cæteros anteisse.Nam ignorantibus cæteris primus respondit: Tu es filius dei uiui.Primus passionem,dum malum putat,detestatus est. Primus & moriturum se,& non negaturum spopondit. Primus lauari sibi pedes prohibuit.Gladium quoq; aduersus eos,qui dominum comprehendebant,eduxit. Ascensu autem eius in nauim uentum & mare esse sedatum, post claritatis suæ reditum, æternæ ecclesiæ pax & tranquillitas indicatur. Et quia tum manifestus aduenier, recte admirantes uniuersi loquuti sunt: Vere filius dei est.Confessio enim uniuersorum tum & absoluta & publica erit,dei filium non iam in humilitate corporea, sed in gloria cœlesti pacem ecclesiæ reddidisse. Cum transfretassent, uenerunt in terram Gennassar,& cum cognouissent eum uiri loci illius,adorabant eum.) Multa & media inciderunt,quæ nos post quinq; milium uirorũ & congregationem & satietatem reddendę rationis studio demorata sunt,sensus autem usq; in hunc locum idem est.Finitis enim legis temporibus,& ex Israël quinq; milibus uirorum intra ecclesiam collocatis, iam credentium populus occurrit, iam ipse ex lege per fidem saluus,reliquos ex suis infirmos ęgrotosq; offerens domino,oblaticq; fimbrias uestimentorũ cõtingere optabãt,sani per fidem futuri:sed ut ex ueste tota fimbrię,ita ex domino nostro Iesu Christo sancti spiritus uirtus exijt,quæ apostolis data ipsis quoq; rancq; ex eodem corpore exeuntibus salutem his,qui contingere cupiunt, subministrant.

Tunc

Tunc acceſſerunt ad eum ſcribæ & phariſæi ab Hieroſolymis dicentes, &c.) Abſoluta & dictorum & geſtorum in cõſequentibus ratio eſt, nam his quæ propoſita fuerant, ipſe reſpondit: Omnem plantationem quę non à patre ſit, eradicandam dicens, id eſt, traditionem hominum euendam, cuius fauore legis precepta tranſgreſſi ſunt, & ideo eſſe eos duces cæcos, uitæ æternæ iter quod non uideant pollicentes, cæciſq; ipſis & ducibus cæcorum caſum in foueam eſſe communem.

De lauandis manibus. Et non ea quæ in os intrant, ſed ea quæ ex ore exeunt, inquinare. De filia Cananeæ mulieris. De ſeptẽ panibus & paucis piſcibus. De ſigno Ionæ prophetæ. Canon XV

ET egreſſus inde Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis, & ecce Cananea à finibus illis egreſſa, clamauit, & reliqua.) Diuerſa curationum genera diuerſos cauſarum cõplectũtur effectus, ſed res atq; ſermo ordinem ex ſuperioribus ſumit. Infidelitatẽ enim phariſæorum, & opprobrium cæcorum ducum, & humanarum traditionum ſuperſtitiones coarguit, & poſt hæc ad regiones Tyri & Sidonis uenit, & Cananea à finibus illis egreſſa, clamat atq; orat, & dominum Dauid filium confitetur, & filiæ ſuæ opem poſcit. Dominus ſilet, diſcipuli pro ea rogant, quibus ſe perditis ouibus domus Iſraël miſſum eſſe reſpondit. Illa uero adorans, adiuuari ſe poſtulat, cui dominus ait: Illicitum eſſe panem filiorũ canibus offerri. Viciſſimq; illa reſpondit: Decidẽtibus de menſa dominorum micis ali catellos ſolere. Poſtq; fidem eius dominus collaudat, & in tempore ipſo puellæ ſanitas reddita eſt. Vt igitur illa quæ geſta ſunt interior traditio conſequatur, quæ Cananeæ perſona ſit, ex ipſis uerborum uirtutibus cõtuendum eſt. Fuiſſe atq; etiam eſſe penes Iſrael proſelitorum plebem fides certa eſt, quæ de gentibus in legis opera tranſcendit, & uitæ anterioris egreſſa religione peregrinæ dominãtisq; legis tanq; domo continebatur. Cananæi autem fuerunt, terras, in quibus nũc Iudæa eſt, incolentes, qui uel bello conſumpti, uel in loca uicina diſperſi, uel in ſeruitutem deuictorum conditione ſubiecti, nomen tantũ ſine patria ſede circumferunt. Plebs igitur hæc cum Iudæis admixta de gentibus eſt. Et quia non eſt ambiguũ in ea turba quę credidit, partem nõnullam proſelytorũ fuiſſe, merito hæc Cananea proſelytorum formã præferens, exiſtimabitur fines ſuos egreſſa, ex gentibus ſcilicet populi alterius nomen excedens, quæ pro filia, uidelicet gentium plebe orat, & quia dominũ cognouit ex lege, Dauid filium nuncupat. In lege enim uirga de radice Ieſſe, & Dauid filius æterni & cœleſtis regni rex continetur. Ipſa quidem curatione iam non eget, quia Chriſtum & dominum, & Dauid filium cõfitetur, ſed filiæ ſuæ, plebi uidelicet gentium, dominatu immundorum ſpirituum occupatæ, opem poſcit. Dominus tacet, ſilentij pœnitentia Iſrael priuilegium ſalutis reſeruans.

Et miſe-

Et miſerantes diſcipuli preces iungunt,ſed arcanum ille paternæ uoluntatis continens,ouibus ſe perditis Iſraël miſſum eſſe reſpõdit, ut abſolute liqueret, typum eccleſiæ Cananeæ filiam continere, cum illa poſceret quod aliis deferebatur,nõ quòd non & gentibus impertienda ſalus eſſet, ſed ſuis dominis ad quæ in ſua uenerat, primitias fidei his à quibus erat ortus explicat,cæteris deinceps apoſtolorum prædicatione ſaluandis.Atq; ideo ait:

Non licet accipere panem filiorũ & dare canibus.) Delatus Iſraël honor,affectus in eum dei cumulat inuidiam,iuxta quem plebes gentium accipit canum nomen,ſed Cananea iam ipſa per fidem ſalua,& interioris certa myſterij reſpondit,micis quæ de menſa exciderint paſci catellos, canum opprobrio iam ſub blandimento diminutiui nominis mitigato. Et ut ſilentium domini intelligeremus ex ratione temporis, non ex uoluntatis difficultate proficiſci,adiecit: O mulier,magna eſt fides tua.) Salutis ſuæ ſcilicet ipſa iam certa,quin etiam de gentium congregatione confidat, quo in tempore ita credentes,mox,ut puella,ab omni dominatu immundorũ ſpirituum liberabuntur,& continuo facti fides ſequitur.Nam poſt præfigurata in Cananeæ filia gentiũ plebem, continuo in monte obſeſſi uario genere morborum à turbis domino offeruntur,id eſt, à credentibus infideles ægroticq; ut adorent & procidant inſtruuntur,quibuscq; ſalus redditur,atq; ad ſentiendum,contuendum,laudandum,comitandumcq; deum omnia & mentis & corporis miniſteria reformantur. Ieſus autem conuocatis diſcipulis ait: Miſereor turbæ huic, quia triduum eſt iam quòd perſeuerat mecũm,& reliqua.) Tenet ordinem curſus operandi, ſed & operibus iiſdem ſermonum paratio ſuccedit.In filia enim Cananeæ eccleſiæ formam conſtitutam meminimus,& conſequentis populi curationẽ concurſu ægrotarum gentium eſſe tradidimus.Nunc ergo diligẽter & dicta domini & facta tractanda ſunt,ut uideamus an ſuperioris tractatus, atq; huius ſermo,ita ut à nobis intelligi traditus eſt, etiam ex conſequentibus eiuſdem intelligentiæ accipiat autoritatem.Miſeretur turbæ dominus,quòd triduum ſecum maneat,quam dimittere ieiunam non uult,ne in uia præ inedia deficiat. Cauſantur diſcipuli panes nõ eſſe tantos,quibus expleri ſaturariq; poſſint.Percunctatus eſt dominus quot panes haberẽt. Reſponderunt illi:ſeptem panes eſſe,& paucos piſces.Turbis iubetur in terrã diſcumbere,& dominus panes ac piſces accipiens gratias egit,ac fregit,& diſcipulis præfracta ut offerrent dedit, ſed fragmenta panũ ſeptem paucorumq; piſciũ explent uirorũ quatuor milia,ita tamen,ut replendis ſeptem ſportis præfractus panis, ſaturatis omnibus,abundauerit.Et occurrũt quidẽ multa quæ noua ſunt.Diſcipuli unius diei ieiuniũ miſerantes,quinq; milia uirorũ ad coëmundos cibos remitti in caſtellã uoluerunt, nunc toto triduo tacent. Et deinceps fœno ſuperior turba ſubſternitur, hæc accumbit in terra: illic quinque panes, hic ſep-

hic ſeptem offeruntur:illic duo piſces, hic indefinitus ſub paucitatis tamen ſignificatione numerus eſt:illic quinq; milia uirorũ, hic quatuor: illic duodecim cophini,hic ſeptem ſportæ repletæ. Et ſuperioribus quidẽ puto eſſe reſponſum, & omnia iuxta perſonam populi congruenter eſſe ſubiecta, nunc quoq; competentem rei atq; cauſę rationẽ afferre tentemus,ut quem admodum illa Iudaicæ credentium congruunt plebi, ita hæc populo gentium comparentur.Ordo igitur idem in ſermone domini eſt, qui in conſequenda gratia manet.Venturi enim ad baptiſmum, prius confitentur credere ſe in dei filio,& in paſſione ac reſurrectione eius. Et huic profeſſionis ſacramento fides redditur. Atq; ut hanc uerborum ſponſionem quædam rerum ipſarum ueritas cõſequatur,toto in ieiunijs paſſionis dominicæ tempore demorantes,quadam domino compaſſionis ſocietate iunguntur.Igitur ſiue ex ſponſionis ſacramento,ſiue ieiunio, omne illud paſſionis dominicæ cum domino agũt tempus.Et huius ſpei atq; comitatus dominus miſertus ait:triduo ſecum eſſe,quos ne in uitæ ſecularis curſu,id eſt,in uiæ opere defectio labefactaret,uult cibo ſuo alere,atq; ad peragendum totius itineris fortitudinem panis ſui uirtute firmare, conquerentibus diſcipulis panes in deſerto nullos eſſe.Atqui in ſuperioribus exemplum ſumpſerãt, nihil impoſſibile deo eſſe.Sed geſtorum cauſæ rationem interioris intelligentiæ moliuntur. Quantus enim apoſtolorum in ſaluando Iſraël fauor fuerit, beatiſſimi Pauli epiſtolæ docent, atq; ideo eodem demorante,nunc in concurſu gentium,& de pane cauſatio,& de ieiunio ſilentium introducitur. Panes igitur ſeptem offeruntur.Nulla enim ex lege & prophetis gentibus ſalus ſumitur,ſed per gratiam ſpiritus uiuunt,cuius ſeptiforme, ut per Eſaiam traditum,munus eſt.Ergo ſpiritus per fidem ſalus gentibus eſt, quæ in terram recumbunt.Nullis enim legis operibus fuerant ante ſubſtratæ, ſed peccatorum & corporum ſuorum origini hærentes,ad donum ſpiritus ſeptiformis uocantur. Indefinitus piſcium numerus,diuerſorum donorum & chariſmatum partitiones miniſtrationeſq; ſignificat, quibus fides gentium gratiarum diuerſitate ſatiatur. Sed quod ſeptem ſportæ replentur, redundans & mutiplicata ſeptiformis ſpiritus copia indicatur, cui quod largiatur exuberat,fitq; *ſaturitas nobis ditior ſemper & plenior. Quòd uero quatuor milia uirorum congregantur,multitudo innumerabilium ex quatuor orbis partibus intelligitur.Ad formam enim futuri in tot partium milia plebs dinumerata ſatiatur, quotidem de partibus ad cœleſtis cibi donũ concurſura eſſent milia crediturorum.Turba igitur dimittitur ſatiata & expleta.Et quia omnibus diebus uitæ noſtræ nobiſcum dominus manet, nauem,id eſt,eccleſiam credentium plebe comitatus ingreditur.

*Alĳ ſaturatis

De long

De Ionæ prophetæ ſigno,& de fermento Phariſæorum. De confeſſione Petri. De benedictione domini. Et de ſe abnegando qui Chriſtum ſequi uoluerit. Canon XVI

ET acceſſerunt ad eum phariſæi & Sadducæi tentantes,& rogauerunt eum ut ſignum de cœlo illis oſtenderet,& reliqua.) Ad ſunt Phariſæi & Sadducæi legis fiducia inſolentes, dedignantesq; opera uirtutum,fidei ſignum oſtendi ſibi de cœlo precantur, humilitatem in Chriſto carnis & corporis contuentes, doctrinam ex his quæ ſub hominis habitu gerebat dedignantur accipere. Quorum inſolentiam & inanitatem irridens,multa eos de natura cœli conſpicere ſolere reſpondit,quum rubicundo aut ortu, aut ueſpere,ſerenũ nimboſum'ue pronunciant. Porrò autem ignorare eos temporũ ſigna, cum omnis lex & prophetæ aduentus ſui indicia ex operũ quæ gereret admiratione ſignificent, ut quemadmodũ fidem tempeſtatis cœli uel matutini, uel ueſperis rubor redderet,ita manifeſtam temporum cognitionem uirtutum atq; operũ indicia præſtare deberent. Sed ortus è cœlo ſignum his terreſtre conſtituit, ut eos intra confeſſionem humilitatis corporeæ contineret, dandũ dicens Ionæ ſignum. Huic ſe dominus comparat,quem ad futuræ paſſionis effectum in prædicationem pœnitentiæ ad Niniuitas pari ſpecie præmiſerat. Nanq; Ionas uentis deſæuientibus proiectus è naui eſt & deuoratus à ceto,& poſt triduum uiuus emiſſus,non retentus à monſtro,non cibi conditione confectus, ſed contra humani corporis naturam integer & illæſus in auras ſuperas uirtute dominicæ prefigurationis euadit. Hoc ergo poteſtatis ſuæ ſignum cõſtitutum eſſe demonſtrat, ipſe remiſſionem peccatorum per pœnitentiam prædicans, de Hieruſalem uel ſynagoga immundorum ſpirituum dominãte flatu eijciendus,& Pilati poteſtati, id eſt,ſeculi iudicio tradendus,& à morte tanq; elemẽti eiuſdem monſtro glutiendus, & poſt triduũ ex ea contra cõditionem hominis quẽ aſſumpſerat non retentus, uiuus atq; incorruptus emergens. Ea igitur quæ in homine de cõceptu uirginis ſumpto,diuinarũ erant plena uirtutũ, cognoſci atq; intelligi de ſe uoluit,& prophetæ ſigno & hominis exemplo. Et relictis illis abijt.) Non ſicut locis alijs legitur: Dimiſſis turbis abijt, ſed quia infidelitatis error inſolentium animos obtinebat, non dimiſiſſe eos ſcribitur,ſed reliquiſſe. Et cum ueniſſet trans fretũ,obliti ſunt diſcipuli eius panes accipere, Ieſus autẽ dixit illis: Attendite uobis à fermẽto Phariſæorũ & Sadducæorũ &c.) Abſoluta omnis de fermẽto Phariſæorũ & Sadducæorũ obſcuritas eſt. Quòd autem abſtinere ſe eo apoſtoli iubẽtur, nõ admiſceri doctrinæ Iudæorum monentur,quia legis opera in effectũ fidei & præformationẽ rerum conſequentium cõſtituta ſint, ut in quorũ tempora atq; ætatẽ ueritas cõtigiſſet, nihil ultra in ueritatis ſimilitudine ſpei poſitum arbitrarentur, ne doctrina

Phariſæorũ Chriſtum neſciens effectus ueritatis euangelicæ corrumperet.

Venit autem Ieſus in partes Cæſareæ Philippi,& interrogat diſcipulos ſuos,& reliqua.) In proceſſu ſermonis atq; operis abſolutius diſcipulis cognitionem ſuam præſtat, & quandam intelligendi ſe formam rationemq; cõſtituit.Eſt autem hæc uera & inuiolabilis fides ex deo æternitatis, cui ob id quod ſemper filius fuerat,ſemper & ius patris & nomen ſit, ne ſi nõ ſemper filius, non ſemper & pater ſit,deum filium profectum fuiſſe, cui ſit ex æternitate parentis æternitas. Naſci autem eum uoluntas eius fuit,cuius in uirtute ac poteſtate inerat ut naſceret.Eſt ergo filius dei ex deo deus, unus in utroq;. Theotetam enim,quam deitatem Latine nuncupant,æterni eius parentis ex quo naſcendo eſt profectus accepit. Accepit autem hoc quod erat,& natum eſt uerbum quod fuit ſemper in patre.Atq; ita filius & æternus & natus eſt,quia non aliud in eo natum eſt, quàm quod æternum eſt. Hunc igitur aſſumpſiſſe corpus,& hominem factum eſſe,perfecta confeſſio eſt,quia ſicut æternitas naturæ noſtræ corpus accepit,ita cognoſcẽdum eſt,naturã corporis noſtri æternitatis aſſumere poſſe uirtutem. Igitur quia ſummum in fide iſta bonum eſt,à diſcipulis requirit,quem ſe homines eſſe dicerent:& adiecit,hominis filium.Hæc enim cõfeſſionis tenenda ratio eſt, ut ſicut dei filium,ita & filium hominis meminerimus,quia alterum ſine altero nihil ſpei tribuit ad ſalutem.Æditis itaq;,quæ diuerſæ de eo erant,hominum opinionibus, quid de ſe ipſi ſentiant quærit.Petrus reſpõdit: Tu es Chriſtus filius dei uiui.) Sed Petrus conditiones propoſitionis expenderit. Dominus enim dixerat: Quem me homines eſſe dicunt, filiũ hominis? Et certe filium hominis contemplatio corporis præferebat, ſed addendo,quẽ me eſſe dicunt,ſignificauit prẽter id quod in ſe uidebatur eſſe aliud ſentiendum,erat enim hominis filius. Quod igitur de ſe opinãdi iudicium deſiderabat? Non illud arbitramur,quod de ſe ipſe confeſſus eſt,ſed occultum erat de quo quærebatur, in quod ſe credentiũ fides debebat extendere.Et dignum planè confeſſio Petri præmium cõſecuta eſt, quia dei filium in homine uidiſſet. Beatus hic eſt,ut ultra humanũ oculos intendiſſe & uidiſſe laudatus eſt,non id quod ex carne & ſanguine erat,contuens, ſed dei filium cœleſtis patris reuelatione cõſpiciens, dignusq; iudicatus, qui quod in Chriſto dei eſſet,primus cognoſceret.O in nuncupatione noui nominis felix eccleſiæ fundamentum,dignaq; ædificatione illius petra,quę infernas leges,& tartari portas,& omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cœli ianitor,cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur,cuius terreſtre iudiciũ præiudicata autoritas ſit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata ſunt aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionẽ obtineant & in cœlo.Iubet etiam diſcipulis, ne loquantur quòd ipſe eſt Chriſtus,alios enim ſpiritus ſui teſtes eſſe oportebat, legem uidelicet & prophetas. Cæterum reſurrectionis teſtimonium proprium

θεότητα, neſcio an Theotetã dixerit, quemadmodũ alibi dixit rheumã, diapſalmam, & mannam

Eccleſiæ fundamẽtũ fides

propriũ eſt apoſtolorũ. Et quia ſcientiũ in ſpiritu Chriſtũ beatitudo monſtrata eſt, negatæ rurſum humilitatis & paſſionis eius periculũ declaratur. Nam cum prædicare cœpiſſet, oportere ſe Hieroſolymam ire, pati deinde plura à ſenioribus plebis, & à ſcribis & principibus ſacerdotũ: occidi etiam, & poſt diem tertium reſurgere. Apprehendens eum Petrus ait: Abſit à te domine, non erit iſtud. At ipſe conuerſus, Petro dixit: Vade retro poſt me ſatana, ſcandalum mihi es. Vt enim dei munus eſt, Chriſtum in ſpiritu deum noſſe, ita zaboli opus eſt, Chriſtũ in homine neſcire. Atq; eiuſdem periculi res eſt, uel corpus dicere ſine deo, uel deum ſine corpore. Corpus autem carnis huius in æternitate ſpiritus deo nullum eſt, uerum humanę ſalutis cauſa Chriſtus in corpore eſt, quod aſſumpſit ex homine. Igitur poſt prædicationem paſſionis accipiens diabolus facultatem (uſque ad tempus enim ab eo ſeceſſerat, quia incredibile ſatis apoſtolis uideretur, eum in quo deus erat eſſe paſſibilem) ſumens hanc humanæ infidelitatis occaſionem, opinionis iſtius Petro inſinuauit affectum. Deniq; ita paſſionem deteſtatus eſt, ut dixerit: abſit, quo uerbo rerum deteſtandarum execratio continetur. Sed ſciens dominus zabolicæ artis inſtinctum, Petro ait: Vade retro poſt me, id eſt, ut exemplo ſe paſſionis ſequatur. In eum uero per quẽ opinio hæc ſuggerebatur conuerſus, adiecit: Satana ſcãndalum mihi es. Non enim conuenit exiſtimare, Petro ſatanæ nomen & offenſionem ſcandali deputari, poſt illa indultæ & beatitudinis & poteſtatis tanta præconia. Sed quia infidelitas omnis diaboli opus eſt, Petri reſponſione dominus offenſus, cum opprobrio nominis infidelitatis iſtius eſt deteſtatus autorem. *Abſit*

Tum Ieſus dixit diſcipulis ſuis: Si quis uult poſt me uenire, abneget ſe ipſum, & reliqua.) O beatum damnum, & iactura felix. Diteſcere nos dominus detrimento animæ & corporis uoluit, & eſſe ſui ſimiles hortatur, quia ipſe in figura dei conſtitutus, uſque ad mortem humilis & obediens factus, principatum poteſtatis totius quæ in deo eſt, accepit. Sequendus igitur eſt cruce aſſumpta, & paſſionis ſuæ ſi non ſorte, attamen uoluntate comitandus eſt. Quid enim prodeſt occupaſſe mundum, & toto terrenæ poteſtatis dominatu opibus ſeculi incubare, ſi perdenda anima, & ſuſcipiendum uitæ detrimentũ eſt? Quæ autem commutatio pro anima, cum fuerit amiſſa quæretur? Cum angelis enim Chriſtus aderit, reddens ſingulis ut merebuntur. Quid offeremus ad uitam? Præparatos credo æternarum opum futuris commercijs theſauros, ambitioſos dignitatum famæq; titulos, aut ueteres delegatę nobilitatis imagines? Neganda ſunt hæc omnia, ut melioribus abundemus, & contemptu uniuerſorum Chriſtus ſequendus eſt, & æternitas ſpiritualium, terrenorum damno eſt comparanda.

Vbi in monte cum Moyſe & Helia uidetur,& uox de cœlo auditur. Vbi puerũ lunaticum ſaluat.De credentium fide.De didrachma poſtulata,& ſtatere in ore piſcis inuento. Canon XVII

AMen amen dico uobis, quoniam ſunt quidam de adſtãtibus iſtis,qui mortem non guſtabunt,donec uideant filiũ hominis uenientem in regno ſuo &c.) Docet dominus & rebus & uerbis, & fidem ſpei noſtræ æqualiter ſermo atq; opus inſtruũt. Graue enim onus infirmitati humanæ impoſuerat,ut cum ſenſum uitę homines ex uiuendi affectu habere cœpiſſent,fructum eius qui præſens corporibus blandiebatur amitterẽt,negarentq; ſe ſibi,id eſt, quod eſſe cœpiſſent,eſſe ſe nollent,cum ſenſus huius exordiũ ex affectu uoluntatis habuiſſent. Deinde opinionem ſpei ambiguæ incertæq; ſequerentur, cum in his quæ præſentia haberentur, illecebræ gaudij blandientis exiſterent. Opus ergo erat ueri ac manifeſti exempli autoritate, ut contra uim ſenſumq; iudicij optabile fieret præſentium damnum,lucro deinceps non ambiguo futurorum.Igitur poſtq; & tollendam crucem,& perdendam animã,& damno mundi commutandam uitæ æternitatem monuerat,conuerſus ad diſcipulos ait: quoſdam ex his futuros,qui guſtaturi mortẽ non eſſent, donec filium hominis in regni ſui gloria cõtuerentur. Ex conditione autem guſtatus,tenuem quandã fidelibus libationem mortis oſtendit. Itaq; uerba res ſequitur. Nam poſt ſex dies Petrus, Iacobus & Ioannes aſſumuntur ſeorſum,& in excelſo monte conſiſtunt, ipſisq; inſpectantibus dominus tranſfiguratur,& toto claritatis ſuæ habitu circũſplendet.Et in hoc quidem facti genere ſeruatur & ratio & numerus & exemplũ.Nam poſt dies ſex gloriæ dominicæ habitus oſtenditur,ſex milium ſcilicet annorũ temporibus euolutis,regni cœleſtis honor præfiguratur: tribusq; aſſumptis, de trium origine,Sem,Cham,Iaphet,futura electio populi oſtẽditur. Quòd aũt Moyſes & Helias ex omni ſanctorum numero aſſiſtunt, medius inter legem & prophetas Chriſtus in regno eſt.Cum his enim Iſraëlem, quibus teſtibus prædicatus eſt,iudicabit,ſimulq; ut & humanis corporibus decreta eſſe reſurrectionis gloria doceretur,cum quando Moyſes cõſpicabilis adſtitiſſet, ipſe aũt dominus fit niue ac ſole candidior,ſupra opinionẽ ſcilicet noſtram cœleſtis luminis ſplendore cõſpicuus. Petro aũt ut tria illic tabernacula fierent offerenti nihil reſpondetur. Nondũ enim ut in hac gloria cõſiſteretur erat tempus,ſed loquente adhuc eo,nubes eos candida inumbrauit,& diuinæ uirtutis ſpiritu ambiuntur.Hunc eſſe filiũ,hunc dilectũ,hunc complacitum,hunc audiendũ,uox de nube ſignificat, ut idoneus ipſe præceptorum talium autor eſſet,qui poſt ſeculi damnũ,poſt crucis uoluntatem,poſt obitum corporeum,regni cœleſtis gloriam ex mortuorum reſurrectione facti confirmaſſet exemplo.Territos deinde & conſternatos eleuauit, ut ſolum

contue/

contuerentur,quem medium constitisse inter Moysen & Heliam uiderant. Ad futuri enim formã,atq; ad facti fidem Moyses & Helias in monte constiterant. Silentium enim rerum gestarum quas uiderant imperat, donec à mortuis resurgeret. Hoc enim fidei prẽmium reseruabatur,ut honor redderetur his,apud quos non leuis sola præceptorum autoritas reperiretur. Infirmos enim sanauerat ad uocis auditum,ut cum essent spiritu sancto repleti,tunc gestorum spiritualiũ testes essent. Soliciti etiam de temporibus Heliæ requirunt,quibus respondit: Heliam esse uenturũ, & restituere uniuersa,id est,reliquũ quod deprehenderit ex Israël ad cognitionem dei reuocaturum. Sed in uirtute ac spiritu Heliæ Ioannẽ uenisse significat,in quo grauia quæq; atq; aspera exercuissent,ut domini aduentũ prænuncians, passionem quoq; præcurreret & iniuriæ & uexationis exemplo. Et cum uenisset ad turbam,accessit ad eum homo genibus prouolutus dicens: Domine miserere filio meo.) Reuerso ad turbas domino,à patre genibus aduoluto puer offertur dæmoniacus,frequẽter & in aquã decidens,& in ignem, cui curationem afferre discipuli non potuerunt. Obiurgatis his, & increpato dæmone,sanus puer factus est. Crediderunt quidem apostoli,sed nondum erant perfectæ fidei. Nã domino in monte demorãte,& ipsis cum turbis residentibus,quidam tempore eorũ fidem relaxauerat, atq; idcirco ait:

Generatio incredibilis & peruersa,quousq; ero uobiscũ?) Quia absente se antiquæ infidelitatis consuetudo subrepserat. Docet igitur,eos nihil salutis afferre posse, qui medio euangeliorum & iterati aduentus sui tempore à fide tanquam domino absente decesserint. Deniq; quærentibus à se, quur dæmoniũ eijcere non potuissent,respondit, de inopia fidei effectum fuisse,ne possent, quæ si in illis tanquam granum sinapis esset, monti huic ut à loco in locum transiret,cum efficiendi potestate præciperent. Sed iam de monte decesserat,& inter turbas hæc loquebatur. Itaq; & se granum sinapis nuncupauit omniũ minimũ,& diabolũ montem cognominauit,quia in illo spirituales nequitiæ sunt,cœlestesq; uirtutes per eos eijciendas, & in altitudinem maris tanq; in profundũ inferni abijciendas, quos in hanc efficaciam ieiunium & oratio prosequentur. Tenebimus quoq; etiam eum ordinem,ut sub discipulorum nomine pharisæorum & scribarũ persona tractetur,quibus lex curãdum ut discipulis populum tanq; pater filium, cum dominus abesset obtulerit. Qui peccatis dominantibus, nunc in ignem iudicij decidebat, nunc in aquam diurnarum sordium suarum consuetudine mergebatur. Hi igitur nihil opis attulerunt, quia demorante Moyse cum domino in monte,effecti fuerunt infideles, ut typica ratio impleretur. Discipuli mirantur se eijcere dęmonem nõ potuisse, cum omnis potestas non solum dæmonum fugandorum, uerum etiam mortuorum excitandorum esset indulta. Quia uero ultra cum his lex futura non esset,ait: Generatio

incredibilis & peruerſa (non enim ad eos quos ſanctificauerat, uidetur hęc loqui) quouſque, inquit, ero uobiſcum? Quia fidem non habentes, ipſam illam quam habebant, amiſſuri erant legem, quã fidem ſi in ſe habuiſſent, quia ipſe eſt granũ ſinapis, uerbi uirtute hoc peccatorum onus, & grauem infidelitatis molem ab eo qui offerebatur populo eieciſſent, tanq; in mare montem, ſic ad conuerſionem gentiũ & ſeculi tranſtuliſſent. Ipſis autem conuerſantibus in Galilæa, dixit Ieſus: Futurum eſt ut filius hominis tradatur in manus hominum.) Sequitur mœſtitia cognitionẽ paſſionis. Nondum enim ſacramentum ineundæ crucis, reſurrectionis uirtute fuerat reuelatum. Et cum ueniſſet Ieſus Capernaum, acceſſerũt qui didrachmam exigebant ad Petrum, dominus didrachmam ſoluere poſtulatur.) Hoc enim omni Iſraëli lex pro redemptione animæ & corporis conſtituerat in miniſterio templi ſeruientium. Sed lex, ut ſcimus, futurorum umbra eſt. Non enim æris preciũ deus deſiderabat, ut tam exigua impenſa criminibus corporis atq; animæ quædã redemptio concederetur. Vt igitur inſcriptos nos & profeſſos, & Chriſti nomine conſignatos offeramus in Chriſto, qui uerum dei templũ eſt, pro teſtimonio filij dei huius didrachmæ oblatio conſtituta eſt. Itaq; Petrum poſt conuentionẽ ſilentem tali ſermone pręuenit: Quid tibi uidetur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum aut cenſum? &c.) Nunquid ambiguũ eſt, filios regum tributis obnoxios non eſſe? Et quibus regni ueritas eſt, eos eſſe liberos à ſeruitute? Sed ſermo interius intendit. Poſtulatur didrachma à populo. Lex enim in eam fidem, quę per Chriſtum erat, reuelanda cõcluditur. Ergo hæc eadem didrachma conſuetudine legis, tanquam ab homine poſcebatur à Chriſto, ſed ut oſtenderet, legi ſe non eſſe ſubiectum, & ut in ſe paternæ dignitatis gloriam conſtaretur, terreni priuilegij poſuit exemplum, cenſu aut tributis regum filios non teneri, potiusq; ſe redemptorem animæ noſtræ corporisq; eſſe, quàm in redemptionem ſui aliquid poſtulandum, quia regis filium extra communionem oporteret eſſe reliquorum. Scandalo igitur præſtat ut ſoluat, cæterum debito legis eſt liber. Dehinc ſub rerum præſentium effectu, & ſignificantiam legis, & conſtantiam euangelicæ libertatis expoſuit, ut cognoſci promptum eſſet, quid didrachma præfiguraret in lege. Ire Petrus iubetur ad mare, hamumq; mittere, & primi piſcis aſcendentis os requirere, repertumq; in eo ſtaterem pro ſe ac domino offerre. Didrachmam dominus poſtulatur, id eſt, denarios duos, quur ſtaterem Petrus offerret: deinde cum primum piſcem admonetur inquirere, aſcenſuri oſtenduntur & plures. Nunquid etiam natura piſciũ ferret, ut in littore fortuito repertum ſtaterem ore potius contineret, non intra uiſcera conderet? Subeſt igitur efficiendis præſentibus rebus ratio interior. Deſtinatus enim ad prædicationem Petrus, & piſcator hominum factus, doctrinæ hamum miſit in ſeculo

Ita dicit didrachma didrachmæ, quẽ admodũ aliâs hæc rheuma, niſi quòd ſuſpicor, librariorum hoc uitium eſſe. Itaq; mutauimus ſcripturam

culo, quo appoſiti cibi dulcedine uagos ex eo fluctuantesq; protraheret. Huic adhæſit beatus ille primus martyr à domino, qui ore ſuo quadrigeminum denarium cõtinebat, id eſt, euangelici numeri unitate, dei gloriam, dominumq; Chriſtum in paſſione contuens prædicabat. Stephanus igitur primus aſcendit. Stephanus ſtaterem ore continuit, in quo etiam didrachma nouæ prædicationis, tanquam duo denarij, habebatur: hoc lex præfigurabat, huius ueritatis umbram tanquam corporis imaginem circumferebat. Hæc redemptio animæ & corporis deſignabatur, ideoq; ait: Da pro me & te. Quia iam talis non didrachma, ſed ſtater, & pro Chriſto erat & pro Chriſti prædicatione ſoluendus.

De infantibus inhibitis. De humilitate eorum aſſumenda. De manu & pede & oculo eruendo. De oue perdita. De corripiẽdis fratribus, ſecreto primum, tum duobus teſtibus, poſtremo eccleſia præſente. Et quòd ſemper ignoſcendum. Qui conſeruum ſuum remiſſo ſibi à domino debito ſuffocauit. Canon XVIII

IN illa die acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis putas maior eſt in regno cœlorũ? & reliqua.) Non niſi reuerſos in naturam puerorum introire regnum cœlorum dominus docet, id eſt, per ſimplicitatem puerilem uitia corporum noſtrorum animæq; reuocanda. Pueros autem credẽtes omnes per*audientium fidem nuncupauit. Hi enim patrem ſequuntur, matrem amant, proximo uelle malum neſciunt, curam opum negligunt, non inſoleſcunt, non oderũt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt, uerũ habent. Et hæc omnium affectionum aſſumpta nobis & conſuetudo & uoluntas cœlorũ iter peruium pręſtat. Reuertendum igitur eſt ad ſimplicitatem infantium, quia in ea collocati ſpeciem humilitatis dominicæ circumferemus. Si qui autem in Chriſti nomine tales receperint, Chriſti recepti præmium conſequẽtur. Qui autem ſcandalizauerit unum de puſillis iſtis, id eſt, qui offendiculum tentationis intulerit, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Tot tantæq; res non ocioſe comparatæ ſunt, & mola, & aſinaria, & cum ea in mari mergendus, & hoc ei expediens. Communi omnium ſenſu quod expedit, utile eſt. Quid ergo utilitatis eſt, mola aſinaria collo ſuſpenſa demergi? Mors enim tam grauis proficiet ad pœnam, & neſcio quomodo erit utile, id expetere, quod ultimum ſit malorum. Quid ergo ſentiri oporteat, quærendũ eſt. Molæ opus labor eſt cæcitatis, nam clauſis iumentorũ oculis aguntur in gyrũ. Et ſub aſini quidẽ nomine frequenter gentes cognominatas reperimus. Igitur gentes quod agunt, neſciunt, & in uitæ ſuæ opere detentæ, cæci laboris ignorantia continentur. Iudæis autem ſcientiæ iter in lege pręſtratum eſt, qui ſi Chriſti apoſtolos ſcandalizauerint, rectius illigata collo mola aſinaria demerſi in mari

*Als audictiæ

fuiſſent,id eſt,gentium labore depreſſi,in ignorantia ſeculi demorarentur, quia illis tolerabilius fuerit neſciſſe Chriſtū, quàm iſtis prophetatum non recepiſſe. Væ huic mundo ab ſcandalis.Neceſſe eſt enim uenire ſcandala,ueruntamen uæ homini illi per quem ſcandalū uenit.) Humilitas paſſionis ſcandalum mundo eſt.In hoc enim maxime ignorātia detinetur humana,quòd ſub deformitate crucis æternæ gloriæ dominū noluit accipere. Et quid mundo tam periculoſum,q̄ non recepiſſe Chriſtū? Veruntamen ſub hominis nuncupatione,autorem ſcandali huius Iudaicū populum deſignat,per quem omne hoc mundo periculū comparatur,ut Chriſtū in paſſione abnegent,quē lex & prophetæ paſſibilem prædicauerunt.Ideo uero neceſſe eſſe ait uenire ſcandala,quia ad ſacramentū reddendę nobis æternitatis,omnis in eo paſſionis humilitas eſſet explēda.Superius aūt in abſcindendis manu uel pede,propinquitatū contineri nomina expoſuimus, atq; ideo cognationem generis Iſraelitæ relinquendam, ueluti quadam membrorum reciſione ſignificat, quia per eum mundo ſcandala comparentur.

Videte ne contemnatis unū de puſillis iſtis,qui credūt in me.) Aptiſſimum uinculum mutui amoris impoſuit ad eos præcipue, qui uere in domino credidiſſent.Puſillorum enim angeli quotidie deum uident, quia filius hominis uenit ſaluare quæ perdita ſunt.Ergo & filius hominis ſaluat,& deum angeli uident,& angeli puſillorū præſunt fideliū orationibus. Præeſſe angelos abſoluta autoritas eſt. Saluatorū igitur per Chriſtum orationes angeli quotidie deo offerunt.Ergo periculoſe ille cōtemnitur, cuius deſideria ac poſtulationes ad æternū & inuiſibilem deum ambitioſo angelorum famulatu ac miniſterio peruehuntur.Atq; ut ingentē eſſe in cœlis lætitiam reditu humanæ ſalutis oſtenderet, comparationis poſuit exemplum, eius qui oues nonagintanouem in montibus reliquiſſet,& errantē unam requiſiſſet,qua inuenta plus gaudij ſit, q̄ habebatur in nonagintanouem conſeruatione lætitiæ. Ouis una homo intelligendus eſt, & ſub homine uno uniuerſitas ſentienda eſt, ſed in unius Adæ errore omne hominum genus aberrauit.Ergo nonagintanouem non errantes, multitudo angelorū cœleſtium opināda eſt,quibus in cœlo eſt lætitia & cura ſalutis humanę.Igitur & quærens hominē Chriſtus eſt,& nonagintanouē relicti,cœleſtis gloriæ multitudo eſt, cui cū maximo gaudio errans homo in domini corpore eſt relatus.Merito igitur hic numerus per literam & Abrahæ additur, & conſummatur in Sara.Ex Abram enim Abraham nuncupatur,& ex Sarai Sara accepit nomen. In uno enim Abrahā omnes ſumus,& per nos qui unū omnes ſumus,cœleſtis eccleſiæ numerus explendus eſt, atq; ideo & creatura omnis reuelationem filiorum dei expectat.Ideo congemiſcit & dolet, ut numerus qui per Alpha Abrahæ additus eſt, & qui in Rho conſummatus in Sara eſt, ad cœleſtem conſtitutionē incremento credentium impleatur.

Quòd

Quòd ſi peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum, & reliqua.) Eum ordinem continendæ charitatis nobis dominus impoſuit, quem ipſe in conſeruando Iſrael tenuerat. Iubet enim peccantem fratrem ab eo ſolo in quem peccauerit corripi atq; obiurgari. Ipſe enim ſacrificantem diis alienis populum Iudaicum maieſtatis ſuæ aduentu, & toto præſentis poteſtatis terrore corripuit, tum quum idem populus dei propinquantis aduentum extra montem licet poſitus ferre non potuit inobedientiam, unũ atq; duos iuſſit adhiberi, ut in ore duũm teſtium fides uerbi ac ueritas maneat. Quia inſolenti Iſrael lex & prophetæ & Ioannes eſt miſſus, teſtibuſq; iſtis ut peccare deſineret conuentus eſt. Tertio ipſo domini aduentu, tanquam cœtu eccleſiæ inſpectantis admonitus eſt, fruſtraq; habitis his obiurgationibus, publicani aut ethnici uilitate negligitur. Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeueritatis apoſtolicæ iudicium præmiſit, ut quos in terris ligauerint, id eſt, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſoluerint, confeſſione uidelicet ueniæ recepe/rint in ſalutem, hi apoſtolicæ conditione ſententiæ in cœlis quoque aut ſoluti ſint, aut ligati. In tantum igitur humanę pacis ſtuduit concordiæ, ut unitatis merito omnia quæ à deo precanda ſint, impetranda eſſe confirmet. Et ubi duo atque tres pari ſpiritu ac uoluntate collecti ſint, ibi ſe medium eorum polliceatur futurum. Ipſe enim qui pax atque charitas eſt, ſedem atque habitationem in bonis & pacificis uoluntatibus collocauit.

Quærenti deinde Petro an peccanti in ſe fratri ſepties remitteret, reſpondit: Non uſq; ſepties, ſed uſq; ſeptuagies ſepties.) Omnimodo ad ſimilitudinem nos humilitatis ac bonitatis ſuæ inſtruit, & molliendis ac frangendis turbidorum motuum noſtrorum aculeis, placabilitatis ſuæ confirmat exemplo, quippe peccatorum omnium ueniam per fidem tribuens. Neq; enim naturæ noſtræ uitia indulgentiam merebantur. Ergo uenia omnis ex eo eſt, cum etiam ea quæ in ſe ſint peccata poſt reditum confeſſionis indulgeat. Soluenda quidem per Cain pœna in ſeptuplum conſtituta eſt, ſed peccatum illud in hominem eſt. In Abel enim fratrem peccatum uſque ad necem fuerat, ſed in Lamech ſupplicium uſq; ad ſeptuagies ſepties eſt conſtitutum, & in eo (quantum exiſtimamus) conſtituta in autores dominicæ paſſionis eſt eius pœna. Sed dominus per confeſſionem credentium huius criminis ueniã largitur, id eſt, per baptiſmi munus obtrectatoribus ac perſecutoribus gratiam ſalutis indulget, quanto magis oportere oſtendit ſine modo ac numero ueniam à nobis eſſe reddendã, nec cogitandum quoties remittamus? Sed ut iraſci his qui in nos peccant, quoties iraſcendi neceſſitas extiterit deſinamus, quæ utiq; ueniæ aſſiduitas docet, nullum omnium omnino penes nos iræ tempus eſſe oportere, quando omnium omnino peccaminum ueniam deus nobis ſuo potius munere quàm noſtro merito largiatur.

largiatur. Neq; enim enim fas eſt,nos ex præſcrito legis dandæ ueniæ numero concludi,cum per euangelij gratiam ſine modo nobis à deo fuerit indulta. Quin etiam ad perfectæ bonitatis affectum comparationis poſuit exemplum,in * qua ſeruo unde redderet non habenti omne dominus debitum relaxauit,conſeruoq; ſuo ſeruus ille exiguum, quod ſibi debebatur extorquens, per hoc uoluntatis ſuæ uitium donum munificentiæ domini & libertatis amiſit.Abſoluta autem comparationis eius eſt ratio, atque ab ipſo domino omnis expoſita eſt.

Als * quo

De tranſitu Ieſu in Galilæam.Et quòd non liceat uxorem dimittere. De eunuchis. De infantibus inhibitis. Diuitem difficile introire in regnum cœlorum. Canon XIX

ET factum eſt cum locutus eſſet ſermones iſtos Ieſus tranſtulit ſe in Galilæam, & uenit in fines Iudææ &c.) Galilæos in Iudææ finibus curat, poterat nanq; ægrotorum turbas non fatigare, & intra ipſam Galilæam opem ferre debilibus, ſed typica ratio etiam locorum erat explenda priuilegijs,ut peccata gentium in eam ueniã quæ Iudææ parabatur admitteret. Tunc acceſſerunt ad eum phariſæi tentãtes eum & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacunq; ex cauſa?) In eo ſermone qui de uxore & de repudio eſt, occurrit illud,aliter ſcriptum eſſe in Geneſi, quàm nunc in præſens dominus ſit locutus.Illic enim ſub uerbis Adæ res omnis refertur, hic dominus indicat ab eo, qui & hominem figurauerit & mulierẽ fecerit, omnia illa dicta eſſe. Sed nos ſecuti apoſtolicam autoritatem, qui hoc myſterium grande eſſe profeſſus ſit,ſe autem in Chriſto atq; in eccleſia accipere,locum hunc ſicuti eſt intactum relinquamus. Admonemus tamem legentem, ut quotieſcunq; de hac eadem quæſtione ſe conſulat,uerborũ uirtutes,& quibus dominus reſponderit, & quibus diſcipuli uſi ſint,diligẽter aduertat. Pauli autem apoſtoli de hoc affectum uel ſilentis, uel interdum ſub alijs locis tractantis expendat. Nobis circa eunuchos ſermo ſit & uoluntas. Et in uno poſuit naturam,in altero neceſſitatem,& in tertio uoluntatem.Naturam in eo qui ita naſcitur, neceſſitatem in eo qui ita factus eſt, uoluntatem in illo qui ſpe regni cœleſtis talis eſſe decreuerit,cui nos ſimiles effici, ſi tamẽ poſſimus,admonuit. Tunc oblati ſunt ei infantes, ut manus his imponeret & oraret. Diſcipuli autem prohibebant eos, & reliqua.) Nouum eſt diſcipulos prohibuiſſe, ne infantes ad Chriſtum accederent, qui offerebantur ut ſuper eos manum imponeret & oraret. Res Euangelica, ut diximus, inter præſentis & futuri effectum medium utrique rei & congruam rationem temperauit,ut his quæ efficiebantur futuri ſpecies adhæreret. Infantes quidem uere oblati ſunt,ſed & uere inhibiti ſunt,ſed hi gentium forma ſunt, quibus per fidem & auditum ſalus redditur. Verum ex affectu

primum

primum ſaluandi Iſraël à diſcipulis inhibentur accedere. Inhibẽdi quidem uoluntas placabilitati apoſtolicæ non conuenit, ſed typicam conſummatio nem prohibendorũ infantium ſubregit inſtinctus, quos dominus ait: non oportere prohiberi, quia talium ſit regnum cœlorum. Munus enim & do/num ſpiritus ſancti per impoſitionem manus & precationem ceſſante le/gis opere erat gentibus largiendum. Et ecce unus acceſſit ad eum, & ait illi: Magiſter, quid boni faciam, ut habeam uitam æternam? & reliqua.) Opportune poſt ſermonem ſuperiorem, quo & infantes inhibiti ſunt, & ta lium regnũ cœlorum eſſe reſponſum eſt, ſuccedit hic iuuenis requirens qui/buſnam bonis operibus uitam æternam habere poſſet. Iuuenis iſte & in/terrogauit, & inſolens fuit, & rurſum mœſtus eſt factus, reſq; omnes quæ ſcriptæ ſunt, geſtæ factæq; ſunt, ſed admonuimus ea quæ ſub deo ageban tur præſentium effectibus conſequentium formam prætuliſſe, atq; ita ſem per in ſcripturis cœleſtibus ſermonem omnem temperatum fuiſſe, ut non minus his quæ gerebantur, quàm eorum quæ gerenda eſſent, ſimilitudini conueniret. Iuuenis hic nanq; formã Iudaici populi habet, & in lege inſo/lentis, & nihil præter præcepta Moyſi ſpei expectantis à Chriſto, cui domi nus in reſponſione ipſa ſeueritatẽ iudicij ex ſe futuri proteſtatus eſt dicens: Quid me uocas bonum? Is enim cui neceſſe ſit impia & iniqua punire no/mine bonitatis abſtinuit, ſoli hoc nomen deo patri reſeruãs, qui ſe iudicem dando officio ſeueritatis exuerit, nõ quòd bonus & ipſe nõ eſſet, ſed quòd congrua in eum ſeueritate iudex eſſet futurus. Hunc igitur ex lege inſolen/tem, ſolicitum de ſalute remittit ad legem, ut in ea ipſa, in qua gloriaretur intelligeret, nihil ſe exinde recti operis feciſſe. Verbis enim legis ei domi/nus reſpondit. Sed aduleſcens tanquam populus inſolens & glorians in le/ge confidit, cui tamen obſecutus ex nullo eſt. Iuſſus enim fuerat, non occi/dere prophetas, interfecerat. Non mœchari, hic corruptelam fidei & legi adulterium intulerat, & diis alienis adorauerat. Non furari, hic antequam libertatem credendi in fide Chriſtus redderet, furto legis præcepta diſſol/uit. Non falſum teſtem fieri, hic Chriſtum negauit ex mortuis. Patrem & matrem iuſſus eſt honorare, hic ipſe ſe à dei patris atq; ab eccleſiæ matris familia abdicauit. Proximum tanquam ſe amare præceptus eſt, hic Chri/ſtum, qui omnium noſtrum corpus aſſumpſit, & unicuiq; noſtrum aſſum/pti corporis cõditione factus eſt proximus, uſq; in pœnã crucis perſecutus eſt. Vt igitur his depoſitis egreſſus omnibus uitijs in legem reuerteretur eſt iuſſus. Sed reſpondit hæc omnia feciſſe ſe à iuuentute ſua, & quærit quid adhuc ſibi reſtet. Sed, ut diximus, neq; ſuperiora illa egerat atq; remittitur, & in ipſis glorians tanq; cõſummatus hæc loquitur. Cui dominus reſpon/dit: Vendenda omnia bona ſua eſſe, & danda pauperibus, & tunc eum futurum eſſe perfectum, habiturumq; theſaurum in cœlis. Reſpondetur

Oro tibi

his

his quidem iuueni pulcherrimo illo ac maxime utili relinquendi ſeculi præcepto, quo iactura terrenæ ſubſtantię cœlorum opes emendæ ſunt. Sed in eo quòd bona ſua uendere & dare pauperibus iubetur, confidentiam legis relinquere admonetur, & eam felici cõmercio mutare, & ut meminerit umbram in ea ueritatis eſſe, quæ deinceps pauperibus, id eſt, gentibus, ſit ſub ipſius ueritatis corpore diuidenda. Hæc autem neminem poſſe efficere, niſi qui ſequi cœperit Chriſtũ. Sed aduleſcens auditis his triſtis receſſit. Multam enim opulentiæ fiduciã habebat ex lege, atq; in eo etiam typicæ efficientiæ ratio ſeruata eſt, ut cum aduleſcentem hunc eſſe ſignificet, ipſe ſuperius dixerit, ab omni ſe iuuentute ſua præceptis his quæ habentur in lege ſeruiuiſſe, cum aduleſcentia infra iuuentutem ſit, & poſterior ætatis gradus non poſſit intra priores terminos cotineri, ſed hoc ideo ut à iuuentute hoc ſeruiente, longũ iam in opere legis populi tempus oſtenderet. Dehinc dominus cognita aduleſcentis mœſtitudine, reſpondit: Difficile diuitẽ uenturum in regnum cœlorum.) Diuitem ſe igitur iſrael (ut diximus) legis fiducia gloriatur, huic difficilis eſt aditus in cœlum, ueteres opes ſub Abrahę nomine inanis proſapiæ ambitione retinẽti. Quinetiam adiecit: Camelum facilius per foramen acus poſſe tranſire, quàm cœlorum regnum diuitem introire. Habere criminis non eſt, ſed modus in habendo retinendus eſt. Nam quomodo impertiendum eſt, quomodo communicãdum, ſi impertiendi & communicandi materia nõ relinquatur? Ergo nocenter magis habere, quàm illud ipſum habere fit crimen. Sed periculoſa cura eſt uelle diteſcere, & graue onus innocentia ſubit incrementis opum occupata. Rem enim ſeculi famulatus dei non ſine ſeculi iſtius uitijs aſſequetur. Hinc difficile eſt diuitem regnum cœlorum adire. Atq; etiam quia uti plures his quę habent recte poſſent, ea in ſermone domini ratio ſeruata eſt, ut non abſolute regnum cœlorum nemo introire poſſit, ſed intelligi poſſet futurorum raritas ex difficultate. Hæc quidem ad ſimplicis ſenſus intelligentiam pertinent. Verum eodem curſu interioris cauſę ordo retinendus eſt. Aduleſcens (ut diximus) inſolens, ubi iacturã legis facere præcipitur, mœſtus & triſtis eſt. Eſt autem huic populo crux & paſſio ſcandalum, & idcirco ipſi nihil ſalutis ex ea eſt, ſed gloriatur in lege, & cohæredes gentes aſpernatur, & tranſire in euangelicam libertatem recuſat, atq; ideo difficile regnum cœlorum introibit. Pauci enim eorum & iuxta multitudinem gentium, admodum rari erant credituri, & difficile præduratam in lege uoluntatem ad prædicationem euangelicæ humilitatis inflecterent. Sed facilius camelus per foramen acus tranſibit. Non cõuenit camelo cum acus foramine, neq; in anguſtijs cauernæ exiguiſſimæ recipi poterit beluæ ingentis informitas. Sed in primordio libri ſub ueſtitu Ioannis in camelo gentes ſignificari admonuimus. Pecus enim hoc uerberibus obedit, metu cõtinetur, ieiunij patiens eſt,

& oneri

& oneri ſuo quadam diſciplinę ratione ſuccumbit,cuius exemplo gentium immanitas ad obedientiam pręceptorum cœleſtium emollitur.Hęc igitur anguſtiſſimum iter regni cœleſtis introeunt. Acus ſcilicet quæ eſt uerbi no ui prędicatio,per quam corporum uulnera aſſuuntur,& diſſuta ueſtium re texuntur, & mors ipſa compungitur. Ergo huius nouæ prædicationis hoc eſt iter,in quod facilius informitas gentium introibit, quàm opulentia diui tis,id eſt, gloriantis in lege.

De ſpe apoſtolorum. De nouiſſimis primis efficiendis. Vbi condu/cuntur operarij ad uineam. De filijs Zebedæi. De primo accubitu. De duobus cæcis ſecus uiam ſedentibus. Canon XX

AVditis itaq; iſtis diſcipuli admirantur & metuunt,dicentes:ne minem poſſe ſaluari:Dominus reſpondit: hoc impoſſibile eſ/ſe apud homines,poſſibile apud deum.Rurſum illi dictis do/mini hæc reddunt:Reliquiſſe ſe omnia,& cum ipſo eſſe.Qui/bus dominus, cũ ſederit in maieſtatis ſuæ ſede ſeſſuros ſuper ſedes duode/cim,ac totidem tribus Iſrael iudicaturos ſpopondit: omnibuſq; qui uniuer/ſa relinquerint propter nomen eius,fructum centupli præmij reſeruatum. Multos autem ex nouiſſimis primos futuros, & ex primis futuros nouiſſi/mos. Multa ſunt quæ non ſinunt nos ſimplici intellectu dicta Euangelica ſuſcipere.Interpoſitis enim nonnullis rebus, quæ ex natura humani ſenſus ſibi contraria ſunt,rationem quęrere cœleſtis intelligentiæ admoneremur. Apoſtoli dicunt, & ſequi ſe Chriſtũ,& ſe omnia reliquiſſe. Quomodo igi/tur fiunt triſtes,& quomodo metuunt,dicentes: Saluũ eſſe neminem poſ/ſe? Namq; & ab alijs fieri poterat,ſiquid feciſſent ipſi:deinde cum feciſſent, quare metus uel unde ſuſceptus eſt? Additur etiam in reſpoſione domini, hæc apud homines impoſſibilia, poſſibilia apud deũ. Nunquid apud ho/minem impoſſibilia erant,quę & apoſtoli feciſſe ſe gloriantur,& feciſſe eos dominus agnoſcit, & deinceps plures uſque ad martyrij beatitudinem eſ/ſent omnia relicturi? Aut nunquid eſt deo quo egere poſſit,relictumq; ſit aliquid quod iactura rerum quas habeat ſit ſequendum,ut ſoli ipſi hoc fa/cere poſſibile ſit? Omnis itaq; hic ſermo eſt ſpiritualis. Apoſtoli enim ſpiri tualiter audientes,neminem ex lege poſſe ſaluari, cum ipſi etiamnum in le/ge eſſent. Nam uehemens eos amor legis fauorq; detinuit. Hi igitur non/dum penitus Euangelici myſterij ueritate comperta, metuunt neminẽ ſal/uum eſſe poſſe ſine lege. Quia omnem ſalutem etiamnum in lege conſti/tuunt, ſed dominus breui abſolutaq; ratione eorundem & ignorantiam & metum ſoluit,dicens:Hoc quidem impoſſibile eſt apud homines,poſſibile autem apud deũ. Quid enim Iudæo tam ſine effectu uidetur,quàm ut ab homine magis ſalutem expetat quàm ex lege? quàm ut in crucis ſcandalo legiſlatio,& teſtamentũ,& adoptio,& hæreditas negligatur? Quid autem

dei uirtuti tam possibile est,quàm ut per fidem saluet? ut per quam regene/ret? ut per crucem uincat? ut per Euangelia adoptet? ut per resurrectionem ex morte uiuificet? Quibus auditis apostoli cito credunt,seseq; omnia reli/quisse profitentur,sed hanc eorum obedientiam cito dominus muneratur, omnem difficultatem superioris quæstionis absoluens,cum dicit: Vos qui secuti me estis,in regeneratione iudicabitis duodecim tribus Israel. Secuti in regeneratione sunt lauacro baptismi in fidei sanctificatione, in adoptione hæreditatis,in resurrectione ex mortuis. Hæc enim illa regeneratio est,quã apostoli sunt secuti,quam lex indulgere non potuit,quæ eos super duode/cim thronos in iudicandis duodecim tribubus Israel, in duodecim patriar/charum gloria copulauit. Cæteris quoq; contemptu seculi se sequentibus centesimi fructus copiam pollicetur. Hic centesimus fructus est,qui in cen/tesima oue cum cœlesti lætitia expletur. Hic centesimus fructus est, quem perfectæ terræ ubertas cõsequetur,qui ecclesiæ honor iam in Saræ cogno/mento est destinatus, & iactura legis ac fide Euangelica promerendus est. Atq; ita ex nouissimis primos efficiendos,quia nouissimi efficiantur ex pri mis. Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs,qui exiuit primo mane conducere operarios. Et reliqua.) Comparatio omnis per se abso/luta est,sed personis distinguenda,& discernenda temporibus est. Patrem/familiâs hunc, dominum nostrum Iesum Christum existimari necesse est, qui totius humani generis curam habens,omni tempore uniuersos ad cul/turam legis uocauerit. Vineam uero, legis ipsius opus & obedientiam, de/narium autem,obedientiæ ipsius præmium significare intelligemus. Et de denario iam superius tractauimus. De uinea uero opportunius in conse/quentibus rationem afferemus. Forum autem pro seculo accipi res ipsa ad/monet æquabili turbis hominum calumniarum iniuriarumq; contentioni bus,& diuersorum negociorum difficultatibus semper tumultuosis. In pri/ma igitur hora tempus constitutum testamenti ad Noe ex matutini signi/ficatione noscendum est, tertia autem hora ad Abraham, sexta ad Moy/sen, nona ad Dauid & prophetas. Totidem enim testamenta humani ge/neris constituta per singulos reperiuntur. Quòd eiusdem ad forum enume ratur egressus,in duodecima autem hora corporei aduentus tempus osten dit. Nam ex omni numero qui spacio præsentis seculi cõstitutus in eandẽ rationem conuenit,ortus eius ex Maria,inquam,duodecimæ horę tempus ex die est. Diuisione enim per quingentenum numerum facta in omne sex milium annorum summa,tempus corporei ortus eius undecimo diuisionis totius calculo supputatur. Et quidem diuersus ad duodecimæ horæ opera/rios sermo est. Primis enim,sed & cæteris dictum est: ite ad uineam,merces tamen denarij cum primo est constituta. Nam cæteris iustæ solutionis pro missa spes est. Nouissimis uero dicitur, quid hic statis? Quia quamuis ad

Israel

Iſrael lata lex fuerat,uoluntas tamen gentium nō excludebatur à lege. Qui reſponderunt: Nemo nos conduxit. Debitum namq; erat per orbem terrarum Euangelium prædicari, & gentes fidei iuſtificatione ſaluari. Hi igitur mittuntur ad uineam, & cum ſero eſſe cœpiſſet, donum conſtitutæ in totius diei labore mercedis, primi operarij hora ueſperis conſequuntur. Merces quidem ex dono nulla eſt, quia debetur ex opere, ſed gratuitam deus omnibus ex fidei iuſtificatione donauit. Verum ſecundum inſolentiam populi iam ſub Moyſe contumacis, hinc murmur operantium eſt, hinc gratuitæ mercedis inuidia eſt, quòd ſine longi laboris difficultate & ſub æſtus nomine non longo in eos Zabolici inſtinctus calore flagrante idem præmiū redhibeatur operantibus, ſed ideo quod apud homines impoſſibile eſt, poſſibile eſt apud deum, mercedem legis optime & inculpabiliter cuſtoditæ donum gratiæ per fidem credentibus primis ex nouiſſimis largiatur. Et aſcendens Ieſus Hieroſolymam aſſumpſit duodecim diſcipulos, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam. & reliqua.) Iam ſine ſcandalo audituris apoſtolis ſacramentum crucis dominus exponit. Denique nulla hunc ſermonem mœſtitia conſequitur. Confirmati ſcilicet ſuperiore ſermone per fidem crucis nouiſſimos primos futuros, diuitibus autem, id eſt, confidentibus legi, in eandem crucem ſcandalizantibus inuium iter ad regnum cœlorum futurum. Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis. & reliqua.) Non ſine aliquo momento rerum ita effectum fuiſſe exiſtimandum eſt, ut mater filiorum Zebedæi dominum deprecaretur. Nunquid & filijs petendi familiaritas non erat? Sed erat geſtorum effectibus prophetandum. Apoſtoli quidem iam ex lege crediderant, quæ eos in fidem Euangelicam nutriuerat. Itaq; in matre filiorum Zebedæi lex intelligetur, quæ confidentia priuilegij ſui pro credentibus ex ſe populis deprecatur. Quæ quia ſuperius audierat primos nouiſſimos, & nouiſſimos primos futuros, deferri filijs ſuis orat, ut in domini regno unus ad dexteram eius ſedeat, alter ad ſiniſtrā. Cui dominus reſpondit, neſcire eam quid oret. Nihil quidem de gloria apoſtolorum ambigebatur, & iudicatos eos ſermo ſuperior expoſuit, deniq; in medio ſermone an calicem ſuū poſſent bibere interrogat. Non utiq; de communis poculi genere loquebatur. Neq; enim labor eſt bibere de calice, ſed ille de calice ſacramenti paſſionis interrogat. At illi qui iam martyrij libertatem cōſtantiamq; retinebant, bibituros ſe pollicentur. Dominus collaudans eorum fidem, ait: martyrio quidem eos ſecum compati poſſe, ſed læuæ eius ac dexteræ aſſidere alijs à deo patre fuiſſe diſpoſitum. Et quidem, quantū arbitramur, ita honor iſte alijs eſt reſeruatus, quod tamen nec apoſtoli ab eo erunt alieni, qui in duodecim patriarcharum ſede conſidentes, Iſraelem iudicabunt. Et quantum ſentire ex ipſis Euangelijs licet, in regno cœlorum Moyſes & Helias aſſidebunt.

bunt. Nam cum ſpopondiſſet dominus uiſuros quoſdam de apoſtolis an tequam mortem guſtarent, filium hominis uenientem in regno ſuo, aſſumptis Petro & Iacobo & Ioanne, apparuit cum gloriæ ſuæ habitu Moyſe & Helia in monte comitantibus. Et hos quidem eoſdem prophetas duos prę uenientes aduentum eius intelligimus, quos Apocalypſis Ioannis ab antichriſto perimendos eſſe dicit, licet uarie uel de Enoch, uel de Hieremia, plurimorum extiterint opiniones, quòd alterum eorũ ſicut Heliam mori oporteat. Sed nõ poſſimus ueritatis fidem, quam dominus tribus ſuperioribus teſtibus reuelauit, ſenſus noſtri opinione corrumpere, neque alios uenturos exiſtimare, quàm qui ad ſponſionem fidei ueniſſe conſpecti ſunt. Et quanquam ultra Euangelicam ueritatem non neceſſe ſit opinari, tamen ſi quis conditionem & mortis & ſepulchri Moyſi diligenter aduerterit, & ſecretarum ſcripturarum, ſecundum apoſtoli autoritatem, cognitionem adeptus ſit, intelliget omnia ita eſſe tractata, ut Moyſes potuerit iam uideri. Et hæc quidem inſtruendi eam ſint dicta. Cæterum ut ratio ſpiritualis intelligentiæ plena eſſet, pro duobus dominum mater orauit. Duæ enim ſunt uocationes ex Iſrael, una diſcipulorum Ioannis, altera apoſtolorum & phariſęorum. Nam poſt paſſionem Ioannis ſuperius legimus diſcipulos eius ad dominum tranſiſſe. Ideo igitur pro duobus oratur, quia Euangelio Chriſti hæ uocationes geminę crediderunt. Poſt hæc igitur decem diſcipuli contriſtati ſunt de fratribus duobus. Verum ipſorum dutũm diſcipulorum nulla mœſtitia eſt. Hoc ratio non patitur ut alterius contumelia alius fiat mœſtus, certe etiam pro ſe decem mœſti eſſe potuiſſent. ſub duorum enim nominibus negatum hoc omnibus uidebatur. Sed typicus ordo ſeruatus eſt. Apoſtoli de ſe certi erant, ideo ſolũ mœſti ſunt de duobus, quia etiam his duabus uocationibus, quæ ex lege ſunt, cõſortium gloriæ huius optabant. Ita enim rationem futuri & præſentis ſermo moderatur, ut non de ſe, neq; decem, neque duo ſoliciti ſcriberentur, & in decem ſolicitudine de duobus præſentis negocij efficientiæ obtemperaretur. Volens igitur dominus proprietatem iſtius præfigurationis oſtendere, atq; hanc præſumptionem eos qui erãt ex lege uenturi, de prærogatiua Iſraelitici nominis uelle præſumere, docet principatum ab his, non modo gentium capeſſendum, ſed miniſtros & ſeruientes, & non eos quibus miniſtratum ſit ad gloriam honoris maximi aduocandos, exemplo ſcilicet patriarcharum & prophetarum qui ſeruierint, exemplo etiam apoſtolorũ qui miniſtrauerint, exemplo etiam domini qui animam ſuam pro redemptione noſtræ ſalutis impenderit. Ad gloriam autem humilitatis iſtius cœnæ eos & conuiuij modo inſtruit, monens in locis eminentioribus accubari non oportere, ne fortè eo aduenient qui clarior eſt, per dominum cœnæ occupato loco concedendi contumelia admonitus decedat. Porrò autem ſi in humilibus accubuerit, aduenientibus

entibus humilioribus,ad gloriam loci celsioris accedet, atq; ita non præsumere aliquid honoris decet,sed humilitatis operibus promereri. Et egredientibus illis ab Hiericho secuta est eum turba multa, & ecce duo cæci sedentes super uiam audierunt quòd Iesus transit.&c.) Superius per figuram duorũ filiorũ Zebedæi de Israelita populo tractatũ est, qui ex semine Sem erat ortus.Cõpetenter igitur cęci duo uiam obsident,populi uidelicet gentium duo ex Cham & Iaphet procreati,egressus & iter eius obseruant, sibiq; cæcis uisum reddi deprecantur. Denique eos turba obiurgat cur clament,& ut sileant increpant, non quòd silentium causa honoris exigerent, sed acerbe à cæcis audiunt quòd negabant dominum esse Dauid filium. Illuminatis enim cæcorum mentibus deus in homine prædicabatur, ut uerũ esset quod à domino dictũ est: In iudicio mundi huius ueni,ut qui uident nó uideant,cæci uero respiciant.At illi magis clamabãt, & demorante legis populo uehementiorẽ fidei suæ protestantur calorem.Sed dominus miseretur,& quid uolũt requirit,illi uero aperiri oculos suos precantur. Quibus misertus oculos contigit,& uisum cognoscendi dei reddidit. Atq; ut typus crediturarum gentium*explicetur,cœlestis gratiæ cognitione præcepta qui cæci fuerant uidentes dominum sunt secuti. *Als* expleretur

De asina & pullo eius. De eiectis è templo nummularijs. De ficu maledicta. De duobus filijs ad uineam missis. De publicanis & meretricibus. Canon XXI

IVnc Iesus misit duos ex discipulis suis, dicens:Ite in castellum quod contra uos est.&c.) Duo discipuli ad uicum mittuntur, ut asinam ligatam cum pullo eius absoluãt atq; ad Christum perducant. Et si quis interroget cur ita fiat,respondeant domino necessarios,ac statim emittendos.Post superiorem sermonẽ quo in duobus filijs Zebedæi duplicem ex Israel uocationem significatam meminimus, competenter nunc duo discipuli ad soluendam asinam & pullum destinantur.Quia duplex erat ex gentibus plebis uocatio consecutura. Erant enim atq; sunt Samaritæ profecti quondam per secessionẽ ex lege,& sub quadam obseruantiæ suæ consuetudine seruientes. Erant etiam gentes indomitæ & feroces.Igitur duo mittuntur ut soluant ligatos & obstrictos,& erroris atq; ignorantiæ uinculis præpeditos. Et mittuntur extra Hierusalẽ. Extra eam enim hæ duæ uocationes habebantur. Cæterũ mater filiorum Zebedæi intra Hierusalem dominum orauit. Duabus enim uocationibus Israel uel per apostolos uel per Ioannem ex lege saluatur. Verum adæque per Philippum Samaria credidit. Per Petrum autem Cornelius Christo tanquam primitię gentiũ adductus est. Quòd autem instruuntur,ut quærenti respondeant domino necessarios & mox emittendos, id est,eosipsos genti suæ prędicatores fidei Euangelicæ esse reddendos.Impleta igitur est

prophetia,quę inuectum aſina & pullo nouo dominum uenturum in Hie
ruſalem nunciabat. Sed geſtorum effectibus prophetatum. Aſina namq;
de uico ſoluitur atq; exhibetur, Samaria uidelicet alieno & peregrino ob/
ſeſſa dominatu per apoſtolos ſoluitur,& domino ſuo redditur.Pullum ue/
ro idem dominus aſcendit nouellum,cõtumacem,durum, atq; hæc omnia
gentilis ignorantiæ uitia domantur, & tot animorum ferocitates uecto
deo fractæ ſunt.Omnis autem hæc ſpecies futuri ordinem tenet,& parabo
licis ſignificationibus,rerumq; præſentiũ conditionibus futuri forma præ/
mittitur. Erit enim dominus in claritatis ſuæ aduentu gentes poſſidens,ea/
rumq; mentibus tanquam uictor inſidens toto comitatus ſui agmine præ
dicabitur,patriarcharum,prophetarum atq; apoſtolorum. Nam gloriam
ſuam in ueſtimentis patriarcharũ domino ſubſternunt. Eorum enim & ge/
nerationibus & nominibus & inſectationibus eſt dominus prophetatus,
eiq; omni dignitatis ſuæ ornatu concedentes, ſeq; ſedili ſubſternentes do/
ceant omnẽ gloriam ſuam præparationi dominici aduentus fuiſſe ſubſtra
tam.Illic etiam prophetę ueſtimenta ſua incedentis itineri ſubſternũt.Hãc
enim uiam gentium uecturatum dominũ prædicauerunt,quiq; ſeculi amo
re poſtpoſito, mortibus ſe & lapidationibus offerendo ipſis quodammo/
do corporibus exuerint ad ingreſſum uiæ talis oblatis.Apoſtoli quoq; ex/
ciſarum arborum ramos poſt ueſtimenta ſubſternunt, ſed nulla in hoc eſt
humani officij reuerentia. Rami enim incedentem impedirent, & implici/
tum iter facerent properantis ingreſſui:uerum explicatur omnis ratio pro/
phetiæ,& futuri forma ſeruatur.Igitur infructuoſarũ arborum rami,id eſt,
infidelium quondam gentiũ fructus per apoſtolos itineri domini ſubſter/
nuntur,& ſaluatoris iuſtificantur ingreſſu,& per eos inceditur,& gratiſſimũ
fit incedenti deo ex ramis infœcundæ radicis officium. Turba autem &
præcedens & conſequens clamabat: Oſanna fili Dauid, benedictus qui
uenit in nomine domini.) Sed crucifigendum quomodo turba collaudat,
aut quomodo odium meruit ex fauore? Verum laudationis uerba redem/
ptionis in eo exprimunt poteſtatem. Nam Oſanna Hebraico ſermone ſi/
gnificatur redemptio domus Dauid. Deinde Dauid filium nuncupant, in
quo agnoſcerent regni æterni hæreditatem. Poſtremo benedictum in no/
mine domini uenientem confitentur.Atqui acclamandum ab his erat,cru/
cifige blaſphemum, ſed peragunt formam futuri geſta præſentia, & com/
pugnantibus licet eorum inter quos hæc gerebantur affectibus, quàmuis
mox diuerſa eſſent conſecutura,rerum tamen cœleſtiũ fidem etiam inuito/
rum meditatur operatio.Commouetur deinde Hieroſolyma,rerum enim
nouitas motum attonitis afferebat. Tempum uero introijt,id eſt,eccleſiam
traditæ à ſe prædicationis ingreſſus,à qua primum omnia ſacerdotalis mi/
niſterij uitia iure poteſtatis expellit. Reddenda enim ab omnibus gratuita

Locus ab Hie ronymo notatus, in quo lapſus eſt & Ambroſius

tradide/

tradiderat,quæ gratuita fuerant consecuti,quia neq; emi aliquid per corruptelam sacerdotis aut uendi, libertas doni debebat admittere. Cathedras autem præcipue uendentium columbas euertit. Quæ porro dignitas est in nundinis columbarum, aut quod priuilegium in auium istarum commerciis reseruatum est,ut uendentes eas honorem sibi arrogent cathedrarum? Sed in omni loco admonemur, altius uerborum uirtutes in istiusmodi significationibus contuendas. In columba, secundum prophetiæ exempla, sanctumspiritum intelligimus,in cathedris sacerdotum sedes est. Ergo eorum qui sanctispiritus donum uenale habent,cathedras euertit, quibus ministerium à deo commissum, negociatio est, admonitionis eius commemorans autoritatem, quæ in propheta teneatur. Scriptum est enim: Domus mea domus orationis uocabitur, uos autem feciſtis illam speluncam latronum.Sed neque emere Iudæos in synagoga,neque uendere spiritumsanctum posse existimandum est. Non enim habebant ut uendere possent, neque erat quod emere quis posset, sed præfiguratio futurorum dictis præsentibus continetur, Ecclesiæ uitia in ipso aduentu domini claritatis esse purganda. Infirmitates quoque cæcorum & claudorum curauit in templo, & publicas eius operationes fauor populi consecutus est.Inuident autem puerorum clamoribus principes sacerdotum,eumq; admonent cur ista audiat. In redemptionem enim uenisse domus Dauid prædicabatur. Quibus respondit:Non legisse eos: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Cessantibus enim prudentium iudicijs, hanc sibi à pueris atque infantibus, quorum sit regnum cœlorum,confessionis gloriam præparatam, quia prudentes & principes seculi sapientiam dei reprobauerint. Christum autem regenerationis paruuli lactantesq; sunt prædicaturi.

Et his dictis ciuitatem egressus reliquit eos,atq; in Bethania mansit)infidelem uidelicet synagogam deserens, in ecclesia gentium demoratur.

Mane autẽ transiens in ciuitatem, esurijt, & uidens arborem fici unam secus uiam,uenit ad eam.& reliqua.) Idem etiamnũ rerum cœlestium ordo præmittitur. Nam in fico synagogæ positũ exemplum est. Dato enim pœnitentiæ spacio, uidelicet tempore quod inter passionem & reditum claritatis est medium ueniet, esuriens plebis huius salutem, & inueniet infœcundam, foliis tantummodo uestitam,id est, uerbis inanibus gloriantem, sed fructibus uacuam, operibus quippe bonis sterilem, & expectantibus prouentibus nudam. Et quia pœnitendi tempus excesserit, in perpetuum sententia iudicij cœlestis aresçet.Et in eo quidem bonitatis dominicæ argumentum reperiemus. Nam ubi afferre uoluit procuratæ per se salutis exemplum,uirtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit,spem futurorum & animæ salutem curis præsentium ægritudinum commendans. Nunc uero ubi in contumacibus formam seueritatis constituebat, futuri

ſpeciem damno arboris indicauit,ut infidelitatis periculum ſine detrimento eorum,in quorum redemptionem uenerat indicaretur. Admirantur uero diſcipuli,arborem in momento dicti ipſius aruiſſe,quia præſentis facti efficacia futuri imaginem præferebat. Cum enim in regno cœleſti aduenerit, in tempore ipſo aduentus eius infidelitatis Iudaicæ ſterilitatem æternæ damnationis ſententia cõſequetur. Quos dominus ſi fidem habuerint,nõ ſolum hæc,ſed & maiora eorum eos poſſe confirmat. Illi quidem iudicaturi erant Iſrael ſecundum antecedentes ſponſiones, ſed etiam ius omne in Zabulo,quem montem nuncupat,eſſent cõſecuturi. Ait enim ita: Si fidem habueritis,non ſolum de ficulnea facietis,ſed & ſi monti huic dixeritis: tolle,iacta te in mare,& fiet. O ingens fidei præmium,cuius merito in tantum poteſtas credentium extollitur,ut iudicaturi uniuerſos, pari ſeueritatis ſententia in damnatione ſeculi, zaboli celſitudinem montemq; demergant. Contuendum autem eſt, qua ratione ſynagoga ficui arbori comparetur. Hæc namq; arbor diſſimiliter à cæterarum arborum & natura & conditione floreſcit. Nam flos ei primus in pomis eſt, ſed nõ his quæ maturitatem ut emerſerint conſequentur. Groſſa enim hęc & communis uſus,& prophetica autoritas nuncupauit. Verum poſtea internæ fœcunditatis uirtute exuberante, eiuſdem ſpeciei atq; formæ poma prorumpunt, quibus prorumpentibus iſta truduntur,& ſolutis quibus cõtinebantur radicibus decidunt, aliaq; illa exeuntia uſq; ad maturitatem fructuum prouehuntur, ſed de ſuperioribus illis,ſiquando inciderit ut in ſinu uirgularum ex ramulo eodem prodeuntium emerſerint, manent ſemper, & non ſicut groſſa cætera decidunt, ſed hærent ſola tantum, pomaq; cætera maturitate præueniunt. Et hos pulcherrimos fructus arbor illa ex ſe dabit,qui cum groſſis cæteris pro mergentes, de medio utrarumq; uirgularum clauiculo proferentur. Igitur ex cõditione arboris,propria & competens ſynagogæ ſimilitudo propoſita eſt. Primos enim populi fructus,quos ab exordio protulerat, groſſorũ amiſit exemplo,quia plebem eius inutilem, fidelis & pertinax, & uſque ad conſummationem temporum manens populus gentium protruſit. Verum tamen credentes primi ex Iſrael apoſtoli, & inter legem & Euangelia groſſorum modo inhærentes,cæteros reſurrectionis gloriæ tempore anteibũt. Et quidem iam in exordio Geneſis, in huius rei formam pudorem ſuum Adam atq; Eua huius arboris foliis texerunt, cum ſeipſos ad aduentum domini uocantis occulerent. Quia ſynagoga infidelis, & legis mandata tranſgrediens, impudentiæ ſuæ fœditates & turpitudinum confuſionem infructuoſis eſſet uerborum uelamentis, tanquam ficus foliis contectura. Atq; hæc quidem de natura arboris interiecta ſunt,ut comparationis proprietas intelligi poſſet. Reliquus itaq; geſtorum ordo eſt contuendus. Phariſæi multa exinde uiderant in gentibus magis digna miraculis, ſed nunc

maxime

maxime ſoliciti ſunt, & interrogant in qua hæc faciat poteſtate. Res enim ſub præſentium geſtorum effectibus ingens futurorum complectebatur arcanum. Atque idcirco ex eo ſpecialiter interrogandi reperitur inſtinctus, ſub quo totius periculi præformatio proferebatur, dominus reſpondit, dicturum eſſe ſe in qua hæc faceret poteſtate, ſi modo illi interroganti ſibi reſpondiſſent, Ioannis baptiſma utrum de cælo, an ex hominibus putarent eſſe. At illi reſponſionis periculo cunctantur, cogitantes ſi de cœlo profeſſi eſſent, cõfeſſione ſua ſe reos reprehendendos, cur cœleſtis teſtimonij auctoritati nõ credidiſſent: ſi ex hominibus dixiſſent, turbas uerebantur. Plures enim prophetam Ioannem habebant. Reſponderunt itaq; neſcire ſe. Non utiq; de cœlo neſciebant, cum conuinci ueritate profeſſionis ſuæ metuunt, ſed uerum de ſe etiam cum fallendi uoluntate dixerunt. Per infidelitatem enim ſuam de cœlo eſſe Ioannis baptiſma neſcierunt. Quòd autem ex hominibus eſſet, idcirco nõ potuerunt ſcire, quia non erat. Homo quidam habebat duos filios, & reliqua.) Multa & grauia ſunt, quæ confundere intelligentiam poſſint, niſi prioris & poſterioris ſenſus ordinem tenuerimus. Quis enim hic exiſtimari poterit filius ſenior, qui iturũ ſe ad opus negauerit, & per pœnitentiã emẽdatus eò rurſum profectus ſit? Atqui Iſrael non pœnituit, ſed in dominum manus intulit, & uniuerſitas eius deum ſuũ impio ore crucifixit. Iuniorem autem quem ſentiemus, qui iturum ſe ſponderit & non abierit, ſed gentium peccatorumq; plebs id quod ſpopondit effecit. Abijt enim, & ad opus ad quod uocabatur egreſſa eſt, quomodo ergo ea eſſe quæ non abijt ſentietur. Deinde ipſa phariſæorum reſponſio quid momenti habeat quærendum eſt. Dicunt uoluntati iuniorem obediſſe. Hoc rerum ratio non patitur, ut ſimulata profeſſio meritum perfectę ueritatis obtineat, ut plus ſit fefelliſſe ſpondentem quàm perfeciſſe omnia non pollicentem. Quis autẽ nõ malit negari ſibi id quod poſcat, dummodo quod popoſcerit fiat, quàm non fieri quod ſpondeatur ut fiat, cum facti effectus ex deſperatione ſit gratior, ſpes autem deſtituta plus doleat? Niſi fortè poſcentium uoluntas ſola ſibi adulatione ſpondentium blandiatur. Recordandũ igitur eſt, propoſitionẽ comparationis iſtius ex eo ſermone deſcendere, qui initus ſit de Ioanne, ut infidelitatis cunctationẽ & ex ea ſilentij neceſſitate iſtiuſmodi poſitum eos obiurgaret exemplũ. Sed ſicut in cæteris admonuimus, hic quoq; meminiſſe nos oporteret, rationi rerum præſentium aliquid interdum ea conditione deeſſe, ut futurorum ſpecies ſine damno aliquo præfiguratę efficientiæ expleatur. Primus filius eſt, populus ex phariſæis in præſens à deo per Ioannis prophetiam ut præceptis ſuis obtemperaret admonitus, hic inſolens & inobediens & dictis præſentibus contumax fuit, habens in lege fiduciam, & pœnitentiam peccatorum gloria prærogatiuæ ex Abraham nobilitatis aſpernans, qui deinceps operum

rum miraculis poſt domini reſurrectionem pœnitens ſub Apoſtolis credidit, facti fide ad uoluntatem Euangelicæ operationis regreſſus anterioris inſolentiæ culpam pœnitendo confeſſus eſt. Filius autem minor, plebs eſt publicanorum & peccatorum, ipſa peccati in qua tum demorabatur conditione poſterior, cui præceptum ſit per Ioannem, ut à Chriſto expectaret ſalutem, & ab eo baptizata crediderit. Sed quod ait, ſpopondiſſe eam ituram ſe & nõ iſſe, oſtendit credidiſſe eam quidem Ioanni, ſed quia Euangelicam accipere doctrinam nõ niſi poſt paſſionem domini per Apoſtolos potuit (tum enim erant humanæ ſalutis ſacramenta peragenda) non iſſe eam ſignificat. Denique non ait noluiſſe, ſed non abijſſe. Res extra culpam infidelitatis eſt, quia in facti erat difficultate ne fieret. Non igitur ire ſtatim ad opus quod præceptum eſt noluit, ſed quia * iri non poterat, non ijt. In eo enim neceſſitatis mora ſine crimine uoluntatis oſtenditur. Et in reſponſione quidem phariſæorum quædam eſt neceſſitas prophetiæ. Nam inuiti licet confitentur quis obſecutus ſit uoluntati. Iunior ſcilicet filius obediens profeſſione, licet non efficiens in tempore, quia fides ſola iuſtificat. Atque ideo publicani & meretrices in regno cœlorum erunt priores, quia Ioanni crediderint, & in remiſſionem peccatorum baptizati, aduentũ Chriſti confeſſi ſint, curationum opera laudauerint, ſacramentũ paſſionis acceperint, uirtutem reſurrectionis agnouerint. Principes autem ſacerdotum & phariſæi uidentes hæc & contemnentes, qui iuſtificati per fidem non erant, nec per pœnitentiam regreſſi ſunt ad ſalutem, atq; ideo in perpetuum fructus eorum ſub maledictione ea quæ in ficu arbore præformabatur areſcit.

Ali*ire

De uinitoribus qui miſſos ad ſe ob recipiendos fructus interficiunt. De inuitatis promiſcuis. Et de ueſte nuptiali. Canon XXII

ALiam parabolam audite. Homo erat paterfamiliâs, & plantauit uineã, & ſepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & turrim ædificauit. & reliqua.) Quæſtio omnis in abſoluto eſt. Nam etiam ipſi principes ſacerdotũ & phariſæi de ſe dici hæc intelligentes, in iram accenſi ſunt, ſed perſonarum proprietas & rerum comparationes ſunt proferendæ. Patremfamiliâs hic patrem deũ intelligemus, qui populum Iſrael in prouentus optimorum fructuum plantauerit, quiq; eos ſanctificatione paterni nominis, id eſt, nobilitate Abrahæ & Iſaac & Iacob, intra fines ſuos tanquam ſepto aliquo cuſtodiæ peculiaris incluſerit. Prophetas quoq; quędam quaſi torcularia aptauerit, in quos muſti modo quædam ubertas ſanctiſpiritus feruentis influeret. In turri autem eminentiam legis extruxerit, quæ & in cœlũ ex ſolo egreſſa proueheret, & ex qua ſpeculari Chriſti poſſet aduentus. In colonis uero, principum ſacerdotũ & phariſæorũ eſt ſpecies, quibus in plebem poteſtas eſt permiſſa doctrinæ.

In

In ſeruis uero qui miſſi ſunt ut fructus perciperent, uarius & ſæpe repetitus progreſſus eſt prophetarum. Miſſi autẽ rurſum plures prioribus, tempus illud eſt, quo poſt ſingulorum prædicationem plurimus in unum prophetantium numerus emiſſus eſt, qui uariis temporibus uerberati & lapidati & occiſi ſunt, fructus inſtitutæ plebis edoctæq; repetentes. In filio uero ad ultimum miſſo, domini noſtri & aduentus & paſſio eſt, qui extra Hieruſalem tanquam extra uineam in ſententiam damnationis abiectus eſt. Conſilium uero colonorum, & hæreditatis occiſo hærede præſumptio, ſpes inanis eſt, gloriam legis pere mpto Chriſto poſſe retineri. In patrisfamiliâs reditu, tempore iudicij gloria eſt in filio paternæ maieſtatis aſſiſtens. In reſponſione autem ipſoru m principum & phariſęorũ redditur dignius Apoſtolis legis hæreditas. Sed hic filius lapis eſt ab ędificatoribus improbatus, & in faſtigium angularis electus, & in oculis omnium mirabilis eſt, inter legem atq; gentes lateris & ædificij utriuſq; coniunctio. Simile eſt regnũ cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos uocare inuitatos ad nuptias &c.) Et hæc quidem parabola diſtinguenda temporibus eſt, & dinoſcenda perſonis eſt. De perſona regis & filij abſoluta intelligentia eſt. Feciſſe autem patrem nuptias filij, & ſic inuitaſſe, noua ratio eſt. Nam nuptias facere & autoris & temporis eſt nuptiarum. Verum hic nuptiæ, uitæ cœleſtis & in reſurrectione ſuſcipiendæ æternæ gloriæ ſacramentum eſt. Merito igitur à patre ſunt factæ, quia æternitatis huius ſocietas, & noui corporis deſponſa coniunctio perfecta habebatur in Chriſto, & in hoc quidem loco admonemus ita ut & in ſuperiore, ubi de repudij cõditione tractatum eſt, diligenter quæ de ratione reſurrectionis ſignificata ſunt contueri: & id quod ſub perſona Adę ad Euam dictum eſt, quia ſacramentum magnum ſit, ne incurioſe relinquatur. Qui autem admonentur ut ueniant inuitati, antea populus Iſrael eſt. In gloriam enim æternitatis per legem eſt aduocatus. Serui miſſi qui inuitatos uocarẽt, apoſtoli ſunt. Eorum enim erat proprium cõmonefacere eos quos inuitauerant prophetæ. Qui uero iterum cum præceptorũ conditione mittuntur, apoſtolici ſunt ſucceſſores apoſtolorum. Tauri autem ſaginati, glorioſa martyrum ſpecies eſt, qui cõfeſſioni dei tanquam hoſtia electa ſint immolati. Saginata uero ſunt homines ſpirituales, tanquam cœleſti pane ad euolandum aues paratæ cæteros accepti cibi ubertate expleturæ. His enim omnibus iam paratis, & in numerum complacitæ deo multitudinis regni cœleſtis gloria tanquam nuptiæ nunciantur. Plures uero ob pecuniæ cupiditatem negociatione detinentur, cæteri autem miſſos ſeruos, quod in ipſis Apoſtolis expletum eſt, affectos iniurijs occiderunt. Sed tam immanis facti ſcelus ultio digna conſequitur. Miſſi exercitus cœleſtes omnem eorum congregationem iudicio dei urent, & flammis æterni ignis ſuccendent. Quia contra humanitatis af-

fectum

fectum homicidarum odijs fæuierunt. Quoniam uero de iudicij tempore & reſurrectionis iſta loqueretur, ſermonem eundem ad congregationem gentium retulit. Indignis enim repertis his qui primi inuitati fuerant, iubet iri ad exitus uiarũ. Dono enim gratiæ uitæ interioris crimina remittuntur. Nam ſæpiſſime uiam tempus ſeculi intelligendam monuimus. Atq; ideo ad exitus uiarum iubentur ire, quia omnibus retroacta donantur. Vocati deinde omnes ſine aliqua exceptione ad nuptias iubet,& mali ſimul cum bonis ueniunt. Vocatio quidem bonos efficere debuerat,quia ſancta eſt, & ex optimo affectu inuitatis profecta eſt,ſed per uitium inemendatæ uoluntatis diſcrimen eſt uocatorum. Et quia in fallendis hominibus plurimũ artis ſoleat habere ſimulatio, quæ ſi nos uel ſecreto mentis alienæ uel ſimplicitate iudicij noſtri fefellerit, tamen deum latere non poſſit, ideo ingreſſus deus felicis reſurrectionis iſtius cœtum, & hominem accumbentem ſine nuptiali ueſte conſpiciens,interrogat quomodo ſit ingreſſus. Nunquid inuitandorum habitum deſignauerat? Deinde cum inuitari quoſq; iuſſiſſet,quodo unus omnibus poterat eſſe ueſtitus? Aut ſi certus ex conſuetudine cõuiuantium in nuptijs habitus ſoleret eſſe, ab inuitantibus ac miniſtris potuiſſet inhiberi, ſed quia malos intelligere non omnium eſt, & humana ſimplicitas difficile fraudulentiam ſimulatæ mentis intelligit, idcirco hunc malum & indignum cætu nuptiali deus ſolus inuenit. Veſtitus autem nuptialis eſt gloria ſpirituſſancti & candor habitus cœleſtis,qui bonæ interrogationis confeſſione ſuſceptus uſque in cœtum regni cœlorum immaculatus & integer reſeruatur. Hic itaq; tollitur,& in exteriores tenebras mittitur. Quia multi uocati ſunt, & pauci electi. Non eſt igitur paucitas in inuitatis, ſed raritas in electis,quia in inuitante ſine exceptione publicę bonitatis humanitas eſt,in inuitatis uero de iudicij merito probitatis electio eſt.

De tributo Cæſari dando. Et de imagine Cæſaris. De eadem ſeptem fratrum uxore. De mandatis maximis. De Dauid filio.

CANON XXIII

TVnc abierunt phariſæi,& conſilium fecerunt ut Ieſum caperent in uerbo.& reliqua.) Frequenter phariſæi commouentur,& occaſionem inſimulandi eum habere ex præteritis non poſſunt. Cadere enim uitium in geſta eius & dicta non poterat, ſed de malitiæ affectu in omnem ſe inquiſitionem reperiundæ accuſationis extendũt. Namq; à ſeculi uitijs atq; à ſuperſtitionibus humanarũ religionum uniuerſos ad ſpem regni cœleſtis uocabat. Igitur an uiolaret ſeculi poteſtatem,de propoſitæ interrogationis conditione pertentant,an uidelicet reddi tributum Cęſari oporteret. Qui interna cogitationum ſecreta cognoſcens (deus enim nihil eorum quæ intra hominem ſunt abſconſa nó ſpeculatur)afferri ſibi denarium iuſſit,& quæſiuit cuius & inſcriptio eſſet & forma.

forma. Phariſæi reſponderunt, Cæſaris eam eſſe. Quibus ait, Cæſari redhi benda eſſe quæ Cæſaris ſunt, deo autē reddenda eſſe quæ dei ſunt. O ple/nam miraculi reſponſionem, & perfectam dicti cœleſtis abſolutionem. Ita omnia inter contemptum ſeculi & contumeliam lædendi Cæſaris tempera uit, ut curis omnibus & officijs humanis deuotas deo mentes abſolueret, cū Cæſari quæ eius eſſent reddenda decernit. Si enim nihil eius penes nos reſederit, conditione reddendi ei quæ ſua ſunt nō tenebimur. Porrò autem ſi rebus illius incumbamus, ſi iure poteſtatis eius utimur, & nos tanquàm mercenarios alieni patrimonij procuratione ſubijcimus, extra querelam in/iuriæ eſt Cęſari redhiberi quod Cęſaris eſt, deo aūt quæ eius ſunt propria reddere nos oportere, corpus, animam, uoluntatem. Ab eo enim hæc pro/fecta atque aucta retinemus, & perinde condignum eſt, ut ei ſe totum red/dant cui debere ſe recolunt & originem & profectum. In illa die acceſſe/runt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem. & reliqua.) Sadducæi extra fidē reſurrectionis ſunt, & quia eam dominus prædicaret, calumniam diuinis rebus ex efficiendi uoluntate proponunt, ſeptem uide/licet fratrum eandem coniugem, cuiuſnam eorū in reſurrectione futuram eſſe reſpondeat. Atq; ita quidem publica opinio accipit, de reſurrectionis conditionibus nihil in ſcripturis prophetalibus contineri. Sed dominus ait: Erratis, neſcientes ſcripturas, neq; uirtutem dei. Ergo ſcriptum eſt & ceſſare debet ambiguitas, quam autoritas tanta condemnat. Hanc enim eandem calumniam afferre plures ſolent, in quam formam muliebris ſexus reſur/gat, & an rurſum cum ipſis naturæ ſuæ & corporis officijs reformetur. Nos quidem temere locum hunc à cunctis fermè præteritum contingimus, ſed admonemus id tantum domino fuiſſe propoſitum, cuius uxor ſit deputan da de ſeptem, dominum autem obiurgaſſe cur errarent, neſcientes ſcriptu/ras deiq; uirtutem, quia non nubent neq; nubentur. Et quidem ſuffecerat aduerſus Sadducæos ita ſentientes opinionem corporeæ illecebræ recidiſ/ſe, & officijs ceſſantibus inania hæc corporum gaudia ſuſtuliſſe, ſed adiecit: Erunt ſimiles angelis dei. Quia igitur eas angelis ſimiles ſacramentum ſcri/pturarum & diuinæ uirtutis poteſtates futuras eſſe demonſtrat, qualis in ſcripturis autoritas eſt de angelis opinandi, talem in reſurrectione ſpei no/ſtræ ſenſum oportet eſſe de fœminis. Et hæc quidem de reſurrectionis con ditionibus propoſitæ reddidit quæſtioni, de ipſa uero reſurrectione aduer ſum infidelitatem eorum ita locutus eſt. Non legiſtis quod dictum eſt uobis à deo dicente: Ego ſum deus Abrahæ & deus Iſaac & deus Iacob? Non eſt deus mortuorum ſed uiuorū.) Sermo enim hic ad Moyſen ſan/ctis iſtis patriarchis iam pridem quieſcentibus extiterat. Ergo quorum erat deus, hi deum habebant. Nihil autem poterant habere ſi non erant. Quia in natura rei eſt, ut eſſe id neceſſe ſit cuius ſit alterum. Atq; ita deum habere

uiuentium eſt,cum deus æternitas ſit,& non ſit eorum quę mortua ſunt habere id quod æternum eſt.Et quomodo eſſe illi futuriq; ſemper negabuntur,quorum ſe eſſe profiteatur æternitas? Phariſæi autẽ audientes quòd ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, congregati ſunt aduerſus eum, & interrogauit eum unus ex his legis doctor &c.) Succedunt Sadducæis tentantibus phariſæi, & illis quidem,congruenter fuerat de reſurrectione reſponſum, ut in lege ipſa ex qua erant profecti contineri ſperandæ reſurrectionis fidem conuincerentur.Phariſæi uero habere ſe ſcientiam legis gloriabantur,quæ ad futurorum ſpeciem prælata imaginem conſecuturæ ueritatis continebat. Quærunt autem quod mandatum potiſſimum eſſet in lege,nõ contuentes meditationem legis in Chriſto fuiſſe perfectam.Et quidem inſolentium ignorantiæ legis ipſius uerbis reſponſum eſt,quæ reſponſio omnem in ſe ueritatis eſt complexa doctrinam.Proprium enim domini noſtri Ieſu Chriſti officiũ eſt,cognitionem dei afferre, & intelligentiam nominis eius poteſtatisq; præſtare. Miſſus enim uenerat & ex æternitate deductus his quæ erant deo placita perfungebatur. Reſpondit itaq; primum eſſe mandatum:Diliges dominum deum tuum in toto corde tuo,& in tota anima tua,& in tota mente tua.Non enim alius ille efficiebat quàm quod lex continebat,quia præcepta legis eorum quę geſturus ipſe erat formam complectebantur. Admonet igitur cognitionis eius quam habere ſe gloriabantur in lege,deum omnipotentem cum omni affectu mentis cordis animæ diligendum,ut admonitionẽ ſuam prædicta legis mandata firmarent,deinde adiecit: Hoc eſt magnum & primum mandatum.Secundum uero ſimile eſt huic. Diliges proximum tuum ſicut teipſum.) Sed mandatum ſequens & ſimile ſignificat idem eſſe & officij & meriti in utroque. Neq; enim aut dei ſine Chriſto,aut Chriſti ſine deo poteſt utilis eſſe dilectio. Alterum igitur ſine altero nullum ad ſalutem noſtram affert profectũ.Et ideo in his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Quia lex ex prophetia omnis Chriſti deputabatur aduentui, & aduentus eius per ſupplementum eorum cognoſcendi dei intelligentiam pręſtabat.Nam de proximo,frequenter admonuimus,nõ in alium intelligendũ eſſe quàm Chriſtum.Cum enim patrem,matrem,filios charitati dei præponere inhibeamur, quomodo dilectio proximi, diligendi dei ſimile mandatum eſt? Aut relinquitur aliquid quod amori dei poſſit æquari, niſi quia ſimilitudo præcepti parem charitatem diligendi patrem & filium exigebat. Atque ut legis ipſius uerbis argui poſſent, & de proximo manifeſtior intelligentia panderetur,requirit: quid illis uideretur Chriſtus,cuiuſnam filius futurus eſſet. Qui reſponderunt:Dauid.) Quibusq; ait:Quomodo in ſpiritu dominus à Dauid nuncuparetur,qui eius filius futurus eſſet?Et quomodo ab eo dictum eſſet: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, Donec

ponam

ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Erat quidem uerũ, Chriſtum ex Dauid ſemine procreandũ, ſed ſimilitudo nominis qua dominus domino dicebat, & qua à dextris collocabat, donec omnes inimicos ſubderet pedibus ipſius, ſignificabat & de cõſortio nominis ſubſtantię unitatem, & de aſſidendi inuitatione iudium, & de uniuerſorũ ſubiectione uirtutem, ut meminiſſent in eo qui ex Dauid oriebatur æternæ uirtutis & poteſtatis & originis ſubſtantiam contineri, & deum in homine manſurum.

De cathedra Moyſi ſuper quam ſederunt ſcribæ & phariſæi. De clauſo ab ijſdem regno cœlorum. Et ab ijſdem comedi domos uiduarum, & circumeuntibus mare & aridam. Et dicentibus, quicunq; iurauerit in templo nihil eſt. Et de decimantibus mentam & anetũ. Et de ædificantibus ſepulchra prophetarum. Et de Hieruſalem quæ interficit prophetas, & lapidat eos qui ad ſe miſſi ſunt. Canon XXIIII

IVnc Ieſus locutus eſt turbis & diſcipulis ſuis dicens: Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & phariſæi. & reliqua.) Legis de ſe teſtantis gloriam prætulit, quæ imaginem in ſe futuræ ueritatis expreſſerat, in omnibus enim Chriſti meditabatur aduentum. Quicquid enim in ea continebatur, in profectũ manifeſtandæ eius cognitionis aſſumptum eſt. Iubet igitur præceptis phariſæorũ obtemperari, quia in Moyſi cathedra ſederũt: iubet legis mandatis omnibus obediri, ſed à factis eorum atq; operibus abſtineri, ut mores hominum atque infidelitas nõ legis doctrina uitetur. Ipſi enim ſubdito ſibi populo grauiſſima legis onera imponunt, ne digitum quidem ſuum contingendis ipſis admouentes. Quinetiam præcipiunt deum ex toto corde diligi, & proximum tanquàm ſe amari, ipſi aduerſum legis ſibi latæ teſtimonium deũ in Chriſti paſſionibus perſequentes. Verborum quoq; ſuorũ gloriam tanquàm phylacteria dilatantes, quibus uitæ æternæ autor deus non ſit intellectus in Chriſto, ſeſeq; ex honore legis emiſſos tanquàm fimbrias ex ueſte magnificent, qui totius legis ignari neq; opera, neq; uirtutem eiuſipſius legis agnouerint. Amantes primos accubitus in conuiuijs, qui igni æterno (conuiuantibus potius cum Abraham gentibus) deputantur. Et primas cathedras in ſynagogis, ipſi doctorem ſuum ſecundũ legis & prophetarum teſtimonium neſcientes. Sed & ſalutationes in foro, quibus humilitas cordis & miniſterium in omnes eſt imperatum. Vocari etiam ab hominibus magiſtri uolunt doctrinæ legis ignari, & magiſtrũ ſalutis perpetuæ reſpuentes. Quę quia omnia prophana atq; peruerſa eſſent, factorum imitatione damnantur, legis autem audientia & dictorum obedientia, quia Chriſtum loquebantur, exigitur. Verum in contrarium diſcipulis iam ſe ſcientibus totius humilitatis præcepta conſummat, ut meminerint omnes fratres

esse,id est,filios parentis unius,& per nouæ natiuitatis generationem terreni ortus excessisse primordia,& unum sibi esse omnibus cœlestis doctrinæ magistrum,& gloriam honoris æterni humilitatis cõscientia capessendum. Quia insolentiam deus humilem effecturus sit,& humilitatem * electurus in gloriam. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ qui clauditis regnũ cœlorum.) Simulationem eorum pœnæ significatione condemnat. Væ enim uox dolentis. Claudere autem eos regnum cœlorum ideo ait, quòd in lege meditationem eius quæ in Christo est ueritatis occultent, & corporeum aduentum à prophetis prædicatum doctrinæ simulatione abscondant,ipsiq; non adeuntes uiam æternitatis in Christo adire quoq; cæteros non sinant. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos uiduarum.) Hinc illæ sunt ueritatis inficiæ.hinc adeundæ cæteris salutis inhibitio & regni cœlestis obseratio, ut in obeundis uiduarum domibus retineatur ambitio,ut longe orationis dignatione spolientur, ut ab his cœlestis cognitio tanquàm à thesauro repositæ opulentiæ expetatur, ut legis dignitas gratiæ silentio perseueret. Et ideo accipiant amplius iudicium, quia & pœnam proprij peccati & reatum alienæ ignorantiæ debebunt.

Als elaturus*

Væ uox dolentis

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ,qui circumitis mare & aridam.) In maris & terræ peregrinatione significat in totis orbis finibus eos esse Christi Euangelio obtrectaturos,& legis iugo contra iustificationem fidei aliquos subdituros.Proselyti enim sunt ex gentibus in synagogam recepti, quorum futurorum raritas in uno iudicatur. Neq; enim post Christi prædicationem doctrinæ eorum fides relicta est, sed quisquis fuerit acquisitus ad plebem filius fit gehennæ, pœnæ soboles, & æterni iudicij hæreditas, quia adoptio ex gentibus Abrahæ familiam factura sit.Ideo autem pœnę duplicatæ erit filius,quia neq; remissionem peccatorum sit gentilium consecutus, & societatem eorum qui Christum persecuti sunt sit secutus.

Væ uobis duces cæci,qui dicitis:Quicunque iurauerit in templum,nihil est.) Reuerentiam humanarũ obseruationum,& contumeliam propheticæ traditionis exprobrat,quòd inanibus honorem darent & detraherent honorandis.Legem namq; ipse dederat & lex nõ inficientiam continebat, sed meditabatur effectus. Nam ornatus altarij atq; templi nõ dignitatem de cultu conciliabat, sed futurorũ speciem eo decore fingebat. Nam aurum argentum,æs,orichalcum,margaritæ,chrystallus,propriam significantiam pro natura uniuscuiusq; metalli complectuntur.Igitur redarguit quòd aurum templi & dona altaris pro sacramentorum religionibus uenerarentur, cum honor potior esset & altaris & templi, quia ad futurorum speciem & aurum templi & donum dedicaretur altari,& ideo adueniente Christo inutilem esse fiduciam legis, quia non in lege Christus, sed lex sanctificaretur

in Chri/

in Christo, in qua ueluti sedes thronusq; sibi positus sit, qui quia religiosus habeatur, religionem ab eo necesse est qui in illo confidat acceperit, atque ita stulti cæciq; sint, sanctificante præterito sanctificata uenerantes.

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam & anetum. & reliqua.) Mentis occulta & obscuram uoluntatum iniquitatem redarguit, quòd ea quæ in decimis mentę atque aneti lex præscribit efficiant ut implere legem ab hominibus existimentur, misericordiam uero atq; iustitiam & fidem & omnem beneuolentiæ affectum reliquerint, quod proprium hominis officium est. Quia decimatio illa holeris, quæ in præformationem futurorum erat utilis, non debebat omitti, effici autem hoc oportebat, ut fidei & iustitiæ & misericordiæ partibus functi non imitatione fingendæ, sed ueritate retinendæ uoluntatis operibus placeremus. Et quia minus piaculi esse decimationem holeris potius quàm beneuolentię officium præterire, irridet eorum in colandis culicibus diligentiam, quorum in glutiendis camelis esset incuria, peccata uidelicet leuia uitandum & grauia deuorandum. Par quoq; in eos pœnæ denunciatio est, qui calices & paropsides extrinsecus eluentes eorum interiora non mundent, & iactantiam inutilis studij sequentes, utilitatis perfectæ ministerium derelinquant. Calicis namque usus interior est qui si obsorduerit, quid proficiet lotus exterius? Atq; ideo interioris conscientiæ nitor est obtinendus, ut ea quæ corporis sunt forinsecus eluantur. Sepulchris quoque eos comparauit, quæ humano opere cultuq; splendentia mortuorum ossibus & cadauerum immundicijs interius sordescant, præferant scilicet inanibus uerbis iustitiæ speciositatem, habeant uero intra se conscientiæ suæ mentisq; fœtorem. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum. & reliqua.) Iudicij forma in absoluto est, & unicuiq; nostrum ex natura sensus atq; opinio æquitatis imponitur, ut minus ex eo ueniæ iniquitatis opus habeat, quo magis æquitas ignorata non fuerit. Prophetas namq; omnes legis populus occidit. In odium enim eorũ amaritudine obiurgationis accensi sunt. Nam uoce publica, furta, cædes, adulteria, sacrilegia eius coarguebant. Et quia indignum eum cœlesti regno ob hæc opera denunciabant, & hæredes testamenti dei gentes futuras prędicabant, uario pœnarũ genere confecti sunt. Sed parentũ facta posteritas ita detestata est, ut prophetiæ libros uenerentur, memorias adornent, sepulchra instaurent, taliq; reuerentia extra culpam se esse paterni sceleris testentur. Qui ergo prophetas cum grauissimo piaculo occisos fatentur, qua uenia Christum qui prophetarum opus est condemnabunt, cum ea quæ detestentur etiam multiplicato facinore perficiant? Atque ideo & serpentes & uiperina generatio sunt, quia mensuram paternæ uoluntatis implebunt. Et quomodo effugient iudiciũ,

deteſtantes cædem prophetarum, & uſque ad crucis mortem dominum perſequentes? A quibus propter Apoſtolos, qui de futurorum reuelatione prophetæ ſunt, & de Chriſti agnitione ſapientes, de legis intelligentia ſcribæ, cæſos, lapidatos, crucifixos, & à ciuitatibus in ciuitates fugatos, omnis ſanguis iuſtorum ab Abel uſq; ad Zachariam redundauit, ut quibus obeditum ſi fuiſſet, propriorum criminum eſſet uenia præſtita, ab his ob eoſdem interemptos pœna in eos qui peremerint paternorum quoq; facinorum congeretur. Hieruſalem Hieruſalem quæ interficis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt &c.) Inter multa obiurgationũ genera ſem per miſericordiæ ſuæ proteſtatur affectum, cuius hinc omnis querela eſt, quòd regredi in ſalutem quam præſtabat abnuerent. Occiderant enim prophetas, & ad ſe miſſos lapidauerant. Hieruſalẽ.) In ciuitatis nuncupatione habitantium facinus oſtenditur. Et idcirco Abel ſanguis & Zacharię in hanc eorum poſteritatem uenturus oſtenditur. Quia iam in his habitans Chriſtus & prædicans erat paſſus. Quòd ſi creditum ei fuiſſet, non ſolum extra pœnam necis prophetarum credentium fides fuerat, ſed ipſam illam dominicæ paſſionis ſententiam eſſet uenia cõſecuta. At uero cum nec poſt reſurrectionem creditum ei fuerit, etiam ultio ab his Abelis & Zachariæ ſanguinis repoſcitur. Quamuis enim corporeus hæc loquatur, & opem uniuerſis homo repertus exhibeat, frequenter tamen congregare eos uoluit prædicationibus prophetarum, ſed fruſtra hunc impendit affectum & in caſſum: tanquàm gallina cõgregans pullos ſuos continere eos ſub alis ſuis uoluit, terrena uidelicet nunc & domeſtica auis factus, quodam corporis ſui tanquàm alarum operimento calorem ut pullis ſuis uitæ immortalis indulgens, & in uolatũ uelut noua generatione producens. Pullis enim alia naſcendi ratio eſt, alia uiuendi. Nam primum ouorum teſtis tanquàm claustro corporis cõtinentur, dehinc poſtea parentis ſedulitate confoti exeunt in uolatum. Huius igitur familiaris ac penè terrenæ auis more congregare eos intra ſe uoluit, ut qui conditione naſcendi ædi ti iam fuiſſent, nunc alterius generationis ortu & calore confouentis renati in cœleſte regnum tanquàm pennatis corporibus euolarent. Quod quia noluerunt, domus eorũ deſerta & uacua relinquetur, id eſt, indigni habitatione ſanctiſpiritus erũt. Sua enim domus non dei eſſe cœperunt, & in contumacia infidelitatis manentes uſq; id tempus eum nõ uidebunt, quo in domini nomine reuertentem etiam inuita infidelitatis confeſſione benedicent.

De ſtructura templi interrogantibus diſcipulis. Et de his qui in tecto ſunt ne deſcendant tollere aliquid de domo. Et qui in agro ſunt ne reuertantur tollere tunicam ſuam, & de prægnantibus & nutrientibus.

CANON XXV

Et

ET egreſſus de templo ibat,& acceſſerũt diſcipuli eius ut oſtenderent ei ſtructuram templi &c.) Poſt comminationem deſerendæ Hieruſalem tanquam cõmouendus ambitione templi eſſet magnificentiæ lex ſtuctionis oſtenditur, qui ait deſtruenda omnia eſſe,& diſperſis totius ſubſtructionis lapidibus diruenda. Templum enim æternum ad habitationem ſanctiſpiritus conſecrabatur, homo ſcilicet per agnitionem filij,& confeſſionem patris,& præceptorum obedientiam deo fieri dignus habitaculum. Et cum ſeceſſiſſet in montem, adeuntes eum ſecreto diſcipuli interrogant quando hæc fierent, quod ueſtigium & aduentus ſui & conſummationis ſeculi noſcerent. Et quia tria hæc in unum quæſita ſunt, diſtinctis & temporis intelligentiæ ſignificationibus ſeparantur. Reſpondetur igitur primum de ciuitatis occaſu, & confirmantur ueritate doctrinæ, ne quis fallax ignorantibus poſſet obrepere. Venturi enim erant etiam eorum tempore qui ſe Chriſtum eſſent nuncupaturi. Vt igitur fides peſtifero mendacio detrahi poſſet, admonitio præceſſit. Venit enim Samaritanus Simon Zabolicis inſtructus & operibus & dictis, pluréſque factorum miraculis deprauauit. Et quia hoc in Apoſtolorum tempora conueniret, ait: Non eſt finis. Sed ne tunc quidem cum gentes aduerſus ſe mutuo & regna concurrerent, & fames ac terræ motus erunt, quia in his non uniuerſitatis huius diſſolutio eſt, ſed dolorum inítia, malis omnibus exinde cœpturis. Confirmat igitur eos ad tolerantiam paſſionum, fugæ, uerberationis, interitus, & publici in eos odij propter nomen eius. Atque his quidem uexationibus multi turbabuntur, & tantis inſurgentibus malis ſcandalizabuntur, & uſque in mutuum odium excitabuntur. Et falſi prophetæ erunt (ut Nicolaus unus ex ſeptem diaconibus fuit) multoſq; ementita ueritate peruertent, & abundante nequitia charitas frigeſcet, ſed uſque in finem perſeuerantibus ſalus reſeruata eſt, ac tum per omnes orbis partes uiris apoſtolicis diſperſis Euangelij ueritas prædicabitur. Et cum uniuerſis fuerit cognitio ſacramenti cœleſtis inuecta, tum Hieruſalem occaſus & finis incumbet, ut prędicationis fidem & infidelium pœna & metus ciuitatis erutæ conſequatur. Hæc igitur in eam ut fuerant prædicta perfecta ſunt,& lapidatis, fugatis, peremptis apoſtolis, fame, bello, captiuitate conſumpta eſt, ac tum fuit digna nõ eſſe, cum eiectis prędicatoribus Chriſti indignam dei prædicatione ſe præbuit. Sequitur deinde & indicium aduentus futuri, cum abominationẽ deſolationis ſtantem in loco ſancto uidebunt, tunc claritatis reditum intelligendum. Et de hoc quidem beatiſſimo Daniele & Paulo prædicantibus ſuperfluũ nos puto habere ſermonem. De antichriſti enim temporibus hæc locutus eſt. Abominatio ex eo dictus, quòd aduerſus deum ueniens honorem ſibi dei uindicet. Deſola-

Simon Samaritanus

Nicolaus

tionis autem abominatio, quia bellis & cædibus terram cum piaculo deſolaturus ſit, atq; à Iudæis ſuſceptus loco ſanctificationis inſiſtet, ut ubi ſanctorum precibus deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus dei honore uenerabilis ſit. Et quia proprius iſte Iudæorum erit error, ut qui ueritatem reſpuerunt, ſuſcipiant falſitatem, Iudæam deſeri monet, & transfugere in montes, ne admixtione plebis illius Antichriſto creditura uiſa, ut contagio afferatur, ſed omnibus qui tunc fideles erunt, tutiora futura ſint deſerta montium quàm frequentata Iudææ. Quod autem ait: Et qui in tecto ſunt, non deſcendant tollere aliquid de domo.) Præceptum iſtud ſecundum humanam intelligentiam rationem dicti factiq; nō recipit. Qui enim in tecto eſt, & Iudæam ſit relicturus niſi deſcendens ex eo abire non poterit. Aut quæ utilitas eſt, conſiſtere in tecto & nō in domo manere? Sed frequenter admonuimus proprietates uerborum & locorum contuendas, ut momenta præceptorum cœleſtium conſequamur. Tectum eſt domus faſtigium, & habitationis totius celſa perfectio. Domus enim nulla dici potest uel eſſe ſine tecto. Qui igitur in conſummatione domus ſuę, id eſt, in corporis ſui perfectione conſiſtit, regeneratione nouus, ſpiritu celſus, & diuini muneris abſolutione perfectus, non deſcendere in humiliora rerum ſeculariū cupiditate debebit, neq; interioribus corporis illecebris prouocatus de tecti ſui ſublimitate decedere. Et qui in agro erit, non reuertatur tollere tunicam ſuam.) Scilicet poſitus in operationem præcepti nō ad curas priſtinas reuertatur. Neq; aliqua corporis indumenta deſideret, ob quæ reuerſus ueterum exinde peccaminum quibus antea contegebatur erit tunicam relaturus. Væ prægnantibus & nutrientibus.) Simpliciter quidē iſtud propter moram fugæ accipi poteſt, quia uentris onere impeditas imminentem temporum ruinam effugere ſit moleſtum. Sed quid conditio ſexus & generationis ordo commeruit? Niſi fortè ætas illa mulierū quæ in illa tempora inciderint proprie ſit futura maledicta. Sed abſit iſtud, ut quicquam ſit quod homini niſi ſua culpa malum fiat. Non igitur de fœtarum onere dominum admonuiſſe credendū eſt, cum dicit: Væ prægnantibus, ſed animarum peccatis repletarum oſtendiſſe grauitatem, quæ neq; in tecto poſitæ, neq; in agro manentes repoſitæ iræ tempeſtatem uitare poſſint. Dolor enim prægnantes ex natura conſequitur, & partus ſine totius coporis uexatione non funditur. Quæ ergo tales animæ reperientur in ſuo & onere & dolore continebuntur. Illis quoq; uæ erit quæ nutrientur. Eſt infantia lacte depulſa non minus ad fugam inutilis, quàm ea quę etiamnum lacte alatur, & quomodo uæ illi quæ nutriatur, cum nihil interſit ætatis ac temporis nutriri lacte & deceſſiſſe de lacte, ſed perinde hic etiam infirmitatem animarum, quæ ad cognitionem dei tanquam lacte educabantur oſtendit, quæ

perfecti

perfecti cibi uirtute indigentes,tenui diuinæ cognitionis infirmoq; guſtatu imbuantur.& idcirco uæ ipſis erit,quia & ad effugiendum antichriſtũ graues,& ad ſuſtinendum imperitæ, nec peccata effugerint,nec cibum ueri panis acceperint. Atq; idcirco orare admonemur ne uel hyeme fuga noſtra, uel ſabbato ſit,id eſt,ne aut in peccatorum frigore,aut in ocio bonorũ operum reperiamur.Quia grauis uexatio incumbet, & intolerabilis cunctis,niſi quòd cauſa electorũ dei,diebus illis ſit breuitas afferenda,ut uim incumbentium malorum coarctatum degraſſandi tempus exuperet. Et quia in magna uexatione poſitis, pſeudoprophetæ tanquam præſentem in Chriſto opem ſint indicaturi,multis in locis Chriſtum eſſe atq; haberi mentiẽtur,ut in antichriſti famulatũ depreſſos uexatosq; deducant:nunc in deſertis eſſe dicentes,ut errore deprauent:nunc in penetralibus aſſerentes,ut dominantes poteſtate concludant. Sed ſe dominus nõ loco occulendum, nec à ſingulis contuendum eſſe profitetur, ſed ubicunq; & in conſpectu omniũ præſentem futurum,modo fulguris,quod ab oriente elatum, lumen ſuum uſq; ad occidentis plagam ſpargit,& undecunque micans ubicunq; cernetur.Ac ne uel loci quidem eius in quo futurus eſſet,eſſemus ignari, ait: Vbicunq; fuerit corpus,ibi cõgregabuntur aquilæ. Sanctos de uolatu ſpiritualis corporis aquilas nuncupauit, quorum congregantibus angelis conuentum futurum in loco paſſionis oſtendit.Et digne illic claritatis aduentus expectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis, paſſione corporeæ humilitatis operatus eſt.

De ſole obſcurato,& luna & ſtellis. De ſigno ficus. De diei aduentus domini incertitudine. De aſſumendis & relinquendis. Et de uigilantia ſeruanda. Canon XXVI

STatim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur.& reliqua.) Gloriam aduentus ſui, & claritatis reditum indicat obſcuritate ſolis,defectione lunæ, caſu ſtellarũ ,uirtutũ cœleſtium motu,oſtenſione ſigni ſalutaris, lamentatione gentium cognoſcentiũ filiũ hominis in dei gloria, & ad collectionem ſanctorũ deſtinatione angelorũ,cum tubæ,id eſt,iam publicæ libertatis hortatu. Sic erit de grano ſinapis arbor ingens:ſic de lapide montis contrita imagine orbem terræ mons occupans:ſic ciuitas omnibus cõtemplabilis:ſic lucens uniuerſis lumen in lino,ſic ex humilitate mortis deus gloriæ.Quarũ omniũ rerum indicio ſcire nos uoluit tempus noſtrę redemptionis,quo ex corruptione corporũ in honorem ſpiritualis ſubſtantiæ transferemur. Cognoſcendi autem temporis ſignum in ſimilitudine ficus arboris poſuit, cuius cum ramus tener fuerit, atque fronduerit, tum prope eſſe æſtas intelligetur. Sed longe alia natura & æſtatis & arboris eſt. In ueris enim initijs intumeſcit,

& non

& non exiguum tempus eſt medium inter id quod ęſtas ingruit & arboris ramus tenereſcit in frondes. Ex quo non de arbore hoc dictum eſſe noſcendum eſt. Et quidē iam ſuperius de arboris iſtius proprietate tractauimus. Huius etiam foliis Adam legimus indutum, & pudorem conſcientiæ texiſſe, id eſt, tanquam peccati ueſte ſub lege circundatū. Ramus igitur ficus antichriſtus eſſe intelligetur, zaboli filius, peccati portio, legis aſſertor. Qui cū tenereſcere cœperit atq; frondeſcere, tunc proxima eſſe æſtas, id eſt, dies iudicij ſentietur. Frondeſcere autem quadam peccatorum exultantium uiriditate noſcitur. Erit enim tum flos criminoſorum, & honor facinoroſorum, & gratia prophanorum, quibus tamen æſtus, id eſt, calor æterni ignis in proximo eſt. Atq; ut fides certa eſſet futurorum, amen dicendo, profeſſionem ueritatis adiecit, generationem noſtram præterire non poſſe, niſi uniuerſa iſta tranſcurrerent, eaq; quæ firma exiſtimantur cœlum & terram non futura, uerba autem ſua non poſſe non eſſe, quia illa ex conditione creationis ſuæ, id eſt, profecta de nihilo, habeant id in ſe neceſſitatis, ut non ſint: hæc autem ex æternitate deducta, id in ſe contineant uirtutis ut maneant. De fine autem temporum curam ſolicitudinis noſtræ ademit, diem illum dicens nemini eſſe cognitum, & non ſolum angelis, ſed etiam ſibi ignoratum. O diuinæ bonitatis inæſtimabilem miſericordiam. Nunquid deus pater cognitionem diei celandi filium propoſito abnegauit, cum dictum ab eo ſit: Omnia mihi à patre meo tradita ſunt? Ergo non omnia ſunt, ſi eſt aliquid quod negatur: ſed quia ad nos omnia à patre accepta deueheret, deiq; uerbum non tam futuri in ſe fidem contineat quàm facti, ideo extra definitionem dies poſita eſt, ut largum licet deus pœnitentiæ nobis tempus indulgens, incerti tamē metu ſemper nos ſolicitos detineret, & ipſe nulli loquendo, uoluntatem dandi huius diei nulla dicti ſui definitione cohiberet, quia ſecundum diluuij tempus in ipſo uitæ noſtræ curſu omnia agentibus ac pœnitentibus magnus ille dies aderit. Quin etiam in aſſumendis fidelibus futurum eſſe diſcrimen oſtendit, cum duobus in agro poſitis, aſſumatur unus, & alter relinquatur: & duabus molentibus improbetur altera, altera eligatur: & ex duobus qui in lecto erunt, adhæreat unus, alter deſeratur. Infideliū enim & fideliū diſcrimē in relinquendis alijs, & alijs aſſumendis docet. Dei enim ira ingraueſcente ſancti, ut propheta ait, in promptuarijs recōdentur, perfidi uero ad cœleſtis ignis materiem reliquentur. Duos igitur in agro, id eſt, duos populos fideliū & infidelium in ſeculo tanquam in uitæ huius opere dies domini deprehendet: ſeparabuntur tamen relicto alio, & alio aſſumpto. De molentibus quoq; par ratio eſt. Mola opus legis eſt: ſed quia pars Iudæorum ut per apoſtolos credidit, ita per Heliam eſt creditura, & iuſtificanda per fidem eſt. ideo una per eandem fidem boni

operis

operis apprehendetur, alia uero in infructuoſo legis opere relinquetur, molens in caſſum, & non factura cœleſtis cibi panem. Duo autem ſunt in lecto eandem paſſionis dominicæ requiem prædicantes, circa quam & hæreticorum & catholicorum eadem atq; una confeſſio eſt. Sed quia unitatem patris & filij, & communem eorum theotetam, quam deitatem nuncupauimus, catholicorum ueritas prædicabit, & eandem rurſum plurimis contumelijs hæreticorum falſitas impugnabit, idcirco ex duobus in lecto alter relinquitur & alter aſſumitur, quia fidem confeſſionis utriuſq; in uno aſſumendo, & in altero relinquendo diuini arbitrij iudiciũ comprobabit. Atq; ut ignorantiam illam diei omnibus taciti, non ſine utilis ſilentij ratione eſſe ſciremus, uigilare nos propter aduentum furis admonuit, & orationum aſſiduitate detentos omnibus præceptorum ſuorum operibus inhærere. Furem enim eſſe oſtendit zabolũ ad detrahenda ex nobis ſpolia peruigilem, & corporum noſtrorum domibus inſidiantem, ut ea incurioſis nobis & ſomno deditis, conſiliorum ſuorum atq; illecebrarum iaculis perfodiat. Paratos igitur eſſe nos conuenit, quia diei ignoratio intentam ſolicitudinem ſuſpenſæ expectationis exagitet.

De ſeruo fideli, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam. De decem uirginibus. De homine peregre profecto, qui tradidit ſubſtantiam ſuam ſeruis ſuis. Canon XXVII

QVis nam eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit dominus ſupra familiam ſuam? &c.) Quanquam in cõmune nos ad indefeſſam uigilantiæ curam adhortetur, ſpecialem tamen populi principibus, id eſt, epiſcopis in expectatione aduentúque ſuo ſolicitudinem mandat. Hunc enim ſeruũ fidelem atq; prudentem præpoſitum familiæ ſignificat, commoda atq; utilitates commiſſi ſibi populi curantem. Qui ſi dicto audiens & præceptis obediens erit, id eſt, ſi doctrinæ opportunitate, & ueritate infirma cõfirmet, diſrupta conſolidet, deprauata conuertat, & uerbum uitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ diſpendat, atq; hæc agens hiſq; immorans deprehendatur, gloriam à domino tanquam diſpenſator fidelis & uillicus utilis cõſequetur, & ſuper omnia bona cõſtituetur, id eſt, in dei gloria collocabitur. Quia nihil ſit ultra quod melius ſit. Quòd ſi contuens longam dei patientiam, quæ in profectũ humanæ ſalutis extenditur, aduerſum conſeruos inſoleſcet, & ſeculi malis uitijſq; ſe tradet, præſentium tantum curam in cultu uentris exercens, deſperata die dominus aduenier, eumq; à bonis quæ ſpoponderat diuidet, portionemq; eius cum hypocritis in pœnæ æternitate conſtituet: quia aduentum deſperauerit, quia mandatis nõ obtemperauerit, quia præſentibus ſtuduerit, quia uita gentium uixerit, quia deſperatione iudicij commiſſam ſibi familiam

familiam fame, ſiti, cæde uexauerit. Tunc ſimilabitur regnum cœlorum decem uirginibus. & reliqua.) Ex dictis ſuperioribus ratio quoq; huius ſermonis intelligi poteſt. De die enim magno domini omnis eſt ſermo, quo occulta humanarum cogitationum diuini iudicij cognitione prodentur, & uera expectati dei fides non ambiguæ ſpei meritum conſequetur. Abſolute enim in quinq; prudentibus, & in quinq; fatuis fidelium atq; infidelium eſt conſtituta diuiſio. Quo exemplo Moyſes decem uerba duabus tabulis conſcripta acceperat. Neceſſe enim erat, omnia ea in utraq; conſcribi. Et duplex pagina inter proprietatem dextræ & ſiniſtræ diuiſionem ſub uno licet teſtamento bonorum malorumq; ſignabat. Sponſus atq; ſponſa dominus noſter eſt in corpore deus. Nam ut ſpiritus carni, ita ſpiritui caro ſponſa eſt. Deniq; tuba excitante ſponſo obuiam tantum proditur. Erunt enim iam ambo unum, quia in gloriam ſpiritualem humilitas carnis exceſſerat. Primo autem progreſſu uitæ huius officijs occurrere in reſurrectionē, quæ eſt à mortuis, præparamur. Lampades igitur animarum ſplendentium lumen eſt, quæ ſacramento baptiſmi ſplenduerunt. Oleum boni operis eſt fructus. Vaſa humana ſunt corpora, intra quorum uiſcera theſaurus bonæ conſcientiæ recondendus eſt. Vendentes ſunt hi, qui miſericordia fidelium indigentes, reddunt ex ſe petita commercia, indigentiæ ſuæ ſcilicet ex ſatietate boni operis noſtri conſcientiam ementes. Hæc enim indefeſſi luminis copioſa materies eſt, quæ miſericordiæ fructibus & emenda eſt, & recondenda. Nuptiæ immortalitatis aſſumptio eſt, & inter corruptionem atque incorruptionē ex noua ſocietate coniunctio. Mora ſponſi, pœnitentiæ tempus eſt. Expectantium ſomnus, credentium quies eſt, & in pœnitentiæ tempore mors temporaria uniuerſorū. Nocte media clamor, cunctis ignorantibus. Tubæ uox, eſt domini pręcedentis aduentum, & uniuerſos ut obuiam ſponſo exeant excitantis. Lampadum aſſumptio, animarum eſt reditus in corpora, earumq; lux conſcientia boni operis elucens, quæ uaſculis corporum continetur. Prudentes uirgines hæ ſunt, quæ opportunum in corporibus operandi tempus amplexæ, in primum ſe occurſum aduentus domini ci præparauerint. Fatuæ autem, quæ diſſolutæ ac negligentes, præſentium tantum ſolicitudinem habuerint, & immemores promiſſorū dei, in nullam ſe ſpem reſurrectionis extenderint. Et quia prodire obuiam fatuę extinctis lampadibus non poſſunt, deprecantur eas quæ prudentes erant, ut oleum mutuent. Quibus reſponderunt non poſſe ſe dare, quia non ſit fortè quod omnibus ſatis ſit, alienis ſcilicet operibus ac meritis neminem adiuuandū, quia unicuiq; lampadi ſuæ emere oleum ſit neceſſe. Quas hortantur ut rediant ad emendū, ſi uel ſero præceptis dei obſequendo, cū lampadū luce ſponſi dignæ efficiant occurſu. Quibus morantibus ſponſus ingreſſus eſt, atq;

Alienis operibus ac meritis neminem adiuuandum.

atq; unà cum eo in nuptias ſapientes, quæ comparato lampadum lumine opperiebantur, introeunt, id eſt, in cœleſtem gloriã ſub ipſo ſtatim aduentu dominicæ claritatis incedunt. Et quia iam pœnitentiæ nullũ eſt tempus, fatuæ occurrunt, aperiri ſibi aditum rogant. Quibus reſpondetur à ſponſo, quia neſcio uos. Non enim in officio aduenientis affuerant, neq; ad uocem tubæ excitantis occurrerant, neq; introëuntium comitatui adhæſerant, ſed morantes & indignæ introeundi ad nuptias tempus amiſerant. Sicut enim homo peregre proficiſcens, uocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis ſubſtantiam ſuam, & reliqua.) Diuiſio pecuniæ inæqualis eſt, ſed non ad diuidentem referenda diuerſitas eſt. Ait enim, unumquenq; ſecundum uirtutem ſuam accepiſſe. Ergo inquantum quis capax eſſet accepit, & extra moderantis arbitrium eſt quod erat in iure ſumentis. Patremfamiliâs ſeipſum eſſe ſignificat. Peregrinationis tempus, pœnitentiæ ſpatium eſt, quo in cœlis à dextris dei aſſidens, poteſtatẽ uniuerſo generi humano fidei atq; operationis euangelicæ permiſit. Igitur unuſquiſq; ſecundum fidei ſuæ menſuram talentum, id eſt, euangelij prædicationem à prædicante ſuſcepit. Hæc enim incorrupta ſubſtantia eſt, hoc Chriſti patrimonium æternis hæredibus reſeruatum. Sed ſeruus ille qui quinq; talenta accepit, populus ex lege credentium eſt, ex qua profectus, meritũ ipſius recte probeq; perfunctus euangelicę fidei operatione duplicauit. In ratione autem ponenda iudicij examen eſt, quo cœleſtis uerbi uſus, & reditus diſpenſati talẽti poſtulatur. Igitur cui erant quinq; commiſſa, domino reuerſo, de quinq; decem obtulit, talis ſcilicet in fide repertus qualis in lege, qui decem uerborum quinq; libris Moyſi, præceptorum obedientiam per gratiam euangelicæ iuſtificationis expleuerit. Igitur iubetur in gaudium domini introire, id eſt, in honorem gloriæ Chriſti recipitur. Ille uero ſeruus cui duo talẽta commiſſa ſunt, gentium populus eſt fide atq; confeſſione & filij iuſtificatus & patris, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum deum atq; hominem & ſpiritu & carne confeſſus. Nam & corde fides, & ore confeſſio eſt. Hæc ergo huic ſunt duo talenta commiſſa, ſed ut prior ille omne ſacramentum in quinq; talentis, id eſt, in lege cognouerat, idq; ipſum fide euangelij duplicauerat: ita iſte incremento duum talentorum, atq; operatione promeruit, ratione ac reditu diſſimili, par tamen à domino munus amborum eſt, ut gentium fidem exæquatam credentium ex lege ſcientiæ noſceremus, nam cum laudatione eadem iubetur in gaudium domini introire. Eſt autem duplicatio, ſumptę pecuniæ operationem fidei addidiſſe, & quæ opinione crediderant, rebus factisq; geſſiſſe. Qui uero unum talentum accepit, & in terram recõdidit, populus eſt in lege perſiſtens, totus carnalis & ſtupidus, & nihil ſpirituale intelligens, ut quem uirtus prædicationis euangelicæ non ſubeat, ſed propter inuidiam ſaluandarum gentium, in terra receptum talentum abſconderit,

neq; ipſe utens,neq; utendum aliis diſpenſet, ſed ſufficere ſibi legem exiſti met ad ſalutem:atq; ideo cum ab eo ratio expoſtularetur ita ait: Timui te, tanquam per reuerentiam ac metum ueterum præceptorum,uſu euangeli/cæ libertatis abſtineat,dicatq;,ecce quod tuum eſt,uelut in his quæ à domi no præcepta ſunt fuerit immoratus. In terram uero abſcondere,hoc eſt,nō uæ prædicationis gloriam ſub obtrectatione corporeæ paſſionis occulere. Qui cum Chriſtum dominum ad ſalutem gentium miſſum fuiſſe nō poſ/ſet abnuere:nam & aduētus & paſſio eius ex lege eſt, obtemperare tamen euangeliis ipſe noluerit. ait enim:Scio quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & colligis ubi non ſparſiſti. Rerum præſentium natura non fert meſſem eſſe ſine ſemine,& colligi quæ ſparſa nō fuerint, ſed totus ſpiritua/lis hic ſermo eſt. Diximus enim,hunc populū eſſe de lege non ignorantem domini aduentum & gentium ſalutem,ſed infidelem,quippe cum ſciat me tendos illic iuſtitiæ fructus,ubi lex ſata non ſit, & colligendos ex gentibus, qui non ex Abrahę ſint ſtirpe diſperſi:& idcirco durus hic homo ſit,ſcilicet ſine lege iuſtificaturus, ſine diſperſione collecturus, & ſine ſatione meſſu/rus. Atq; ideo hoc magis ſine uenia erit cur prædicationem occuluerit, & commiſſum ſibi talentum ſuffoderit,cum ſciret meſſurum eſſe ſine ſemine, & collecturum eſſe,quæ non ſparſit:ſed potius oportuiſſe eum nummula/riis dare,id eſt,uniuerſo generi hominum,quod ſeculi negociis occupetur, uſum crediti ſibi talenti communicare, domino reditus eius à ſingulis po/ſtulaturo. Ob quam culpam talentum ab eo non tam euangelij, quod ſuf/foderat cū legis aufertur,eiq; qui quinq; duplicauerit datur, domino dicen te: Omni enim habenti dabitur & abundabit:qui autem non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Poteſt quidem habens abundare, quia facile eſt per incrementum uel munificentiæ, uel laboris opulentum poſſe diteſ/cere. Sed quo modo non habens habebit ad dandum? Hoc ideo, quia ha/bentibus uſum euangeliorū,etiam legis honor redditur:non habenti aūt fi dem Chriſti, etiā id quod ex lege habere ſibi uidebatur honoris aufertur.

De aduentu filij hominis ad iudicium in maie/ſtate ſua. Canon XXVIII

CVm autem uenerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo, & reliqua.) Omnem ipſe rationem huius ſer/monis abſoluit. De iudicij enim tempore aduentuq; comme/morat,quo fideles ab infidelibus ſeparabit,atq; ab infructuo/ſis fructuoſa diſcernet,hœdos uidelicet ab agnis,& in dextra ac ſiniſtra col/locans unumquenq;, digna aut bonitatis aut malitiæ ſuæ ſede conſtituet, iudicans ſe in minimis ſuis,id eſt, iis qui ſibi cum humilitatis ſuæ expecta/tione famulenē,& eſurientibus ali, & ſitientibus potari, & peregrinantibus confoueri,& nudis contegi,& infirmis uiſitari, & ſolicitis cōſolari. Ita enim in uniuer/

in uniuersorum fidelium corporibus mentibusq; transfunditur,ut hæc humanitatis officia,aut gratiam suam impensa mereantur, aut offensam negata commoueant.Post quem sermonem quò se uenturum in reditu claritatis ostenderat,nunc passurum esse se admonet,ut sacramentum crucis admixtum esse gloriæ æternitatis agnoscerent.Sumitur inter hæc perimendi eius à Iudæis consilium, & congregatis principibus sacerdotum occasio tanti facinoris expectatur.

De muliere quæ accessit ad Iesum in domo Simonis leprosi, habens alabastrum unguenti precioſi. Canon XXIX

CVm autem esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti precioſi, & reliqua.) Sub ipso tempore passionis non ex nihilo est, ut mulier unguentum precioſum recumbentis domini capiti infuderit.Dehinc,ut discipuli irascerentur & dicerẽt,uendi istud potius in usum pauperũ debuisse:tum,ut dominus & mulieris factũ cõprobaret, & æternã cum prædicatione euangelij operis huius esse memoriã sponderet:postremo,ut post id Iudas ad uendendã salutem eius erumperet. Mulier hæc in præfiguratione gentiũ plebes est, quæ in passione Christi gloriã deo reddidit.Caput enim eius perunxit.caput autẽ Christi deus est.Nam unguentum boni operis est fructus, & propter corporis curam mulierũ sexui maxime gratũ est.Igitur omnem curã corporis sui, & totũ precioſæ mentis affectum in honorẽ dei laudemq; transfudit. Sed discipuli fauore saluandi Israëlis, ut sæpenumero cõmouẽtur, uendi hoc in usum pauperũ debuisse. Sed neq; mulier hæc uenale unguentũ circumferebat, & pauperes fidei indigos instinctu prophetico nuncupauerũt. Atq; hanc gentium fidem emi potius ad salutem egeni huius populi debuisse, quibus dominus ait,plurimum esse temporis quo habere curam pauperũ possent, cæterum non nisi ex præcepto salutem gentibus posse præstari, quæ secum infuso mulieris eius huiusmodi unguento sint consepultæ: quia regeneratio non nisi commortuis in baptismi professione redhibet, & idcirco ubi prædicabitur hoc euangelium,narrabitur opus eius:quia cessante Israel euangelij gloria fide gentium prædicatur. Qua æmulatione in Iudæ persona Israel prophanus accensus,omni odio ad extinguendum nomen domini incitatur.

De die prima azymorum. Canon XXX

PRima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi uis paremus tibi pascha manducare? & reliqua.) Discipuli ire adiquendam hominẽ iubentur, & ei dicere quòd cum eo dominus pascha cum discipulis facere uellet. Qui præceptis obtemperauerũt,& pascha parauerũt. Sed oportuerat eos scire quò pergerẽt,& de hominis nomine edoceri:alioqui incerti ad quẽ mitterentur,

quomodo miſſi,quæ præcepta fuerant exequebantur? Verum ſermo prophetiæ rerum præſentiũ effectibus admiſcetur. Hominem enim, cum quo paſcha celebraturus eſſet non nominat: nondum enim Chriſtiani nominis honor credentibus erat præſtitus, qui uere ſunt deum mentis ac fidei oculis cõtuentes,ut cum eo paſcha domini apoſtolos præparare ſciremus, cui in tempore domini nouum nomen eſſet addendum. Poſt quæ Iudas proditor indicatur,ſine quo paſcha accepto calice & fracto pane conficitur. Dignus enim æternorum ſacramentorum communione nõ fuerat. Nam diſceſſiſſe ſtatim hinc intelligitur,quod cum turbis reuerſus oſtenditur. Neq; ſanè bibere cum eo poterat,qui nõ erat bibiturus in regno, cum uniuerſos, tum bibentes ex uitis iſtius fructu, bibituros ſecum poſtea polliceretur.

Hymnoq; dicto in montem reuerſi ſunt.) Conſummatis ſcilicet uniuerſis diuinorum myſteriorum uirtutibus gaudio, & exultatione cõmuni in cœleſtem gloriam efferuntur. Futuræ quoq; eos infirmitatis admonuit, & nocte eadem omnes metu atque infidelitate turbandos. Cuius rei fides etiam autoritate prophetiæ ueteris cõtinebatur,percuſſo paſtore oues eſſe ſpargendas. Se tamen reſurgentem in Galilæam præceſſurum eſſe,ut infirmitatem eorum ſponſione reditus ſui conſolaretur. Sed Petrus pro fidei ſuæ calore reſpondit,cæteris licet ſcandalizantibus nunquam ſe ſcandalizaturum. In tantum enim & affectu & charitate Chriſti efferebatur,ut & imbecillitatem carnis ſuæ,& fidem uerborum domini non contueretur, quaſi uero dicta eius efficienda nõ eſſent,cui ait: Ante quàm gallus cantet,ter me negabis. Sed tam ille,quàm cęteri ne mortis quidem metu deceſſuros ſe de confeſſione nominis eius pollicentur. Ad omnem enim ſe miniſterij conſtantiam intrepida fidei uoluntate firmauerant.

Scandalizari dicit, ut loqui

Venit Ieſus in agrum, qui dicitur Getſemani, & orat patrem &c. Canon XXXI



Vnc uenit cum illis Ieſus in agrũ, qui dicitur Getſemani, & dicit diſcipulis ſuis: Sedete hic donec eam illuc orare.) Fidem diſcipulorum & conſtantiam deuotæ ſibi uoluntatis acceperat. Sed & turbandos & diffiſuros ſciebat. Quos conſidere in loco iubet dum progrederetur orare. Et aſſumpſit Petrum, Iacobũ & Ioannem Zebedęi filios,quibus aſſumptis,triſtis eſſe mœſtusq; cœpit,& ait,triſtem animam ſuam uſque ad mortem eſſe. Aliquorum ea opinio eſt, quod cadere propter ſe mœſtitudo in deum potuerit, eumq; futuræ paſſionis metus fregerit,quia dixerit: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. & illud: Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Et rurſum: Spiritus quidem promptus eſt,caro autem infirma. & ad poſtremum, bis id ipſum: Pater ſi non poteſt hic calix tranſire,niſi illum bibam,fiat uolũtas tua. Volũt enim ex infirmitate corporis erumnam ſpiritui adhærere, ac ſi uirtutem illam in

corruptæ

corruptæ ſubſtantiæ, imbecillitatis ſuæ ſorte aſſumptio carnis infecerit, & æternitas naturam fragilitatis acceperit, quæ ſi ad metũ triſtis eſt, ſi ad dolorem infirma, ſi ad mortem trepida, iam & corruptioni ſubdita erit, & incidet in eam totius infirmitatis affectio. Erit ergo quod non erat, de angore mœſta, de timore ſolicita, de dolore perterrita, ac ſic æternitas demutata in metum, ſi poteſt eſſe quod non erat, potuit perinde hoc quod erat aliquando non eſſe. Deus autem ſine menſura temporum ſemper eſt, & qualis eſt, talis æternus eſt. Æternitas autem in infinito manẽs, ut in his quę fuerant, ita in illis quæ conſequentur extenditur, ſemper integra, incorrupta, perfecta, præter quam nihil quod eſſe poſſit extrinſecus ſit relictum. Non ipſa in aliquo, ſed intra eam cũcta, potens ita largiri nobis ipſa quod ſuum eſt, ut ſibi nihil de eo quod ſit largita decedat. Sed eorũ omnis hic ſenſus eſt, ut opinentur metum mortis in dei filium incidiſſe, qui aſſerunt nõ de æternitate prolatum, neq; de infinitate paternæ ſubſtantiæ extitiſſe, ſed ex nullo illum, qui omnia creauit effectum, ut aſſumptus ex nihilo ſit, & cœptus ex opere, & cõfirmatus ex tempore. Et ideo in eo doloris anxietas, ideo ſpiritus paſſio cum corporis paſſione. Ideo metus mortis, ut qui mortẽ timere potuit, & mori poſſit: qui uero mori potuit, licet in futurum erit, non tamen per eum qui ſe genuit ex præterito ſit æternus. Quòd ſi per fidem uitæq; probitatem capaces euangeliorum eſſe potuiſſent, ſcirent uerbum in principio deum, & hoc à principio apud deum, & natũ eſſe ex eo qui erat, & hoc in eo eſſe qui natus eſt, quod ipſe eſt penes quem erat anteq; naſceretur, eandem ſcilicet æternitatem eſſe & gignentis & geniti. Mori igitur nihil in deo potuit, neq; ex ſe metus deo ullus eſt. In Chriſto enim deus erat mundum reconcilians ſibi. Sed introſpiciẽdus omnis hic ſermo eſt, ut quia mœſtum fuiſſe dominum legimus, cauſas mœſtitudinis reperiamus. Admonuerat ſuperius omnes ſcandalizaturos. Petrus de ſe confidens reſponderat, etiamſi cęteri perturbarentur ſe non cõmouendum: quem dominus etiam ter ſe negaturum eſſe reſpondit. Sed & ille & cæteri omnes diſcipuli ne ſi in ipſa quidem morte poſiti ſint, pollicentur ſeſe negaturos. Et procedens iuſſit diſcipulos ſuos conſidere dum oraret. Aſſumptiſq; Petro, Iacobo & Ioanne cœpit triſtis eſſe. Ergo nõ ante triſtis eſt q; aſſumit, & omnis metus illis eſſe cœpit aſſumptis, atq; ita non de eo orta eſt, ſed de his quos aſſumpſerat mœſtitudo. Et quidem recordandũ eſt, non alios hic aſſumptos fuiſſe, q; ipſos illos, quibus uenturus in regno ſuo filius hominis oſtenſus eſt, tum cum aſſiſtẽtibus in monte Moyſe & Helia toto æternæ gloriæ ſuæ honore circũdatus eſt. Sed quæ tum aſſumendorũ eorũ, eadẽ & nunc fuit cauſa. Deniq; ait: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortẽ. nũquid ait: Triſtis eſt anima mea propter mortẽ. certe non ita. Nam ſi de morte erat metus, ad eam utiq; referri per quam erat debuit. Sed aliud eſt uſq; in id, aliud

Triſtitia quõ in Chriſto

ob id metuere. Et cauſam nō facit quicquid in fine eſt, quia uſq; in id quod ab altero cœptum ſit differatur. Superius igitur dixerat: Scandalum patiemini in me in iſta nocte. Sciebat exterrendos, fugādos, negaturos: ſed quia ſpiritus blaſphemia nec hic, nec inæternum remittitur, metuit ne ſe deum abnegent, quem cæſum & conſputū & crucifixū eſſent contemplaturi. Quę ratio ſeruata in Petro eſt, qui cum negaturus eſſet ita negauit: Non noui hominem. Quia dictū aliquid in filiū hominis remittetur. Triſtis ergo eſt uſq; ad mortē. Non itaq; mors, ſed tempus mortis in metu eſt. Quia poſt eam reſurrectionis uirtute fides eſſet firmanda credentiū, ſequitur illud: Suſtinete & uigilate mecū. Et progreſſus procidit in faciem ſuā orans.) Manere ſecum peruigiles admonet. Sciebat enim ingruente zabulo fidem eorū conſopiendam. Et parem ſecum uigilantiā imperat, quibus eadē paſſio immi-
nebat, deinde orat: Pater meus ſi poſſibile eſt trāſeat à me calix iſte. Sed tamen nō ſicut ego uolo, ſed ſicut tu uis.) Tranſire à ſe calicem rogat, nunquid ait: Tranſeat me calix iſte? Hæc enim futura erat pro ſe timentis oratio, ſed aliud eſt, ut tranſeat deprecari. In eo enim quod à ſe tranſit, ipſe ille à moleſtia tranſeuntis excipitur. Qui autem, ut à ſe tranſeat rogat, nō ut ipſe prætereatur orat, ſed ut in alterum id quod à ſe tranſit excedat. Nunquid impoſſibile erat non pati Chriſtum? Atqui iam à conſtitutione mundi ſacramentum hoc in eo erat noſtræ ſalutis oſtenſum. Nunquid pati ipſe nolebat? Atqui ſuperius fundēdum in remiſſionem peccatorum corporis ſui ſanguinem conſecrauerat. Quomodo ergo ait: Pater ſi poſſibile eſt, & quomodo: Nō ſicut ego uolo, ſed ſicut tu uis? Totus igitur ſuper his, qui paſſuri erant, metus eſt: atq; ideo quia non eſt poſſibile ſe non pati, pro his rogat, qui paſſuri poſt ſe erant, dicens: Tranſeat calix à me, id eſt, quomodo à me bibitur, ita ab his bibatur ſine ſpei diffidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis. Ideo autem ſi poſſibile eſt, quia & carni & ſanguini horū grauis terror eſt, & difficile eſt eorum acerbitate corpora humana non uinci. Quod autem ait: Non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu uis, uellet quidē eos non pati, ne fortè in paſſione diffidant, ſed cohæreditatis ſuæ gloriam ſine paſſionis difficultate mereantur. Non ergo ut nō patiantur rogat dicens: Non ut ego uolo, ſed ut quod pater uult, bibendi calicis in eos ex ſe tranſeat firmitudo, quia ex uoluntate eius non tam per Chriſtum uinci diabolum q̄ etiam per eius diſcipulos oportebat. Poſt quæ ad diſcipulos redit, & dormientes deprehendit, & Petrum coarguit, cur ſecum una ſaltem hora non uigilet. Petrum ideo ex tribus, quia præ cæteris non ſe ſcandalizaturum fuerat gloriatus. Superioris autem metus ſui indicat cauſas dicens: Orate ne intretis in tentationē. Hoc erat igitur quod uolebat, & ideo in oratione tradiderat: Nō inducas nos in tentationē, ſciens quid in nos infirmitati carnis liceret. Cur autem ne in tentationem uenirēt orare eos admonuiſſet, oſten-

Blaſphemia in ſpiritum

dit

dit dicens: Spiritus quidem promptus, caro autē infirma. Non utiq; de se. Ad eos enim hic sermo cōuersus est. Aut quomodo nūc sit spūs promptus, si superius, tristis est anima usq; ad mortem? Sed uigilare præcepit & orare, ne in tentationem incidant, ne infirmitati corporis succumbant. Et idcirco si possibile est, ut à se transeat calix orat, quia bibendi eius caro omnis infirma sit. Rursum uero discedens orauit dicens: Pater si non potest transire calix iste nisi illum bibam, fiat uoluntas tua. Passuris discipulis per fidei iustificationem, omnem in se corporis nostri infirmitatem assumpsit, crucique secum uniuersa ea, quibus infirmabamur affixit. Ideo peccata nostra portat, & pro nobis dolet, quia fidei in nobis calore feruēte, cum aduersum diabolum passionis bello sit decertandum, omnes imbecillitatum nostrarum dolores cum corpore eius & passione moriuntur. Et ideo transire ab eo calix non potest, nisi illum bibat, qui pati nisi ex eius passione nō possumus. Verum quod iterum reuersus reperit dormientes, ostendit absentiæ suæ tempore plures quodam fidei somno detinēdos. Sed rursum orauit, idem repetens, reuersusq; qui uigilare iusserat, qui consopitos obiurgauerat ait: Dormite iam & requiescite. Post orationem frequentem, post discursus recursusq; multiplices, metum demit, securitatem reddit, in requiem adhortatur, uoluntatem patris iam de nobis securus expectat dicens: Fiat uoluntas tua, quia transiturum in nos calicem bibens, infirmitatem corporis nostri, & timoris solicitudinem, & ipsum dolorē mortis absorberet. Quòd autem ad eos reuertens, dormientesq; reperiens primū reuersus obiurgat, secūdo silet, tertio quiescere iubet, ratio ista est, quòd primū post resurrectionem dispersos eos & diffidentes ac trepidos deprehendit, secundo misso spiritu paracleto grauatis ad contuendam euangelij libertatem oculis uisitauit. Nam aliquandiu legis amore detenti, quodam fidei somno occupati sunt. Tertio uero, id est, claritatis suæ reditu securitati eos quietiq; restituet.

De Iuda, qui erat unus de duodecim discipulis, ueniente ad Iesum cum plurima turba, ut eum traderet. De gladio quem iussit Petro conuertere in locum suum. Canon XXXII

ET adhuc eo loquēte, Iudas unus de duodecim uenit, & cū eo plurima turba.) In his omnibus passiōis est ordo, sed in osculo Iudæ hæc fuit ratio, ut doceremur inimicos omnes, eosq; quos sciremus desęquituros in nos esse, diligere. Osculum enim eius dominus non respuit. Quod aūt ait Iudæ: Fac quod facis cito, traditionis suæ potestatem sub uerbi huius conditione præmittit. Nam qui iuris sui habebat aduersum traditores aduocare plusquā duodecim legiones angelorum, longe facilius unius hominis & cōsilijs & artibus potuisset occurrere. Deniq; Pilato ait: Non haberes in me potestatem, nisi data tibi esset. Dat igitur in se poiestatem dicendo: Fac quod facis: scilicet quia uoluntatis

crimen pro facti penſatur inuidia,re perageret, quod uolũtate iam faceret.

Vnus autem ex his,qui erant cum eo gladium exerens, ſeruo principis ſacerdotum aurem abſcidit,eiq; dominus ait: Conuerte gladium tuum in locum ſuum.Omnes enim qui gladio utuntur,gladio peribunt.) Ergo hic ipſe iam iudicatus eſt,quia gladio utens gladio interibit? Sed nõ omnibus gladio utentibus mors ſolet eſſe per gladium. Nam plures, aut febris, aut alius accidens caſus abſumit,qui gladio aut iudicij officio,aut reſiſtendi latronibus neceſſitate ſint uſi.Igitur ab apoſtolo ſeruo principis ſacerdotum auricula deſecatur, populo uidelicet ſacerdotio ſeruienti per Chriſti diſcipulum inobediens auditus exciditur,& ad capacitatem ueritatis hoc,quod erat inaudiens amputatur. Turba autem omnis aduerſus dominũ gladijs armata proceſſerat.Recondi gladium præcepit,quia eos non humano,ſed oris ſui gladio eſſet perempturus. Cæterum ſi ſecundum ſententiam eius, omnis gladio utens gladio perimeretur,recte ad necem eorum gladius exerebatur,qui eodem utebantur ad facinus. Reliqua uero geſtorũ ordinem habent.Falſi teſtes conquiſiti, ſacerdos eius ipſius in qua gloriabatur legis ignarus,etiam ſacramento,an ipſe Chriſtus eſſet,fidem quærens, quaſi occulte de eo lex prophetæq; loquerentur.Quin etiam ipſe Chriſt ũ eſtconfeſſus inuitus,domino dicente:Tu dixiſti. Cuius maieſtate audita ueſtem ſibi diſcidit, ipſum uidelicet quo contegebatur uelamentum legis abrumpens. In palmis uero atq; ſputis ad conſummandã hominis humilitatem, uniuerſa in eum cõtumeliarũ genera exercebantur. Diligenter autẽ contuendum eſt,qua cõditione Petrus negauerit.Quanq; de hoc ſuperius tractatum eſt.Nam primo ait,nõ ſe intelligere quid diceret:ſequenti, nõ ſe ei adhæſiſſe:tertio uero,ſe hominem non noſſe. Et uere propè iam ſine piaculo hominem negabat,quem dei filiũ primus agnouerat: tamen quia ex infirmitate carnis uel ambiguus extitiſſet,amariſſime fleuit,recolens trepidationis iſtius culpam,ſe nec admonitũ potuiſſe uitare. Traditur deinde Pilato gentium iudici. Non enim iudicari reus poterat ex lege,ipſe ſine dolo atq; peccato. Tunc uidens Iudas,qui eum tradiderat quoniã damnatus eſſet &c.) Iudas agens pœnitentiã,preciũ ſanguinis Chriſti reddidit ſacerdotibus,ut licet ipſe uenditi ſanguinis iuſti autor eſſet,tamen ementium infidelitatem ipſa profeſſio uendentis argueret. Qui reſpõderũt, quid ad nos. Tu uideris.) Profeſſio audax atq; cæca eſt, emiſſe ſe iuſti ſanguinẽ audiunt,& extra iudicij reatũ futuros eſſe ſe credunt,cum tamen dicendo,tu uideris,facinus ipſum in uendente cõſtituant,cõtra aũt uendentis teſtimonio ſcelus ementiũ confirmetur. Secedens itaq; ſuſpẽdit ſe damnato Chriſto. Ita mortis Iudæ tempus eſt cõparatum,ut ſub paſſione domini commotis infernis ſupernisq; omnibus & reuulſis, & in obliuionẽ officij ſui uniuerſorum elementorum procuratione ſtupefacta, nec inter mortuos uiſitaretur,

Idem Ambroſius

nec

nec inter uiuos poſt reſurrectionem haberet pœnitentię facultatem. De argenteis uero redditis, quia precium ſanguinis eſſet, neq; in corbanã, id eſt, in oblationem pecuniam admiſceri liceret, conſilio inito emitur ager figuli, & in ſepulturam peregrinorum deputatur. Magnum in hoc prophetiæ ſacramentũ, & in factis & in dictis miraculi plena meditatio. Figuli opus eſt de luto uaſa formare, cuius in manu ſit, ex luto eodem uas, aut idipſum, aut pulchrius reformare. Agrum autem ſeculum nuncupari ipſis domini noſtri uerbis continetur. Chriſti ergo precio ſeculum emitur, id eſt, uniuerſitas eius acquiritur, & in ſepulturam peregrinorum atq; inopum deputatur. Nihil hinc pertinet ad Iſraël, & totus hic ſeculi empti uſus alienis eſt, his uidelicet, qui in precio Chriſti ſanguinis ſepelientur, quo uniuerſa ſunt empta. Omnia enim à patre accepit, quæ in cœlis & quæ in terra ſunt. Et ideo hic ager figuli eſt, quia dei omnia ſunt, cuius in manu ſit, nos ut uellet tanquam figulus reformare. In hoc igitur agro Chriſto commortui & conſepulti, huius peregrinationis noſtræ æternam requiem ſortiemur. In cuius rei fidem Hieremiæ prophetia ſubditur, ut in facti iſtius opera tanto ante diuinæ uocis autoritas oſtenderetur. Interroganti autem Pilato, an ipſe eſſet rex Iudæorum, reſpondit: Tu dicis.) Sed perquàm diuerſus ſermo eſt qui fuerat ad ſacerdotem. Illi enim quærenti, an ipſe Chriſtus eſſet, dixerat: Tu dixiſti. hoc ideo, quia lex omnis uenturum Chriſtum prędicauerat, reſpondetur tanquam de præteritis ſacerdoti, quia ſemper uenturum Chriſtum ex lege ipſe dixiſſet, huic uero legis ignaro interroganti, an ipſe eſſet rex Iudæorum, dicitur: Tu dicis, quia per fidem præſentis confeſſionis ſalus gentium eſt, & quod hoc de ſe ille qui antea ignorabat, loquatur, quod hi negent qui antea loquebantur.

De Pilato cum ſederet pro tribunali, & cum miſit ad illum uxor ſua dicens: Nihil tibi ſit & iuſto iſti. De tranſeuntibus iuxta crucem &c. Canon XXXIII



Edente autem Pilato pro tribunali, miſit ad illum uxor ſua dicens: Nihil tibi ſit & iuſto iſti.) Species in ea gentium plebis eſt, quæ iam fidelis, eum cum quo conuerſabatur incredulum populum, ad Chriſti fidem aduocat. Quæ quia ipſa multum ſit paſſa pro Chriſto, in eandem gloriam futuræ ſpei illum cum quo conuerſabatur inuitat. Deniq; Pilatus & manus lauit, & populo Iudaico innocentem ſe à domini ſanguine eſſe teſtatur: quia Iudæis ſuſcipientibus in ſe ac filios ſuos fuſi dominici ſanguinis crimen, quotidie in confeſſionem fidei ablutus gentium populus demigrat. Offerenti uero Pilato, ut ſecundum ſolennis diei priuilegium, quo unum ex reis poſcẽtibus dimitti oportebat, ut Ieſum abſolueret, Barabban potius hortantibus ſacerdotibus populus elegit. interpretatio autem nominis Barabba eſt patris filius. Iam itaq;

arcanum

Barrabas quid

arcanum futurę infidelitatis oſtenditur Chriſto patris filium præferendo, antichriſtum ſcilicet hominem peccati & zaboli filium, potiusq; adhortantibus principibus ſuis, eligunt damnationi reſeruatũ, quàm ſalutis autorem. Cæſo deinde domino imponitur chlamys coccinea, & ueſtis purpurea, & corona ſpinea, & harundo dextræ, & genu poſito adoratur, illuditur, ſuſceptis uidelicet omnibus corporis noſtri infirmitatibus, omnium deinde martyrum, quibus regnum ſecum erat, debitũ ſanguine in cocci colore perfunditur, precioſoq; prophetarum ac patriarcharum in purpura honore ueſtitur. Spinis quoq;, id eſt, compungentiũ quondam peccatis gentium coronatur, ut ex rebus perniciosis atq; inutilibus, quæ capiti eius, id eſt, deo circundata moliuntur, gloria quæreretur peccatorum. Eſt enim aculeus in ſpinis, ex quibus Chriſto uictoriæ corona contexitur. In calamo uero earundem gentiũ infirmitas atq; inanitas manu comprehenſa firmatur, quin etiam capiti eius illiditur. Capiti, ut opinor, de ictu calami non grandis iniuria eſt, ſed typica in eo ratio ſeruatur, ut infirmitas gentilium corporum manu Chriſti comprehenſa etiam in deum patrem, qui caput eius eſt, acquieſcat. In his autẽ omnibus Chriſtus dum illuditur adoratur. Procedentes autem homini cuidam Cyrenenſi lignũ paſſionis imponũt.) Indignus enim Iudæus erat Chriſti crucẽ ferre, quia fidei gentiũ erat relictũ & crucem accipere & compati. Locus deinde crucis talis eſt, ut poſitus in medio terræ, & tanq; in uertice huius uniuerſitatis inſiſtens, ad capeſſendã dei cognitionẽ uniuerſis gentibus eſſet æqualis. Oblatũ quoq; uinũ felli admixtũ bibere recuſauit. Non enim æternæ gloriæ incorruptioni peccatorũ amaritudo miſcetur. Veſtis uero eius ſorte potius diuiſa q; ſciſſa, manſurã incorruptionẽ corporis indicabat. Atq; ita in ligno uitæ cunctorũ ſalus & uita ſuſpenditur, cui duo latrones læuę ac dextræ affigũtur, omnem humani generis uniuerſitatem uocari ad ſacramentũ paſſionis domini oſtendentes. Sed quia per diuerſitatẽ fidelium atq; infideliũ fit omnium ſecundũ dexteram ſiniſtramq; diuiſio, unus ex duobus ad dexterã ſitus fidei iuſtificatione ſaluatur. Additur etiam illud opprobriũ, quo ſe ipſe Iſrael infidelitatis arguere indicatur: Hic eſt qui deſtruebat templũ dei, & in triduũ illud reædificabat. Hoc igitur maximũ omnium, & ueluti difficillimũ imponitur. Quid ergo ueniæ erit, cum poſt triduũ reædificatum dei templum in corporis reſurrectione cernetur? Quòd autem latrones ambo cõditionem ei paſſionis exprobrant, uniuerſis etiã fidelibus ſcandalũ crucis futurũ ſignificat. Nox aũt ex die, diuiſio temporũ eſt. Ita enim tertius dierũ triũ totidemq; noctiũ numerus expletur, & occultũ diuinæ operationis myſterium totius creationis ſtupore ſentitur. Clamor uero ad deũ, corporis uox eſt, recedẽtis à ſe uerbi dei cõteſtata diſſidiũ. Deniq; cur relinquat exclamat, dicẽs: Deus meus, deus meus, quare me dereliquiſti? Sed relinquit, quia erat homo, etiã morte peragen-

peragendus. Quin etiam hoc quod per calamū datum in ſpongia acetum, cum guſtaſſet proclamans ſpiritum reddidit, diligenter eſt contuendū. Vinum & honor eſt immortalitatis & uirtus, quod per uitium aut incurię aut uaſis coaceſcit. Hoc igitur cum in Adam coacuiſſet, ipſe accepit & potauit ex gentibus. In calamo enim ex ſpongia ut potaret offertur, id eſt, ex corporibus gentium uitia corruptæ æternitatis accepit, & in ſe atq; immortalitatis cōmunione ea quæ in nobis erant uitiata transfudit. Deniq; in Ioanne poſtq; perpotauerat dixit: Conſummatū eſt, quia omne uitium humanæ corruptionis hauſiſſet, & quia nihil agendum eſſet extrinſecus, ſpiritum cum clamore magnæ uocis emiſit, dolens non omniū ſe peccata potare. Et deinceps uelum templi ſcinditur, quia exinde populus eſt diuiſus in partes, & ueli honor cum cuſtodia angeli protegētis aufertur. Mouetur terra. Capax enim huius mortui eſſe non poterat. Petræ ſciſſæ ſunt. Omnia enim tam ualida & fortia penetrans dei uerbum & poteſtas æternæ uirtutis iruperat. Et monumēta aperta ſunt. Erant enim mortis clauſtra reſerata. Et multa corpora ſanctorum dormientiū ſurrexerunt. Illuminans enim mortis tenebras, & infernorum obſcura colluſtrans, in ſanctorum ad præſens conſopitorum reſurrectionem, mortis ipſius ſpolia detrahebat. Vt autem infidelitatis facinus Iſraeli accumularetur, centurio & cuſtodes hanc totius naturæ perturbationem contuentes, dei filium confitentur. Quòd autem à Ioſeph rogato Pilato ut corpus redderet, & ſindone inuoluitur, & in monumento nouo in petra exciſo reponitur, & ſaxum monumenti oſtio aduoluitur, quanq; ſit ordo geſtorum, & ſepelire eum eſſet neceſſe, qui reſurrecturus eſſet ex mortuis, tamen non ſine rerum aliquarum momento expreſſa ſunt ſingula. Ioſeph apoſtolorum habet ſpeciem, & idcirco quanq; in duodecim apoſtolorum numero non fuerit, diſcipulus domini nuncupatur. Hic munda ſindone corpus inuoluit. & quidē in hoc eodem linteo reperimus de cœlo ad Petrū uniuerſorū animantiū genera ſummiſſa. Ex quo fortè non ſuperflue intelligetur ſub lintei huius nomine cōſepeliri Chriſto eccleſiam, quia tum in eo, ut in cōfuſione eccleſiæ mundorum atq; immundorum animalium fuerit congeſta diuerſitas. Domini igitur corpus tanq; per apoſtolorū doctrinam infertur in uacuam & in nouā requiem lapidis exciſi, ſcilicet in pectus duritiæ gentilis quodam doctrinæ opere exciſum Chriſtus infertur, rude ſcilicet ac nouū, & nullo antea ingreſſu timoris dei peruium. Et quia nihil eſt, quod præter eum oporteat in pectora noſtra penetrare, lapis oſtio aduoluitur, ut quia nullus antea in nos diuinæ cognitionis autor fuerat illatus, nullus abſq; eo poſtea inferatur metus. Deinde furandi corporis, & ſepulchri cuſtodia atq; obſignatio, ſtultitię atq; infidelitatis teſtimoniū eſt, quod ſignare ſepulchrum eius uoluerint, cuius præcepto cōſpexiſſent de ſepulchro mortuū ſuſcitatum. Motus uero terræ tempore

matutino

matutino diei dominici resurrectionis est uirtus,cum cõtuso mortis aculeo, & illuminatis illius tenebris,resurgente uirtutum cœlestium domino,infernorum trepidatio commouetur. Augelus autem domini de cœlo descendens,& lapidem reuoluens,& sepulchro adsidens, misericordiæ dei patris insigne est, resurgenti filio ab inferis uirtutum cœlestium mysteria mittentis. Atq; ideo prior ipse resurrectionis est index, ut quodam famulatu paternæ uoluntatis resurrectio nunciaretur. Sed confestim dominus mulierculis per angelũ adhortatis occurrit,& consalutat, ut nunciaturæ expectantibus discipulis resurrectionem non angeli potius quàm Christi ore loquerentur. Quòd uero primum mulierculæ dominum uident,salutantur,genibus aduoluuntur, nunciare apostolis iubentur, ordo in contrarium causæ principalis est redditus, ut quia à sexu isto cœpta mors esset, ipsi primum resurrectionis gloriæ, & uisus & fructus & nuncius redderetur. Emitur uero à custodibus,qui omnia hæc uiderant, argento resurrectionis silentiũ & mendacium furti,honore scilicet seculi & cupiditate, quia in pecunia honor eius est, Christi gloria denegatur.

FINIS

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI, IN PSALMORVM EXPLANATIONEM PROLOGVS.



IVERSAS esse plurimorum de psalmorũ libro opiniones, ex libris ipsis quos scriptos reliquere, cõpertum habemus. Nam aliqui Hebræorum eos in quinque libros diuisos uolunt esse, ut sit usq; in quadragesimum psalmum liber primus, & à quadragesimo usq; adseptuagesimumprimum liber secundus, & ex eo usq; ad octogesimumoctauũ liber tertius & usq; in centesimumquintũ liber quartus, ob quod hi omnes in consummatione sua habeant, fiat, fiat. Concludatur deinde in centesimo quinquagesimo psalmo liber quintus. Alij uero ita inscribẽdos psalmos existimauerũt: Psalmi Dauid, quo titulo intelligi uolunt, eos omnes à Dauid fuisse conscriptos. Sed nos secundum apostolicam autoritatem, librum psalmorũ & nuncupamus, & scribimus. Ita enim in Actis apostolorũ dictum meminimus: Scriptum est enim in libro psalmorũ: Fiat domus eius deserta, & episcopatum eius accipiat alter. Ergo neq; secundum quosdam Hebræos quinq; libri, neq; secundum plurimorum simplicitatem psalmi Dauid dicendi sunt, sed secundum apostolicam autoritatem liber psalmorum esse noscendus est. Sunt autem plures eorundem psalmorum scriptores. Nam aliquibus Dauid autor præscribitur, in aliquibus Salomon, in aliquibus Asaph, in aliquibus Iditum, in aliquibus filiorum Chorę, in aliquo Moysi. Ex quo absurdum est psalmos Dauid cognominare, cum tot autores eorum ipsis inscriptionũ titulis ædantur. Et liber psalmorum rectius esse dicetur, diuersis in unum uolumen prophetis, diuersorum & autorum, & temporum congregatis. Visum autem aliquibus est, quod Hieremias, & Aggeus, & Zacharias in quibusdam psalmorum superscriptionibus nominati sunt, dum horum nihil in authenticis Septuaginta translatorũ libris ita dictum reperiatur, adeo ut etiam in plurimis Latinis & Græcis codicibus sine horum nominibus simplices tantum psalmorum tituli præferantur. De his autem qui sine autorũ nominibus sub diuersis superscriptionibus habentur, antiquorum uirorũ ista traditio est, quod ex eo psalmo, cuius autor in superscriptione proponitur, qui deinceps sine autorum superscriptione succedunt, eius esse existimandi sunt, qui ante prioris psalmi autor inscribitur usq; in eum psalmum, quo nomen autoris alicuius præferatur. Vt si psalmi alicuius superscriptio talis sit: Psalmus Dauid, cæteri qui sine titulo consequantur, Dauid esse credantur, donec prophetæ alterius nomẽ in superscriptione ponatur, & ex eo usq; in alterum prophetam, qui sine inscriptione medij sunt, eius sint, qui in anterioris psalmi superscriptiõe autor cœptus sit anteferri. Quod si fortè aliquis per id intelligentiæ huic fidem detrahet, quod in his psalmis, qui in eum psalmum cui Moses autor prælatus est, subsequuntur, scriptum sit, id est, in nonagesimooctauo, Moses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuhel inter eos inuocantes nomen eius, non posse à Mose eum prophetatũ uideri oportere, cum Samuhel nomen, qui tanto postea quàm Moses natus est, extet in psalmo, meminerit nulli mirum aut difficile uideri oportere, ut tantus propheta tanti prophetæ postea, licet futuri nomen ediderit, cum in regnorum libris Iosiæ regis nomen sit

Psalmorũ uaria diuisio.

Autores psalmorũ qui certi, qui dubij.

Psalmi sine titulis.

Nomen ædi in prophetis etiã non nati.

antequam naſcatur,prophetatum,propheta dicente:Altarium,altarium hæc dicit dominus:Ecce filius naſcetur Dauid,loſias nomen eius.Per quod non incredibile eſſe oportere, ut Samuhel à Moſe prædicatus ſit, maxime cum ſecundum Hieremiam dicentem: nec ſi ſtet Moſes & Samuhel, Moſi cognominatus & coæquatus ſit ex merito ſanctitatis.Quæ traditio ab Eſdra eſt,quantum creditur,pſalmos poſt captiuitatem in unum librum colligente. Prophetia ſi falſa aut improbabilis exiſtimabitur, ab his qui contradicunt autores horum pſalmorũ demonſtrari neceſſe eſt.Abſolutum enim eſt,nõ potuiſſe eos niſi prophetis prophetantibus prophetari.Non eſt ergo ambigendum,ea quæ in pſalmis dicta ſunt,ſecundum euangelicam prædicationem intelligi oportere, ut ex quacunq; licet perſona prophetiæ ſpiritus ſit loquutus, tamen totum illud ad cognitionem aduentus domini noſtri leſu Chriſti, & corporationis, & paſſionis, & regni, & reſurrectionis noſtræ gloriæ uirtutemq; referatur.Sunt autem omnes prophetiæ ad mundialem ſenſum & prudentiam ſeculi clauſæ atq; obſignatæ,ſecundum illud Eſaiæ:Et erunt uobis omnia uerba hæc tanquã eloquia libri huius ſignati.Quòd ſi quidem homini ſcienti literas dicetur:lege iſta,dicet:non poſſum legere,ſignatum eſt enim.Et ſi dabitur liber hic in manus hominis neſcientis literas, & dicetur: lege hunc, reſpondet:neſcio literas.Imperitia legendi & intelligendi librum prophetiæ ſub perſona utriuſq; hominis monſtrata eſt,cum intelligentia docti ad legendum, ſignaculum clauſi miſterij non adeuntis illius indocti ignorationi per cõmunem utriuſq; intelligendi inopiam comparatur. Sunt enim uniuerſa allegoricis & typicis contexta uirtutibus,per quæ omnia unigeniti dei filij in corpore & gignendi,& patiendi,& moriendi,& reſurgendi,& in æternum conglorificatis ſibi qui in eum crediderint, regnandi,& cæteros iudicandi ſacramenta panduntur. Et quia ſcribæ & phariſæi dei filium natum in corpore nõ recipientes,omnibus propheticæ intelligentiæ adi tum denegarent,ſub denunciatione pœnæ ita à domino arguuntur: Væ uobis legis doctores,qui abſtuliſtis clauem ſcientiæ,ipſi non introiſtis,& introëuntes non ſinitis introire.Negantes enim Chriſtum, cuius aduentus opus eſt prophetarum, clauem ſcientiæ abſtulerunt, quia cognitionem legis,quæ aduentum domini corporeum prædicauit, fides corporei aduentus abnegata præcludit. Et hoc quidem ex omni ſcripturarum propheticarũ genere dictum eſſe intelligendum eſt, ut niſi in aduentum domini ex uirgine in hominem procreandi intellectæ & recognitæ fuerint,intelligentiarum uis obſignata habeatur & clauſa.Tamen nequaquã pſalmorum librũ niſi per fidem aduentus eius poſſe intelligi,ita beati Ioannis Apocalypſi docemur.Et angelo Philodelphię:Eccleſiæ ſcribe.Hæc dicit ſanctus & uerus qui habet claues Dauid, qui aperit, nemo claudet: qui claudit, & nemo aperiet. Clauem igitur Dauid habet, quia ipſe per hæc ui quadam ſignacula quæ de corporalitate eius,& paſſione,& morte,& reſurrectione, & gloria,& regno, & iudicio Dauid de eo in pſalmis prophetat,abſoluit,aperiẽs quod nemo claudet,& claudens quod nemo aperiet. Quia per hæc quæ in illo expleta eſt prophetia,aperiet, quod nemo præcludet: & contra expletæ in eo prophetiæ fide abnegata, claudet quod nemo poſſit aperire. Nullus enim niſi ille in quo hæc prophetata & expleta ſunt,clauem intelligentiæ huius impartiet.Denicq; id ipſum conſequenter docuit, dicens: Et uidi ſuper dextram ſedentes in throno librum ſcriptum deintus & deſoris ſignatum ſignaculis ſeptem, & uidi alterum angelum ualidum, prædicantem uoce magna:Quis eſt dignus aperire libum & ſoluere ſignacula eius:Et nemo potuit,neq; in cœlo,neq; in terra, neq; infra terram aperire librũ,neq; uidere ipſum. Et flebam,quia nemo dignus repertus eſſet aperire librũ, neq; uidere ipſum.Et unus de ſenioribus ait mihi: Noli flere,ecce uicit leo de tribu Iuda radix Dauid aperire li-

Eſdra pſalmorum Ariſtarchus

Pſalmi canunt euangelicam hiſtoriam

Obſcuritas in pſalmis

Summa argumenti pſalmorum

Fides aperit prophetiæ recondita

brum, & ſeptem ſignacula eius. Liber iſte & præterita, & futura in his, quæ intus & foris ſcripta erant, continens, à nemine dignus eſt aperiri, & apoſtoli fletus ob deſiderium intelligentiæ, & dolorem difficultatis exoritur. Sed uicit leo ex tribu Iuda, & radix Dauid librum & ſignacula eius aperire, quia ſolus ſeptem illa, quæ ſuperius docuimus, ſignacula, quibus liber clauſus eſt, per ſacramentum corporationis ſuæ & diuinitatis abſoluit. Id ipſum autem dominus poſt reſurrectionẽ teſtatus eſt, dicens: Quoniã oportet omnia impleri quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & in prophetis, & pſalmis de me. Per hæc ergo omnis prophetiæ liber & ſignatus & clauſus eſt, quia creditis his quæ impleta per eum ſunt, cuncta illa quæ ſignata & clauſa ſunt, & aperientur, & abſoluentur, & tanquam omnia diuino ſpiritu per Dauid dicta eſſe, ipſa domini profeſſione noſcemus. Tamẽ etiam id ipſum prophetiæ huius ſpecies edocet ſupernæ & cœleſtis in eo doctrinam ſcientiæ extitiſſe. Eo enim arcano prophetatum eſt Græce pſalterio, Hebraice Nabla nuncupato, quod unum omnium muſicorum organorum rectiſſimum eſt, nihil in ſe uel peruerſum cõtinens, uel obliquum. Neq; quod ex inferioribus locis in ſonum concentus muſci commouetur, ſed in formam dominici corporis conſtitutum organum, ſine ullo inflexu deflexuue directum eſt organũ ex ſupernis commotum & impulſum, & in cantionem ſupernæ & cœleſtis inſtitutionis animatũ, non humili & terreno ſpiritu, ut cętera terræ organa, perſonũ. Non enim ille humilia atq; terrena in ipſo corporis ſui organo prædicauit, ſicut ipſe teſtatus eſt: Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur: qui autem de cœlo uenit, quæ uidit & audiuit, teſtatur. Per hunc ergo ſupernum ſpiritum deus cantatur in pſalmis in forma dominici corporis, in quo cœleſtis ſpiritus eſt loquutus, forma quoq; terreni huius & muſici, & ex ſupernis concinentis organi comparata. Non eſt autem ignorandum, diſcretum apud Hebræos numerum eſſe pſalmorum, ſed ſine ordinis annotatione eſſe conſcriptos. Non enim illic primus, ſecundus, aut tertius, aut quinquageſimus, aut centeſimus prænotãtur, ſed ſine præſcriptione aliqua ordinis numeriq; permixti ſunt. Eſdras enim, ut antiquę traditiones ferunt, incõpoſitos eos, & pro autorum ac temporũ diuerſitate diſperſos, in uolumen unum collegit & retulit. Sed ſeptuaginta ſeniores ſecundum Moyſi traditionem ad cuſtodiam legis & doctrina in ſynagoga manentes, poſteaquàm illis à rege Ptolemæo transferendæ ex hebræo in Græcum ſermonem totius legis cura mandata eſt, ſpirituali & cœleſti ſcientia uirtutes pſalmorum intelligentes, in numerum eos atq; ordinem redegerunt, ſingulis quibuſq; numeris pro efficientia ſua & abſolutione perfectis perfectorũ & efficientium pſalmorum ordinem deputantes. Et quanquam id ipſum ex ſingulorum pſalmorum uirtutibus intelligi poſſit, tamen abſolutiſſime in geſtorum & temporum hiſtoria docemur, pſalmorũ ſcilicet collationes ſecundum perfectorum numerorum eſſe efficientiam ordinatas. Pſalmus enim tertius ſecundum hiſtoriam quinquageſimo pſalmo poſterior eſt. Inſcriptio nanq; utriuſq; multo interuallo temporis ætatisq; diuerſa eſt. Nam ille quæ ſub Vria & Dauid ſunt geſta, complectitur: ille autem fugam Dauid Abſalon filio ſuo olim perſequente ſignificat: & uirtus ac ſacramentũ numeri perficit, hunc & illum pro competentibus & ſibi congruis numeris collocari. Inſcriptio uero quinquageſimi pſalmi ſecundum hiſtoriam quinquageſimi & primi pſalmi inſcriptione poſterior eſt. Sed quinquageſimi numeri uirtus & perfectio exigebat, & Doech Idumæi impœnitens in Dauid odium poſtulabat, anteriorem poſtponi, & poſteriore anteferri, ut remiſſio peccatorũ in numero quinquageſimo collocaretur, & pœna perfidiæ numerum conſtitutæ remiſſionis excedens careret uenia, cum & tempus & numerum pœnitentiæ perdidiſſet. Nam cum in quinquageſimo, in quo eſt ſabba-

Pſalterium quid ſit

Chriſti corpus pſalterium eſt

Quotuſquiſq; pſalmus

Septuaginta addiderunt numeros

Myſteria numerorum in pſalmis

ta ſabbatorum ſecundum Iubilei anni præformationem peccatorum remiſſio ſit conſtituta, competenter hic pſalmus in quo pœnitentia antelata peccatorum remiſſio poſtulatur, in ordine eſt huius numeri collocatus. Tribus uero quinquageſimus pſalmorum libris continetur, & hoc ex ratione ac numero beatæ illius noſtræ expectationis exiſtit. Nanq; qui & primæ quinquageſimæ & ſecundæ, deinde quinquageſimum pſalmum, & tertiæ rurſum quinquageſimæ in qua finis eſt, libri conſummationẽ diligenter aduertat, prouidentiam diſpoſitorum in hunc ordinem pſalmorum cum diſpenſatione ſalutis noſtræ intelliget conuenire. Cum enim primus gradus ſit ad ſalutem, in nouum hominem poſt peccatorum remiſſionem renaſci, ſitq; poſt pœnitentiæ confeſſionem regnum illud domini in ſanctæ illius ciuitatis & cœleſtis Hieruſalem tempora reſeruatum, & poſtea conſummata in nos cœleſti gloria in dei patris regnum per regnum filij proficiamus, in quo debitas deo laudes uniuerſitas ſpiritum prædicabit, facile intelligimus in ſingulis pſalmorum uirtutibus ſub quinquagenariæ numero collocatis ſacramentum diſpenſationis huius quinquagenariæ cõtineri. Eſſe autem hæc ſabbata ſabbatorum ſeptenarius numerus per ſeptem in ſeptuplum connumeratus oſtendit. Quem tamen ogdoadem, quia dies eadem prima, quæ octaua ſecundum euangelicam plenitudinem in ultimo ſabbato adiecta conſummat. Et hæc quidem ſabbata ſabbatorum ea ab apoſtolis religione celebrata ſunt, ut his quinquageſimæ diebus nullus neq; in terram ſtrato corpore adoraret, neq; ieiunio feſtiuitatem ſpiritualis huius beatitudinis impediret: quod id ipſum extrinſecus etiam in diebus dominicis eſt conſtitutum, qui ultra ſabbati numerum per plenitudinem euangelicæ prædicationis accedunt. Nanq; cum in ſeptimo die ſabbati ſit & nomen & obſeruantia conſtituta, tamen nos in octaua die, quæ & ipſa prima eſt, perfecti ſabbati feſtiuitate lætamur. Et dignum eſt hanc ogdoadis perfectam ſacramentis cœleſtibus uirtutem in pſalmo eo qui octauo in numero diſpoſitus eſt, contueri, cui pro torcularibus adiectis eſt uaſculis in nouos fructus præparatis, & ad feruentis muſti liquorem continendum innouatis. Et numerus iſte ad percipiendos fructus euangelicos caducis his corporum noſtrorum uaſculis reformatis ſecundum ogdoadem eſt euangelicam deſtinatus. Et hoc pſalmi iſtius textus & ſermo teſtatur. Ogdoadis quoq; iſtius uirtus, etiam in uirtute ſexti pſalmi & numeri, quo pro octauo oratio eſt continetur, & hoc numeri ratio perficit, ut ei in ſexto pro octauo eſſet oratio, & in octauo titulus pro torcularibus adderetur. Tribus autem in numeris hæc torcularium ſuperſcriptio reperitur. Nam & octauus, & octogeſimus, & octogeſimus tertius pſalmus hunc habet titulum, ut in numeris perfectis perfectæ huius beatitudinis ordo conſiſteret, ita tamen, ut ſimplicem ogdoadem, & ogdoadis decadem ſacramentum triadis, quæ à noſtris trinitas eſt nuncupata, concluderet. Et hanc quidem ogdoadis perfectionem etiam in centeſimo atq; decimooctauo pſalmo cognoſcere poſſumus. Namq; in octonum numerum per octonos uerſus ſecundum Hebræos ſingularum literarum initia collecta ſunt, ſed & ipſa uirtus pſalmi ſacramentum ogdoadis edocet. Sunt autem in eo ogdoades uigintiduo. Nam octoni uerſus ſingularum literarum initijs deputantur, & hoc ea ratione efficitur, quia pſalmus iſte perfectum uirum ſecundum doctrinam euangelicam conſummat, per omnes uiginti & duas hebræi ſermonis literas, ſub ſacramẽto ogdoadis eruditemur. Et ea cauſa eſt, ut in uigintiduos libros lex teſtamenti ueteris deputetur, ut cum literarum numero conuenirent. Qui ita ſecundum traditiones ueterum deputantur, ut Moyſi ſint libri quinq;, Ieſu Naue ſextus, Iudicũ & Ruth ſeptimus, primus & ſecundus regnorũ in octauum, tertius & quartus in nonum, Paralipomenon duo in decimum ſint, ſermones dierum Eſdræ in undecimum, liber pſal-

Ogdas in euangelio

Trias

ber psalmorum in duodecimum: Salomonis prouerbia, Ecclesiastes, Cantica canticorum in tertiumdecimum, & quartumdecimũ, & quintumdecimũ: Duodecim autem prophetę in sextumdecimum. Esaias deinde & Hieremias cum lamentatione & epistola. Sed & Daniel, & Ezechiel, & Iob, & Hester, uiginti & duorum librorum numerum consumment. Quibusdam autem uisum est, additis Tobia & Iudith uigintiquatuor libros secundum numerum Græcarum literarum connumerare. Romana quoq; lingua media inter Hebræos Græcosq; collecta, quia his maxime tribus linguis sacramentum uoluntatis dei, & beati regni expectatio prædicatur: ex quo illud Pilati fuit, ut his tribus linguis regem Iudæorum dominum Iesum Christum esse præscriberet. Nam quamuis multæ barbaræ gentes de cognitione secundum apostolorum prædicationem, & manentium hodie illic ecclesiarum fidem adeptæ sint, tamen specialiter euangelica doctrina in Romani imperij, sub quo Hebræi & Græci continentur, sede consistit. Consequens autem est, secundum octonarium hunc uiginti & duarum ogdoadum numerum, eum qui subiectus est, in quindecim canticis graduum psalmorum numerum contineri. Post perfectam enim illam præcedentiũ ogdoadum doctrinam hoc canticum graduum in quindecim psalmis, & duobus perfectis numeris oportuit cõuenire, hebdomade scilicet & ogdoade, id est, septimo & octauo numero. Nam per obseruantiam legis, quæ in hebdomade est constituta, & euangelicum profectum qui ogdoadis, & præsenti religione, & sperata expectatione perficitur, isto cantico graduum in cœlestia & æterna conscenditur. Nam & in templo per hunc numerum graduum principes sacerdotum in sanctorum sancta coscendebant, ut quia neq; hebdomas legis sine euangeliorum ogdoade, neq; ogdoas euangeliorum sine legis hebdomade uirum posset præstare perfectum, quisquis illa perfecte credidisset, in his perfectis & beatis sanctis sanctorum perfectum hunc uirum, qui in quindecim graduum cantico est, hebdomadis & ogdoadis numerum locaret. Quanquam uero hæc à nobis secundum numeros sine legis obseruatione complacitos, & in sacramento euangelico distributos ita dicta sint, tamen absolutius uniuscuiusq; numeri uirtutem ex superscripsionis psalmorum & dictorum ipsorum intelligentia consequamur. Sunt autem superscriptionum omnium tituli diuersi. Nam præter eos qui autorum suorum nominibus, aut causarũ uel temporum significationibus prænotantur, sunt alij quibus titulus in finem est: alij quibus tantum psalmus cantici, uel canticum psalmi, & necesse est diuersas causas diuersarũ superinscriptionum extitisse. Non enim sine causa tantum rerum diuersitate hic titulorum ordo conuenitur, ut nunc in finem, nunc psalmus, nunc canticum, nunc canticum psalmi, nunc psalmus cantici, ad distinctionem psalmi quæ subiaceat præferatur. Et quanquam in singulis quibusq; psalmis singularum quarumq; inscriptionum causas præstare nitamur, tamen ad compendium studiosæ intelligentiæ in breuem sermonem uirtutem superscriptionũ omnium coartamus. Finis est, cuius causa cætera sunt, ipsum autẽ nulli alij causam suam præstat. Ob finem enim omnia, nihil uero aliud post finem. Nanq; ad finem tenditur, sed in fine definitur, ita finis & anteriorum perfectio est, & ex se nihil in aliquid aliud protendens, propria in semetipso ipsa possessio est. Psalmi igitur qui inscribuntur, in finem, tituli intelligendi sunt, ut ex perfectis atq; absolutis bonorum æternorum doctrinis & speciebus existant, quia ad ea quæ intus dicuntur, fidei se nostræ cursus extendat, & in his nullo ulteriore procursu ipso suo optatæ & adeptæ beatitudinis fine requiescat. In musicis uero artibus hæ sunt officiorum & generum uarietates. Psalmus est, cum cessante uoce pulsus tantum organi cõcinnentis auditur. Canticum est, cum cantantium chorus libertate sua utens, neq; in consonũ organi adstrictus

Tres linguæ

Tituli psalmorum quid habeant mysterij

Titulus insitnem, quid uelit

Psalmus, canticum, & similia, quomodo differant

obſequium,hymno canoræ tantum uocis exultat. Canticũ autem pſalmi eſt,cum organo præcinente ſubſequens & æmula organo uox chori canentis auditur,modum pſalterij modulis uocis imitata. Pſalmus uero cantici eſt,cũ choro ante canente humanę cantationis hymno ars organi cõſonantis aptatur,uocisq; modulis præcinentis pari pſalteriũ ſuauitate modulatur. His ergo quatuor muſicæ artis generibus competentes ſingulis quibuſq; pſalmis ſuperſcriptiones ſunt coaptatæ. Ex uirtutibus autem pſalmorũ, & ipſis doctrinæ muſicæ diuerſitatis cauſa uniuſcuiuſq; ſuperſcriptionis oſtenditur. In eo pſalmo,in quo tantum pſalmus inſcribitur, fidelium operum, & religioſorũ geſtorum,aut doctrina,aut confeſſio continetur, cum propheta cõmemorando quæ egerit, ad doctrinã nos geſtorum ſimilium inſtituit,motu corporei organi noſtri ad pios officiorũ uſus temperato. At uero cum Canticũ tantum in titulo ponitur,ſcientia in eo ſpiritualis,& intelligentia cœleſtis arcani,quam quis per cognitionẽ ſapientię conſequitur,exiſtit,cum cõmemoratis fidei his operibus,ſolam doctrinã perfectæ de deo cognitionis oſtendit. Non enim ſtatim omnis ſcientia in bono opere eſt,neq; rurſum omne opus bonum ueram ſcientiam conſequitur. De quo eſt illud, qui in tertio ſuperſcriptionũ genere & cantícum pſalmi, cum bonorum operum efficientiæ ſcientia & doctrina coniungitur. Prius enim in bonis operibus uiuendũ eſt,ut perfecta poſſet ea quæ deinceps ſuccedit diuini ſacramenti eſſe cognitio,ſecundum id quod dictum eſt: Deſideraſti ſapientiam,ſerua mandata, dominus præſtabit tibi eandem. Præſtat ergo dominus ſapientiam his,qui per meritum operum gratiam intelligentiæ conſequuntur. Ex his ergo operum doctrinęq; ſtudijs pſalmi illius,qui cantico pſalmi ſuperſcribitur, erit cauſa noſcenda. Vbi autem eſt pſalmus cantici,illic per cognitionis ſcientiam uſus boni operis tractatur,cum quando deſideratã nobis fidelium geſtorum efficientiam præſtet anterior de deo adepta cognitio. Hæc igitur muſicæ artis quadrifaria diuerſitas, pſalmorum eſt diuerſitati coaptata, ut pſalmus per organi corporei motum in cõmemoratione geſtorũ ſit. Canticũ uero per ſapientiæ cognitionẽ habeat in ſe doctrinæ ſcientiã. Canticum uero pſalmi eſt,cum præeunte geſtorũ merito cognitio præſtatur. Pſalmus deinde cantici,cum per adeptæ ſcientiæ cognitionem fidelium geſtorũ opus inchoatur & geritur. Per has ergo ſuperſcriptionũ proprietates intelligentiã pſalmorũ quærere oportebit, quia unicuiq; generi prophetiæ in proprietate titulorũ unũquodq; genus muſicę cõparationis aptatũ eſt. Eos uero qui ſine inſcriptione ulla ſignificationis alicuius habeantur,ut eſt primus uel ſecundus,& cæteri cõplures alij,intelligendũ eſt ex doctrina ſpiritus ſancti ad ſpiritualem cognitionẽ generalis ſcientiæ fuiſſe cantatos,ut unuſquiſq; ex his ſecundum fidei ſuæ ſynceritatẽ,rationem intelligentiæ ſpiritualis expeteret. Aliæ uero ſuperſcriptiones,quæ aut res geſtas ſecundũ hiſtoriã ſignificant,aut tempora, aut dies,aut aliud aliquid cõplexæ ſunt,uel ex interpretatione nominũ, uel ex comparatione geſtorũ, uel ex conſimiliũ ſpecie, ex quibus rebus pſalmus cõſiſtat oſtendunt,ut ſicubi eſt pro die ſabbati, aut pro occultis filij, aut pro die octaua, per corporalem ſuperſcriptionũ ſignificantiã ſpiritualis pſalmi intelligat̃ æditio: uel cum illius Dauid, uel illi Dauid, uel Abſalon, uel Saul, uel Doech in titulo ſub geſtorum hiſtoria prænotantur, in eo per nominũ qualitates ut illi,uel illius Dauid,aut per nominum uirtutes, ut eſt Abſalon,& prophetiã quæ in pſalmo ſit, cõſequantur. In diapſalma uero,quod interiectum in plurimis pſalmis eſt,cognoſcendũ eſt demutationẽ ſenſus ſub cõuerſione modi muſici inchoari, ut ſicubi diapſalma interceſſerit,aut aliquid aliud dici,aut etiam ab altero dici,aut in altero artis muſicæ modulo cantari intelligendum ſit,& de perſonis ac ſenſibus ubi diapſalma intercedere reperiemus,rationẽ afferre tentabimus. Cæterũ modum muſici diſciplinam

Pſalmus

Canticum

Canticum pſalmi

Pſalmus cantici

ἀνεπίγραφοι

Diapſalma quid

conſerua-

conſeruare translatio Græca & Latina nõ potuit. Hæc autem in cõpendioſam bre uitatem feſtiuis ad ipſam pſalmorũ expoſitionem ſermo collegit. Eſt aũt diligens perpenſumq; iudicium expoſitionis pſalmi uniuſcuiuſq; præſtandũ, ut cognoſcatur qua unuſquiſq; eorum claue intelligentiæ aperiendus ſit. Nam liber omnis ſimilis eſt urbi pulchræ atq; magnæ, cui complures ædes diuerſæq; ſint, quarum fores proprijs clauibus diuerſisq; claudantur, quæ cum unum in locũ congeſtæ permixtæq; ſint, uolenti unamquanq; ædem aperire, maximã ignaro afferant difficultatem, ut claues uniuſcuiuſq; ædis inueniat, aut familiaris ſcientia cognitã clauem cito ex copia illa cõgeſtæ in unum qualitatis eligere, aut ingentis laboris aptam & congruam clauem aperiendi uniuſcuiuſq; aditus inuenire, quia ratio & qualitas non ſinat, nõ ſuas claues clauſtris diſparibus coaptare. Itaq; ſecundum domini miſericordiã aperiendi unuſcuiuſq; pſalmi clauem reperturi, huius ipſius primi pſalmi aditum propria ſua & congrua claue pandamus.

Carmen

Clauis pſalmi

CLAVIS SIVE INTROITVS IN I. PSALMVM.

PRincipalis hæc in pſalmis intelligẽtia eſt, ex cuius perſona, uel in quem ea quæ dicta ſunt intelligi oporteat, poſſe diſcernere. Non enim uniformis & indiſcreta eorum eſt conſtitutio, ut non & autores habeant, & genera diuerſa. Inuenimus enim in his frequenter perſonam dei patris ſolere proponi, ut in octogeſimooctauo, cum dicitur: Exaltaui electum de plebe mea. Inueni Dauid ſeruum meum, in oleo ſancto meo unxi eum. Ipſe inuocabit me, pater meus es tu, & ſuſceptor ſalutis meæ. Et ego primogenitum ponam eum excelſum ſuper reges terræ. Perſonam uero filij in plurimis ferè introduci, ut in decimoſeptimo pſalmo: Populus quẽ nõ cognoui, ſeruiuit mihi: & in uiceſimo primo pſalmo: Diuiſerunt ſibi ueſtimenta mea, & ſuper ueſtem meam miſerunt ſortem. Hunc autem primum pſalmum uel ex perſona patris, uel ex perſona filij non poſſe intelligi, ipſe abſoluit & docet, cum in eo ait: Sed in lege domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. In eo enim pſalmo, in quo perſonam patris deſignari meminimus, propria & apta memorantur, cum dicitur: Ipſe inuocabit me, pater meus es tu deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ. Et in eo quo filius loqui docetur, ipſe ſe ex his quæ commemorat dictorum ſuorum profitetur autorem, dicens: Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi. Dum enim & pater dicit: inuocauit me, & filius ait: Populus ſeruiuit mihi, ipſos ſe eſſe qui de ſe loquuntur, oſtendunt. At uero nunc cum dicitur: Sed in lege domini uoluntas eius, nulla domini perſona de ſe loquentis oſtenditur, ſed alterius potius, beati eius ſcilicet uiri, cuius in lege domini uoluntas ſit. Perſona itaq; prophetæ, cuius ore ſpiritus ſanctus loquitur, nunc eſſe noſcenda eſt officio oris eius ad cognitionem nos ſacramentis ſpiritualibus erudiens. Et cum hæc loquatur, quærendum eſt de quo uiro eum loqui intelligere debeamus. Ait enim: Beatus uir qui nõ abijt in conſilio impiorum, & in uia peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Sed in lege domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquã lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet, bene dirigentur. Multos uel præſenti ſermone uel ex literis ac ſcriptis eorũ comperi ita ſenſiſſe de pſalmo, quod ſignificari in eo dominus noſter Ieſus Chriſtus atq; intelligi debeat, cuius beatitudo in his quæ ſubiecta ſunt, prædicetur. Sed id nec modo, nec ratione docuere, bonæ quidẽ opinionis affectu, quia omnis ad eum prophetia eſt referenda pſalmorũ. Sed ubi & quando ad eum prophetiæ ipſius ſermo ſe referat, rationabilis ſcientiæ diſcernendũ eſt ueritate. Ea autem quæ in exordio pſalmi poſita ſunt, minime perſonæ eius dignitatiq; cõueniunt, & incautã hanc ita prædi

Perſona à quo & in quem

Auguſtinus docet hæc dici perſona patris

candi facilitatẽ ipſa illa coargũt,quæ cõtinentur in pſalmo.Cum enim dicitur:&in lege domini uolũtas eius,cum lex per dei filiũ lata ſit,quomodo ad eum ob id beatitudo referetur, quia uoluntas eius in lege domini fuerit, cũ dominus ipſe ſit lex? Quòd autẽ lex eius ſit,in pſalmo ſeptuageſimoſeptimo ipſe teſtatur,quod ait:Attendite populus in legem meam, inclinate aures ueſtras in uerba oris mei. Aperiam in parabolis os meum.Et hęc Matthęus euangeliſta ab eo eſſe dicta cõfirmat, dicens: Ideo in parabolis loquebatur,ut impleretur quod dictum eſt: Aperiam in parabolis os meum. Prophetiam ergo ſuam rebus dominus expleuit. Nam in his in quibus loquuturum ſe ſpoponderat,parabolis eſt loquutus. Id autem quod ait: Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum,in quo comparatiue beatitudinis profectus oſtenditur,quomodo perſonæ eius poterit coaptari,ut ſit dei filio plantatum lignum beatius? ob quod beatus ſit, quia aliquando ſimilitudinem eius profectus beatitudinis conſequatur.Dehinc cum ſecundum Sapientiam & Apoſtolum, & ante ſecula, & ante tempora æterna ſit,& primogenitus omnis creaturæ ſit,& in ipſo,& per ipſum creata ſunt omnia, quomodo his rebus cum fiet ſimilis, beatus eſt, quæ ab ipſo ſunt inſtituta? cũ neq; creatoris uirtus ad beatudinis ſuæ perfectionem comparatione egeat creaturæ, neq; primogeniti antiquitas in eo quod erit tanquã lignum, tempus præpoſteræ comparationis admittat. Id enim quod erit per expectandum adhuc tempus, nõ poteſt uideri ut aut fuerit,aut iam ſit in rerũ natura. Quicquid autẽ iam eſt, non eget dilatione temporis ut ad aliquid inchoëtur, quia antiquitate exordij ſui iam permanet. Itaq; quia hæc à diuinitate unigeniti filij dei domini noſtri Ieſu Chriſti intelligũtur aliena,uir ille hic à propheta beatus prędicari opinandus eſt,qui ſe ei corpori quod dominus aſſumpſit,in quo homo natus eſt,cõformem ſtudio æquitatis,&totius iuſtitię perfectione preſtiterit.Et ſanè id intelligi oportere plenior pſalmi expoſitio monſtrabit. Specioſiſſimũ autem hoc & digniſſimum incipiendorũ pſalmorum ſanctiſpiritus ſumpſit exordium,ut humanam infirmitatem per ſpem beatitudinis ad innocens religionis ſtudium adhortaretur, ut ſacramentum dei corporati doceret, ut communionẽ gloriæ cœleſtis polliceretur, ut pœnam iudicij denunciaret,ut differentiam reſurrectionis oſtenderet, ut prouidentiã dei in retributione monſtraret. Perfecta ſcilicet conſummataq; ratione tantæ prouidentiæ ordinem inchoauit, ut hominum imbecillitatẽ ad fidei ſtudium beati uiri ſpes illiceret,ſpei beatitudinem comparata ligni ſimilitudo conderet, inſolentem impietatem intra metum denunciata impijs ſeueritas coërceret,meriti differentiam in conſilijs ſanctorum cõditionis ordo diſtingueret, dei magnificentiam in cognoſcendis iuſtorum uijs æquitas conſtituta monſtraret.Nunc & res ipſas & eorum uerba tractemus.

Quomodo igitur dicitur uitis & lux?

Summa argumenti totius pſalmi

DIVI HILARII PICTAVORVM EPISCOPI in primum Pſalmum enarratio.



EATVS uir qui non abijt in cõſilio impiorũ, & in uia peccatorũ nõ ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ nõ ſedit. Sed in lege domini uolũtas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.) Quinq; generũ obſeruantiã beato uiro ſubeſſe propheta cõmemorat.Primã in impiorũ conſiliũ nõ eundi,alterã in peccatorũ uia nõ cõſiſtendi, tertiã in cathedra peſtilentiæ nõ ſedendi,tum deinde uolũtatis in lege domini ponendę,poſtremã in ea die noctuq; meditãdi.Ergo neceſſe eſt differre impiũ à peccatore, peccatorẽ à peſtilente, maxime cũ ſit impijs cõſiliũ, peccatori uia,cathedra peſtilenti. Dehinc cũ in cõſiliũ impiorũ eatur potius q; ſtetur, in uia

Quinq; in beato uiro

in uia uero peccatoris ſtetur magis quàm eatur. Quarum rerum cauſas ut intelligere poſſimus diſcernendum eſt, quanto differat peccator ab impio, ut per id intelligi poſſit, cur peccatori uia, & impio conſilium deputetur. Dehinc cur & in uia ſtandum, & in conſiliũ eundum ſit, cum humana conſuetudo, & in conſilio ſtandum, & in uia eundum eſſe decernat. Non omnis qui peccator eſt, & impius eſt. Impius autem non poteſt non eſſe peccator. Et ſumamus ex uſu conſcientiæ communis exemplum. Patres ſuos amare poſſunt filij, licet ebrioſi ſint, & laſciui, & prodigi, & inter hæc uicia carent impietate, qui non carent crimine. Impij uero licet in præcipuis ſint continentiæ frugalitatiſq; uirtutibus, omne tamen quodcunq; aliud extra impietatem erit crimen in contumelia parentis excedunt. Igitur ſecundum hoc propoſitum exemplum, impium diſcerni à peccatore non dubium eſt, & impios quidem eos eſſe natura ipſa iudicij communis oſtendit, qui cognitionem dei expetere faſtidiunt, qui nullum eſſe mundi creatorem irreligioſa opinione præſumũt, qui mundum in hunc habitum ornatumq; fortuitis motibus conſtitiſſe cõmemorant: qui ne quod iudiciũ creatori ſuo ob uitam recte crimino-ſeue digeſtã relinquãt, uolunt ex naturæ neceſſitate ſe naſci, & ex eadem rurſum neceſſitate diſſolui. Horum igitur omne conſilium fluctuans, incertũ ac uacuum eſt, & in eiſdem ac per eadem ſine ulla conſiſtendi ſtatione defertur. Non enim tenet modum definitionis alicuius. Creatorem mundi diſputatio docere auſa non eſt. Cum enim quæras cur mundus factus ſit, & quando, & in quantum, & utrum mundus homini, an homo mundo, & mors ob quid uel quouſq; uel qualis, circa hæc impietatis ſuæ conſilia agitur ſemper, & uadit, loco conſiſtendi in his conſilijs non reperto. Sunt & alia conſilia impiorum, eorum ſcilicet qui in hęreſim delapſi, nec noui, nec ueteris teſtamenti legibus continentur. Quorũ ſermo in orbem ſemper & circulum erroris inflexus, nihil tenens, & in nullo cõſiſtens, indefinitæ ſcientiæ curſu recurſuq; iactatur. Quorum impietatis eſt, deum non ex dei ipſius profeſsione, ſed ex arbitrij ſui uoluntate metiri, ignorantes nõ minoris impietatis eſſe deum fingere quàm negare. A quibus cum requiras quo ſpei ac fidei ſuæ ſine ſic ſentiant, confunduntur, perturbantur, diſſimulant cum errant, & finem ipſum eius de qua quæritur diſputationis euitant. Beatus ergo uir eſt qui in hoc impiorũ conſilium nõ abijt, id eſt, qui ipſam illam in hoc cõſilium eundi non admiſerit uoluntatem: quia quæ impia ſunt uel cogitaſſe iam crimen ſit. Sequens autẽ eſt, ut qui in impiorum conſiliũ non abijt, in peccatorũ quoq; uia nõ ſtet. Plures enim ſunt qui cum per confeſſionem dei ab impietate diſcreti ſunt, non tamen à peccato per id liberi ſunt. In eccleſia quidẽ manentes, ſed eccleſię diſciplinã non tenentes, ut auari, ebrioſi, tumultuoſi, procaces, ſuperbi, ſimulatores, mẽdaces, rapaces. Et ad hęc quidem nos uitia naturæ noſtrę propellit inſtinctus. Sed ut utile eſt, nos à uia hac qua ferimur abſcedere, ſic neq; cõſiſtere illic, adhibito decedendi ex ea non moroſo recurſu. Et idcirco beatus uir eſt, qui in uia peccatorũ non ſtetit, natura quidem in uiam hanc deferente, ſed ex uia hac fidei religione referente. Tertius quoq; hic obtinendæ beatitudinis ordo eſt, in cathedra peſtilentiæ non ſedere. Sederũt in cathedra Moyſi phariſæi docẽtes, ſedit & Pilatus in tribunali. Cuius itaq; cathedræ ſeſſionem exiſtimabimus peſtilentẽ? Non utiq; Moyſi, dominus enim ſedentem potius quàm ſeſſionẽ cathredræ improbandũ dicit: Super cathedrã, inquit, Moyſi ſederunt ſcribæ & phariſæi, quæcunq; dixerint facite, quæ aũt faciunt, facere nolite. Cathedræ huius ſeſſio peſtilens nõ eſt, cuius obedientia dominica autoritate præcipitur. Illa ergo erit peſtilens, cuius cõtagiũ Pilatus manus abluẽdo deuitat. Multos enim etiã in metu dei cõſtitutos, ſeculariũ tamen honorũ ambitio corrumpit, & uolunt eccleſiæ legibus ſubditi, fori legibus iudicare. Sed quanquã ad hæc ipſa officia

Impius & peccator quòd differat

Impietas quid proprie

Via peccatorum quid

Cathedræ peſtilentiæ

Secularia negocia periculosa clericis ac bonis

officia quæ agunt, ferãt ſecum religioſam uoluntatẽ, beneuolos ſeſe cõtinentesq; præſtando, tamen neceſſe eſt eorum in quibus diuerſabuntur negociorũ quodam peſtilenti contagio polluantur. Publicarum enim cauſarum ordo manere eos uolentes etiam in eccleſiaſticæ legis ſanctitate non ſinit. Et quamuis religioſi propoſiti tenaces ſint, tamen neceſſitate ſedis obtentæ, cum ad contumeliam, cum ad iniuriam, cum ad pœnam cunctante licet uoluntate coguntur, facit eos neceſſitatis ipſius participes, cum tanquã lue morbida imbuuntur. Et idcirco hanc eorum cathedram peſtilentiæ propheta cognominat, quia contagione ſua uoluntatem religioſa mentis inficiunt. Sed beatitudinem uiri nondum, uel in impiorum conſiliũ non iſſe, uel in peccatorum uia non ſtetiſſe, uel in peſtilentiæ cathedra non ſediſſe, conſummat. Poſſunt enim hæc & in ſeculari uiro reperiri, ut unum deum eſſe, creatorem mundi opinetur, ut à peccatis ſe per ſtudium modeſtiæ, innocentiæ referat, ut honorum dignitatibus, priuatæ & tranquillæ uitæ ocium anteponat. Sed perfectum nunc deo uirum propheta conformans, & quem in magnis æternæ beatudinis conſtituat exemplis, non cõmunibus eum ad id docet uſurum eſſe uirtutibus, ſed his conſummandũ eſſe, ut beatus ſit, quę ſequuntur: Sed in lege domini uoluntas eius.) Abſtentio ſuperiorum inutilis eſt, niſi in conſequentia adhibeatur in tentio, ſcilicet ut in lege domini uoluntas ſit. Non expectat propheta ut metus ſit, plures enim intra legem metus cohibet, paucos uero uoluntas conſtituit in lege. Quia timoris eſt, non audere timenda negligere: perfectæ uero religionis eſt, præſcriptis uelle parere. Et idcirco beatus ille eſt, cuius in dei lege nõ timor eſt, ſed uoluntas. Sed deeſt interdum & aliquid uoluntati. Et perfectam beatitudinem ſolum uelle non obtinet, niſi uoluntatem ſequatur operatio. Sequitur nanq; Et in lege eius meditabitur die ac nocte.) Beatũ hunc uirũ cõtinua legis meditatio & indefeſſa cõſummat. Sed fortè id humanæ infirmitatis natura nõ patitur, per quam quieſcendum, dormiendũ, cibo uacandum eſt, ob quæ à ſpe conſequendæ beatitudinis ex neceſſitate naturalium decidamus, cum aliquando à meditatione diurna atq; nocturna negocij corporalis interceſſione ſit deſinendũ. Simile quoq; huic dicto Apoſtoli dictum eſt: Sine intermiſſione orantes. Quaſi uero nõ recuperãdo uires ſuas naturæ noſtræ neceſſitas poſſit ſine interpellatione tẽporis ſemper orare. Meditatio itaq; legis non ſolum in uerbis legendi eſt, ſed in opere & religione: neq; ut libros tantum & ſcripturas recenſeamus, ſed ut ea quæ ſcripturis ac libris cõtinentur, geſtis rebusq; meditemur, & diurna nocturnaq; opera legem ſemper exerceant, ut illud apoſtoli eſt: Omnia quæcunq; facitis, in gloriã dei facite, ſiue cũ manducatis, ſiue cum bibitis, ſiue cum aliud agitis. Per hoc enim efficitur, ut ſine intermiſſione oremus, cum per opera deo placita, & in gloriã eius ſemper exercita, ſancti cuiuſq; uiri uita omnis oratio ſit, ac ſic ſecundum legem noctu diecq; uiuendo, uita ipſa nocturna legis erit & diurna meditatio. Sed conſummata uiri huius beatitudine, qui impiorum conſilijs, & peccatorum uijs, & peſtilentiæ cathedra ſe abſtinens dei legem uolens die & nocte meditetur, docendum eſt quantus ei fructus acquiſitæ huius beatitudinis ſit futurus. Velle enim beatum eſſe, ex beatudinis ipſius expectatione proficiſcitur. Sequitur nanq; Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructũ ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium eius non defluet.) Ridiculum hoc fortè & ineptum comparatæ beatudinis creditur exemplum, in quo ligni plantatio ſecus decurſus aquarum, fructus ſui datio ſecundum ſuum tempus, & folium eius non defluens prædicatur. Hæc quidem ſecundum homines ſeculi nulla fortè exiſtimabuntur. Sed uideamus ſecundum propheticam doctrinam, quanta in his ipſis rebus ac uerbis comparatæ beatudinis gloria condocetur, in libro Geneſis ubi plantatum à deo paradiſum legislator

Legis domini ce meditatio

Meditatio in factis eſt

Et erit tanquam lignum

gislator ostendit: Omne quoq; lignum specie pulchrum & ad usum bonum productum esse monstrauit, esse quoq; & in medio paradisi lignum uitæ, & lignum sciendi boni & mali exposuit, irrigari deinde paradisum flumine, quod postea in quatuor principia diuisum sit. Quod autem esset hoc lignum uitæ, propheta Salomon docuit, dicens de adoratione sapientiæ: Lignum uitæ est omnibus qui complectuntur eam, & qui incumbunt in eam sicut in domino. Lignum ergo hoc uiuens est, neq; solum uiuens, sed etiam rationale. Rationale autem in tantum, ut fructum det. Det uero non confuse, non importune, sed tempore suo. Et plantatum hoc lignum est secus decursus aquarū in possessione scilicet regni dei, id est, in paradiso, & unde flumen exiens in quatuor principia diuiditur. Non enim ait: Post decursus aquarum, sed secus decursus aquarū, unde primum decursus aquarum diuisiones sortiuntur. Illic enim plantatum hoc lignum est quò latronem illum se domino confitentem dominus (qui sapientia est) introducit, dicens: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Et quia sapientiã, qui Christus est, lignum uitæ cognominari de sacramento futuræ corporationis & passionis prophetica autoritate docuimus, etiam ex euangelijs intelligentiæ huius est proprietas astruenda. Dominus nanq; ipse se arbori comparauit, cum in Beelzebub dæmonia eum Iudæi eijcere dixissent: Aut facite, inquit, arborem bonam & fructus eius bonos, aut facite arborem malam & fructus eius malos. Ex fructu enim arbor cognoscitur, quia cum fructus esset optimus dæmonia eijcere, Beelzebub eum, cuius fructus pessimi sunt, esse dicebant. Huius quoq; beati ligni non dedignatus est in se docere uirtutẽ, cum pergens ad crucem ait: Quia si in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Per humidi ligni exemplum nihil in se aridítati mortis obnoxium esse significat. Huic itaq; ligno beatus ille uir similis fiet, cum translati latronis in paradisum modo secundum decursus aquarum & ipse plantetur, & fiet beata illa & non eradicanda nouella plantatio, quam in euangelijs dominus significat cum de aliena plantatione cõqueritur, dicens: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus eradicabitur. Hoc enim lignũ dabit fructus suos. Vbicunq; autem de fructibus arborum aliquid diuinus sermo significat, facere potius eas fructum quàm dare memorat, cũ ait: Non potest arbor bona fructus malos facere. Et cum secundum Esaiam querela de uinea est: Expectaui, inquit, ut faceret uuas, fecit autem spinas. Lignum autem dabit fructus suos arbitrio dandi & ratione moderatum. Nam in tẽpore suo dabit.) Et quo tandem tempore? Nempe eo de quo beatus Apostolus ait: Notum uobis facere sacramentum uoluntatis suæ, secundum beneplacitum quod proposuit in ipso in dispensationem plenitudinis temporum. Hoc ergo dispensationis est tempus, quo & accipiendi & dandi opportunitas temperatur, cum suum erit tempus, ut accipiant quibus dabit: temporis autẽ mora in plenitudine temporum pendet. Dispensatio enim dandi fructus plenitudini temporum seruatur. Et qui tandem hic dispendendus erit fructus? Nempe ille de quo idem Apostolus meminit, dicens: Et transformauit corpus humilitatis nostræ conformatum corpori gloriæ suæ. Hos ergo nobis fructus suos dabit, quos iam in eo quem sibi assumpsit, & qui significatur in ligno, homine perficit, quem in immortalitatis suæ naturam absorpta mortalitate transfudit. Erit ergo ut hoc lignum beatus ille uir, tum quando ipse in gloriam dei domino suo conformis adstiterit.

Prouer. 3. sed alijs uerbis

Christus arbor

Lucæ. 23. ἐν ὑγρῷ

In tẽpore suo

Folium autem ligni huius non defluet.) Nec mirum si folia eius nõ defluunt, cuius fructus dabuntur potius quàm decident, non maturitate depulsi, non ui exteriore decussi, sed rationalis officij dispensatione dimensi. Et quid in foliis significet ex comparatione rerum corporalium absolutum est. Nanq; hanc esse naturam foliorum contuemur, ut ad custodiam fructuum fructibus ipsis circumiecta

Et folium eius non defluet

prorum-

prorumpant,ut quodam uallo tenera pomorum initia communiant. Doctrina ergo uerborum dei quæ promiſſos nobis fructus conueſtit,ſignificatur in folio. His enim uerbis ſpes noſtræ inumbrantur, horum inter has ſeculi tempeſtates munimine conteguntur. Non defluent igitur hæc folia, id eſt dei uerba, quia per dominum dictum eſt: Cœlum & terra præteribunt,uerba autem mea non præteribunt. Nihil enim ex his quæ à deo dicta ſunt,dilabetur aut decidet. Quod autem hæc folia ligni huius non inutilia ſint,ſed ſalutaria gentibus,ſanctus Ioannes in Apocalypſi teſtatur,dicens:Et oſtendit mihi flumen aquæ uiuæ ſplendidum tanquam cryſtallum exiens de throno dei & agni,& in medio plateę eius,& ex utraq; parte fluminis arborem uitæ, quæ facit fructus duodecies, ſingulis menſibus reddens fructum ſuum, & folia arboris illius ſunt ad ſanitatem gentium. Cœleſte ſacramentum ita per corporales ſpecies exponitur, ut rationem ſpiritualem corporalia ipſa quanquàm implere non poſſint, tamen ad corporata non mutilent. Conuenerat enim dixiſſe ex utraq; parte fluminis demõſtrati,arbores eſſe nõ arborẽ. Sed quia uitæ arbor ubiq; in ſacramento baptiſmi una eſt, undiq; ad ſe uenientibus apoſtolicæ prædicationis fructus ſubminiſtrans, ideo ex utraq; parte fluminis una uitæ arbor aſſiſtit,unus enim agnus eſt in throno dei uiſus,& unum flumen,& uitæ arbor una, quę omnia in ſe complectuntur myſteria corporationis.baptiſmi,paſſionis,cuius folia,id eſt prædicationis uerba ſalutem gentibus per doctrinam eloquij non decidentis impartiũtur: Et omnia,inquit,quæcunq; faciet bene dirigentur.)

Fortè ſic legendũ,tamen ad comparationem inutilia ſint

Et omnia quæcunq;

Iam nõ ſicut in Adam domum eius & ſtatuta perturbantur, quia ille conſtitutæ immortalitatis beatitudinẽ peccato tranſgreſſæ legis amiſit,ſed per redẽptionem ligni uitæ,id eſt, dominica paſſione cum ipſi ligno uitæ ſimiles erimus, iam quicquid in nobis fiet,æternum eſt. Aeternum autem cum beatitudinis ſenſu. Proſperabuntur enim omnia illa quæ fient, non demutatione incerta, nõ natura infirma, cum incorruptio corruptionem, & æternitas infirmitatem, & forma dei formam terrenę carnis abſorpſerit. Huic igitur plantato ligno in tẽpore ſuo hos fructus ſuos danti beatus ille uir erit ſimilis, ipſe quoque in paradiſo plantatus, ut plantatio dei non eradicanda permaneat,in quo omnia à deo facta proſpere dirigentur, nulla deinceps demutatione uel infirmitatis noſtræ eradicanda uel temporis. Demonſtrata autem perfecta huius uiri beatitudine conſequens erat quæ impios pœna maneret,oſtendere. Sequitur nãq;: Non ſic impij nõ ſic,ſed tãquàm puluis quem proijcit uentus à facie terræ.) Non eſt impijs cõparatiuæ huius beatitudinis ſpes relicta,ſed uagum eos,obtritum,uentilatũ,diſperſum & inquietum manet,ut exilla corporalis ſolliditatis firmitate decuſſi ludibrio pulueris differantur in pœnam, non in nihilum diſſoluti,ut ſit in his materies pœnalis,ſed in inane ac leue aridũq;, ut ludibrioſæ pœnæ,& loco altero idem propheta meminit,dicens: Comminuam eos ut puluerem ante faciem uenti, ut lutum platearum delebo illos. Comparatio itaq; ut beatitudinis,ita & pœnæ eſt conſtituta. Quod enim nullus labor eſt uento puluerem diſſipare, & quàm lutum in plateis ingredientes propè calcaſſe non ſentiunt, ita pœnæ illi inferni facile eſt impios delere atq; diſpargere, quos peccatorum ratio & in lutum ſoluerit, & cõminuerit in puluerem, non relicta neq; ſubſtantia firmitatis,cum puluis & lutum ſint, & per id quod puluis & lutum ſunt, in natura*tantum pœnalis ſubſtantiæ reſeruati. Et quia per hanc demutationem obtritæ in puluerem firmitatis,non erit huius boni particeps, quod beato uiro ex fructu ligni dabitur in tempore. Ideo conſequenter adiecit: Propterea nõ reſurgunt impij in iudicium.) Non abolitio his qui utiq; puluis erunt per id quod non reſurgunt denunciatur, ſed reſurrectio his in iudicium denegatur. Non enim per id quod non erunt,ſenſu pœnę carebit,quia lucri pœnam facit quod non ſubſiſtit ad

Non ſic impij

*Ad*tamen*

pœnam

pœnam. Subſiſtunt autem qui erunt puluis. Puluerem uero effici uel ariditate uel attritu nō eſt ſubſiſtendi amiſiſſe naturam, ſed in naturam alteram ſubſtitiſſe. Per id autem quod in iudicium non reſurgent, abſolutum eſt non reſurgendi eos caruiſſe natura, ſed reſurgendi in iudicium perdidiſſe ordinem. Qui autem reſurrectionis & iudicij ordo intelligēdus ſit, dominus in Euangelijs oſtendit, dicens: Qui credit in me, non iudicatur: qui autem nō credit, iam iudicatus eſt. Hoc eſt autem iudicium, quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Negligentem audientiam & incurioſam legentiū facilitatem dicti dominici ſermo perturbat. Cum enim dicit: Qui credit in me non iudicabitur, exemit iudicio fideles. Et cum ſubiecit: Qui autē non credit, iam iudicatus eſt, non admiſit ad iudicium infideles. Ergo ſi credentes exemit, & repulit infideles, nec in hos nec in illos iudicij ſorte permiſſa, quomodo conuenire ſibi hoc quod tertium ait, exiſtimatur: Hoc eſt autem iudicium, quia lux uenit in mundum, & dilexerūt homines magis tenebras quàm lucem? Non poteſt uideri locus relictus eſſe iudicio, cum neq; infideles, neq; fideles ſunt iudicandi. Et hæc quidem ita eſſe auditoribus negligentibus & lectoribus incurioſis uidebuntur, cæterū in ſe uerius ipſa uerborum proprietas dicti intelligentiā continet: Qui credit, inquit, non iudicabitur, quid enim neceſſe eſt iudicare credentem? Iudicium enim ex ambiguis rebus exiſtit, & ambiguitate adempta, iudicij non deſideratur examen. Ex quo ne infideles quidem neceſſe eſt iudicari, quia ambiguitas quum infideles ſint nō reſedit. Sed adempto in credentes non credentesq; iudicio, cauſam dominus iudicij & autores in quo iudicari neceſſe eſſet adiecit. Sunt enim aliqui inter impios pioſq; qui medij ſint, ex utroq; admixti, neutri tamen proprie, quia in id ipſum conſtiterint ex utroq;: nec fidei admiſcendi, quia ſit illis aliquid infidelitatis inſertū: nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant & fidei. Plures nanq; dei metus in eccleſia cōtinet, ſed eoſdem tamen ad ſecularia uicia ſeculi blandimenta ſolicitant. Orant, quia timent: peccant, quia uolunt: Chriſtianos ſe nūcupant, quia bona eſt ſpes æternitatis: gentilia agunt, quia blanda præſentia ſunt: impij non manent, quia his dei nomen in honore eſt: pij non ſunt, quia quæ pietati ſunt aliena ſectantur. Et neceſſe eſt ea magis diligant per quæ id quod ſe nuncupant eſſe non poſſunt, ſecundum nuncupationis uoluntatem, operū uoluntate potiore. Et idcirco dominus poſteaquàm credentes non iudicandos & nō credentes iam iudicatos eſſe dixerat, addidit: Hoc eſt autem iudicium, quia lux uenit in hunc mūdum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lumen. In eos ergo iudiciū eſt, quod iam & in incredulos actum eſt, & in credentes nō neceſſariū eſt, quia magis tenebras quàm lumen dilexerint, non quòd non dilexerint & lumen, ſed quòd dilectio illis fuerit magis propenſa tenebrarum. Præferri enim ſolet dilectioni ex comparatione dilectio, & hic iudiciū eſt, quia cum dilexerit Chriſtum, magis tamen tenebras dilexerūt. Hi ergo iudicabuntur, qui neq; ut pij non iudicabuntur, neq; iam fuerint ut impij iudicati, in quos ex prælata potius dilectione iudicium eſt. Et huius quidem euangelicæ diſpoſitionis tenuit propheta rationē, dicens: Propterea non reſurgunt impij in iudicio, neq; peccatores in conſilio iuſtorum. Impijs iudicium, quia iam iudicati ſunt, non relinquit: peccatoribus autem, quos ſuperiori ſermone diſcerni ab impijs docuimus, conſilium iuſtorum, quia iudicandi ſint, denegauit. Illos enim præiudicatos impietas facit, hos uero peccatum detinet iudicandos. Itaq; neq; impietas quæ iam iudicata eſt, peccatorum eſt permiſſa iudicio, neq; peccatores qui iudicandi ſunt, iuſtorum qui nō iudicabuntur, meriti ſunt digni eſſe conſilio. Et huius differentiæ hinc ordo proficiſcitur. Quia cognoſcit, inquit, dominus uiam iuſtorū, & uia impiorum peribit.) Conſilium iuſtorum peccatores idcirco non adeunt, quia uiam iuſto

Soli medij iudicabuntur

rum dominus cognoſcit. Cognoſcit autem non ignorationis ſcientia, ſed dignatione noſcendi. Neq; enim hæc in deo paſſionum humanarum demutatio eſt, ut aliquid aut cognoſcat aut neſciat. Beatus apoſtolus Paulus qua ratione à deo cognoſceremur expoſuit dicens: Si quis eſt in uobis propheta aut ſpiritalis, cognoſcat quæ ſcribo uobis, quia domini ſunt: ſi quis autē non cognoſcit, non cognoſcetur. Eos ergo cognoſci à deo oſtendit, qui quæ dei ſunt cognouerint, tunc cognoſcendi cum cognouerint, dignationem ſcilicet cognitionis per meritum religionis cognitæ conſequentes, ut quod cognoſcitur non ignorantis profectus intelligatur eſſe, ſed cogniti. Abſolute autem dominus oſtendit in Adam atq; Abraham peccatores ſe ignorare, cognoſcere autem fideles. Nanq; Adę poſt peccatum dictum eſt: Vbi es Adam? Non quòd deus quem adhuc in paradiſo habebat, in paradiſo eſſe neſciret, ſed quòd dum ubi ſit interrogatur, indignus cognitione dei per id quod peccauit, oſtenditur. Abraham ante diu ignoratus, ſcilicet ad quem ſeptuagenarium dei iam fuit ſermo, cum ſe per oblationem Iſaac fidelem domino probaſſet, tali in diuinam familiaritatem dignatione ſuſcipitur. Nunc cognoui quia times dominum deum tuum, & non pepercisti dilecto filio tuo propter me. Non ignorabat utiq; Abrahæ fidem, quam ei de generando Iſaac credenti & ad iuſtitiam deputauerat. Sed qui magnum timoris ſui dederat filium offerendo documentum, nunc cognoſcitur, nunc probatur, nunc dignus eſt qui non ignoretur. Scit itaq; deus & agnoſcit & neſcit, cum Adam peccator neſcitur, & Abraham fidelis agnoſcitur, dignus ſcilicet qui à deo nihil utiq; ignorante noſcat. Cognita ergo eſt deo iuſtorum non iudicandorum uia, & idcirco peccatores iudicandi ſunt eorum conſilio. Impij autem in iudicio non reſurgent, quia deperdita eorum uia, iam fuerint iudicati per eum qui ait: Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio domino Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum Amen.

Quomodo deus cognoſcat aut ignoret

Sine titulo apud Hebræos II.

QVare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?) Plures noſtrum ambiguos facit apoſtolica autoritas, utrum pſalmum hunc cohærentem primo, & ueluti primi extremum putent eſſe, an uero ſub iacentem, & ſecundum potius connumerent. Nanque in Actis apoſtolorum primum hunc haberi, atque eſſe ſub oratione beati Pauli ita docemur: Nanq; uobis euangelizamus eam quę ad patres facta eſt repromiſſio, hanc deus expleuit filijs ueſtris, ſuſcitans dominū noſtrum Ieſum, ſicut in pſalmo primo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te, cum ſuſcitauit eum à mortuis amplius non regreſſurum in interitum. Ob hanc ergo apoſtolicam autoritatem errore ſcribentium fieri creditur, ut in ordine ſecundus pſalmus iſte numeretur, cum primus eſſe ipſo doctore gentium teſtante noſcatur. Cognoſcenda itaq; ea ratio eſt, cur & à nobis ſecundus eſſe intellígendus ſit, & ab apoſtolo eſſe primus oſtenſus ſit. Medijs nanq; temporibus legis priuſquā unigenitus dei filius ante ſecula manens deus, uerbū homo naſceretur, poſcente rege Ptolemæo ſeptuaginta ſeniores libros ueteris teſtamenti ex Hebræis literis in Græcas tranſtulerūt. Erat autem iam à Moſe antea iuſtitutum in ſynagoga omni ſeptuaginta eſſe doctores. Nam idem Moſes quamuis ueteris teſtamenti uerba in literis condidiſſet, tamen ſeparatim quædam ex occultis legis ſecretiora myſteria ſeptuaginta ſenioribus, qui doctores deinceps manerent, intimauerat. Cuius doctrinæ etiam dominus in euangelijs meminit, dicens: Super cathedram Moſi, inquit, ſederunt ſcribæ & phariſæi, omnia ergo quæcunq; dixerint uobis ſeruate & facite: ſecundum uero facta eorum nolite facere. Doctrina ergo horum manſit in poſterum, quæ ab ipſo ſcripto

Actuum 13.

Secreta legis Moſaicæ

Non credo

ſo ſcriptore legis accepta in hoc ſeniorum & numero & ſeruitio conſeruata eſt. Hi itaq; ſeniores libros hos transferentes, & ſpiritualem ſecundum Moſi traditionem occultarum cognitionum ſcientiam adepti, ambigue lingua Hebraica dicta & uaria quædam ex ſe nunciantia, ſecundum uirtutes rerum certis & propriis uerborum ſignificationibus tranſtulerunt, doctrinæ ſcientia multimodam illam ſermonum intelligentiam temperantes. Et ex eo fit ut qui poſtea tranſtulerunt, diuerſis modis interpretantes, magnum gentibus attulerint errorem, dum occulte illius à Moſe* prophetæ traditionis ignari, ea quæ ambigue lingua Hebræa commemorata ſunt, incertis ipſi indicijs ædiderunt. Ambiguitatis autem linguæ Hebraicæ unum afferemus exemplum, ex quo cætera iſtiuſmodi eſſe atq; ut ſunt, intelligantur. Breſith uerbum Hebraicum eſt: tres enim ſignificantias in ſe habet, id eſt, in principio, & in capite, & in filio. Sed translatores ſeptuaginta in principio ædiderunt, cæteris diuerſæ transferentibus, & ſecundum hanc ambiguitatem hæc ab illis in omni translatione eſt facta confuſio. Sed perfecta horum ſeptuaginta interpretum autoritas manet. Primum quòd ante aduentum corporalem domini tranſtulerunt, nec adulatio interpretandi adhibita tempori arguitur, tanto anteriores interpretationis ætate, de hinc quod ipſi illi principes, doctoresq; ſynagogę & præter ſcientiam legis, per Moſem quoq; doctrina ſecretiori perfecti innotuerũt, non improbabiles eſſe arbitri interpretandi, qui certiſſimi & grauiſſimi erant autores docendi. Hi ergo pſalmos inter cæteros libros transferentes, & in numerũ redegerunt, & in ordinem collocauerunt, & diapſalmis diſtinxerunt, qui omnes ſecundum Hebræos confuſi & habebantur & habentur. Horum igitur translationes Hebræis, tum lingua tantum ſua utentibus, non erant neceſſariæ. Ipſis tamen omnibus diligenti & religioſa cuſtodia obſeruatis, quibus poſtea quàm dominus legem omnem ſacramento & corporationis ſuæ & paſſionis & reſurrectionis impleuerat, cum his libris quos regij ijdem translatores ædiderant collocatis, & fideliter conſonantibus repertis, indiſſolubilis conſtituta eſt priuilegio doctrinæ & ætatis autoritas. Beatus ergo apoſtolus Paulus ſecundum promiſſionem ſuam Hebræus ex Hebræis, etiam ſecundum Hebraicam cognitionem & fidem, pſalmum hunc primum eſſe dixit, translatorum diſtinctione non uſus, cui maximum hoc prædicandi ad ſynagogæ principes ſtudium erat, ut dominum noſtrum Ieſum CHRISTVM dei filium natum, paſſum, reſurgentem, regnare in æternum, ex doctrina legis oſtenderet. Tenuit itaq; hunc modum, ut Hebræus ipſe & Hebræis prædicans Hebræorum conſuetudine uteretur. Sed nobis translatorum utendum autoritate eſt, legem non ambiguitate literæ, ſed doctrina ſcientiæ transferendum. Præſtat autem nunc abſolutiſſimam intelligentiam perſonæ temporis cauſæ apoſtolica autoritas. Nam quid in libro Actorum ſuorum de hoc eodem pſalmo idem Apoſtoli ſenſerint, uerbis ipſorum loquemur. Scriptum nanq; eſt: Et ipſis dicentibus domine, tu es qui feciſti cœlum & terram & mare, & omnia quę in illis ſunt, qui per os patris noſtri Dauid ſancti pueri tui dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduerſum dominum, & aduerſum Chriſtum eius. Conuenerunt enim in ueritate in ciuitate iſta aduerſus ſanctum tuum filium Ieſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, & populus Iſraël facere quanta manus tua & conſilium præſcribit fieri. Et nunc domine reſpice in minas illorum, & da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui uerbum tuum. Non ergo ambiguum eſt quid tanto anteriore tempore prophetiæ pſalmus oſtenderit. Nam permixtim ſibi in Herode atq; Pilato gentes frementes & populi uana meditantes, in unũ cum ipſis ſuis principibus & regibus aſtiterũt. Cõmuni enim & prætoris & tetrarchę iudicio in dominũ confir-

Audi Hieronymum Profectæ legendum puto

Breſith

Aliud ſentit Hieronymus

Fabula de cellulis ſeptuaginta

Actuum 4.

παῖδα filium uertit non puerum

mata damnationis est passio. Et quidem diligenter secundum propheticã scienti-amunicuicꝫ generi & nomini singulorũ quorumcꝫ uerborum est proprietas coaptata. Vt gentes fremuerint, imperito scilicet motu incõditoꝫ dei filium in corpore cernentes & odientes, quæ usqꝫ adeo fremuerũt, ut coronã spineam capiti cõpunxerint, ueste regia indutũ salutatione atqꝫ honore regis illuserint, harundine caput contuderint, aceto ac felle potauerint, lancea latus foderint. Cohors enim militum Pilato subditorum ex fremitu iræ intemperantis hæc gessit. Populi autem inania meditati sunt, id est, inani in doctrinis dei meditatione uersati, eum per meditationem legis non intellexerunt qui prædicabatur in lege. Iam enim tum non tantum ex illa secundum carnem Abrahæ generatione synagogę populus abundabat, sed ex multis populis in nomine Israël populi nomine multorum populorum diuersitas continebatur. De hoc in Actorum libro ita scribitur: Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi, uiri timentes dominum ab omni gente quæ sub cœlo est. Populi itaqꝫ isti meditati sunt inania, ex multis populis in unum populum congregati. Reges quoqꝫ adstiterũt. Pilatus scilicet & Herodes, cum quibus reges terræ intelliguntur, & utercꝫ pro legum quibus præerant necessitate præsentiæ suæ adhibuit officium. Qui autem impio irreligiosoqꝫ consilio multis cõuenientibus aduersus dominum tractabant, hi principes conueniunt in unum, frequenter scilicet in domum Cayphæ, omnium sacerdotũ principibus congregatis. Denicꝫ reges terræ cognominati sunt, Herodes tetrarcha & Pilatus prætor, quia iure terreni imperij adstiterunt. Cæteri autem qui in unum conuenerunt, necꝫ principes terræ sunt, necꝫ principes sacerdotũ, quia nec ius regni sui prætori Romano & tetrarchæ obtinebant subditi, necꝫ ultra iam principes sacerdotum cognominari merebantur, quia impij in deum ac dominum ipsius sacerdotij extitissent. Et quia non ambiguum est, ex persona dei patris secundum apostolicã autoritatem psalmum cœptum esse, quippe cum dixerint: Qui per os patris nostri Dauid sancti pueri tui dixisti, idcirco ad intelligendam personæ demutationem ab interpretantibus interiectum diapsalma est, licet in libris Hebræorum non contineretur. Persona ergo quæ demutatur, apostolorum esse intelligenda est dicentium: Dirumpamus uincula eorum, & abijciamus à nobis iugum ipsorum. Detestari eos necesse est quod arguunt. Horum ergo qui & fremuerunt, & inania meditati sunt, uincula dirumpunt, & iugum abijciunt. Et non ambiguum est quin differat iugum abijcere & uincula rumpere, quod utruncꝫ utricꝫ superius memorato & generi & nomini conuenit, & uincula gentium rumpant, iugum autem populorum abijciant: quia gentes peccatorum suorum uinculis colligantur à quibus absoluere se per infidelitatem non possunt, secundum quod dictum est: Fascijs peccatorum suorum constrictus est peccator. Iudæi uero iugo legis onerantur, quod à se Apostoli abijciunt, beato Petro dicente: Nunc uero quid tentatis dominũ ponere supra collum discipulorum iugum, quod necꝫ nos, necꝫ patres nostri potuimus portare? Hoc ergo populorum iugum à se abijciunt, quia subditi ei fuerunt: uincula autem non sibi, sed gentibus dirumpunt. Et ita utriusqꝫ sermonis ratio seruata est, ut ubi uincula dirumpuntur, nullam personæ suæ significantiam addant: ubi uero abijciunt iugum, illic dicendo abijciamus à nobis, non de alijs quàm de semetipsis locuti intelligãtur, ut graui isto & intollerabili abiecto, suaui illi & leui ad quod inuitati sunt, euangelicæ sanctificationis se iugo subderent, gentium autem uincula per libertatem prædicationis abrumperent, secundum illud quod in eiusdem psalmi commemoratione dixerunt: Et nunc domine respice in minas illorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui uerbum tuum, hæ enim apostolicæ doctrinę omniũ infidelitatum & peccaminum laqueos abrumpunt. Et quia superius duplex persona

Persona patris contra Hieronymum

seruata

ſeruata eſt cum ait: Aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius, gemina quoq; nunc ridentis & ſubſannātis ſignificatio cōſecuta eſt. Non enim diſcernitur contumelia alterius ab altero, neq; diſcretus honor eſt religionis ad utrunq;. Qui enim per geminam patris & filij ſecundum ſe legitimamq; naturam in gloriam diuinitatis unum ſunt, unum etiā ſunt uel in cōtemptus iniuria uel in honore reuerētiæ, & alter in altero aut honorificatur aut ſpernitur. Atq; id ipſum dominus teſtatur dicens: Sicut pater ſuſcitat mortuos & uiuificat, ſic & filius quos uult uiuificat. Nec enim pater iudicat quenquā, ſed omne iudicium dedit filio, ut omnes glorificent filium ſicut honorificant patrem. Qui non honorificat filiū, non honorificat patrem qui miſit illum. Non diſtinguitur honor, non diſcernitur contumelia, æqua in utrunq; religio expectatur. Et iniuria unius, cōtemptus utriuſq; eſt. Ita cum in uno uterq; ſpernatur, qui unum ſunt in diuinitate ambo per gloriam, unum quoque ſunt in religione ambo per honorem. Et nunc qui aduerſus dominum conuenerunt, cōuenerunt quoq; aduerſus Chriſtum eius: & quos in cœlo habitans irridet, hos & dominus ſubſannat. Non quòd non & dominus eſſet ſemper in cœlo, quippe qui de ſe ipſo teſtatus ſit: Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Non abeſt ergo à cœlo, quia cum de cœlo deſcenderit filius hominis manens atq; loquens eſt: tamen cum hæc loqueretur in cœlo, deſcenderat quidem filius hominis, ſed per naturæ uirtutem non aberat filius dei unde deſcenderat, neq; ſe ex eo quod antea erat, tum cum homo eſt natus abſumpſerat, neq; factus filius hominis, filius dei eſſe defecerat, ſed à deo filius hominis, filius dei eſt, ut deſcendens de cœlo filius dei eſſet, & per uirtutem ſuæ ſubſtantiæ idem filius hominis eſſet in cœlo. Sed uolens propheta ſub perſonæ diſtinctione ſignificare patrem, qui filio ſuo etiam in filio hominis cōſiſtente in terris, in illa æterna ſua ſede ac beata maneret, & ſine deſcenſionis alicuius diſpenſatione requieſceret, ait: Qui habitat in cœlis irridebit eos, & dominus ſubſannabit eos. Vt per eū qui irrideret habitans in cœlo intelligeretur, & dominus qui ſubſannaret è cœlo. Non differt autem ſubſannare & irridere: utrunq; enim ſecundum uoluntatis affectum officio oris efficitur. Nanq; ſecundum intelligentiā noſtrā per corporales ſpecies diuinarum rerum ſenſus exponitur, ut ſubſannatio & riſus in eludendis his qui aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius cōuenerant nominaretur, non quòd in incorporalē deum aut reſolutio aut obductio oris incideret, ſed ut ex naturæ noſtræ conſuetudine noſceremus quale in impios eſſet iudiciū diuinæ uoluntatis. Subſannati ergo & irriſi ſunt, nanq; qui teſtes falſos concinnauerant, qui proditionem mercati erant, qui ſuper ſe ac filios ſuos ſanguinem eius recepe-rant, qui crucifige clamauerant, qui deſcende de cruce ſi filius dei es dixerant, qui ſepulchrum obſignauerant, qui reſurrectionis ſilentium à militibus & famam ſurati corporis emerant, perdiderunt tantum impietatis ſuæ laborem, deus eſt quem crucifixerant, æternus eſt cuius ſepulchrum obſignauerāt. Irridetur impietas dum ad illicita nititur, dum inconceſſa expetit, dum quod obtinuiſſe ſe ſperat amittit, dum deum eſſe quem tanquā hominem condemnat agnoſcit. Ob quod competenter hoc ſequitur: Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in indignatione ſua conturbabit eos. Poſtea enim quàm reſurgente à mortuis deo, in quem mors per ſpeciem corporis quod aſſumpſit inciderat, temeritas infructuoſę impietatis irriſa eſt, deus ad eos quos ſubſannauerat loquitur, eosq; in indignatione conturbat. Ac priuſquam qui iſte iræ ſermo & quæ hæc indignationis perturbatio ſit oſtendamus, am moneri legentes atq; audientes oportet, ne aliquas demutationes paſſionū perturbationesq; motuum cadere in deum credant. Nihil enim in æternā illam & perfectam naturam nouum incidit, neq; qui ita eſt, ut qualis eſt, talis & ſemper ſit, ne ali

quando nō idem ſit, poteſt effici aliquid aliud eſſe, quàm ſemper eſt. Terrenę iſtud imperfectæq; cauſæ habent generis, ut demutabiles fiant cōuerſione naturę, cum lætitiam mœror, placabilitatē ira, beneuolentiā offenſa, æquanimitatem inuidia, & ſecuritatem ſolicitudo perturbat. Sumus per hæc aliud aliquando quàm fuimus, cum eam quæ præſens ſit mentis affectionem, ſubrepens per inconſtantiā infirmitatemq; noſtram motus appetitionis alterius inquietet, & ex eo quod fuimus, in id quod ſumus cōuerſio nos repētina demutet. Deus autē beatus atq; perfectus profectu nō eget cui nihil deeſt, demutatione nō nouus eſt, qui origine caret. Ipſe eſt, qui quod eſt, non aliunde eſt, in ſeſe eſt cum eſt, ad ſe eſt, ſuus ſibi eſt, & ipſe ſibi omnia eſt, carens omni demutatione nouitatis, qui nihil aliud quod in ſe poſſet incidere per id quod ipſe ſibi totū totus eſt reliquit. Ex huius igitur optima ac beneuola beatitudine, per dominū noſtrū Ieſum Chriſtū perfectæ omnes ſunt cœleſtium & inuiſibiliū creationes, ſpiritualium & corporaliū cōſtitutiones, nō ut profectum ſibi aliquem ex his, quibus originē impertiebatur, adquireret. Neq; enim quiſquam eo indiget, quod ex ſe tribuit: aut per id proficit, cui ad id quod eſt autor eſt. Exteriora aūt ſunt quæ afferunt profectū, quia ea quæ inopiæ medentur aliena ſunt. Deus igitur ex quo omnia ſunt, nullo eorū indiget, quibus id quod ſunt eſſe largitus eſt, omnia uero ad profectū eorum quæ gignerentur creauit. Et quia longus erit ſermo, ſi etiam de cœleſtibus & inuiſibilibus inchoētur, ex nobis ipſis ad quos prophetiæ pſalmus eſt, tractemus. Hominem nō quod officio eius in aliquo eguerit inſtituit, ſed qui bonus eſt participē beatitudinis ſuæ cōdidit, & rationale animal in uſum largiendę ęternitatis ſuæ uita ſenſusq; perfecit, & hoc ipſius dictis abſolute intelligitur. ait enim: Sed nunc Iſraël quid dominus deus tuus poſcit à te, niſi ut timeas dominū deū tuū, & ambules in omnibus uijs eius, & diligas eum, & ſeruias domino deo tuo ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & cuſtodias præcepta domini dei, & iuſtificationes eius quæ ego præcipio tibi ut bene ſit tibi. Nullum à nobis, niſi innocētiæ, & religionis, & fidei obſequiū deus poſtulat. Amariſe à nobis exigit, non uticq; amoris in ſe noſtri fructū aliquem ſui cauſa ipſe percipiens, ſed amore ipſo nobis potius qui eum amabimus profuturo. Nam amari ſe, ſibiq; nos obſequi idcirco (at nobis expetit) ut digni beatitudinis ſuæ ac bonitatis munere per meritū amoris ſui & obſequij iudicemur. Bonitatis aūt uſus ut ſplendor ſolis, ut lumen ignis, ut odor ſucci, nō præbenti proficit, ſed utenti. Quod ergo ſumus, profectus noſter eſt potius quàm eius, qui nos in id quod ſumus inſtituit, quia deus bonorum eorum quę in ſe ſunt æterna non inuidens, in ſenſum nos atq; uſum beatæ ſuæ bonitatis aſſumit. Sed qui perfectus ac bonus eſt, bonitate in nos ac beatitudine ſua nō ſine ratione ac modo uſus eſt. Nam unicuiq; noſtrū libertatem uitę ſenſumq; permiſit, non *neceſſitatem alterutrū affigiens, ut unumquenq; ex natura bonum malum ūe eſſe lex cogeret, ſed qui nos per beneuolentiā utendæ beatitudinis ſuæ creaſſet, profectum nobis ad id meritū uitæ innocentis honeſteq; conſtituit. Quid autē honoris ac præmij bonitatis neceſſitas mereretur, cū malos non eſſe uis quædam nobis conſerta non ſineret? uoluntati ergo permiſſa bonitas eſt, ut præmiū ſibi uoluntas bonitatis acquireret, ut eſſet nobis æternæ huius beatitudinis profectus atq; uſus ex merito, non neceſſitas indiſcreta per legē. Et quanquàm nos ad uoluntatem bonitatis, id eſt, ad bene honeſteq; uiuendum per ſpem promerendæ & utendæ ſuæ bonitatis illiceret, pœnam tamen deuitatę & contemptæ bonitatis adiecit. Vt cum libertatem nobis uoluntatis ad bonitatē promerendam reliquiſſet, quia meritum neceſſitas naturæ non haberet, libertatē ipſam quotidie propoſitus è contrario pœnæ terror argueret. Atq; ita & per rationem æqui atq; iuſti ad meritum prę mij permiſſa libertas eſt, & per bonitatē dei uis libertatis

Liberum arbitrium

**Fortè neceſſitate in*

metu con

metu cõstitutionis arctata est, ut bene uelle meriti spes moneret, malum nolle propositæ ultionis pœna suaderet. Itaq; his quibus ex uoluntatis libertate malitia magis placuit, ultio constituta ira esse dei creditur, nõ quia indemutabilis illa dei quieta natura motu impetus turbidi incalescat, sed quòd ille qui per constitutionẽ pœnæ maneat in pœnam, sentiat sibi autorẽ huius constitutionis iratum. Pœna enim patientis, ira esse creditur decernentis. Atq; ita irascitur deus, cum per pœnæ dolorem iram decreti in se sentiat esse punitus, quæ non per demutationem naturæ in iram ex placabilitate commota est, sed ex constitutione pœnæ ira sit puniendis. Hanc autem pœnæ constitutionem, iram nuncupari atq; esse, Ioannes in euangelio ostendit, dicens: Natio uiperarum, quis monstrauit uobis fugere à uentura ira? Cum enim debitum illis esset, ob impietatem suam pœnę constitutione puniri, iram tamen hanc futuram pœnitentiæ confessione fugiebant. Apostolus quoq; irę huius ita meminit, dicens: Quia si cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est, multo magis iustificati nunc per sanguinem eius liberabimur ab ira per illum, iram uidelicet pœnam manentis constitutionis ostendens. Non itaq; ad demutationem deus mobilis est, neq; ad aliud ex alio transferendus, certæ ipse cõstantisq; naturæ est. Manet ut est quippe qui dixerit: Ego sum qui sum, & non demutor. Beata illa & perfecta æternaq; uirtutis bonitas non patitur conuersionem, nec demutatur ex alio in aliud motu accidentis instinctus. Et hoc idem hic sancto spiritu loquens propheta testatur, dicens: Deus iudex iustus, fortis & magnanimus, nunquid irascetur per singulos dies? Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit, & arcum suum tetendit, & parauit illum: Et in eo parauit uasa mortis, sagittas suas arsuris operatus est. Non ergo ad iram magnanimus demutatur, sed potens iudex pœnam decreuit ad culpam. Nam non conuertentibus gladium uibrabit, & arcum tetendit, & in eo parauit uasa mortis, & sagittas suas arsuris operatus est. Operatus autem est non ad motum repentinæ iræ, quæ per cupiditatem ulciscendi subito accensa sit, sed operatus arsuris est, qui per impœnitentem uoluntatem ipsi se constituent urendos. Et his qui non conuertuntur, gladius uibratus est, non ex demutatione iræ perimendos ad singulos. Neq; enim qui magnanimus est per dies singulos irascitur, sed quia iudicium decreuit, gladius eius ex pœnæ constitutione iam promptus est. Ipsa autem pœnalis iudicij spiritualia ministeria in gladio, arcu, sagittisq; memorantur, quia præparata habentur arsuris. Non ex motu iræ temporariæ præparantur, sed ea ex decreti costitutione temperatissima deus bonitatis suæ æquabilitate moderatus est, non occultam scilicet constitutionis ipsius huius seueritatem & incognitam relinquendo, terroremq; eius denunciationibus præmonendo, & ipsam illam constitutam, licet longa tamen ad peccati pœnitentiam dilatione remorando, atque ideo posteaquam fremuerant gentes, & adstiterant reges, posteaquàm inania meditantes populi in unum conuenerant aduersus dominum Christumq; eius, & posteaquàm itrisi subsanatiq; sunt, subiectum est: Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in indignatione sua conturbabit eos.) Qualiter autem loqui semper in ira sua dominus solitus sit, unum propheticæ doctrinæ grauissimum & maximum afferemus exemplum, Esaia dicente: Audite uerbum domini principes Sodomorum, attendite uerbum domini populus Gomorræ. Quo mihi multitudinem hostiarum uestrarum dicit dominus, plenus sum. Holocausta arietum, & adipem agnorum, & sanguinem taurorum & hircorum nolo. Nec si ueniatis apparere in conspectu meo, quis enim exquisiuit hæc de manibus uestris? Calcare aulam meam non apponetis: si afferatis similaginem, uanum est, thymiama abominatio est mihi. Neomenias & sabbata & diem magnum non sustineo. Ieiunia & ferias

Ira dei quid

& Neomenias ueſtras & feſtiuitates odit anima mea. Facti enim mihi eſtis in abundantiam, iam nō ſuſtineo peccata ueſtra, & ſi extendatis manus, auertā oculos meos à uobis, & ſi multiplicetis preeem, non ex audiā uos: manus enim ueſtræ ſanguine plenæ ſunt. Et hæc quidem atrocia & plena iræ principes Sodomorū generoſam Abrahæ familiā nuncupari, populum Gomorræ electum, in hæreditatem Iſraël dici, improbabiles eſſe hoſtias, abominabiles ſolennitates, pertæſa ieiunia, auertendi ab conſpectu adeuntium oculi, obſtruendæ ab auditu precantium aures, quia manus ſanguine plenæ ſunt. Quid hac comminatione grauius eſt: Quid his minis ſeuerius: Sed uideamus qualiter in ira ſua deus loquitur. Sequitur enim poſteaquàm dictum eſt, manus ueſtræ ſanguine plenę ſunt: Lauamini, mundi eſto te, auferte nequitias ab animis ueſtris, à conſpectu oculorū meorū. Diſcite bonum facere, exquirite iudicium, liberate iniuriā accipientem, iudicate orphano, & iuſtificate uiduam, & uenite arguamur, dicit dominus. Et ſi fuerint delicta ueſtra ſicut fœnicium, ut niuem dealbabo. Si autem fuerint ut coccum, ut lanam candidā efficiam. Et ſi uolueritis & exaudieritis me, quæ bona ſunt terræ māducabitis: quod ſi nolueritis, neq; audiueritis me, gladius uos cōmedet. Os enim domini locutum eſt. Sequitur terrorē benignitas, & quibus iam ultio criminis debita eſt, his adhuc ſupereſt pœnitentis conſcientiæ beata confeſſio. Non enim ſtatim deus in ira ſua perimit, ſed loquitur, & diſſimulata adhuc pœna tantū in indignatione perturbat. Qui enim ut coccum & fœniciū erant, redundanti in manus ſanguine decolores, in niuem dealbeſcent, eruntq; ueſte beati uelleris candidati. Et hæc quidem ex auctoritate teſtamēti ueteris præſumpta ſunt, uideamus an etiam in nouo dei ira talis eſſe intelligatur, ut ſaluet. Nanq; Ioannes eos quos eſſe nationē uiperarum ob maliciam paternæ in ſe impietatis exprobrat, ita ad ſalutem monet: Facite dignū fructum pœnitentiæ. Et rurſum dominus ipſe: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego uos reficiam. Frementibus autē aduerſus ſe, & non tantum in paſſione, ſed etiam poſt paſſionē, non dico in unum cōuenientibus, ſed perſecutionem eccleſiæ, apoſtolorū fugam, cædem martyrum ſpirantibus, deus ſic loquitur iratus: Saule Saule, quid me perſequeris: Ait autem: Quis es domine: Dominus uero: Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris. At ille tremēs & pauens in eo quod ſibi acciderat, dixit: Domine, quid me uis facere: Hic loquitur iratus, ſic in indignatione conturbat, cum quibus ob meritum impietatis pœna decreta eſt, ipſis per ammonitionem deſinendi mali, metus & terror affertur. Sed ne ipſam quidem principalem & maximā loquendi in ira & indignatione conturbandi prædicationem prætermiſit propheta. Nanq; poſt id quod ait: Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo cōturbabit eos, ut oſtenderet qui ille iræ ſermo eſſet, & quę ex eo conturbatio gigneretur, adiecit: Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, annuncians præceptum eius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſce à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionē tuam terminos terrę. Reges eos in uirga ferrea, tāquam uas figuli confringes eos.) Iratus loquens atq; in indignatione perturbans, & iraſcendi modum temperat & loquendi. Nam neq; iram diſſimulat poteſtate prælata, neq; à bonitate ſua excidit terrore præmiſſo, ut ad pietatē nos metus eius, cuius poteſtas eſſet demonſtrata, uocaret. Cōturbantur ergo frementes & uana meditantes, cum regem ſciunt, cum filium dei audiunt, cum poſſeſſorem eum finiū terræ, & heredem eſſe gentium diſcunt, cum regendi ius in uirga ferrea & eius eſſe cognoſcunt, cum modo ac facilitate uaſis figuli comminuendos populos intelligunt. Sic loquitur iratus, ſic conturbat indignans, non puniens admiſſam impietatem, ſed impœnitentem ad pœnitentiæ confeſſionem commemoratæ poteſtatis

terrore

terrore perturbans. Quanquàm uero per ſpiritum prophetiæ pro gerendis geſta memorantis, quia ſolitus ſit non per ambiguam prouidentiam gerendorum deus futura pro præteritis ſignificare, abſolute intelligi poſſit, omnia hæc ex perſona unigeniti filij dei domini noſtri Ieſu Chriſti dicta eſſe, & infidelitas maxima ſit, trepidum ad hęc ſenſum ambiguę opinionis afferre, tamen etiam euangelicis atq; apoſtolicis doctrinis oſtendendum eſt, nihil eorum prophetam quæ gerenda prædicandaq; eſſent non antea prophetaſſe, maxime cum non exiguus ignorantibus atq; ſimplicibus error oriatur in eo quod dictū eſt: Ego hodie genui te. Cum enim ante tempora unigenitus dei filius maneat, non conueniens eſſe intelligitur, ut in die genitus ſit, cum dies omnis in tempore ſit. Tempora enim ſecundum præſcriptam nobis à Moſe cognitionē in hunc ſuū motū atq; curſum ab origine ſeculi & conſtitutione dimenſa ſunt, cū per momenta & horas & menſes, & annū reuolubili in ſe ſucceſſione diſcreta ſunt, inſtitutumq; eſt tempus & ex tēpore, quia omnia tempora mutua temporū ſubſtitutio & gignit & terminat. Atq; ob id dies in tempore eſt, per quam tempus uniuerſum & inchoatū deſinit, & deſinens inchoatur. Vnigenitus uero filius dei, ut dei uerbum eſt, ita deus erat uerbum, non cum temporibus eſt, ſed ante tempora: nō in aliquo, ſed ante omnia eſt. Erat enim cum tempora facta ſunt, quippe qui ea fecerit. Erat ergo ſemper. Non enim eſt definitus in tempore, non ſubiectus in numerū, ſed per quem eſt eorum omnium quæ & ſunt & eſſe dici poſſunt, origo, ipſe ille ex infinitæ æternitatis ſuæ ortu, ut ab æterno genitus eſt perſiſtit. Vt igitur dicti prophetici, quo ait: Ego hodie genui te, ratio poſſit intelligi, adhibenda nobis eſt euangelica & apoſtolica atq; prophetica autoritas, ut uel prophetā de Apoſtolo, uel Apoſtolū de propheta intelligamus. Tenendus autem idem euangelicorum dictorum ordo qui pſalmi eſt. Nam idem primus eſt. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius. Et neſcio cui Chriſtum regem eſſe ambigere ſit tutum, latrone hoc ipſo in crucis paſſione profitente: Memento mei domine, cum ueneris in regnum tuum. Sed non ſufficit confeſſio latronis regem eſſe profitentis, teſtantur etiam adoraturi Magi cum interrogant: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Teſtatur & Pilatus interrogans: Tu es rex Iudeorum? Profitetur & dominus reſpondens: Tu dixiſti. Non negat interrogatus, nec gloriatur humiliandus ad mortem, cum non ſit niſi ex reſponſione confeſſio, ita neq; ſe protulit profeſſionis autorem, neque interrogatæ cognitionis ueritatem inuidit. Sed non ſufficit reſpondiſſe quòd rex ſit, audiamus etiam illud, & qui ſit iſte qui rex eſt. Princeps nanq; ſacerdotum etiam cum adiuramento interrogat, dicens: Adiuro te per deum uiuum, ut dicas ſi tu es Chriſtus filius dei. Et dicit illi Ieſus: Tu dixiſti. Interrogatio nunc quoq; non improbatur, ſed & iactantia & gloriatio ſpontaneæ profeſſionis effugitatur. Quæſita tamen ueritas non negatur, ac ſic uerecundia humilitatis & ueritatis confeſſio temperatur, ut ſit & in reſponſione officiū, & in interrogatione cognitio. Sed expectandus eſt, qui tandem ſit reſponſionis huius profectus, quòd Chriſtus filius dei eſt. Nempe quid ſequitur ad id quod dictum eſt: Tu dixiſti: Verum dico uobis, amodo uidebitis filium hominis ſedentem à dextris uirtutis dei, & uenientem in nubibus cœli: qui filius hominis eſt, idem & filius dei eſt. Natura generoſitatis in filij hominis aſſumptione non deperit. Nam non idcirco non dei filius, quia & hominis eſt filius. Non enim diuinitatis ſit deceſſio, cum humilitatis acceſſio: nec per conſortium infirmitatis contumeliam uirtus excepit, quippe cum infirmitas honore ſit donata uirtutis. Nam hominis filius à dextris dei aſſidet, ueniens cum cœli nubibus contuendus. Quo dicto prophetia conſummatur illa, quæ dixit: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos

ſcabellum

ſcabellum pedum tuorum. Hic ergo rex ſuper Sion montem ſanctum dei conſtitutus eſt præceptum domini annuncians. Non ſuper illum utiq; terrenæ ciuitatis montem, comploratæ ſcilicet & homicidæ & parricidæ Hieruſalem, ſed Hieruſalem eius quæ in cœlis eſt, quæ mater eſt noſtra, quæ ciuitas regis magni eſt, cuius, ut exiſtimo, hodie incolæ ſunt in paſſione domini reſurgentes. Dei itaque præceptū hic rex conſtitutus annunciat, ut uenturum eum cū cœli nubibus meminiſſent, aduerſus quem fremerent & conuenirent, ut per cognitionem diuini aduentus conturbati ſuper contumeliam illuſæ humilitatis corporeæ pœniterent. Tenet autem ordinem prophetiæ euangelica doctrina. Nam in eo ipſo dicti utriuſq; ratio continetur, huius ſcilicet dicti: Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, annuncians præceptum eius. Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Cum enim ait: Amodo uidebitis filium hominis ſedentem à dextris uirtutis dei, tempus quo filius hominis qui & Chriſtus & dei filius, confeſſu dei dignandus eſſet oſtendit, ut qui antea dei filius, tum quoq; & hominis filius eſſet, ut id quod tum filius hominis eſt, ad perfectum dei filium, id eſt, ad reſumendam indulgendamq; corpori æternitatis ſuæ gloriam per reſurrectionis potentiam gigneretur, quam gloriam à patre corporeus repoſcebat. Qui enim in forma dei erat, formam ſerui acceperat, & acceptæ huic formæ ſerui, gloriam dei in qua manſit expoſtulat, dicens: Pater glorifica me apud teipſum ea claritate quam habui priuſquàm mundus eſſet apud te. Non noua quærit, non aliena deſiderat, eſſe talis qualis fuerat poſtulat, ſed precatur id ſe quod antea erat eſſe, gigni ſcilicet ad id quod ſuum fuit. Non erat autem idipſum totus, quod ut fieret precaretur, fieri autem totus non aliud quàm quod fuerat poſtulabat. Sed fit quod fuit, & quod non erat eſt futurus, ad id quod fuerat, id quod totum non erat quodam nouo ortu naſcebatur. Exordio ergo hic reſurrectionis ſuæ ad aſſumendam gloriam dies eſt, per quam ad id naſcitur, quod ante tempora erat. Sed naſcens ad id quod ante tempora fuit, id tamen in tempore naſcitur eſſe, quod non erat, atque ideo filius hominis amodo aſſidens uirtutis dextris eſt uidendus, quia natura carnis poſt reſurrectionem glorificata ad profectum eius quam antea habuerat claritatis prouehebatur, cum hominis filius confeſſurus patri & in immortalitatem corruptione carnis abſorpta, & in uiuentem tunc, & non moriturum amplius dei filium naſceretur. Tenuit autem beatus Apoſtolus nouam hanc in eo tempore huius natiuitatis diſcretam ab ea quæ ante tempora eſt generationem & ſubdiuiſam ſignificationem. Nam cum de beata illa, & nullis circumſcripta temporibus natiuitate dixiſſet: Primogenitus omnis creaturæ, quia in ipſo creata ſunt omnia in cœlis & in terra, uiſibilia & inuiſibilia, primogenitum quoq; etiam ex mortuis in reſurrectione commemorat, dicens poſtea: Primogenitus ex mortuis, ut fieret ipſe in omnibus primatum habens. Naſcitur enim ad id quod non erat, cum tamen id fieret quod fuiſſet. Eſt enim primogenitus ex mortuis qui erat primogenitus creaturæ, idcirco primogenitus ex mortuis ut maneret primogenitus creaturæ. Idem enim eſt primogenitus ex mortuis, qui erat primogenitus creaturæ: non nunc aliud eſt atque antea fuit, quàmuis etiam aliud ipſe fuerit ex alio, ſed id quod ex alio etiam aliud fuit, in idipſum tamen unde antea extitit aliud eſt renatum. Nam qui natus ex uirgine homo eſt, erat & tum dei filius, ſed qui filius hominis eſt, idem erat & dei filius. Natus autem rurſum ex baptiſmo, & tum dei filius, ut & in id ipſum & in aliud naſceretur. Scriptum eſt autem cum aſcendiſſet ex aqua: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sed ſecundum generationem hominis renaſcentis, tum quoque ipſe deo renaſcebatur in filium, profecto ut hominis filio, ita & dei in baptiſmate comparato.

Quomodo naſcitur quod perficitur

Sed

Sed id quod nunc in pſalmo eſt: Filius meus es tu,ego hodie genui te, non ad uirginis partum, neq; ad lauacri generationem, ſed ad primogenitum ex mortuis pertinere apoſtolica autoritas eſt. Nanque in libro Actuum apoſtolorum ita dictum eſt: Nosq; uobis euangelizamus eam quæ ad patres facta eſt repromiſſio. Hanc deus expleuit filijs noſtris, ſuſcitans dominum noſtrum Ieſum. Sicut & in pſalmo primo ſcriptum eſt: filius meus es tu, ego hodie genui te. Cum ſuſcitauit eum à mortuis amplius non regreſſurum in interitum. Vox ergo dei patris ſecundum Apoſtolum in die reſurrectionis extitit, & uideamus an idipſum & euangelia ſic doceant. Nanq; dominus reſurgens tali ad apoſtolos uſus eſt uoce: Data eſt mihi poteſtas omnis in cœlo & in terra. Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris,& filij,& ſpiritusſancti. Reſurgens enim in cœlo & in terra ius omne ſortitus eſt. In eo autem quod ait: Data eſt,popoſciſſe id quod accepit oſtendit. Sequitur enim: Poſce à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.) Accepit ergo hereditatem gentium quam popoſcit. Popoſcit enim cum ait: Pater,uenit hora,honorifica filium tuum, ut filius tuus honorificet te. Sicut dediſti illi poteſtatem omnis carnis, ut omni quod dediſti illi det uitam æternam. Et rurſum: Non pro his rogo tantum,ſed & pro his qui credituri ſunt per uerbum eorum in me. Hæc ergo hæreditas eius,ut omni carni det uitam æternam, ut omnes gentes baptizatæ atq; doctæ regenerentur in uitam,non iam ſecundum illam diuinam Moyſi cantionem angelorum dominatui deditæ,neq; ſecundum eorum numerum diuiſæ, ſed in dominicam familiam ſuſceptæ, & in domeſticos dei deputatæ, & ex iniuſto atq; peruerſo iure dominantium in regnum æternum diuinumq; translatæ. Neq; adhuc tantum portio domini Iraël,neq; funiculus hæreditatis eius Iacob, ſed gentes omnes ſecundum numerum angelorum ante diuiſæ, nunc iam unius atq; unius. Omnis hæc uniuerſitas gentium dei populus eſt, & æterna hæc omnium ex mortuis reſurgentium. Primogeniti huius ex mortuis æterni hæredis hæreditas eſt. In eo autem quod adiectum eſt: & poſſeſſionem tuam terminos terræ, non eſt exiſtimandum quòd id ipſum repetitus ſermo ſignificet, tanquam illi ſola gentium terras inhabitantium donata poſſeſſio ſit. Non enim ait: & poſſeſſionem tuam uſq; ad terminos terræ, ſed terminos terræ. Ab eo autem quod terminatur id quod terminat differt. Neque id ipſum eſt finitum atq; finire,neq; unum eſt,modum ſumere, atq; moderari, quorum aliud interius modum accipit, aliud exterius quodam ambitu ſuo obiectuq; moderatur. Non enim ita in profundum demerſa eſt terra,aut in latitudinem extenſa,aut prolata in altum eſt,ut non undiq; ſecus,aut circumfuſę,aut ſubiecentis ſibi naturæ contineatur obiectu. Hanc enim infernæ uaſtitudinis demerſa & immenſa abyſſus ſuſtentat, hanc circũfuſi & ſuperni aëris ſpiritus inumbrat atq; ambit. Quod autẽ ſubiecta ſibi abyſſo ſuſpenſa ſit propheta teſtatur,dicẽs: Ipſe ſuper maria fundauit eam,& ſuper flumina pręparauit illam. Et rurſum. Qui firmauit terram ſuper aquas. Et hanc immenſam atq; infinitã uaſtitatẽ abyſſum ſcriptura ſolita eſt nũcupare,cum Iona intra cetum orante dicitur: Abyſſus multa circumfudit me. Atq; hæc quidem infinita immenſitas quæ ſecundũ uerbi propriatẽ in abyſſo ſignificari intelligitur,ſpirituali diuinæ ſubſtantiæ eſt circumſcripta uirtute,ſecundum illud apoſtoli: Quoniã in ipſo & per ipſum,ipſi gloria in ſecula ſeculorum. Eſſe autem huius infernæ regionis uaſtæq; abyſſi incolas plures, beati Ioannis Apocalypſi docemur, cũ nullus, neq; in cœlo, neq; ſuper terrã, neq; infra terram obſignatũ librũ dignus eſt repertus aperire. Non utiq; de mortuis & in terram ſepultis ſignificare intelligitur, cũ ad tertij incolatus demonſtrationẽ non qui intra terram, ſed qui infra terram, neq; qui mortui ſunt,ſed qui uiuunt,illum in ſe reſignan-

reſignandi libri habuerint autorem. Cum ergo poſſeſſio terræ finium domino donatur, non tam terra donatur quàm ea, quibus terra finitur. Terræ enim terminos quibus terra ipſa determinatur, accepit. Cuius rei ſacramentum omne beatus apoſtolus Paulus (quippe cuius ore Chriſtus de ſe eſt locutus) expoſuit, dicens: Qui cum in forma dei eſſet, non rapinam exiſtimauit ſe eſſe æqualem deo, ſed ſe exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominis conſtitutus, & habitu repertus ut homo, humiliauit ſe factus obediẽs uſq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu curuetur, cœleſtium, terreſtrium & inferno rum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus in gloria eſt dei patris. In forma itaq; dei manens, formã ſerui accepit, ſcilicet ex deo homo natus, & poſt mortem crucis in nomen quod eſt ſuper omne nomen exaltatur. In deum nanq;, quia nullum ultra deum nomen eſt, prouehitur, eiq; hoc petenti, id eſt, ut eſſet quod fuerat ante, donatur. Formam enim ſerui in forma dei manens ſumpſerat. Accepit deinde poſſeſſionem finium terræ, id eſt, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus in gloria eſt dei patris. Non terrena ſola, ſed ſuperna etiam infernaq; donantur, & ea quibus terra concluditur, & in gloria dei patris hodie genitus naſcitur, id eſt, in manente antea dei forma per præmium mortis forma ſeruilis adhoneſtatur. Fitq; ſub tempore noua, nec tamen inuſitata natiuitas, cum ad reſumendam gloriam dei patris qui ex forma ſerui erat, primogenitus ex mortuis naſcere tur. Sequitur deinde: Reges eos in uirga ferrea, tanquam uas figuli confringes eos.) Multis aut male opinantibus, aut uirtutem & proprietatem dictorum diuinorum ignorantibus, aduerſa hæc eſſe bonitati dei uidentur, ut gentes quas filius dei in poſſeſſionẽ popoſcit, & in hæreditatem accepit, terrore uirgæ ferreæ regat, & modo uaſis figuli cõfringat. Neq; enim boni cuiuſquã eſt dare & accipere perdenda. Et qui mauult peccatorum pœnitentiam quàm mortem, non exiſtimatur ſecundum promiſſionẽ naturæ ſuæ eſſe facturus, ſi uirga ferrea confringat, quos dari ſibi in hæreditatem popoſcit. Et primũ ne quis temerariæ huic & impiæ præſumpſioni locus pateat, proprietates ipſæ uerborum in Romanam linguam tranſlatorum cognoſcendæ ſunt. Nanq; id quod nobiſcum eſt, reges eos in uirga ferrea, quanquã ipſum, reges, non tyrannicum, neq; iniuſtum ſit, ſed ex æquitatis ac moderationis arbitrio regimen rationale demonſtret, tamen molliorem adhuc regentis affectum proprietas Græca ſignificat: quod enim nobiſcum eſt, reges eos, cum illis eſt, ποιμανεις, id eſt, paſtoraliter reges, regendi ſcilicet eos curam affectu paſtoris habiturus. Ipſe eſt enim paſtor bonus, cuius nos ſumus oues, pro quibus animam ſuam poſuit. Non autem ius tyrannicum ſignificari arbitremur in uirga, quæ in uirgæ nuncupatione proprietas ſit, ex nouo & ueteri teſtamento noſcendum eſt. Beatus Paulus ad Corinthios ſcribens, quos cum ex multis peccatis ad pœnitentiam moderata atq; utili adhortatione reuocabat, ait: Quid uultis, in uirga ueniam ad uos, aut in charitate & ſpiritu manſuetudinis? Nunquid Paulo ius prætorum erat, ut uirga cõminaretur, & cum officio lictoris ad eccleſiam Chriſti adeſſet? Non utiq; ita opinandum eſt, ſed quia omnis dei ſermo quo ex errore in ueritatem dei retrahimur, quo per cõminationem terroremq; iudicij ad innocentis & ſanctæ uitæ uiam regamur, uirga eſt nuncupatus, per quã intra diſciplinam diuini metus cohibet timoratio, ac prouidentis rectoris monitu cohercemur. Beatus apoſtolus conditionẽ eligendi aduentus ſui his quos monuerat adiecit, utrum mallẽt eum in ſeueritate doctrinæ atq; obiurgationis adeſſe, an in ſpiritu lenitatis. Quod utrumq; ſecundum modeſtiæ tenorẽ erat neceſſarium, ut obedientibus lenior,

Hoc ſubolet Origeniacum quiddã. Nam in hoc opere Origenem ſequutus eſt Hilarius

Virga apoſtolica ſermo euangelicus

nior, insolentibus uero seuerior aduenirет. Et hoc quidem ex noui testamenti auctoritate præsumptum est. Hanc autem uerbi doctrinã uirgam nuncupari ex ueteri ita cognitũ est, cum dicitur: Virga directionis, uirga regni tui: quia hæc eadem est uirgæ directio, qua per doctrinam in æquam uiam utilemq; dirigimur. Et quæ uirga regni est, necesse est ipsa illa doctrina sit regni, ipsum autem dominum nostrum ob doctrinæ suæ utilem ac moderatam prædicationẽ uirgam nuncupatum ita accepimus, dicente Esaia: Exiet, inquit, uirga de radice Iesse. Ac ne tyrannicã in eo seueritatem per uirgæ nuncupationẽ auderet quisquàm opinari, continuo propheticus sermo adiecit: Et flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, ut uirgæ seueritatẽ floris suauitas temperaret, cum unicuiq; nostrum doctrinæ terror regimen perfectæ beatitudinis ammoneret. In hac ergo uirga reget datas sibi gentes, non corruptibili, nõ caduca, non fragili, sed ferrea, id est, ualidissima, & pro naturæ suæ soliditate firmissima. Hæc ergo uirga ferrea reget, ita ut confringat & conterat. Nam magis hoc secundum Septuaginta translatores Græcitatis proprietas enunciat, ita scriptum esse, σωτρίψεις: sed siue conterat, siue confringat, nõ idcirco existimandus est hæreditatẽ poscere, ut eam ad perdendũ atq; abolendum cõfringat & cõterat, quippe cui cor cõtribulatum sacrificiũ sit optimum. Contritio ergo illa siue confractio est, quæ in nobis corporeas uoluptates & secularium uitiorum incentiua cõminuit, dignosq; nos dignatione domini præstabit, secundum dictum prophetæ: Cor contritum & humiliatũ deus non spernet. Comparata autem uasis figuli confactio, quantam absolutionẽ intelligentiæ huius impartitur. Non enim sine causa quos in hæreditatem poposcit uirga ferrea regens tanquam uas figuli confringet, nisi quòd cõparationis exemplo fragmenti istiusmodi damnum proficere in restaurationem eiusdem uasis ostendit. Qualis autem à deo secundum uas figuli nostra confractio sit idem docuit per Hieremiã prophetam, dicens: Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies uerba mea. Et descendi in domũ figuli, & ecce ipse faciebat opus super lapides. Et cecidit uas quod faciebat in manibus eius, & ipse fecit uas aliud secundum quod placuit in conspectu eius ut faceret. Et factum est uerbum domini ad me dicens: Si secundum figulum hunc non possum facere uos domus Israël: Ecce sicut lutum figuli uos estis in manibus meis. In summa, loquar super gentem & super regnum ut feriam eos & perdam, & si conuersa fuerit gens illa à malis suis, pœnitebo de malis quæ cogitabam facere illis. Et in summa, loquar super gentem & regnum, ut reædificem & plantem. Et facient mala ante me, ut ne audiant uocem meam, & pœnitebo de bonis quæ locutus sum facere illis. Sic petitas atq; obtentas hæreditatis suæ gentes deus confringet & conteret ut reformet: confringit enim deus in omnibus omnes inexplebiles cupiditates, & illecebrosas lasciuias, & feruentes iras, & inanes superstitiones, & tumentes fastus, & impias opiniones. Reformat autem nos ad rationabilem uitæ usum contemptu pecuniæ, luxus pudore, iræ moderatione, ueri scientia, cõmunione uiuendi, religionis officijs, cum per doctrinæ regimen terroremq; iudicij in has uirtutes post uitia illa reuiuiscimus. Non ait: Tanquam uas figulus confringes, ne per testæ fragmentum irreformabile uas posset intelligi, sed ait: uas figuli, quod in ipsa artificis molitione uas fieret, ut secundum prælatũ exemplum prompta esset confracti eiusdem uasis ex artificis uoluntate reparatio. Sed irrationabilis materiæ uas etiam sub alia intelligentia ad rationẽ humanæ uoluntatis aptum est, homines quidem per hæc uitia sua cadere, sed si in his pœniterent, id est, si ab his desinerent, se quoq; deus in his quæ ad pœnam causas huius constituerat pœniteret. Non quòd hic motus mentis secundum humanã naturam in deum caderet, sed quia hominis gestorũ pœnitentia modus est gerendorum. Pœnitentiam

quoq; ſuam deus memorat ad pœnam, quia puniri deſinerent qui eſſe impij deſtitiſſent. Vt ergo figulo promptum eſt, amiſſum uas ad eandem, uel quam uolet ſpeciem reformare, ita deo facile eſt poſt uitiorũ caſus uolentes ſe erigi per doctrinæ ſuæ inſtitutionem ad pietatem ex impietate reparare. Sed & illa tanquã uas figuli non ignoranda cõfractio eſt, tum cum his corporibus diſſolutis, & caſu mortis confractis pro uolũtate artificis reſtauratio afferet. Quod utrũq; propheticus ſermo ſignificaſſe eodem dicto uidetur. Nam cum pœnitentiam utilem in his quæ ante agebantur oſtendit, præſentis huius uitæ & corporalis ex uitijs in uirtutẽ nouam quaſi inſtaurationem docet eſſe oportere, ira in eos dei ſicuti criminum uoluntate ceſſante. Et quanquã id ex figuli cõparatione protulerit, tamen cum de eodem figulo ait: Et ipſe fecit uas aliud ſecundum quod placuit in conſpectu eius, ſignificari etiam intelligitur illa, quæ ſecundum dei uoluntatẽ reſurgentiũ corporũ inſtauratio eſt futura: prout enim ei placet, & conſpectu eius dignum eſt, confracta reparabit, nõ ex alia aliqua, ſed ex ueteri atq; ipſa originis ſuæ materie ſpeciẽ illis complaciti ſibi decoris impartiẽs, ut corruptibiliũ corporũ in incorruptionis gloriam reſurrectio, non interitu naturam perimat, ſed qualitatẽ conditione demutet. Non enim aliud corpus quamuis in aliud reſurget, Apoſtolo dicente: Seminatur in corruptelam, reſurget in incorruptionem: ſeminatur in ignominiam, reſurget in gloriam: ſeminatur in infirmitatem, reſurget in uirtutem: ſeminatur corpus animale, reſurget ſpirituale. Fit ergo demutatio, ſed non affertur abolitio. Et cum id quod fuit, in id quod non fuit ſurgit, non amiſit originem, ſed profecit ad honorem. Confringi itaq; nos tanquã uas figuli, uel nunc, uel tunc gaudeamus, ut & nunc modo figuli uaſis commortui & conſepulti domino in baptiſmate in nouitate uitæ ambulemus, & in nouum Chriſti hominem depoſito uetere renaſcamur, ut tunc per hunc nouæ natiuitatis profectum in beatam illam ac deo placentem iteratæ reparationis noſtræ ſpeciem reformemur. Cuius boni non ignarus propheta, poſt hæc hortatur & dicit: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne forte iraſcatur uobis dominus, & pereatis de uia iuſta. Cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.) Doctrinæ hic ordo utiliſſimus eſt, ut eorum in quæ nos adhortatur, beatitudinem cognitam præſtet, quia difficile ſit animum ac ſpem ad ignorata protendere. Volens igitur propheta ad eorum nos quæ ſuperius cõmemorauerat, intelligentiam coarctari, intelligentiæ ipſius honorem ante memorauit, dicẽs: Et nunc reges intelligite, eos ſcilicet qui intellecturi eſſent, reges demonſtrans, obſequelæ admixtos eliciat. Itaq; & deo ſeruientes, ſi timeant imminentem timorem, non negligentes in ea erunt quam ſuſceperint ſeruitutem. Ac ne tyrãnici terroris hic metus eſſe fidelium crederetur ad id quod dixerat: Seruite domino in timore & exultate, ut metum ſeruitutis gaudij exultatio temperaret, cum ipſe timor cauſam lætitiæ per conſcientiam ſeruitij fidelis afferret. Porrò autem ne libertas gaudij fines congruæ moderationis excederet, ita ſubdidit: Exultate in tremore, quia periculoſa ad obliuionem timoris eſſet libera à tremore lætitia. Atq; ita hęc prophetici eloquij ratio ſeruata eſt, ut ſeruitutem timor detineret, timorem exultatio moderaretur, & exultationem tremor conſequens contineret. Huius autẽ ſeruitij & timorem exultantẽ, & exultationẽ trementem docuit in eo quod ſequitur conſiſtere, dicens: Apprehendite diſciplinam. Virtute uerbi ſignificationẽ impatientis uelut properæ ad id uoluntatis oſtendit, nõ tam expetendam, quàm apprehendendã potius diſciplinã, docens non tempore fidei in huius obedientiæ obſeruatione cõtentus, ſed ardorem ſpiritus in apprehendenda auiditate deſiderans. Sic in rapiendo regno cœlorũ raptore dominus delectatus, ait: A diebus

autem

autem Ioannis regnum cœlorũ uim patitur,& uim facientes diripiunt illud. Quia cum regni cœleſtis poſſeſſio Iſraël prædicaretur,fides tamen gentiũ poſſeſſionem hanc ſibi Iſraël diffidenti præriperet. Sic & beatus Paulus currit ut apprehendat, dicẽs: Sequor aũt ut apprehendã,in quo & apprehẽſus ſum. Non lento gradu properat,neq; ocioſo ſequitur procurſu. Apprehenſurus enim ſequitur, & ſatis quidem dixiſſe uideretur,ſi conſequuturus ſequeretur. Sed uim & ipſe afferre optat, & apprehendere properat,& modo exempli corporalis inuadere. Scit aũt ſe eo ipſo iam eſſe quod apprehendere properat apprehenſum. Si enim nos per corporalem naturam deus naturæ ſuæ diffidentes homo genitus apprehendit, factus ipſe quod ſumus,noſtrum eſt ad apprehendendũ nunc id quod eſt ipſe cõtendere,ut in eam gloriam in quam naturam corporeæ huius corruptionis exemit,feſtinatio noſtra ſe miſceat, atq; ita apprehendemus id in quo fuimus apprehenſi, ſi naturã dei conſequamur, deo ante naturam hominũ conſequente. Apprehendenda itaq; diſciplina & inuadenda eſt quodã amplexu & uinculo corporali, ne elabatur aut decidat. Cauſam aũt diligentis huius amplexus ac uinculi propheta ſubiũxit,dicens: Apprehendite diſciplinam,ne quando iraſcatur dominus, & pereatis de uia iuſta. Cum exarſerit in breui ira eius. Adeſt enim pœnę dies qui exardeſcẽte ira domini ſignificari intelligitur,in quo ſi non apprehenſam à nobis diſciplinam tenebimus, perditi de uia iuſta erimus. Vnicuiq; enim rei perit quicquid aufertur,& quod eſt, ei cui deeſt iam uidetur amiſſum. Nam tametſi per naturã ſuam maneat,ei tamen cui abeſt non manet. Et idcirco de uia iuſta impij pereunt,quia in ea non erunt. Pereunt autẽ de uia iuſta,cum exarſerit in breui ira eius. Non moroſa hæc ira eſt,per quam de iuſta uia pereũt,ne quis ſibi interim pœnæ lucro inter moras iudicij blandiatur. In breui nanq; exardeſcit ira. Excipit enim nos ſtatim infernus,& decedentes de corpore ſi ita uixerimus, confeſtim de uia recta perimus. Teſtes nobis ſunt euangelij diues & pauper,quorum unum angeli in ſedibus beatorum & in Abrahæ ſinu locauerunt,alium ſtatim pœnæ regio ſuſcepit. Adeo autem ſtatim pœne mortuum excepit,ut etiam fratres eius in ſupernis manerent. Nihil illic dilationis aut moræ eſt. Iudicij enim dies, uel beatitudinis retributio eſt æterna uel pœnæ. Tempus uero mortis habet interim unũquenq; ſuis legibus,dum ad iudiciũ unumquenq; aut Abrahã reſeruat aut pœna, & iccirco copioſum hunc ſacramentis cœleſtibus pſalmũ ſic propheta concluſit: Beati omnes qui confidunt in eum.)Non trepidam ſpem, neq; ambiguã perfectio beatitudinis exegit. Confidentia ad id opus eſt firmæ opinionis ſcilicet, & indemutabili uoluntate, quia plus ſit confidere quàm ſperare. Confidendũ ergo eſt ne nos à uia recta exardeſcẽs breui ira dei deperdat. Fidelis enim eſt qui ait: Qui credit in me,nõ iudicabitur,ſed trãſiet de morte ad uitã, dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum.

In finem intellectus Dauid cum uenit ad eum Doech Idumæus, & nunciauit Sauli: uenit Dauid ad domum Abimelech. Pſal. LI.



VPerſcriptio pſalmi ſolicitã expetendæ intelligentiæ poſtulat diligentiam. Eſt enim in exordio eius ſtatim poſitũ,in finem intellectus. Hiſtoriam nõ ſui temporis pſalmus cõtinere oſtenditur,cui præſcriptio tituli in finem eſt. Et cum in finem intelligentia ſit,non poteſt in eo alicuius alterius magis rei intelligentia eſſe quàm finis. Finis autem eſt,ut frequẽter oſtendimus,quo cõcluduntur omnia,cuius cauſa cętera ſunt, ad quem uniuerſa ſpei,rerum,negociorũ opera feſtinãt. Intelligentia ergo pſalmi in eo conſiſtit,ob quem ſunt omnia,extra quem nihil eſt. Et quis iſte ſit,ſuperſcriptio ipſa quæ continere hiſtoriã exiſtimatur oſtendit. Eſt enim talis: In finem intel

lectus illi Dauid,cum uenit Doech Idumæus, & annunciauit Sauli,& dixit ei: Venit Dauid in domũ Achimelech. Atq; ut absolutius rationem superscriptionis consequi possimus, ipse rerum gestarum ordo subdendus est. Doech præpositus erat mulorum Saul,qui ad Saul ait: Vidi filium Iesse uenientẽ in Nobæ ad Abimelech filium Achitob, & interrogauit eum in domo,& manducare dedit illi,& gladium Goliæ alienígenæ dedit ei. Quibus auditis, rex potestatem Doech sacerdotum & ciuitatis dedit. Dehinc scriptura subiecit: Et circumiuit,inquit,Doech Idumæus, & tetigit sacerdotes, & mortificauit in die illa octogínta & quínq;, omnes ferẽtes Ephod,& Nobæ ciuitatẽ sacerdoti deiecit in ore gladíj. Hæc itaq; omnis gestorũ series est,de qua tantum ad psalmi titulum præsumptum est, quantũ & sacramentó psalmi, & propheticæ satisfaceret doctrinæ. Id enim solum in superscriptione est, cũ inquit: Venit Doech,& annũciauit Saul & dixit: Quia uenit Dauid in domum Abimelech. Et necessario post quinquagesimũ psalmũ,in quo peccatorũ remissio secundum sanctificati huius,quem in exordio psalmorũ docuímus, numeri uirtutem cõtínetur. Psalmus íste tẽpore anterior,ordine posterior collocatur,ut id quod in finem intellectus perscribitur, perfectis undiq; & absolutis sacramentorũ generibus posset intelligi. Achimelech interpretatione uerbi fratris mei imperũ significat. Quod enim nobíscũ fratris mei imperiũ dicímus, id Hebræi Achimelech nuncupant. Cum ergo Sauli dicitur: Venit Dauid in domum Achimelech,illi inimico Dauid nunciatur, quod domũ ingressus sit fratris imperij. Domus aũt imperij fratris quę sit, Petrus apostolus docet,dicens: Et uos quasi lapides uiui ædificamini in domos spíritales ad sacerdotiũ sanctum. Et infra: Vos autẽ genus electum,regale sacerdotiũ,genus sanctum,plebs ad possidendũ. In hanc igitur spíritalem domum ædificandi in regale genus sumus,si per spíritalem corporũ ędificationẽ cõformes deo facti,genus perfici regale mereamur. Hanc ergo Achimelech domum, id est, domũ fraterni regni Dauid ille uerus,sanctus ac iustus oriens ingressus est, factus scílicet nostri corporis homo,quę domus fratris mei regnũ est,quia in eiusdem corporis gloria cohæredes sumus regni eius,ipso dicẽte: Venite benedicti patris mei, possidete præparatũ uobis regnũ à cõstitutione mũdi. Quòd aũt fratres eius sint, quorum domũ regiã fuerit ingressus, per prophetã testatur in psalmo dicens, Annunciabo nomen tuũ fratríbus meis,in medio ecclesiæ laudabo te. Concessa ergo secundum præcedentẽ psalmum peccatorũ remissione,& uerbum caro factum habitat in nobis, qui & fratres, & domus spíritalis,& regale genus sumus. Populus autem ímpius,& parricidalis, & proditor, qui in Doech persona significatur, regi suo,inímico scílicet Dauid,prodit quòd in domo Achimelech sit,& hoc fit cum Pilato traditur,cũ homo crucifigẽdus offertur,cũ repudiato rege regẽ suũ Cæsarem confitetur,prodens quidẽ eum in domo esse Achimelech,sed non intelligens eum in domo esse imperij fraterni, corpus scílicet in quo sanctorũ ecclesia, quæ corpus est Christi,conformis conregnabit,ingressum,in qua & desideratũ sibi cibum sumpserit. Desiderio enim manducare pascha desiderauit,& ex qua Goliæ,id est,diaboli arma sustulert. Fortis enim spolia ipse diripuit,post quod ab hoc eodem Doech, id est, populo proditore apostoli occísi, ecclesiæ suberuersæ sunt. Hic ergo titulus psalmi,in finẽ intellectus, quia in Christo, qui Dauid oriens iustus rex & æternus & pastor est,totius spei nostræ cõsummatio,& legis finis intelligitur esse,qui & secundum psalmi titulũ & ordinẽ in ea corporis sui domo proditus est,quæ ei fraterni domus significat esse imperij. Quid gloriatur in malicia potens iniquitate tota die?) Querelã facit propheta, gloriari eũ in iniquitate tota die,qui in malicia potens sit. Et hęc quidẽ gloria iniquitatis arguitur. Cæterũ est gloria & expetenda,& confitenda,& affectu quodã exultantis gaudij eloqueda,quod utrunq; sub ijsdem dictis

Argumẽtum psalmi.

In finem quid sibi uelit

dictis alius propheta demõstrat, dicens: Non glorietur sapiẽs in sapientia sua, neq; fortis in fortitudine sua, neq; diues in diuitijs suis, sed qui gloriatur, in domo glorietur. Vetitis enim primũ improbabilis gloriæ causis; causam rursum gloriæ competentis ostendit, quo exemplo Apostolus scit, in nullo sibi, nisi in uno tantũ gloriandum, cum ait: Mihi autẽ absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Non ergo gloria istiusmodi, sed gloria iniquitatis offendit, & eius iniquitatis, quæ die tota sit. Diem pro ætate uel tempore hominis nuncupare solere meminimus, cũ dicitur: Diem hominis nõ concupiui. Vel rursum cum Abraham diem domini desiderauit: uel cum Apostolus satanæ tradit in interitũ carnis, ut spiritus saluus sit in diem domini. Nõ hunc diem ortu solis occasuq; finitũ, sed diem cõstituti temporis uel ætatis ostendens. Potens ergo in malicia gloriatur in iniquitate tota die. Sed absolute intelligitur in Doech personа rationẽ querelæ huius non conuenire. Quid enim potentiæ habebat mulorum custos, & ius in animalia uectionis regiæ sortitus, ut tantũ nuncians Dauid domũ Achimelech ingressum? Nunquid tota die in iniquitate gloriatur? Verum sub persona eius populus, cui omnis in iniquitate ætas fuit, cui ex potentatu maliciæ gloria iniquitatis ipsius abundauit, significari intelligẽdus est. Potẽs enim fuit cum seruus uisitabatur à domino, cũ propter eũ tot plagis percussa est Aegyptus, cum in trium dierũ tenebris tenebras ipsas lumine secum manente non sensit, cum Aegyptum ipsa in argento & omni ornatu dispoliatam cladi suæ reliquit, cum secundum diei noctisq; tẽpora columna nunc nubila, nũc ignea usus est, cũ rubrum mare pede transiuit, cum angelorũ cibo uixit, cum maiestatẽ descendentis ad montem dei uidit, cum uocem de nube loquentis audiuit, cum regna multis bellis grauibus euertit, cum Iordanẽ refluentẽ ut sibi areret spectauit, cũ prophetas habuit, cum sacerdotibus ad emundationem peccatorũ, & redemptionẽ animæ suæ usus est, cum obtinere regnũ suum meruit. Sed in his omnibus cũ potens esset, tamen in malicia sua potens semper fuit, cũ cepas & allia Aegypti, & cum carnes desideraret, cum ob uitiorũ consuetudinem seruitutẽ impiam libertati piæ prętulit, cum uitulum adorauit, Mosi maledixit, deum abominatus est, filios suos dæmonũ hostijs uouit, prophetas occidit, ipsum quoq; deum ac dominum suum sui causa natũ hominem, proditum prætori in crucem sustulit. Ac sic toto uitæ suæ die in iniquitate glorians cum potens esset, potens tamẽ in malicia permansit. Post hanc ergo de eo prophetici doloris querelam, iam in ipsum sermo conuertitur: Iniusticiam cogitauit lingua tua. Linguæ humanæ officiũ est, ut naturali impulsa ratione, motu uario, eodemq; moderato uocẽ in uerba distinguat, extetq; per eam ex cõfuso erumpentis spiritus sono dissonans ad rerum intelligentiã sermo. Et quamuis quidem hic eius ad id efficiendũ rationabilis motus sit, tamen ipsa subdita potius esse rationi intelligitur, quàm sensu rationis intelligẽs est. Quod uero caret sensu intelligẽtiæ, caret & rationis instinctu: quicquid aũt caret rationis instinctu, caret & meditatione cõsilij. Et quomodo recte à propheta dictũ intelligitur, linguã iniusticiam cogitare, cũ cogitatio ex rationabili sensu animę uiuentis ineat? Lingua uero non ad naturã rationis ineundæ, sed ad ministeriũ naturæ sit rationabilis instituta, sed dicti huius perfecti & prophetici autoritatẽ & alius propheta demonstrat, dicens: In ore stultorũ cor eorũ est, quia nihil ex rationis cõsilio tractantes, & cordis meditatione pendentes, temerario tantũ motu linguæ inconsultæ res fortuitas & incondidas eloquantur. Atq; ideo in ore stultorũ cor eorum est, quia nõ quod cogitauerint loquentur, sed quod loquuti fuerint cogitabunt. Et hoc quidem de lingua stulti: at uero de lingua sapientis ita legimus: Lingua intelligentis meditabitur sapientiam. Et rursum: Lingua mea calamus scribæ uelociter scribentis. Quia intelligen-

Doech mulio Saulis

tis lingua ex meditatione ſapientiæ ſit,& eadē rurſum tanq̄ calamus ſcribentis,nihil incompoſitū,nihil incertum agat:ſed his quæ aut cogitata aut lecta fuerint,obtemperās celeriter ex ratione conſilij obſecundet.Et quia ex ratione naturæ cogitatis potius famuletur lingua q̄ cogitet,hæc lingua quæ iniuſticiā cogitauit,nō naturæ ſuæ uſa docetur eſſe officijs. Sequitur enim: Sicut nouacula acuta feciſti dolum.Nouacula ad nitorē uultus acuitur,ut abradens hirſutā atq̄ horrentē faciem leuiget:hęc ſi potius uulneret,dolum fecit:quippe cū prępărata ad ornatū miniſterium ſuū prębuerit ad uulnus.Lingua hæc ergo huius in malicia potentis iniquitatem cogitās dolum fecit,id eſt, quā natura ad eloquēdas rationabiles cogitationes conſulti cordis præparauerat,ipſa potius irrationabiles cogitat iniquitates. Populus enim qui in Doech ſignificari intelligēdus eſt,ad magnificandū dei nomen electus,& ad celebrandas laudes ipſius prępărātus,hunc inhonorat,hunc tradit,hunc quantū in ſe eſt,morte crucis perimit,& hoc linguæ ſuæ nouacula per quā clamauit,crucifige,crucifige,cōſummat.Dolum itaq̄ tanq̄ nouacula acuta & iniquitatem cogitans fecit hæc lingua,& cuiuſmodi dolum,cōſequentia docent. Sequitur enim:Dilexiſti maliciā ſuper benignitatē,iniquitatē ſuper q̄ loqui iuſticiam.Doli huius crimē ex cōparatione fit grauius,cū malicia diligit, bonitate neglecta: cum iniquitas agitur,prætermiſſo ſermone iuſticię.Hunc propenſe in maliciā dilectionis affectum dominus in euangelijs condemnat,dicens:Hoc eſt autē iudiciū, quia lux uenit in hunc mundū,& dilexerūt homines magis tenebras q̄ lucem.Populus itaq̄ cui ad redemptionē peccatorū uerbum caro factū eſt,& deus homo natus eſt, ut per fidei iuſtificationē maledicto legis liber eſſet,dum in tranſgreſſione legis maluit ſeruire maledicto,ipſum illum deum ſuum tradidit pœnam ſanguinis eius ut prætor eſſet innocens,in ſe ipſe ſuſcipiēs. Et hæc agens demutat naturę cōſuetudinem.Maliciā enim diligit ſuper benignitatē, & ex bonis amorē conuertit in peſſima.Diligere quoq̄ iniuſticiā,ſuper quam iuſticiā loqui maluit. Tenuit uero ſecundum Iudaicā conſuetudinē propheticus ſermo in ipſa ſermonū uirtute orationē, cum ait:Dilexiſti maliciā ſuper benignitatē,iniuſticiā ſuper q̄ loqui iuſticiā. Nam ubi ait:Dilexiſti maliciā ſuper benignitatē,nihil ultra q̄ dilectionem ipſam ex comparatione cōdemnat. Vbi uero ait:Iniuſticiā ſuper q̄ loqui iuſticiam, ibi coarguit non iam prælati amoris affectū,ſed ipſum illud odium in loquendo dicens: Super quàm loqui iuſticiā.Poſſunt enim & ſolent Iudęi,licet non ament bonitatē,tamen eam uel loquendo ſimulare.At uero qui de domino noſtro Ieſu Chriſto, qui ſecundum beatū apoſtolū Paulum factus eſt nobis iuſticia,& ſanctificatio, & redēptio, loqui nullo modo poſſunt,non cōtinentur ad aliquam ſermonis ſapientiā,ſi quando ex prophetícis autoritatibus obtēditur à nobis unigenitus deus,qui ante ſecula natus eſt in homine,& paſſus,& crucifixus,& mortuus. Tum enim omne de eo eloquiū euitāt & fugiūt,& ſi diſcedendi quoquā locus nullus ſit, ui quadā taciti doloris oppreſſi,aures manibus obſtruūt,& auditū ne in ſe penetret excludunt,bonitatem quidem tantum nō amantes,interdum tamen eam loquentes, cæterū iuſticiam nec diligētes,quæ Chriſtus eſt,nec loquentes.Interceſſio diapſalmę,& ſi perſonæ non attulerit conuerſionē,tamen ſenſus feciſſe intelligitur demutationē. Nam cum & eius cuius antea,& ad eum ad quem antea ſermo fit,idem tamen ſermo aliud nunc quàm ante ſignificat.Et quidem ſuperiora querelis grauia fuerūt,adeo ut ex prophetiæ dolore anteq̄ edicerentur increpita ſint, cū iniuſticiā lingua cogitat, cum tanq̄ nouacula acuta dolum efficit,cū malicia ſuper bonitatē diligitur, & iniuſticiæ ſuper iuſticiā eloquiū eſt.Propterea q̄ quædā quaſi prophetæ accuſatio apud deū præmiſſa eſt arguentis,cū dicitur: Quid gloriatur in malicia potens in iniquitate tota die; Et ne inanis querelæ dolor repetiretur,ipſa querelę cauſa ſubiecta eſt:Hunc

Sic opinor iuxta uulgi conſuetudinē utitur hac uoce diapſalma, quemadmodum Auguſtinus ptulit aliquoties baptiſmū in neutro genere

eſt:Hunc uero intercedente diapſalmate nō præceſſit querela, ſed demonſtrata an te cauſa peccati grauiſſima,tum hæc damnationis eſt ſubiecta ſententia: Dilexiſti omnia uerba præcipitationis,linguā doloſam,propterea deſtruet te deus in finem, euellat & emigret te de tabernaculo tuo, & radicē tuam de terra uiuentiū, exēplo quo in Geneſi dictū legimus his uerbis: Quia feciſti hoc,maledictus tu à terra. Et rurſum: Quia audiſti uocem mulieris tuæ. Sed & ab Apoſtolo cū grauiſſima humanę impietatis crimina percēſuiſſet,ita dictū:Propter hoc tradidit eos in ſenſum reprobum. Ita eſt nunc:Dilexiſti uerba præcipitationis,linguā doloſam,propterea deus deſtruet te in finem. Verbi uirtutē Latinus ſermo nō tenuit:quæ enim nobiſcum uerba præcipitationis ſunt, ea à Græcis ῥήματα καταποντισμοῦ cōmemorata ſunt, quo dicto ſignificatur id quod nobiſcū præcipitatio eſt, cū illis eſſe dimerſio in profundū maris. Poteſt aūt nobiſcū ſecundum generalem ſenſum præcipitatio non in mari tantū, ſed ex editis aut ædium,aut rupium,aut quoruncūq; generum locis decidentiū caſus intelligi. Ergo ſecundum demonſtratā præcipitationis ratione, quia uerba præcipitationis Doech dilexerit, ſeueriſſima damnatione ſubiectus eſt. Omnis etenim anima infidelis in ſeculi huius tanq̄ maris profundo naufraga,incerto motu uagoq; differt,& diuerſarū cupiditatū æſtu mobilis fluctuat,poteſtate diaboli ſeculū incolentis illiſa,& nulla ad reſiſtendū obnitendumq; ei ſubiectę ſoliditatis firmitate cōſiſtit, ex quo facile eſt, incētiuis circumagentiū cupiditatum pendulam uagamq; iactari. Quòd aūt ſeculi huius motus atq; fluctus undantis maris ſit æſtibus cōparatus, qui dominantis ſit diaboli incolatus, ſecundū propheticam & allegoricā intelligentiā, pſalmus centeſimus tertius ſub corporali tamen creaturarū ſignificatione demōſtrat: Hoc mare magnū & ſpacioſum,illic ſerpentes,quorū nō eſt numerus. Animalia puſilla & magna,illic naues pertrāſibunt. Draco iſte quem formaſti ad illudendū ei. Et rurſum in pſalmo nonageſimonono: Veni in altitudinē maris,et tēpeſtas demerſit me. Vnigenitus itaq; dei filius,& dei uerbum,& deus uerbū,ad eruendos nos ex alto in profundū ſeculi huius naufragium deſcendit,doctrinę ſuæ rete,cui regnū cœlorū ſimile eſt,hæc uniuerſa piſcium genera extracturus,ab impio populo proditur & inhonorat̄,ſeſeq; populo confirmato ad illudendū draconē ſocium ipſe demergit, & in hoc ſe profundū ad incolatus eius conſortiū præcipitat. Sic & incredulus Moſi Aegyptiorū populus pręcipitari demergiq; meruit,& impie agentē refuſi in ſe maris fluctus abſorbuit præcipitationis uerba tum cum deo obſtitit diligentē. Quia ergo Iudęæ populus incredulus,& regem ſuū prodens,uerba pręcipitij dilexit,dicens:Regē nō habeo,niſi Cæſarem:deo rege neglecto,& rege homine cōfeſſo in hoc ſe ſeculi profundū ipſe demerſit,ideo in finem deſtruitur. Vſq; in cōſummationē enim ſeculi regnū deſtructæ ciuitatis amiſit,& de tabernaculo euulſus & tranſmigratus eſt, uagus nunc in toto orbe terrarū,& ubiq; peregrinus,cōſummatis omnibus ſuis in domini paſſione peccatis. Quia præcipitationis uerba dilexit, tabernaculo illo caret in quo prophęta ſemper dei ſpiritu plenus fuit,in quo ſanctarū uirtutū tremēdę cōtemplationes & ſalutares uiſiones extiterunt, in quo hoſtiarū ad redemptionē animæ utiles oblationes,in quo paſchę agnus in clade Aegyptij fideliū cuſtos, & in liminū ſanguine poſtis ſignū,in quo æmulæ æternorū temporū temporariæ feſtiuitates. Ab hoc itaq; tabernaculo euulſi, his ſpiritalium donorū honoribus carent. Euulſi aūt ſunt nō ex hoc terreno tantū habitaculo, ſed ex illo de quo dictum eſt:Eleuabo tabernaculū Dauid quod cecidit,ſanctum illud ſcilicet & uenerabile nati ex uirgine dei corpus & tēplum,in quo qui crediderit,tanq; conſors dominicæ carnis habitabit. Omnis aūt infidelis à cognatione hac nō crediti corporis,id eſt,dei tabernaculo euelletur & emigrabit̄,ſpiritalis huius tabernaculi indignus habitaculo,quod ſi

gnificare dominus intelligĩ,cũ ait:Ego ſum uitis uera,uos eſtis propagines,pater meus agricola eſt. Omnis propago in me nõ manens,neq; ferens fructũ,eradicabitur.Et omnem propaginem in me manentẽ emundabit pater meus,ut fructũ ampliorẽ ferat. Si qui igitur per fidem corporati dei manere in natura aſſumpti à deo corporis merebuntur,hi emundantur in fructus æternos ex ſe afferendos,quia neceſſe eſt,ut naturã ueræ uitis propago intra uitem manens teneat. At uero qui incredulus nati in corpore dei fuerit, ſi & credens maneat,fructibus tamen fidei ſuæ careat,eradicabitur,aut ob infidelitatẽ, aut ob inutilitatẽ fructuum necatorũ. Natus enim ex uirgine dei filius,non tum primũ dei filius eſt,cũ filius hominis:ſed in filio dei & filius hominis,ut filius hominis eſſet dei filius,naturã in ſe uniuerſæ carnis aſſumpſit,per quã effectus uera uitis genus in ſe uniuerſæ propaginis tenet.Si qua ergo propago infidelis aut in fructuoſa eſt,eradicandã ipſa ſe prębet,per naturam quidem manẽs,ſed per infidelitatẽ ac inutilitatẽ euellĩ. Ex hoc ergo tabernaculo tanq; ex uera uite hic impius Doech & euellitur & emigratur,manens per naturam & in tabernaculo & in uite, ſed per infidelitatẽ dignus auelli. Auulſus aũt de tabernaculo,eradicabĩ & de uiuentiũ terra. Qui enim nõ manebit in Chriſto, regni Chriſti incola non erit. Non erit aũt,non quòd ſibi homo patuerit incolatus (uniuerſis enim patet ut conſortes ſint corporis dei atq; regni, quia uerbũ caro factum eſt,& habitauit in nobis,naturã ſcilicet in ſe totius humani generis aſſumẽs) ſed unuſquiſq; pro merito & euellendũ ſe de tabernaculo, & eradicandũ de terra uiuentium præbet,nõ prohibitus unq; ineſſe,quia per naturæ aſſumptionẽ incola ſit receptus, ſed eradicatur ob infidelitatis crimen, naturæ conſortio indignus exiſtens.Eradicatur ergo de uiuentiũ terra,quę in beata regione ſanctis domino conregnantibus præparatur,cuius ipſe in euangelio meminit,dicens:Beati manſueti, quoniã ipſi hæreditabunt terrã.Et hic idem propheta:Et placebo deo in regione uiuentiũ.A qua proditor populus eradicari meruit, poſtq; deſtructus in finẽ à tabernaculo & emigratus eſt & auulſus. Viuorũ aũt iccirco terra eſt,quia omnis fidelis in domino licet mortuus ſit,deo tamen uiuit,ut dictũ eſt:Ego ſum deus Abraham, & deus Iſaac,& deus Iacob.Non eſt deus mortuorũ,ſed uiuorũ. Et rurſum per Iacob: Viuat Ruben,& nõ moriatur.Et illud: Iſmahel hic uiuat in cõſpectu tuo.Sed & illud Apoſtoli,ſi ita tamẽ legenti uidebitur,quia duplicẽ ſenſus ſignificationem habet:Et nos qui uiuimus,qui reſidui erimus,rapiemur cũ nubibus obuiã domino in aẽra,& ſic ſemper cũ domino erimus.Interceptio quidem corporis affert temporarium mortis occaſum,ſed lex cõſtituta moriendi, legem non adimit reſurgendi. Quia decernenti legem,lex nõ affert neceſſitatẽ:neq; ſibi deus ius uindicandi ademit,legem nobis decernendo moriendi.Mors aũt in eos tantũ,in quos decreta legi time eſt. Viuunt aũt deo omnes,ex cuius lege ſunt mortui.Neq; mors quę nõ niſi per legem decernentis inualuit,poteſt per ſe in his inualeſcere, ne per decernẽtem renouandæ uitę legem demutabilis ſit lege uiuendi,cũ decernentis poteſtas conſtitutam ab exordio in Adam ſub cõditione decreti uita legis demutauerit legẽ moriendi,uiuũt itaq; ſancti quiq; & fideles deo.Nam cũ ſe deum eorũ qui mortui fuerant,id eſt,Abrahæ,Iſaac,& Iacob eſſe dicat,& cõtinuo teſtetur,non mortuorũ ſe, ſed uiuorũ deum eſſe,docet per id eos qui iudicio humanę opinionis mortui exiſtimentur,ſibi legẽ decernenti nõ mortuos eſſe,ſed uiuos.Interceſſio diapſalmæ,& ſi non perſonã,ſenſum tamẽ innouauit.Nam poſt prænunciatã Doech dãnationem, ad quem tanq; ad præſentẽ fuit ſermo, nunc ad alterius expoſitionis ſignificationem ſe retulit prophetia: Videbunt iuſti & timebũt,& ridebunt ſuper eum, & dicent:Ecce homo qui nõ poſuit deum adiutorẽ ſuum,ſed ſperauit in multitudine diuitiarũ ſuarũ,prævaluit in uanitate ſua.)Deſtructo Doech in finem,& euulſo de tabernaculo

bernaculo atq; emigrato, & de terra uiuentiũ eradicato, ſancti quiq; neceſſe eſt me
tuant, cum uideant tot tantisq; diuinæ miſericordiæ auxilijs populum adiutũ atq;
uſum, poſt ingentem illam & ultra humanas opes glorioſi regni dignitatem, maxi
mum de ſe ac ultimũ humanæ calamitatis exemplũ prębuiſſe. Quis enim memo
ria recẽſeat antiquas gloriæ eius & innumeras beatitudines, quas ſuperius pro par
te memorauimus, cum poſt Aegypti funera, itineri eorũ diuiſum mare ceſſit, cum
ardorẽ diei nubis columna inumbrauit, cum noctis tenebras ignis columna diſcuſ
ſit, cum cibum cœli per angelos prębuit, cum fontem petra fluxit, cum Iordanis re
fluxit, cũ ciuitas maxima ad ſolum arcæ teſtamẽti circuitũ concidit, cum ſol decur
ſu ſuo inhibitus diem diſtulit, & diuinæ legis ordo ex illo elementorũ cœleſtium
indefeſſo imperturbatoq; motu ad belli morã reſtitit, poſt illam deinde diuinæ ma
ieſtatis conſpectus, auditus familiaritatem, conſumptos eos bellis, fame emor- *Iudei quàm re*
tuos, & antea mortuorũ cadaueribus ad mortem famis paſtos, reliquos deinde in *iecti*
ſeruitutẽ redactos, exules eſſe, ubiq; degeneres, nuſq; cognitos, ſemper nouos, &
demutatione incolatus ſemper ignobiles, ſemper alienos? Iam ſi ſpiritales quis ocu
los erigat, de quibus dominus ait: Eleuate oculos ueſtros, & uidete regiones, quia
albæ ſunt ad meſſem, tum ſciat auulſos eſſe ex cõſortio corporis dei, ex illo beatitu
dinis regno, ex illo reſurrectionis honore, & eſſe ſine dei ſpiritu, ſine intelligentia
prophetiæ, cõſtitutosq; gehennæ pabulũ, quos immortalis uermis exeſos uſturus
ſit, & inextinguibilis ignis crematurus, quorũ ſunt legislationes, quorũ teſtamen
ta, quorũ patres, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia deus.
Quanto ergo has damnationes eorum & præſentis & æternæ calamitatis, ſancti
quiq; metu cõtuebuntur, quia punitorũ contemplatio ſit terribilis exemplo. Vide
bunt ergo iuſti & timebunt, nihil nõ ſibi metuendũ in tanta horum calamitate in
telligentes. Sed quia iuſti ſunt, licet timeant de exẽplo, tamen de fructu propriæ iu
ſtitiæ gaudebunt. Ridebũt enim ſuper eum. Ridentes igitur & timentes, quia deo
ſubditi ſunt, punitorũ ſeueritate terribili. Tẽperat ergo metũ riſus, dum & metus
de exemplo, & riſus ex merito eſt. Moderatur autẽ rurſum metus riſum, dum ita
gaudebũt in bonis, ne deſit terror exempli: quia impiæ & diffidentis de ſe cõſcien
tiæ eſt, timere ſine gaudio: & inſolentis naturæ eſt, ſine timore gaudere. Sed qui ti
mentes ridebunt, id quoq; adijcient ad hunc moderatũ in timore riſum, ut dicant:
Ecce homo qui non poſuit deum adiutorẽ ſuũ.) Stultitiæ atq; impietatis extre
mæ eſt, non intelligere ſe ſub deo, & ex deo uiuere, ſed in his quæ gerit & expectat
ſua magis uelle cõfidere poteſtate, cũ ſi quid illud in ſe ſit, ex deo ſit. Ad deũ itaq;
ſpes omnis noſtra ſit, & confeſſio omnis in deo ſit, exemplo prophetę dicentis: Do
mine adiutor meus, & redemptor meus. Et rurſum: Leuaui oculos meos in mon
tes, unde ueniet adiutoriũ mihi. Auxiliũ meum à domino, qui fecit cœlum & ter
ram. Metuamus itaq; ſemper, ne quando æternus ille nos ignis exurat, & uermis
immortalis abſumat, cum audiamus quid iuſti timentes ridentesq; dicant: Ecce
homo qui non poſuit deum adiutorẽ ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum
ſuarum. Diuites quoſdã inſolentes præſtat opulentia, & maxime timorẽ dei diui
tiarum fiducia inanis auertit. Stulti non intelligentes hæc, ſe magis religioſos opor
tere eſſe quòd diuites ſunt, quia gratiam referre largitori bonorum ſibi deſiderabi
lium cõueniat, & hoc magis inexcuſabilis auaritiæ ſit reatus, quia auaritiæ neceſſi
tatem non excuſet opulentia. Iam uero quàm infelix fiducia eſt rei inanis, deum
contemnere habendo aurum, quaſi aurum nõ ex dei ſit creaturis, aut aliquem per
id iudicio ſanæ mentis beatæ uitæ acquirat profectum, quòd ſibi aurum iaceat
ſuffoſſum, & hinc fiant generoſioris animæ & corporis, homoq; alius poſſit eſſe
quàm natus eſt: aut cũ uita excedat, auro ſuo ſit uſurus in morte. Vtetur planè, ſi

eo re-

eo recte utitur in uita,si esurientẽ pane suo aluerit,si nudum uestie sua texerit, aut ægrum sumptu suo refouerit, aut captiuũ libertati suæ redemerit. Hæ sunt plane ambitiosæ apud deum humani thesauri legationes, hæc potentia deprecandorum criminũ & uera suffragia. Sic auro demutamur,ut ex terrenis cœlestes, & ex mortalibus simus æterni. Hæc infidelis ille populus non cogitans,& dei mandata contemnens, putansq; se per legem, quæ futurorũ bonorum umbra est, esse diuitem, & adeptis diuitijs male usus,ex uiuentium terra & tabernaculo eradicatus & emigratus,auulsus est,præpotentem se in uanitatibus credens, in regni scilicet sui gloria,in templi auro,in mandatis hominum,secundum prophetam dicentẽ:Sine causa colunt me,docentes doctrinas & præcepta hominũ diligentes,contumelioſa humanæ cõsuetudinis obseruatione mutata. Propheta aũt,quem necesse est iustum esse, intelligi aliter de se fiducia spei suæ,loquitur: Ego aũt sicut oliua fructifera in domo dei,speraui in misericordia dei in æternũ & in seculũ seculi. Differt quidem tempore ætas hominum, sed prophetiæ spiritus idem est. Propheta manere se in
Oliua domo dei sicut oliuam fructiferam dicit,arborem semper uirentem,& fructus optimi feracẽ. Apostolus huic oleæ præfractis ob infidelitatẽ eius ramis,fideles gentes ex ignobili oleastro esse insitas prædicat, ut contra naturam generis, naturam radicis acciperẽt. Sed propheta in lege licet manens,euangelicus tamen & propheta simul, & in lege & in euangelijs cum fructu suo in domo dei esse persistit, non perfringendus in ramis,non relinquendus in truncũ,non inutilis iam ipse inserendo sibi præbendus oleastro,nec radicis suę uirtutẽ arbori trãsfusurus alienæ,sed totus integer ut est fidei apostolicæ prædicator, nõ ex gentibus radici legis ad fidem euangelicã inserendus,sed etiam in gentiũ euangelica fide propriæ radicis suæ ramorumq; uirtute tutus ipse ex legis pingui cõscientia fructuosus. Est autẽ dei domus secundum apostolũ Petrum ecclesia, & omnes fidei euangelicæ sectatores,sicut ait:Aedificamini domus spirituales,regnum sacerdotale. Et Paulus: Vt scias quemadmodũ te oporteat in domo dei conuersari,columna & firmamentũ ueritatis,quæ est ecclesia dei uiuentis. In hac igitur dei domo iustus & sanctus propheta tanquã fructifera oliua cõsistens,proprie sua usus fructuosa pinguiq; radice,sperauit in misericordia dei, non ad tempus, non in huius corporalis tantum uitæ breui seculo,sed in seculum seculi. Extendit enim spes suas ad infinitã perennitatis ætatem nec concluditur mortis occasu,quin sciat sibi in Abrahæ finibus exemplo pauperis Lazari esse uiuendũ,sciat quoq; glorioſæ resurrectionis demutatione coęternum se & conformem deo esse mansurũ. Mansurum autem ob id quod sequitur:

Confitebor tibi in seculũ,quia tu feciſti,& expectabo nomẽ tuum, quoniam bonum ante cõspectum sanctorũ tuorũ.) Spes in misericordia dei in seculum & in seculum seculi est. Nõ enim ipsa illa iusticiæ opera sufficiẽt ad perfectę beatitudinis meritũ,nisi misericordia dei etiam in hac iusticię uoluntate humanarũ demutationum & motuum uitia non reputet. Hinc illud prophetæ dictum est:Melior est misericordia tua super uitam. Quia quamuis probabilis per iusticiæ operationẽ uita iustorum sit,tamen per misericordiã dei plus meriti cõsequetur. Ex hac enim uita in uitam proficit æternam, & operationem iusticiæ. In tantum misericordia dei muneratur,ut miserans iusticiæ uoluntatem,æternitatis quoq; suæ iustum quenque tribuat esse participem. Idcirco in seculum & in seculum seculi misericordiæ spes est, sed confessio tantum in seculo, non etiam in seculum seculi. Non enim confessio peccatorum nisi in huius seculi tempore est, dum uoluntati suæ unusquisq; permissus est,& per uitæ licentiam habet confessionis arbitrium. Decidentes nanq; de uita,simul & de iure decidimus uolũtatis. Tunc enim ex merito præteritæ uoluntatis lex iam constituta,aut quietis, aut pœnæ excidentium ex corpo

re suscipit

re ſuſcipit uoluntatem. Cuius temporis non iam liberam, ſed neceſſariam uolun-
tatem oſtendit propheta, dicens: Non eſt mihi in diebus illis uoluntas. Ceſſante
enim uoluntate libertatis, etiam uoluntatis, ſi qua erit, ceſſabit effectus. Tranſire
nanq; ad Abrahã uolens diues, chaos medio nõ finitur, cum tamen per libertatem
uoluntatis in Abrahę finibus eſſe potuiſſet. Intercluſa eſt ergo libertas uoluntatis,
quia confeſſio nulla ſit mortuis, ſecundum id quod dictum eſt: In inferno autem
quis confitebitur tibi? Sperans ergo propheta miſericordiam in ſeculo, & in ſecu-
lum ſeculi, confitetur tantum in ſeculo temporalia, confeſſionis officia ſeculi tem-
pore gerens, ſpem uero æternam ſeculorum æternitate protendens. Confeſſionis
autem cauſam addit, dicens: Quia feciſti, autorẽ ſcilicet uniuerſitatis huius domi-
num eſſe confeſſus, nulli alij docens confitendum, quàm qui fecit oliuam fructife-
ram ſpei, miſericordia in ſeculum ſeculi. Et quis hic ſit qui fecit iſta, demonſtrat, di
cens: Et expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum
tuorum. Expectabit ergo dei nomen cui confitetur per quem facta ſunt omnia,
ut ait Paulus: Vnus enim deus pater, ex quo & nos in ipſo, & unus dominus no-
ſter Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Huius ergo nomen expe-
ctat, Ieſum ſcilicet uidere, id eſt, ſaluatorem ſuum noſſe, angelo dicente: Et cogno-
minabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluũ faciet populũ ſuum à peccatis eorum.
Chriſtum cõſpicere, ut per poſſeſſionẽ generoſę familiæ ſit Chriſtianus expectat.
Bonũ aũt hoc nomen eſt, quod angeli atq; archangeli adorant, quod dæmones tre
munt, & ferre nõ poſſunt, quod ad ſalutẽ homines aſſumũt, quia ſcriptũ eſt: Et om
nis qui inuocauerit nomẽ eius, hic ſaluus erit. Expectat aũt non occulte, non trepi-
dus, nõ ſolus, ſed in cõſpectu ſanctorũ eius, fide ſcilicet libera teſtimonio expecta-
tionis ſuæ: uel ſub temporũ cœleſtiũ conſcientia nõ recuſans, uel prophetiæ exem
plo ſanctis omnibus, qui in terra ſunt, in ſeipſo præbens expectationis exemplum.

Pſalmus LII. Dauid in finem pro Abimelech Intellectus Dauid.

DIxit ſtultus in corde ſuo, nõ eſt deus. Corrupti ſunt &c.) Prę ſens pſal
mus decimotertio pſalmo penè conueniens eſt. Sed habet in hac ip-
ſa uerborum ſimilitudine non exiguum intelligentiæ diſcrimen. Pri
mum uirtutem inſcriptionis ipſius. Nam decimuſtertius ita inſcribi-
tur: In finem illius Dauid. Quo titulo id ſignificatur, pſalmũ illum à
Dauid prophetatũ fuiſſe. Hic uero, In finem pro Abimelech intellectus illi Dauid. *Pro τῷ uer-*
Vbi enim eſt: In finem intellectus, adhortationis, & ammonitionis eſt ſignificatio, *tit illi*
qua iubemur ſecundũ finis cogitationẽ intelligentiæ noſtræ admouere iudicium,
ut ea in pſalmo denunciari intelligamus, quæ cõſummabuntur in finẽ, ſecundum
illud apoſtoli: Dehinc finis cum tradiderit regnũ deo patri, cum euacuabit omnem
principatũ, & poteſtatẽ, & uirtutem: tunc & ipſe ſubĳcietur ſubĳcienti ſibi omnia.
Nouiſſima aũt inimica euacuabitur mors. Hic ergo finis eſt, qui intelligitur in pſal
mo. Illud aũt quod: Illi Dauid, pſalmus inſcribitur, oſtẽditur omnis de Chriſto, qui *τῷ & Ϝ in*
Dauid uerus eſt, prophetari: quia ubi illius inſcribitur, ibi eum qui dixerit ſignifi- *tulo quid*
cat: ubi uero illi eſt, ibi eum ad quem dicatur, oſtendit. Dixit inſipiens in corde *differant*
ſuo, nõ eſt deus.) Vitĳ eſt humani, pudenda eloquia uerbis oris nõ audere cõmit-
ter e, ſed inſtinctu nequitiæ interioris urgente, ea intra cor eloqui, dum aduerſum
publici pudoris neceſſitatem uoluntatis iniquitate luctante, quod pudet dici, non
pudet cogitare. Et idcirco ſtultus in corde ſuo dicit, nõ eſt deus, quia ſi uelit uerbis
oris hoc eloqui, ſtultus eſſe ſicuti eſt, publici aſſenſus iudicio argueretẽ. Quis enim
mundum cõtuens, deum eſſe nõ ſentiat? Sed fit frequenter, ut nos cum ueri neceſſi
tas ad confeſſionẽ dei cogat, oblectatio tamen uitiorũ deum nobis non eſſe perſua
deat, &

deat, & quod contra fidem credimus, id tamen de cõsilio impĩj cordis eloquamur. Ex quo illud dei dictũ est per prophetã: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorũ longe est à me, quia nolũt credere, quod negare nõ possunt. Causam uero huius stultissimi in corde eloquij ostendit dicens: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. Iniquum est quicquid extra legem est. Et legem dei excedentes primũ corruptioni subditi sunt, dehinc abominationi: quia iniquitas corruptionem affert, corruptio autem abominationem meretur. Cum enim quis transgredietur dei legem, tum deum negabit, & eum negare corruptio est. Dominus enim noster ad debellandam corruptionẽ uerbum caro factum est. Oportet enim secundum apostolum, corruptionem uestiri incorruptione. Sed qui iniquus est, & qui uerbum deum carnem factum esse non credit, & quia deus non sit loquitur in corde, corruptus & abominabilis permanebit. Decimustertius psalmus pro eo, quod abominabiles facti sunt in iniquitate, ita ait: Abominabiles facti sunt in adinuentionibus suis. Nec differt sensus & crimẽ, quia homines ea quæ sibi sunt placita sectantes diuinæ legis cõstituta transgressi sunt. Consequitur deinde hæc que rela. Non est qui faciat bonitatem, non est usq; ad unum.) Versum hunc quia inferius etiã cum accessione subiectus est, suo loco tractabimus. Qui tamen nunc opportune & competenter adiectus est, corruptis omnibus & abominatis, nemi/nem in operibus repertũ esse bonitatis. Quia cum loqui quæ bona sunt aliquando soleamus, factis tamen ipsis difficile quæ bona sunt exequimur. Ac ne indiligens dei erga homines uoluntas esse existimaretur, adiecit dicens: Dominus de cœlo prospexit super filios hominum si est intelligens, aut requirens deum.) Prospectio domini de cœlo frequens fuisse cognoscitur, quoties peccatis humani generis commotus, salutis nostræ causa, aut Noë ante diluium eligit, aut Abraham iustificat per fidem, aut Isaac sponsionis suæ promittit hæredem, aut in Iacob posterioris populi primogenita præfigurat, aut Mosem prophetam & ducem præficit, & latorem legis instituit, aut dum prophetas in omni tẽpore legis inspirat. Per has igitur uirtutis suæ istiusmodi efficientias, ad filios hominũ prospexit ut uideret si quis esset intelligens & exquirens deum. Non est autem facile illud hoc, quod deus prospicere dignatur ut uideat, magnumq; illud est quod tam studiose, an in aliquo reperiri possit, inspicit. Prospicit enim e cœlo deus, ut uideat an se quisquam hominum intelligenter exquirat. Quotum enim quenq; hominum inuenies, qui secundum perfectam intelligentiam deum uelit exquirere? qui primum causas creaturarum, & dehinc constitutionem humani generis pertractans, per rationem intelligentiæ, autorem ac parentem tantæ uniuersitatis exquirat? dehinc cur mundus, cur homines, cur secula temporum, cur patriarcha electus, cur lex constituta, cur propheta præmissus, & in quem prospectum causarum omnium origo constiterit? Tum præterea quæ uirtutes cœlorum, & angelorum ministeria, & archangelorũ potestates, & diaboli regnum, & sancti spiritus donum, & deus ex deo unigenitus dei filius, profectum nobis tam uarijs officiorum generibus impartiantur? Hunc ergo exquirentem se per intelligentiam uirum deus uidere prospiciat. Est enim intelligentiæ non exiguum meritum. Salomone dicente: Intelligentia enim bona omnibus, qui inueniũt eam: & rursum per alium prophetam: O Israël, quid deus exquirit à te nisi facere iudicium & intelligere iusticiã? Proprium enim intelligentia humanæ rationis officium est, & idcirco nobis natura animæ spiritalis inserta est, ut per eam ad intelligentiæ sensum, qui solus rationis est particeps, tenderemus. Sed obruti uitijs, & per oblectamenta corporis natura corporeæ grauitatis oppressi declinamus nos à studio intelligentis exquisitionis. Declinamus autẽ postea quàm inutiles esse cœperimus, id enim propheticus sermo significat:

Omnes

Omnes declinauerunt ſimul,inutiles facti ſunt.) Non cũ declinãt inutiles fiunt, ſed cum inutiles cœperint eſſe,declinant.Et uirtutem dicti facile eſt ex conſuetudine humanæ demutationis intelligi. Nanq; cum ex bonis mali eſſe cœperimus, & ex prudentiũ familiaritate,& publicę famæ honeſtate, per uitia nos & dedecora ſecreuerimus,effecti per id inutiles,tum omnes probabilium uirorum declinamus occurſus,ſectantes deuia,& præſentium bonorum conſcientiæ noſtræ pudore uitamus.Denicq; Adam per peccatum inutilis factus,tum dei declinauit aduentum. Viuens autem aliquandiu innocens,& per mandatorũ obſeruantiam utilis, familiarem ſibi occurſum antea dei,ſimul atq; inutilis cœpit eſſe,defugit. Non repertis autem deum intelligenter exquirentibus, omnes ſimul atq; inutiles facti ſunt, declinantibus, ex affectus dolore iteratur querela dicentis: Non eſt qui faciat bonitatem,non eſt uſq; ad unum.) Grauis dei profeſſio eſt,& indiſſolubile ſuper humana uitia iudiciũ,cum bonitatem uſq; ad unum nemo facit. Et quæritur poſt hæc quomodo Abel placuerit: Seth probatus ſit: Iſaac*hæc ſit:Enoch trãslatus ſit:Noë reſeruatus ſit: Melchiſedech ſanctificatus ſit: Abraham electus ſit: Iacob Iſraël ſit:Iob inculpabilis ſit: Moſes amicus ſit: Aaron Chriſtus ſit: Dauid ſecundum cor dei ſit:prophetæ ſpiritales ſint: apoſtoli cœlorum claues ſortiti ſint, ſi excepto uno tantum bonus nemo ſit. Iam uero illud quomodo dictum intelligitur: Bonus homo de bono theſauro profert bona.& illud: Serue bone intra in gaudium domini tui. Quomodo enim bonus nuncupabitur, nemine faciente bonitatem? Ac primum ne etiam in hos quos ſuperius memorauimus, iudicio dei probatiſſimos uiros eadem,tanquam generalis huius ſententiæ profeſſionem exiſtimemus,ſuperiorum dictorum ſenſus obſiſtit.Omnis enim de ſtultis & corruptis & abominabilibus cœptus eſt ſermo, & deo proſpiciente de cœlo: ut uideret,ſi quis intelligenter exquirens eſſet, omnibus poſtquàm inutiles eſſe cœperant declinantibus,nemo repertus eſt bonitatem faciens uſque ad unum:id eſt,ex illis qui & ſtulti & corrupti & abominabiles, & poſtquàm inutiles facti ſunt, declinantes eſſe cœpiſſent, ſententia in eos diuini iudicij congruente, à quibus cœpit & ſermo.Id autem quod ait: Vſq; ad unum,non unum excepit ex omnibus, ſed omnibus inutilibus & declinantibus,cum uſq; ad unum bonitatem nemo faciat, ſed ne unum quidem ſecreuit ex omnibus. Non enim ait præter unum, ſed uſq; ad unum. Et in eo quod præter unum eſt,exceptio ſignificatur unius: in eo uero,quod uſq; ad unum eſt,uniuerſitas generalis proſpicientis è cœlo ſcientem diligentiam, ſub quodam ſpeciali, & perſonali numero continetur. Quanquam uero eam eſſe infirmitatem humanæ naturę meminerimus, ut ex comparatione diuinæ bonitatis bonus nemo ſit,ſed incomparabilis illa diuinitatis exceptio,non intercluſit bonitatis officium,ut ſecundum comparationem humanam inter homines bonus nemo ſit.Bonitas nanq; primum perfecta eſt ea quæ in demutabilis naturæ uirtute conſiſtens,neſcit aliquando aliud eſſe quàm fuerit,nec poteſt non id eſſe quod ſemper eſt.Humani uero motus ipſa plerũq; mutatione diuerſi ſunt, & terrenæ legis imperfecta natura ſit, alia ex alio inſtinctu ſe perturbante demutans,& ad id nos diuerſarum affectionum motus impellit, dum cõtumelia iraſcimur,dum damno mouemur,dum ira accendimur,dum metu perturbamur, dum amore inflectimur,dum odio impellimur,dum gaudio efferimur, dum dolore ſtimulamur,dum iudicio diſſidemus,dum ætate mutamur.His ergo ſubditi naturæ infirmis motibus ęquales eſſe non poſſimus,dum & affectu demutabiles ſumus & tempore.Et idcirco perfecta bonitas in nullo eſt, quia eam naturalium perturbationum incentiua demutant.Sed tamen cum boni ſumus,uel uoluntate,uel geſtis, poſſimus uel tunc non hoc eſſe quod ſumus, quamuis & imperfecti ad id

Fort.hæres.

Apoſtolis data claues regni cœlorum.

ſumus,ne ſemper id ſimus,quod tamẽ ſumus in tempore, licet per naturę infirmi tatem,demutationi bonitatis obnoxijs nõ adimitur nobis bonos uel tũ eſſe cũ ſu mus. Bonus autẽ ſolus per naturã indemutabilem ſuã ſemper deus, nõ prædurus huius demutatiõis noſtræ arbiter fuit,indulgentiã infirmitati noſtræ qua nõ ſem per boni permanemus,ex merito uolũtatis impartiẽs,qua bonos nos eſſe delectat, magiſq; his quę uolumus, ꝓpiciatus eſt, q̃ his quę nõ poſſimus iratus eſt. Nãq; cũ Moſi fideli utiq; amico ſuo, & quem in deum Pharaoni conſtituerat dixiſſet: Quia nõ glorificaſti me in aquis contradictionis, aſcende in montem & morere, hunc ſibi poſtea ſepulturæ eius loco a nemine cognito, unà cum Helia ab apoſto lis in monte conſpectum, beati & æterni regni ſui conſortem & martyrem reſer uauit. Et ne per Aaron & Dauid & Salomonẽ ac pleroſq; alios, iſtius bonitatis dei exempla percurram, quibus increpitis demutationum offenſis, ob fidei tamen meritum affuit uenia procliuis, conſcius dominus infirmitatis humanæ, cum apo ſtolis dixiſſet: Omnes uos ſcandalum patiemini in nocte hac: & beato Petro ter, non ad denunciationem damnatæ negationis, ſed quia per timorem carnis demu tabilis homo, id quod negaturus eſſet ammonito, neganti quidem, claues tamen regni cœlorum non ademit, quia cum per trepedationem obrepſiſſet negatio, uo luntati tamen uſq; ad martyrium confitendi fides firma non deerat. Et aliud eſt nolle, aliud non poſſe. Territus enim Petrus, & ſi per carnis ſenſum reſponſionis non potuit tenere conſtantiam, per fidem tamen animi ſtatim fleuit. Et cum decuſ ſum ſe ab eo quod uolebat agnouit, lachrymarũ dolore fidei ſuę effudit affectũ. Et ipſum illud fuit negationis tempus, & fletus ſcilicet ſecundum demutatio nem trepidationis, uoluntatis firmitate potiore. Nam mox inconſtantiam trepida tionis conſtans fides fleuit, probatiſſimam deinceps apoſtolicæ firmitatem mar tyrij confeſſionem confirmans. Hæc idcirco in præſenti loco commemorauimus, ne generaliter dictum exiſtimaremus: Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum: cum hi tot & placentes deo uiri, etiam ſi per naturæ demutationem de propoſito fidei aliquantulum decidiſſent, tamen maximis ac pulcherrimis bonita tis operibus gloriam ſint cœleſtis de ſe iudicij conſecuti. Atque hanc quidem in telligentię noſtræ rationem ea quæ conſequuntur, abſoluunt. Nonne ſcient om nes qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis. Deum non inuocauerunt: illic timuerunt, ubi non fuit timor. Quoniam deus diſſi pauit oſſa hominibus placentium, confuſi ſunt, quoniam deus ſpreuit illos.)

Volũtas bona

Si enim uſque ad unum bonitatem nemo facit, quomodo populus dei eſt, qui ut cibus panis manducatur ab operantibus iniquitatem? Generalitas ergo ſenten tiæ admota eſt, cum à dei populo, quem in bonitatis operationibus non ambiguũ eſt permanere, iniquitatem ſecernuntur operantes. Comedunt itaque operarij iniquitatis populum dei ut cibum panis, qui ſanctorum iniurijs uiuunt, quos ue xatio prophetarum, & uaſtatio eccleſiæ, & omnis iniquitatis delectat operatio. Comedunt quoque etiam illi ut cibum panis dei populum, qui eum obtrectatio nis morſu, & laniatu inuidiæ dilacerant, ſecundum illud apoſtoli: Si autem inuicẽ mordetis & comeditis, uidete ne conſumamini ab inuicem. Sed & ſunt come dentes populum dei ut cibum panis, quibus, ut idem beatus Apoſtolus ait, deus uenter eſt, qui miniſterium deputant ad negociationem, collationibus ſe plebis & muneribus ditando: dum conuiuia ſub obtentu religionis ſumptuoſa ſectantur: dum apothecas ſuas inutili religioſorum obſequio diſtendunt, cum conſuetudo ab apoſtolis neceſſariæ huius collationis ad diurnam tantum ſeculo renuncianti um, aut per inopiam indigentium, alimoniam fuerit inſtituta, de quibus ſcriptum eſt: Comedentes domos uiduarum, & oratione longa orantes. Hi ergo ut cibum

Audiant epiſcopi & ptochotyranni.

panis

panis, dei populum comedunt, & dominum non inuocauerunt. Stulti enim in corde dixerunt, non est deus. Non inuocant ergo quem negant. Vel certe si qui in ecclesia positi, dei plebem obtrectatione, insectatione, & sumptu comedunt ut cibum panis, etiam si dominum se inuocare credunt, audient dictum in euangelio fuisse: Scimus autem quia peccatores deus non audit. Hi ergo dominum non inuocauerunt, quia operatio non uerborum sit professio, sed fidei. Sed qui deum nō inuocant, & illud impietati suæ addunt, ut timeant non timenda. illic enim trepidarunt, ubi non erat timor: saxa, metalla, robora, ignem, aquam, æthera, reges mortuos atque morituros, uel cætera religionum superstitiosa commenta uenerantes: & hoc ipso impio inanium metu, contemptuq; necessarij timoris ex comparatione condemnandi, cum non tam obliuisci timorem dei impium sit, quàm impietate præcellat, timori metum inanium prætulisse. Docuit autem dominus, solum in nobis metum eorum quæ uere timenda sunt oportere esse, cum dicit: Nolite timere eos, qui corpus possunt occidere, animam autem non possunt occidere. Timete autem magis eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Impius ergo timor est, cum quæ non timenda sunt timentur, & quæ timenda sunt non timentur. Et plerunque nos tanquàm pro debita officij religione pie adulari regibus existimamus, quia in corpus nostrum sit his aliquid potestatis, quibus nihil ultra in nos licet quàm febri, quàm incendio, quàm naufragio, quàm ruinæ. His enim casibus corporum pro summa potestate desæuiunt, & propter breuem dolorem libertatem ecclesiæ, spei nostrę fiduciam, confessionem dei addicimus, punitorem perditoremque in igne iudicij, & corporis & animæ nostræ deum non timentes, & æternis diuinæ ultionis pœnis momentanea atq; abolenda supplicia præferentes, dum placere nos ipsis, & in eorum gratia permanere famulatu impio gloriamur, hoc ipsum decreto grauissimo sententia diuina condemnat. Nanq; ad illud quod dixerat: Nonne sciunt, qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis. Deum non inuocauerunt, & in non timendis trepidauerunt, id ad summam cœpti sermonis adiecit: Quoniã deus dissipauit ossa hominibus placentium, confusi sunt, qm̃ deus spreuit eos.) Hi ergo qui operantur iniquitatem, & populum comedunt ut cibũ panis, & deũ non inuocauerunt, & in nō timendis trepidauerunt, nonne cognoscent, quia ossa eorum qui hominibus placere uelint deus dissipabit? Timuit huius prophetici dicti sententiam sanctus ille gentium doctor, dicens: Ego si adhuc hominibus placerem, Christi seruus nō essem. Inutilis est humanę gratiæ & irreligiosa sectatio. Nam ex deo magis q̃ in contumeliam dei hominibus est placendum, ut per diuina instituta, & probitatem fidelis uitæ innocentisq; placeatur. Cæterum placere tantum hominibus uelle, deo est displicere. Non auocat autem ab hominũ gratia deus iustorum mentes, & fideliũ rationabilem sanctitatem. Et audiamus eam per Paulum loquentem: Sine offensione estote Iudæis & Græcis, & ecclesiæ dei, sicuti & ego per omnia in omnibus placeo, non quęrens quod meũ utile est, sed quod multorum ut saluentur, hoc est non hominibus, sed deo placere, cum per id quod deo placetur & hominibus sit placendum. Ex causa enim placendi deo, causa etiã hominibus probabilis sit placendi. Cæterum studium, quod ut hominibus tãtum placeatur impenditur, ad id quod deo placendum est non refertur, quia tantum eorum causa quibus placetur adhibetur. Nō est autem maius uinculum hominibus placendi, q̃ ut nemo sui causa uelit aliquid. Etenim quod propriæ utilitatis efficitur, non potest non aliquam interdum offensionem ex causis accidentibus excitare, cum quod alij utile est, alteri sæpe fiat incommodum. At uero qui nihil sui causa uelit, & omnia in profectum alienæ uoluntatis exerceat, necesse est ut cau-

Quomodo sit placendũ hominibus.

ſam probabilẽ placendi cunctis apoſtolus docuit,quia utilitatis ſuæ negligẽs,uti litati ſe dediſſet alienę. Diſſipauit ergo oſſa deus hominibus placentiũ. Et oſſa nõ hæc corporalia diſſipari intelligenda ſunt,ſed quia ſpes ęternitatis in oſſibus ſignificari ſolet,ex quo dictum eſt: Hoc nunc os ex oſſibus meis. Quod beatus apoſtolus,quia magnum myſterium eſt,ad Chriſtum & ad eccleſiam refert,quę ex Adę ſui æternitate æternitatis ſubſtantiam mutuatur, quod in domini uulnerato licet corpore confixoq; non frangitur. Os,inquit,eius non conteretur,quia cum fuerit iniquis uis paſſionis in carne,in æternam tamen diuinitatis & impaſſibilem naturam nihil licuit paſſioni. Integram autem,& incorruptam ſpem æternitatis ſignificari in oſſibus etia illic meminimus,ubi dicitur: Cuſtodit dominus omnia oſſa iuſtorum: unum ex his non conteretur,quia ſecundum demonſtratam Ezechieli reſurrectionem,ſacramentum eius ſub oſſium ſignificatione ſit reuelatum. Ergo ut cuſtodit deus oſſa iuſtorum,ita & hominibus placentium diſſipabit, & diſſipabit non ita,ut eo quod eſſent carerent, ſed ut per contemptum dei tanquã deperdita,abiecta uileſcerent. Id enim ſequitur: Confuſi ſunt,quia deus ſpreuit eos. Cõfunditur quiſq; & pudore dedecoris ſui,& comparatione oris alieni. Et hinc illud eſt,quod apoſtolus ſignificat dicens. Omnes quidem reſurgemus,ſed non omnes demutabimur. Sed & propheta & confuſionem reſurrectionis & honorẽ diſcernit,ita dicens: Et reſurgent alij quidem in uitam,alij quidem in confuſionem æternam. Confundentur ergo quorum oſſa diſperſa ſunt,quos ſpreuit deus,quos tanquam indignos ne conformes eſſent gloriæ ſuæ reſurrectiõis abiecit. Reſurrecturi adeo ut cõfundant̃,nõ demutabuntur uero,et ex eo confundent̃. Hęc em̃ reſurrectionis ſtatuta cõditio eſt. & idcirco tanq; ex pręterito pro decreti definitione fit ſermo,quia id ut ita maneat ſit ſtatutũ. Cõmemoratis uero humanis & inſolẽtiæ & iniquitatis impietatibus,ut is q titulo pręferẽ intellectus in finẽ poſſet intelligi,tali ꝓpheta ſpẽ beatorũ finis ipſius adhortatione cõfirmat dicẽs: Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël, dũ auertit dñs captiuitatẽ plebis ſuæ? Exultabit Iacob, & lętabit̃ Iſraël.) Vna enim hæc ſpes reliqua fuit humanæ infirmitatis & fidei, per quam inter tantas præſentis uitæ calamitates æternorum bonorum expectatione requieſceret. Et idcirco certus huius beatitudinis propheta, tanquam ex uaſto humanarum miſeriarum proclamat profundo,dicens: Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël? Nãq; ſecundũ alium prophetã: Ex Sion exiet lex, & uerbum dñi ex Hieruſalem. Hoc uerbum domini caro factum eſt. Hæc caro & Sion & Hieruſalẽ eſt ciuitas nouæ pacis & ſpeculatorium noſtrorum. Huic ſalutaris, huic Ieſus. Ieſus enim,ut ſæpe diximus,ipſo nomine ſalutaris eſt. Lex autem ex Sion non fuit ſalutaris,opere quidẽ uiuificãs,ſed nõ iuſtificãs ex fide. Hic uero expectatus eſt ſalutaris,& datus eſt Iſraël,ſed non carnali Iſraël. Non em̃ qui filij carnis filij dei ſunt, ſed filij promiſſionis deputant̃ in ſemen. Teſtatur & Ioannes, non eſſe ſecũdum carnem Abrahæ filios,cum & filij uiperarum ſunt,& potens eſt deus Abrahæ filios de lapidibus excitare. Dominus autem ipſos docuit ex fidei operibus proprietatem ſucceſſionis exiſtere,nec ſecundum carnis generationem filiorum originẽ deputari,cum ait: Si filij Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis. Sed & Daniel presbyteros condemnans,ait: Non ſemen Abraham,ſed ſemen Chanaan, & non Iuda. Ezechiel quoq; increpitis populi iniquitatibus,ait. Pater tuus Chananæus, mater tua Cethæa. Radix tua & generatio tua de terra Chanaan. Non eſt ergo Iſraël iſte ex ſucceſſione corporea, cui ob infidelitatem origo profaniſſimi generis deputatur. Neq; huic data ſalus eſt, qui non ſuſcepit oblatam, ſed ei qui auerſa captiuitate populus dei factus eſt. Captas autem imperitarum gentium mentes, & impijſſimis uitijs ac religionibus ſubditas,in libertatem fidei & nomen familię

cœleſtis

cœleſtis abſoluit. Qui enim erant dæmonum ſeruitus, facti ſunt dei populus. Et quis hic ſit captiuitatem auertens, de ſe ipſo teſtatus eſt. Hæc enim non lex, non patriarcha, nõ propheta, nõ angelus, nõ aliqua alia cœleſtiũ, uel dominatuũ, uel poteſtatum, uel thronorum, uel uirtutum uirtus auertit, ſed ille qui accepto libro in ſynagoga cũ iſta legiſſet: Spiritus domini ſuper me, propter quod unxit me, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis uiſionem, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum domini acceptum, fidem & autorẽ cõſummatæ ſignificans prophetiæ ait: Quia hodie impleta eſt prophetia hæc in auribus ueſtris. Hæc igitur populi dei auerſa captiuitas eſt, cum oculi intelligentia panduntur, cũ præfracta peccatis corda in requiem relaxantur, cum annus domini acceptabilis nunciatur, quo pœnitentiæ noſtræ deo accepta eſt confeſſio: cum nihil præteritorum reputatur ad crimẽ: cum noua omnia ſunt, noua libertas eſt, noui filij, & æterna lætitia eſt. Exultabit enim Iacob, & lætabitur Iſraël. idem nanq; ipſe patriarcha utrunq; nomen ſortitus ex merito eſt. Nam quia manu calcem fratris continuiſſet in partu Iacob nuncupatus eſt. Supplantaturus deinceps & emendo primogenita, & benedictionem occupando, & interpretationis uirtutem Geneſis expoſuit, Iacob eum qui ſupplantator fratris, ſic nuncupatum. Per agnitionem autem confeſſi dei, tum cum ſe ab eo homine, cuius in lucta dominabat, benedici popoſcit, quia deum aduerſus quẽ generis ſui populus ſecundũ futuræ paſſionis ſacramentũ in lucta carnis inualuit, fidei oculis inſpexiſſet: in corpore Iſraël, quia Iſraël deum uidens ſic meruit nuncupari. Et ſecundum ipſius Geneſis prohetiã, in Iacob iuniorẽ populũ, qui eſſet ex gentibus crediturus, ſignificari abſolutum eſt. Hic ergo exultabit Iacob, & lætabitur Iſraël. Secundum eccleſiæ ordinem, hic unus eſt populus duplicis & profeſſionis, & honoris. Neq; enim geminatis ſententijs id ipſum cœleſtis ſermo ſignificat. Sed quia fides prima quo quis inuocari ſuper ſe dei nomen precatur, fide anteriorem populum ſupplantat, cum Iudæo infideli fidelem ſe optat eſſe gentilis. Hic ergo Iacob eſt ſpe præoccupatæ benedictionis inſultãs. Iam uero ubi baptiſmo renatus, & fide conſummatus, deũ intelligentiæ oculis, & mente aſpexerit, tunc iam Iſraël lætabitur, quia iam ſupplantato ſeniore deum fide uideat, uiſurus ueriore conſpectu, ſecundum illã beatitudinis ſponſionem. Beati mundo corde, quoniam ipſi deum uidebunt domini & dei Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſecula.

Imò deo fortis.

In finẽ in carminibus, intellectus Dauid, cum ueniſſent Ziphæi & dixiſſent ad Saul: Nonne Dauid abſconditus eſt apud nos? PSAL. LIII.

DEus in nomine tuo ſaluũ me fac, & in uirtute tua iudica me. Deus exaudi orationem meã, auribus percipe uerba oris mei. Quoniam alieni inſurrexerũt ſuper me, & fortes quæſierunt animã meam, & nõ propoſuerunt deum ante cõſpectum ſuum. Diapſalma. Ecce enim deus adiuuat me, & dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Auerte mala inimicis meis, in ueritate tua diſperde illos. Voluntarie ſacrificabo tibi, confitebor nomini tuo domine, quoniam bonum eſt. Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos reſpexit oculus tuus.) Sanctus & beatus Dauid nõ ignarus, ſed ut propheta euangelicæ doctrinæ, & in tempore licet legis, hanc corporalem agens uitã, tamen quantum in ſe eſt, apoſtolici mandati præcepta conſummat, teſtimonio de ſe dei fidem præſtans, cum dictum eſt: Inueni uirum ſecundum cor meũ Dauid qui Ieſſæ eſt. Nõ enim inimicos ſuos bello perſequitur, neq; inſidiãtibus ſibi decertando armis reſiſtit, ſed exemplo domini cuius & nomen & lenitatem præfigurabat, proditus orat, periclitãs pſallit, patiens odia gratulatur, & ideo ſecundum domini cor repertus eſt. Quia cum domino duode-

cim milia legionum angelorum poſſent in tempore paſſionis aſſiſtere, tamen ad omne officium humilitatis explendũ, paſſioni ſe & infirmitati ſubeſſe permiſit, orans tantum,& dicens:Pater cõmendo in manus tuas ſpiritum meum. Quo exemplo hic idem per ſimilitudinẽ paſſionũ futuræ eius paſſioni propheta, nõ contradicit,nõ reſiſtit inimicis, malum pro malo ex præcepto euãgelico non reddẽs, ſed dominicę mãſuetudinis æmulator,cum tribulatur,cũ proditur, cum fugatur, dominum cuius tãtum aduerſus impios armis utitur,deprecatur. Pſalmo autem huic titulus ex hiſtoria præſcribitur, ſed ante hiſtoriam quatenus, & quando,& in quem ea quæ ſub hiſtoria dicuntur, à nobis ſint intelligenda monſtrantur.Eſt enim primũ, In finem intellectus illi Dauid, tum deinde ſequitur: Conuenerunt Ziphęi,dixerũt Saul:Nonne ecce Dauid abſcõſus eſt nobiſcum? Ergo hoc quod à Ziphæis Dauid proditur,in finem eſt intelligendũ,per quod oſtẽduntur ea quę in preſens tũ erga Dauid gerebãtur,preformationẽ in ſe futuri tẽporis cõtinere, cũ innocẽs inſectatione uexatur, cum ,ppheta cõtumelijs illuditur, cum deo placens ad mortẽ requiritˉ,cum rex inimico ſuo, ut Herodi dominus atq; Pilato, ab his proditur,cũ quibus tutus eſſe debebat. Pſalmi ergo intelligentia in finẽ eſt, & in Dauid illo intellectus in quo finis eſt legis.Et qui Dauid habet claues, aditũ intelligentiæ,tum aperit,cum quæ de ſe à Dauid ſunt prophetata conſummat .Ipſa autem ſecundũ Hebræam proprietatẽ interpretatio nominis affert nõ exiguum nobis ad intelligendũ profectum. Ziphæi nanq; ſignificãtur, quæ nobiſcum ſunt oris aſperſiones, hæ ab Hebręis Ziphæi nuncupãtur. Aſperſio ſecundum legem emundatio peccatorum erat,per fidem populum ſanguinis aſperſione purificãs, cuius aſperſionis hic idem beatus Dauid ita meminit: Aſperges me hyſopo & mundabor. Sacramentum futuræ ex domini ſanguine aſperſionis,fide interim legis ſanguine holocauſtomatũ repræſentat. Sed hic populus ut populus Ziphæi ore potius quàm fide aſperſus,& mundationẽ aſperſionis labijs magis quàm corde ſuſcipiens,infidelis in Dauid ſuum & proditor extitit,quod antea per prophetam dixerat:Populus hic labijs me honorat,cor autẽ eius longe eſt à me. Ad prodendum Dauid ob id pronus,quia ceſſante fide cordis, omnia per oris fraudulentiam legis ſacramenta geſſiſſet. Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in uirtute tua iudica me. Deus exaudi orationem meã,auribus percipe uerba oris mei.) Secundum demonſtratam tituli rationẽ,paſſio Dauid prophetę dei,ac domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionis exemplũ eſt. Idcirco oratio quoq; eius etiam ad intelligentiam orationis eius,qui uerbum caro factum eſt,temperatur,ut qui omnia ſecundum hominem paſſus eſt,idem omnia ſecundum hominẽ eloquatur.Et quorum infirmitates portauit,& peccata ſuſcepit, eorũ ad deũ deprecetur obſequio. Proprietates autem uirtutesq; uerborum etiam inuitis licet & cunctantibus nobis intelligentiæ huius exigunt ſenſum,ut omnia ex perſona eius dici non ambigamus in pſalmo. Ait enim: Deus in nomine tuo ſaluum me fac. In humilitate corporis unigenitus dei filius ſub prophetæ dictis hæc precatur, qui & gloriam quam ante ſecula habuerat,repoſcebat.Saluificari ſe in dei nomine rogat, in quo eſt & nuncupatus & natus, ut ſe in eo corpore in quo erat natus, idipſum quod naturæ anteriori ſuæ & generi erat proprium, ſaluum faceret dei nomen.Et quia omnis hæc ex perſona formæ ſeruilis oratio eſt,cui formæ ſeruili uſq; ad crucem mortis aſſumptæ,ſalutem eius nominis,quod dei eſt deprecatur, & ſaluandus ex dei nomine,id continuo ſubiecit: Et in uirtute tua iudica me. Nanq; ob meritum humilitatis,quia ſe exinaniuiſſet formam ſerui accipiens, formã non rurſum dei conſortem in ea quam aſſumpſerat humilitate repetebat, in dei nomine homine ipſo in quo deus naſci obedierat,ſaluato .Et ut huius nominis,in quo ſe ſaluari orabat

Ziphæi quid ſonet Hebraice.

rabat,honorem non nudæ tãtum nuncupatiõis doceret esse, iudicari se in uirtute dei precatur.Primum enim ex iudicio est,quod meretur,Factus,inquit,obediens usq; ad mortẽ,mortem autem crucis.Propter quod exaltauit illũ deus,& donauit illi nomen,quod est super omne nomen, ut ei nomẽ quod super omne nomen est donetur.Tum deinde hoc ipsum iudicium sit in uirtute iudicij,quia per uirtutem dei is qui ex deo homo mortuus fuerat,idem rursus in deũ ex homine mortuo resurrexit,secundũ illud Apostoli: Crucifixus ex infirmitate, resurrexit ex uirtute. & rursum:Non enim erubesco euangelium. Virtus enim dei est in salutem omni credenti.Per iudicij enim uirtutem infirmitas corporalis in dei nomine naturaq; saluatur,atq; ita ob meritum obediẽtiæ, in salutem nominis dei ex iudicij uirtute prouehitur,ut in eo dei & nomen & uirtus sit. Cæterũ si ex cõsuetudine humana sermo iste cœpisset,in misericordia potius uel æquitate, quàm in uirtute iudicari se propheta popposcisset. Sed uirtutis illic opus fuerat iudicio, ubi dei filio in filiũ hominis ex partu uirginis nato,rursum ipsi hominis filio per iudicij uirtutem dei filij,& nomẽ redhibendum esset & uirtus.Sequitur dehinc: Deus exaudi orationem meam,auribus percipe uerba oris mei.) Promptũ prophetę fuerat dixisse,deus exaudi me.Sed quia ex persona eius loquitur qui solus sciret orare,idcirco cõstans postulatio*postulãdæ orationis ostenditur. Paulus beatus neminem hominum qualiter orare oporteat scire docet dicẽs:Quod enim,quid oremus, qualiter oporteat nescimus. Non est ergo infirmitatis humanæ exaudiri orationem suam postulare,cum doctor gentiũ post constitutam licet iam à domino formam orandi,quid & quatenus oret ignoret. Sed eius ista fiducia est, qui solus patrem uidet,qui solus patrem scit,qui solus potest orare pernoctans.Secundũ euangelium enim dominus pernoctauit orans, qui per speculum uerborum formã ipsam occultissimi sacramenti sub communibus uerbis, dum oraremus,ostendit. Et qui orationem suam popposcit audiri, ut peculiare hoc fiduciæ suæ doceret esse, subiecit: Inauri uerba oris mei. Et quisquàm hoc humanæ fiduciæ esse existimabit, ut uerba oris sui uelit audiri? An illa quibus motus animi nostri & impetus pronunciamus,tum cum de ira exardescimus,tum cum de odio obtrectamus,tum cũ de dolore querimur, tum cũ de adulatione blãdimur, tum cum aut pro spe lucri, aut de ueritatis pudore mentimur, aut de contumeliæ offensione maledicimus? Et quis unquàm uitæ ita emendatæ & patientis ad omnia fuit,ut his humanæ de mutationis uitijs non esset obnoxius? Solus hoc potuit cũ fiducia uelle,qui peccatum non fecit,in cuius ore dolus non fuit,qui flagellis dorsum præbuit,qui maxillas ab alapis non deflexit, sputamentorum contumeliam non exprobrauit,& in illo uoluntatẽ eius,cuius ad hæc uoluntati in omnibus uolẽs obediebat, offendit.Causam deinde cui uerba sua audiri oret adiecit: Quoniã alieni insurrexerunt in me,& fortes quæsierunt animam meã,& non proposuerunt deũ ante conspectum suũ.) Vnigenitus dei filius dei uerbũ,& deus uerbum, cum utiq; omnia quæ pater posset, omnia ea & ipse posset,sicuti ait: Quæcunq; enim pater facit, eadẽ & filius facit similiter, ut in indiscreto deitatis naturæq; nomine indiscreta quoq; esset & uirtus,ut absolutissimũ nobis humanæ humilitatis esset exemplũ, omnia quæ hominum sunt,& orauit, & passus est. Et ex communi nostra infirmitate salutem sibi est deprecatus à patre, ut natiuitatem nostram cum ipsis infirmitatis nostræ inesse intelligeretur officijs. Hinc illud est quod esuriuit, sitiuit, dormiuit, lassatus fuit, impiorum cœtus fugit, mœstus fuit, & fleuit, & passus, & mortuus est. Et ut his omnibus non natura, sed ex assumptione subiectus esse posset intelligi, perfunctus his omnibus resurrexit. Omni ergo eius in psalmis ex naturæ nostræ affectu querela est. Nec mirum si ita intelligimus nos dicta psalmorum, cum ipse dominus secundum euangelicam fidem passionis

Forte imperandæ.

ſuæ ſacramenta ſcripta eſſe fuerit teſtatus in pſalmis. Alieni igitur ſuper eum inſurrexerunt. Non enim iam filij Abrahæ ſunt, neque filij dei, ſed natio uiperarum, ſed ſerui peccati, ſed ſemẽ Chanaan, patre Amorreo, matre Cethea, & diabolo patre, filij diabolicæ uolũtatis. Quærunt quoq; & animã ſuam fortes, cũ Herodes principes ſacerdotũ ubi naſci habebat Chriſtus, interrogat, cum omnis Synagoga aduerſus eũ teſtis falſa coniurat. Sed animam hãc humanæ naturæ & infirmitatis eſſe exiſtimantes, nõ propoſuerunt deum ante conſpectũ ſuum. Quia deus ex eo quod deus manebat uſq; ad originẽ naſcendi ſe hominis humiliaſſet, id eſt, ut hominis filius eſſet, qui erat antea dei filius. Non enim alius filius dei q̃ qui filius hominis. Et filius hominis non ex parte, ſed natus. forma enim ſe dei ex eo quod erat ad id quod nõ erat, id eſt, ut naſci poſſet in animã ſuam corpusq; uacuante. Et idcirco & filius dei & filius hominis, idcirco & deus homo, id eſt, dei filius habitu humanæ originis natus eſt, uſq; ad naturam ſcilicet hominis naſcendi qui totus ex anima & carne formabilis eſt dei ſe humiliante ſubſtantia. Ob quod cũ inſurgũt aduerſum eum alieni, cum potentes animã eius exquirunt, quæ frequenter in euangelijs triſtis & mœſta eſt, deum ante conſpectum ſuum non propoſuerunt, quia deus dei filius ante ſecula manẽs humanæ naturæ habitu, id eſt, noſtri corporis atq; animæ homo ex partu uirginis natus eſſet, per operũ magnificentiam non intelligentes, quia hominis filius cuius animam quærebant, ad id quod homo eſſe cœperat, ex dei filio quod ſemper manſerat, extitiſſet. Interuentu diapſalmæ non dicentis, ſed cui dicebatur demutata perſona eſt. Nunc enim generalis ſermo eſt prophetiæ. Nam poſt eam orationẽ quæ ad eum fuerat, ut fiducia orantis poſſet intelligi, in eo ipſo precationis tempore quod popoſcerat impetrato, cõtinuo ſubiecit: Ecce enim deus adiuuat me, & dominus ſuſceptor eſt animę meæ. Conuertet mala inimicis meis. Effectus proprios propriis reddidit poſtulatis, docens, nõ negligentẽ orationis noſtæ deum eſſe, neq; irrationabilem præſtationem miſericordiæ ſuæ exiſtimandã, cum nos ſecundum quod precaremur audiret. Nanq; ad id quod ait: Qoniam alieni iuſurrexerunt in me proprium illud eſt: Deus adiuuat me. Ad id autem & fortes quæſierunt animam meam, in eo exauditæ orationis peculiaris effectus eſt, quo ait: Et dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Ad id uero quod ait: Et non propoſuerunt deum ante conſpectũ ſuum, hoc cõpetenter adiecit: Cõuertet mala inimicis meis.) Deus ergo & aduerſus inſurgentes adiuuat, & quæſitam à fortibus animã ſancti ſui ſuſcipit, & nõ propoſitus ante oculos, neq; ab impijs cogitatus, ad inimicos mala ipſa conuertit. Dũ deum nõ cogitant iuſti animã quærendo, & aduerſum eũ inſurgẽdo, adiuto eo atq; ſuſcepto eo, quẽ inter iniquitatum opera nõ cogitabãt, ultorẽ maliciæ ipſius retributione ſentirent. Habeat itaq; hanc innocens religio fiduciam, ut inter humanas inſectationes, & animæ pericula adiutorẽ ſibi deum eſſe non ambigat, & ſi quando iniuſte mortis uis affertur, excedentẽ habitaculo corporis animã ſciat in dei ſuſceptione requieſcere: habeat ultionis quoq; certiſſimã ſecuritatẽ, cum mala omnia in eos qui inferãt reuertãtur, nõ poteſt iniqtatis argui deus, nec perfectę bonitati malignæ uolũtatis inſtinctus ac motus ammixtus eſt. Mala em̃ nõ maleuolus excitat, ſed ultor retorquet: neq; ea ex malicia ſua affert, ſed in merita noſtra conuertit. Statuta em̃ in omnes ſunt adulationũ miniſteria, mala iſta cũ lege uiuendi iuſti iudicij ſecura ęqtate moderant̃. Sed hęc & auerſa à iuſtis ſũt lege iuſtitię, & cõuertunt̃ in iniquos ęquitate iudicij. Vtrũq; iuſtũ, ut & iuſtis ad metũ prõpta ſint, nec admixta, quia iuſti ſunt, & iniuſtis ad pœnã ſunt cõuertẽda, quia meriti ſunt, nec iuſtis admixta cũ prõpta ſint, nec iniuſtis defutura, ąa prõpta ſunt. De hinc rurſum fit ad perſonam dei, ad quẽ primũ deprecatio erat cœpta, conuerſio:

In ueritate

In ueritate tua diſperde illos.) Veritas mendacium confutat, & perimitur falſi tas ueritate. Omnem autem ſuperiorẽ orationem eſſe eius hominis in quo filius dei natus eſt docuimus, etiam hoc quoq; nunc à deo patre deprecãtis, ut inimicos ſuos in ueritate diſperdat, & quæ ſit ueritas nõ ambigitur, nempe ille ipſe qui dicit: Ego ſum uita, uia, ueritas. Diſperduntur ergo in ueritate inimici, cũ falſis teſtibus damnationem Chriſto comparantes, reſurrexiſſe à mortuis eũ audiunt, & in dei ueritate gloriam ſuam reſumpſiſſe cognoſcunt. Nam poſtea ob pœnam dei in crucem acti, fame & bello abſumpti ac perditi ſunt, uitæ autorẽ morte damnãtes, neq; deũ in ueritate per operũ magnificẽtiam cogitãtes. Hos igit̃ diſperdit dei ueritas, cũ ad reſumendam gloriæ paternæ maieſtatem reſurgens, abſolutã in ſe diuinitatis probauerit ueritatem. Quòd autem & in crucẽ actum unigenitum dei filium, & morte damnatũ eum qui natiuitate quæ ſibi ex æterno patre eſt naturalis & æternus ſit, frequenter, imò ſemper prædicamus, nõ ex naturæ neceſſitate potius quàm ex ſacramento humanæ ſalutis paſſioni fuiſſe ſubditus intelligẽdus eſt, & uoluiſſe ſe magis paſſioni ſubiici q̃ coactũ, & quanq̃ paſſio illa non fuerit cõditionis & generis, quia indemutabilem dei naturã nulla uis iniurioſæ perturbationis offenderet, tamen ſuſcepta uolũtarie eſt, officio quidem ipſa ſatisfactura pœnali, nõ tamen pœnæ ſenſu læſura patientem. Non quòd illa lædendi non habuerit pro ipſa paſſionis qualitate naturã, ſed quòd dolorẽ diuinitatis natura non ſentit. Paſſus ergo eſt deus, quia ſe ſubiecit uolũtarius paſſioni. Sed ſuſcipiens naturales incongruentiũ in ſe paſſionũ, quibus dolorẽ patientibus neceſſe eſt eas inferri uirtutes, ipſe tamen naturę ſuæ uirtute nõ excidit ut doleret. Sequitur enim: Volũtarie ſacrificabo tibi. Legis ſacrificia quæ in holocauſtomatibus & oblationibus hircorum atq; thaurorũ ſunt, non habent in ſe uoluntatis profeſſionẽ, quia maledicti ſententia legem ſit decreta uiolãtibus. Quiſquis enim à ſacrificio deſtitiſſet, ipſe obnoxiũ ſe efficiebat eſſe maledicto. Neceſſe ergo erat effici quod fiebat, quia ſacrificij negligentiam maledicti non admitebat adiectio. A quo maledicto nos dominus noſter Ieſus Chriſtus exemit, Apoſtolo dicẽte: Chriſtus nos redemit, de maledicto legis factus pro nobis ipſe maledictũ, quia ſcriptũ eſt: Maledictus omnis qui pependit in ligno. Maledictorũ ſe ergo obtulit morti, ut maledictum legis diſſolueret, hoſtiam ſe ipſum deo patri uoluntarie offerendo, ut per hoſtiam uoluntariã maledictum quod ob hoſtiæ neceſſariæ & intermiſſę reatũ erat *auditum, ſolueretur. Cuius ſacrificij alio loco meminit in pſalmis: Hoſtiam & oblationem noluiſti, perfeciſti autem mihi corpus: deo patri legis ſacrificia reſpuẽti, hoſtiam placentẽ ſuſcepti corporis offerendo, cuius oblationis beatus Appſtolus ita meminit: Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerens hoſtiã deo. Omnem humani generis ſalutẽ oblatione ſanctæ huius & perfectæ hoſtię redempturus. Ob quæ omnia ita geſta laudem deo patri refert: Cõfitebor nomini tuo domine, quoniã bonũ, quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me.) Reddidit in ſingulis propoſitionibus proprias abſolutiones. Nam in exordio dixerat: In nomine tuo ſaluifica me. Poſt precum uero ſatisfactionem, congruam gratulationi s eſſe oportuit profeſſionem, ut eius nomini cõfiteretur, in cuius nomine ſaluari ſeſe fuerat deprecatus. Et quia auxiliũ contra alienos inſurgentes in ſe popoſcerat, idipſum adeptũ ſeſe fuiſſe profeſſus p hoc gaudij exultatiõe memoraret, qa ex omni tribulatione eripuiſti me. Ad id uero quod cũ fortes quęrũt animã eius, deũ nõ ꝓpoſuerunt in cõſpectu ſuo, pręclare indemutabilis diuinitatis docuit ęternitatẽ, in eo qđ dictũ eſt: Et ſup̃ inimicos meos deſpexit oculus meus. Morte em̃ nõ interceptus unigenitus dei filius, ad explẽdam quidẽ hominis naturã etiã morti ſe, id eſt, diſceſſioni ſe tanq̃ animę corporiſq; ſubiecit, & ad infernas ſedes, id quod homini debitũ uidetur eſſe

Senſus pœnæ quatenus in Chriſto.

Forte admiſſum.

detur esse penetrauit. Sed manet resurgẽs, & inimicos suos immortali oculo despicit glorificatus in deũ, & ex hominis filio in dei filiũ, ex quo etiã hominis filius esse cœperat, per resurrectiõis gloriã iam renatus, inimicos suos despicit, quibus dixerat: Soluite templum hoc, & post triduum ædificabo illud. Aedificato igitur hoc corporis sui templo, eos qui quæsierant animam suam ex ædito uidet, & ultra humanæ mortis legem autores mortis suæ sublimis ipse despectat, mortẽ perpetiens, sed mori nesciens, deus homo dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula seculorum Amen.

In finem in carminibus intellectus Dauid,

PSALLMVS LIIII.

ἐνώτιαι.

Hymni qui.

INaurire deus orationem meã, & ne despexeris deprecationem meã, intende mihi, & exaudi me.) Superscriptio psalmi sine historia est, tantum in finem intellectus in hymnis est. Hymnos aliqui trãslatores nostri carmina nuncupauerunt: plęriq; autem hymnos ex ipsa Græcitatis usurpatiõe posuerunt, De nomine nihil differt, dum modo res una esse quæ uel in hymnis, uel in carminibus significabit̃ intelligatur. Hoc ergo de psalmo sciendum est, quòd quę hymno eius uel carmine continentut, in finem intelligenda sunt, omni intellectu scilicet nostro ad dominum nostrum Iesum Christum, quem apostolus finem legis docuit esse, referendo. Frequenter autem admonuimus, eam in psalmorum cognitionem sensus nostri temperandã esse rationem, ut eum de quo & per quem omnis prophetia est, ex dei filio hominis filium natum meminerimus, & dei naturam omnibus ante seculis manentem in naturam hominis esse ex partu uirginis genitam, ita ut naturæ posterioris adiectio nullam defectionem naturæ anterioris afferret, neq; qui iã homo esse cœperat, id quod ante hominem manebat, deus scilicet, esse desineret. Hic ergo assumens carnis nostræ fragilitatem, & manens suus atq; noster ita agit, orat, profitetur, expectat omnia illa quæ nostra sunt, ut in his admisceat etiam illa quæ sua sunt. Loquaturq; interdum ex persona hominis, qua & homo natus, & passus, & mortuus est, interdum autem omnis ei secundum deum sermo sit, quia ex deo homo, & ex dei filio hominis filius extitisset, naturæ scilicet eius confidentiam non oblitus in uerbis, qua in assumptione licet hominis nõ carebat, & ita ex nobis atq; ex infirmitate nostra humani sermonis consuetudine usuq; loquens, ut ex se atq; uirtute sua, quæ deo sunt propria & digna loqueretur, ut in præsenti psalmo cognosci potest, qui ita cœptus est. Inaurire deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea, & cõturbatus sum à uoce inimici, & à tribulatione peccatoris. Quoniam declinauerũt in me iniquitates, & in ira molesti erant mihi. Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor uenit super me, & contexit me tenebra. Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo & requiescam? Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.) In exordio psalmi & si humilitatis uoce usus sit cum ait: Inaurire deus orationem meã, non tamen sine aliqua propria conscientia altioris fiduciæ intelligitur hæc locutus. Non enim cuiuscunq; est innocentiæ id postulare, ut orationem suam deus inauriat. Promptæ nanq; semper precationi hominum dei aures sunt, quia qui naturam audiendi humano generi impertit, ipse extra auditus non potest esse naturam: & qui ubiq; hunc in nobis sensum auditionis operatur, nõ potest non ubiq; in ipso esse quod pręstat. Deus itaq; ubiq; semper audit, sed nõ omniũ meriti est, ut quod audit inauriat, auditũ quidẽ eius orantis uoce penetrãte, sed dignationẽ eorũ quæ audiant̃ inauriendi sola oratiõis innocentia ꝓmerente. Triplex autẽ in

exordio

exordio oratio precationis est ædita. Prima enim ea est, ut inauriatur oratio, Sequens est, ne despiciatur deprecatio. Tertia est, ut intendat sibi secꝫ exaudiat. Et necesse est discretam esse unicuiusꝫ generis naturam, ut non idem sit inaurire, & nõ despicere, rursumꝫ differat ab utrocꝫ intendere & exaudire. Et quia de inaurienda oratione quid intelligi posset ostẽdimus, quid illud sit, ne despexeris depre cationem meam, tractandum est. Despiciũtur oratiões leues, diffidentes, inutiles, seculi curis anxiæ, & rerum corporaliũ desideriis implicatæ, bonorũ operũ fructibus infœcundæ. Hæ igitur despicabiles sunt orationes dei dignatione nõ dignæ, de quibus per Esaiam prophetam, ait: Et cum extenderitis manus uestras ad me, auertam oculos meos à uobis. Et causam despiciendę orationis cõtinuo subiecit dicens: Manus uestrę sanguine plenæ sunt. ubi ergo operatio iniquitatis exstabit, illic despicitur oratio deprecantis. At uero tum in eo qui sperat intenditur, cum tacitæ spei fides, piæ conscientiæ religione cohibetur. Et est nobis hoc absolutissimũ uniuscuiusꝫ proprietatis exemplũ. Inauriuit dominus uerba Chananeæ sæpe clamantis, despexit orationem adolescentis illius, qui ab ęternitatis largitore diuisionem patrimonij postulabat: intendit autem in eam fœminã, quæ fidei silentio salutem sibi etiam à uestis fimbria expectabat. His ergo totius precationis suę generibus distinctis, nunc causam ipsam exposuit deprecandi, quia in exercitatiõe sua conturbaretur à uoce inimici, & à tribulatione peccatoris. Et quidem exercitatio nunquam nisi ad res utiles salutaresꝫ suscipitur, quas quia in sancto quoꝫ impij ferre non possunt, omnibus eum iniurijs afficere, & usꝫ ad formidinem mortis defatigare contendunt. Sed hæc in domino Iesu Christo exercitatio, nostræ salutis operatio est, quam diuersarum sanationum dehinc passionis ipsius exercitatio prouehebat. In hoc quoꝫ se inuido consortio nostræ infirmitatis exercens, quam exercitationem egressu suo Isaac in campum præfigurauit, cum inuectæ camelo Rebeccæ tanquàm sponsæ ex gentibus exercens se in hoc mundo Christus occurrit. A uoce inimici etiam turbatur, cum Samaritanus, cum dæmonium habens dicitur, cum quia à se cruce non eruat, negatur esse cæteris salus, declinantes in eum iniquitatem falsorum testimoniorum & sententiæ mortis. In ira quoque molesti sunt, dum flagellis, dum colaphis, dum alapis desæuiunt. Sed inter hæc habens potestatem duodecim milia legionum cœlestium euocare non ad iram commouetur, neque ad ultionem exacerbatur. Sequitur enim: Cor meum conturbatum est in me.) Pati omnia in seipso constituit, dummodo humanæ salutis sacramenta perficeret. Difficillimum autem hominis infirmitati est intra ipsum perturbationes mentis commotioneſqúe cohibere, ut non etiam usque ad ipsam uultus demutationem tacito licet motu significatio anxietatis uel indignationis erumpat. Verum unigenito deo quamuis infirmitas nostra suscepta sit, tamen diuinitatis suæ non est oblita natura, ut non in his omnibus quæ infirma sunt salua maiestatis suæ dignitate perfunctus sit, dum uniuersa quæ mortis nostræ sunt ac timoris ita pertulit, ut in eum inciderent hæc potius quàm inessent, dum infirmitas nostra magis quàm naturalis in deo est. Denicꝫ idipsum sequens sermo connexuit, cum dicit: Et formido mortis cecidit super me. Timor & tremor uenerunt super me, & contexit me tenebra.) Et hæc quidem in eum omnia quæ nostræ necessitatis sunt irruerunt, sed ab eo naturæ suæ uirtute susceptа sunt, dum mortem nostram potens non mori, etiam timore in se mortis ingruente non renuit. Et cum hæc eadem tanquam in hominem imbecillitati eius dominatura cecidissent, tamẽ ut non subiectũ se his quæ ingruerũt edoceret, subijcit: Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut colũbæ, & uolabo & requiescã.) Nam infirmus est, cui ad euolandum de cõtegentibus se tenebris metuꝫ mortis pennæ

Solœciſmus.

Videtur me moria lapſus. Nam in Matthæo non habentur niſi duodecim legiones. Vnus codex uetuſtus ſimiliter habebat in canone.

pennæ aliunde ſumendæ ſunt. cum enim dicit: Quis dabit mihi, non poſcentis ab aliquo, ſed nō aliunde ſperantis eſt. Euolare autem ut colūba feſtinat, id eſt, in ſpiritualem redire naturam, & in columbæ ſpecie ſpiritus in eum uolādo requieuit, habitatione aliquādo in homine qui tum de Iordanis aquis aſcendebat inuenta. Et hæc quidem precationis eſt cauſa, quia infirmitate corporis degrauatus, hoc quod nobis eſt mortale ſuſceperat, ut caro factus in ſpiritū euolaret. Et harū quidem pennarum ſuarum in pſalmo alio ita meminit: Si ſumpſero pennas meas ante lucem, & habitauero in extremis maris. Ita enim illuc manus tua deducet me. Suas itaq; ſumet, ut non intelligatur eas ex his euacuatus aſſumere, ſed ſumptis pennis ut uolando requieſcat, quo ſit quieturus oſtendit, dicens: Ecce elongaui fugiens, & manſi in deſerto.) Ceciderunt quidem ſuper lucem tenebræ, ſed tenebræ eam non comprehenderūt. Elongauit enim fugiens, qui ne à gentibus quidē potuit comprehendi. Fugit ergo etiam eos qui ſe perſequebantur, & ab his longe factus habitat in deſerto. Et quod deſertum hoc uel quæ ſolitudo ſit (nam eodem uerbo utrūq; Græcitas elocuta eſt) ita alio loco propheta declarat: Lętare deſertū ſitiens, exultet deſertum & floreat tanq; liliū, & floriant & exultēt deſerta Iordanis. Inualeſcite manus inualidæ & genua diſſoluta cōſolamini, modici animi ſenſu inualeſcite, & nolite timere. Ecce deus iudiciū reddidit, ecce ueniet & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorū, & aures ſurdorū audiēt, erudietur lingua mutorum, tūc ſaliet claudus tanq; ceruus. Venerat quidē ad oues perditas domus Iſraēl, ſed ab his fugatus hæc deſerta lætificat, in his enim manet, & māſit poſtq; uolando requieuit. Eſt em̄ dei requies quæ impijs denegatur cum dicitur: Si intrabūt in requiem meam. Reſumpta ſpiritali gloria unigenitus deus in his (tanq; in templo digno ſe) corporibus quæ erant ante deſerta requieſcit, quia plures iam filij deſertæ magis quàm eius quæ habet uirum. Non ſum aūt neſcius plærosq; ſolum uerborum ſonum & literam contuentes, nihil de omnibus ferè pſalmis congruum perſonæ domini noſtri Ieſu Chriſti exiſtimare, putentq; totum querelis prophetæ increpari, ſed nos litem non mouemus. Neque enim deſtruimus ſed adſtruimus, addētes potius de obſcuris intelligentiā, quàm ſimplicibus dethrahentes, quia quęcūq; Dauid aut paſſus aut quæſtus eſt, etiā paſſionibus eius qui uniuerſitatis noſtræ caro eſt factus, impleta ſunt. Et (ut arbitror) ea quæ ſequuntur intelligentiæ noſtræ curſum probabunt. Intercedens uero diapſalma demutauit & ſenſum. Nam omnis rurſum aduerſum eos de quibus eſt querela ſit ſermo, honore tamen eius ad quem omnia eſt referre ſolitus antelato. Sequitur enim: Expectabam ſaluificantem me à puſillanimitate & tempeſtate.) Non noua hæc eius expectatio eſt, nam & in eo pſalmo (quem ex perſona eius eſſe non dubium eſt) ſic precatus eſt: Saluum me fac deus, quoniam intrauerunt aquæ uſq; ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia, ueni in altitudinē maris, etiam tempeſtas demerſit me. Ab hac igitur tempeſtate atq; ab hac puſillanimitate, humiliatus enim erat uſq; ad mortem crucis, ſaluari expectat ab eo ad quē precatus eſt, dicens: Pater clarifica me apud temetipſum claritate quam habui apud te priusq; mundus eſſet. Sed expectans ſaluari ſe plus iam q; ſpem ſalutis expectat. Sequitur enim: Præcipita domine & diuide linguas eorum.) Proprietatem uerbi ſiue Hebraici ſiue Græci Latinitas, uti in multis, non elocuta eſt. Nam id quod præcipita dicitur cum illis καταπόντισον enunciatum eſt. Quo ſermone nō ut præcipitentur, ſed ut in profundū demergantur oratur. Demergi ergo eos linguasque eorum diuidi rogat, quorum aliud ſub Noë, aliud poſt ædificationem turris ſcimus effectum, cum illos diluuio ſubmerſos conſumpſit profundum. Hos ergo linguarum diuiſio ad cauſam æternæ in ſe concertationis

Diapſalma.

diſcreuit

diſcreuit, ut conſpirationem aduerſus deum initam, dum ſe inuicem & neſci/unt & metuunt, non tenerent. Non diſpar ergo nunc in hos pœna depoſcitur, ſcilcet ut in morem gentiũ, quas in aquis ſignificari meminimus, abſumpti, et in omnes linguas cũ quibus nũc habitant, & quibus loquunt diuiſi amiterent uitæ ac regni ſui dignitatẽ, ut aũt ob uitia ciuitatis cõtradictionemq; præceptorũ ſuorum hæc cõſecutura noſceremus adiecit: Quia uidi iniquitatẽ & contradictionẽ in ciuitate. Die ac nocte circũdabit eã ſuper muros eius, & iniquitas, & labor in medio eius, & nõ defecit de plateis eius uſura & dolus.) Ob hæc igit uitia & crimina futurę captiuitatis & diſperſionis pœna depoſcit, ſed potiſſima inter crimina ſunt iniqtas & cõtradictio. Nam eũ quem lex & prophetæ nunciauerãt reijcientes, contradictione impia reſpuerũt. Quę cõtradictio nocte & die circundãs muros ciuitatis ipſius ſupergreſſa eſt, quia & ipſa paſſionis ſuæ nocte cũ ſe uidendũ in cõſeſſu, & à dextris uirtutis, pfiteretur, diſciſſa ueſte etiã cũ blaſphemię inuidia contradixerũt, in muris aũt tuitionẽ ſalutis ſignificari meminimus, ſicut cũ nouæ Hieruſalẽ ædificatio & munitio, id eſt, cõſtructio & cuſtodia eius cœleſtis optat, ita ſcriptũ eſt: Benigne fac dñe in bona uolũtate tua Sion, & ædificentur muri Hieruſalem.. Erat ergo tũ in eo populo cuſtodia ſpiritalis, & diſpoſitæ per angelos legis adminiſtratio cõmuniebat. Sed ubi ipſo mediatore legis reiecto, hos muros, & hanc cuſtodiã circũdans iniquitas ſupergreſſa eſt, tũ cœpit maius eſſe ipſa munitione peccatũ, ut iniquitas uinceret cuſtodis uoluntatẽ uſura & dolo, cæteriſq; quę in lege ſunt uetita, redundãte, & indignitatẽ tãtæ huius iniquitatis oſtendẽs, ſubjecit: Quoniã ſi inimicus meus imperaſſet mihi, ſupportaſſem utiq;. Et ſi odiens me ſuper me magna locutus fuiſſet, abſconderẽ me ab eo. Tu autẽ homo unanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecũ dulces capiebas cibos. In domo dei ingreſſi ſumus cũ cõcordia.) Querela nõ de paſſione eſt, ſed de Apoſtolo proditore. Nam cũ ſalutẽ generi humano ſuſcepta crucis morte donaret, non poteſt uideri ſacramentũ hoc magnę pietatis arguere. Nã utiq; ſi inimicus eſſet, que relæ cauſa nõ eſſet, cũ in ſe conſummaret, quod ad ſalutẽ noſtrã perpeti ipſe uoluiſſet. Et ſicuti ſi odiẽs ſe locutus ſup ſe magna eſſet, abſcõſus ab eo fuiſſet, quia ei nõ cognitus in homine deus eſſet, & ob hoc minus eſſet criminis neſciẽti. Non eñ gentes uerbũ carnem factũ prænuncia ſibi lege didicerunt, quod utiq; his qui ſub lege ſunt etiã ipſius gẽtis ad ſpeciẽ futuræ ueritatis aptatum eſt, cum & hominem Abrahã adorauit, & Iacob in homine deũ uidit, portaſſe hæc opprobria gentiũ, quòd cũ eſſet homo deũ ſe faceret, quòd dæmoniũ habens populũ ſeduceret, quia ignoraſſent hæc omnia in lege quę ad Iſraël lata eſt, cõtineri. Veruntamẽ cũ unanimis, & dux, & notus hęc faciat, unanimis cũ electus ad apoſtolũ eſt, dux cũ demorante dño ipſe ad prędicationẽ aduẽtus ſui ad caſtella pręmiſſus eſt, & futuri regni dux ab eo ac princeps eſt cõſtitutus, notus autẽ cũ omnis ingreſſus eius egreſſuſq; didiciſſet, cognoſceretq; in hominis filio & dei filiũ, qui & particeps in demutãdo ex aqua uino & dulcificando in populi cibũ ordeo extitiſſet, conuiuioq; eodẽ uſus eſſet, ſecumq; dei domũ ſemper eſſet ingreſſus, maiorẽ de ſe querelam in hoc conſortiũ diuini miniſterij aſſumptus exhibuit. Sed quanq; ſpecialia hæc in impietatem eius dicta eſſent, tamen pœnę decretum refertur ad plures.

Veniat mors ſuper eos, & deſcendãt in infernũ uiuentes, qm̃ nequitiæ in hoſpitijs eorũ, & in medio eorũ eſt.) Id eſt, totos ipſos intra extraq; nequitiæ opera circundẽt, ita ſuper eos morte uentura, ut ad pœnæ ſenſum uiuentes deſcendant in infernum, cum hoſpitijs eorũ. Verum ille hæc his agentibus atq; meditantibus ad quem ſpes & precatio ſua eſſet oſtendit, dicẽs: Ego ad deũ clamaui, & dominus ſaluauit me. Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & renũciabo, & exaudiet

uocem meam. Liberabit in pace animã meam ab his qui appropiant mihi, quoniinter multos erant mecum. Et exaudiet me deus, & humiliabit eos qui est ante secula.) Clamorẽ fidelem mox dominus exaudit, & hanc ipsam exauditi clamoris sui gratulationem uespere & mane & meridie narrabit, diem omnem in his diei partibus per quas dies continetur ostendẽs. Talis autem temporum ordo nõ nisi ex prophetica scientia distributus est, ut uespere, & mane, & meridie nunciet, & quia secundum legem & obseruantiã legis à uespere dies cœpta, eadem ipsa usq; ad meridiem deputatur, cum inchoationẽ diei non mane lux reddita, sed uespere nox facta perficiat. Narrat ergo & renunciat ea quæ in psalmo continentur, quòd uocem eius audiat, & in pace animã suam liberet. Pacificauit enim omnia in cœlo & in terra, ut liberet ab appropiantibus sibi. Superior enim querela de proximis cum etiã unanimus & dux & notus hæc ageret, cum apostolis cæteris & ipse electus in apostolũ. Deus ergo qui est ante secula, id est, per quẽ omnia sunt, quia ante omnia sit, exaudiet eum, & humiliabit eos, cum indigni gloria æternæ resurrectionis effecti sint. Nam interiecta diapsalma omnem his ob impœnitentem impietatis professionem spem recidit dicens: Non enim est illis commutatio, & non timuerunt deum.) Omnes secũdum Apostolum resurgent, sed nõ omnes commutabuntur, quia nõ timuerunt deum. Fas enim fuerat ignorasse in homine deum, si resurgentem tamen deum ex mortuis credidissent, patente his etiam post passionis piaculum pœnitentia & indulgentia. Non enim solum non timuerunt deum, sed cum ad retribuendum his manum extendisset, id est, auxilium obtulisset, contaminauerunt testamentum eius, cum eum qui testamento legis ad salutẽ prænunciatus est, repulerunt. Sequitur enim: Extendit manum suam in retribuendo, contaminauerunt testamentum eius, diuisi sunt ab ira uultus eius.) Et idcirco demutatio his non relicta est, quia pro peccato semel mortuus est, & resurgens eos tantũ demutatione donauit, qui secum per fidẽ & causa mortui sunt & resurgent. Hos autẽ ab ira uultus sui euersa ciuitate diuisit, partemq; eorũ cũ infidelibus ponens, eos uel dispersit in omnia, uel diuisit à sanctis, dehinc de generali querela ad significationẽ eius qui ei & dux & unanimis & notus fuerat, sermo se retulit: Et appropiauit cor eius. Mollierunt sermones eius super oleũ, & ipsi sunt iacula.) Ammixtus Apostolis & curã pauperum agens, maximum scilicet ministerij opus curans appropiauit cor suum. Adappropiãtibus enim liberati animam suã gratulatus est, non utiq; ministerio fidei appropians, sed iræ dei & contaminationi testamenti eius. Cæterũ ipse blãdiloquus emollito super oleũ sermone curam agere se pauperum fallens, etiam tum cum precioſi unguenti effusa alabastro conquestus est, tanq; id magis uenire in sumptum inopum debuisset. Sed ille occasionẽ furti de pecuniæ collatiõe quærebat. Et istiusmodi fortè blãdiloquij oleum psalmo alio euitat propheta cũ dicit: Oleũ peccatoris nõ impinguet caput meũ, quia sub specie boni operis maliciæ arma cõmoueat. Sunt autẽ etiam in uerbis iacula, sicut dentes, scutum, & sagittæ sunt, & lingua machæra acuta est. Hæc igitur sermonũ iacula detestatur quæ magis sub blãdimento & adulatione nocitura sunt. Sed inter ista inimici iacula imperterritus manet, nobisq; portũ securitatis tutum fidumq; demõstrat. Sequitur enim: Iacta in dominũ cogitationem tuam, & ipse te enutriet, non dabit in æternũ fluctuationẽ iusto.) Ademit nobis etiam in euãgelijs dominus solicitudinis potestatẽ, dicens: Nolite soliciti esse de crastino, sufficit diei malicia sua. Quærite primũ regnum dei & iusticiam eius, & omnia præstabũtur uobis. Omnẽ scilicet curã in promerẽdo dei regno & iusticia collocandam. Iactanda ergo super eum cura est. Ipse enim enutriet secundũ illud: Super aquam refectionis enutriuit me. Enutriens autẽ non relinquit in fluctibus

Oleum peccatoris, impietas sub prætextu pietatis.

istius

iſtius ſeculi, ſicuti enutritus Iacob omnẽ tempeſtatẽ & odiorũ & duræ ſeruitutis eua ſit, dicẽs; Deus qui nutriuit me à iuuentute mea.) Ipſe enim uitæ autor eſt. ipſe cibi largitor, nõ terreni tantũ, ſed etiam ſpiritalis. Sed illo ſuper aquã refectionis educato, & à procellæ fluctibus liberato, digna impios pœna cõſequitur, cum dicit: Tu uero deus deduces eos in puteũ interitus, uiri ſanguinum & doloſitatis nõ exdimidabunt dies ſuos, ego autem ſperabo in te domine.) Eſt quidem puteus aquæ uiuæ, ſed eſt puteus interitus ſecundum illud: Nõ me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque contineat ſuper me puteus os ſuum. Non relicto igitur in fluctuatione iuſto, illi in puteum interitus deducentur, cuius os clauſum reſurgente ex inferis unigenito deo eſſe non potuit. Cæterum poſt paſſionem domini ſtatim eos belli uictoria cum excidio ciuitatis abſumpſit, omni promiſcua ætate ad ſatisfactionem uincentiũ interempta, non dimidiatis uitæ diebus iuuentute proſtrata. Dies autem pleni ſanctis & fidelibus reſeruãtur, ſecundum illud: Et dies pleni inuenientur his, quorũ ſpes ſemper in domino eſt, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

In finem pro populo, quia à ſanctis lõge factus eſt Dauid, in tituli inſcriptione cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.

PSALMVS LV.

MVlta pſalmi ſuperſcriptio comprehendit, quæ præter rerum geſtarum notionem alterius intelligẽtiæ intimant ſenſum, cum pro populo qui à ſanctis longe eſt Pſalmus eſt, cũ tituli inſcriptio præfertur, cũ poſtremo exordiũ ipſum in fine præſcribitur. Si enim eã ſolam quere lam preſens ſermo cõtineret, quòd cũ fugeret ab Allophylis in Geth Dauid teneretur, totum ſe circa id tantum hic iniquitatis increpitæ motus exereret. At uero cũ hæc ante rei geſtæ ſignificationẽ ad imbuendum legentiũ ſenſum dirigendumq; prælata ſint, ſine dubio intelligimus per rerũ geſtarum, quæ in Dauid gerebantur, effectus imprimi nobis ſecundum ſpiritum prophetiæ earum rerum quæ ſub his præſcriptiõibus ſignificata ſunt, notionẽ, ut quod Dauid paſſus eſt, præfiguratio fuerit paſſionum domini noſtri Ieſu Chriſti, ut quod tituli inſcriptio eſt, eius qui moriendo uicerit ſignificata uideatur æternitatis, quia tituli inſcriptio (quam ſtelographia ſermo Græcitatis enunciat) his maxime qui probabilem uitam degentes etiam pro ſalute patriæ mori bello non timuerũt, ad æternitatis gloriam deferatur. Populo autẽ qui longe ſit factus à ſanctis Iſraël indignus factus ſanctificatione gentium longeq; ab ea diſcedẽs eſſe noſcendus eſt. Quod autem in finem eſt, propriũ ei eſſe qui finis legis eſt intelligatur, quod id ipſum pſalmi fine noſcetur, cum huius ipſius intelligentiæ noſtræ abſolutionẽ his maxime quo pſalmi finis cõcluditur, ſermo declaret. Per hęc certe quę ſuperſcriptioni præter rerũ genera cõnexa ſunt, pſalmũ etiã ex perſona domini tractabimus, nõ tamẽ à prophetæ ipſius diſſidẽtes querelis, neq; eũ his quæ pertulit non etiã gemuiſſe exiſtimandũ eſt, quia idcirco his ipſis quæ ſpiritalem ſenſum intimãt, rerũ geſta cõnexa ſunt, ut per actionẽ prophetæ ſenſus ac ſermo noteſceret prophetiæ, cum propheta nõ tam ſpiritu quàm paſſionibus prophetarit. Erit ergo ſermo inter Dauid ipſum & hominẽ Ieſum Chriſtũ temperatus, ut quia infirmitates omniũ portauit & peccatorum noſtrorum frequẽter & uoce ſit uſus & lachrymis extra contumeliam dei ſit & affectus & ſermo qui hominis eſt. συλλογραφία

ENARRATIO PSALMI. LV.

MIſerere mei domine, quoniã cõculcauit me homo tota die, pugnans tribulauit me, conculcauerũt me inimici mei tota die.) Diem frequenter ſignificari pro ætate cognoſcimus, ut ubi dies tota eſt, illic omne uitæ tẽpus oſtẽſum ſit. Neq; eũ uel dñs unius tanũ diei inſectatiõe uexatus Dies pro ætate.

eſt. Sed qui miſericordiã dei poſtulat, ſeſeq; conculcatũ eſſe cõqueritur, habet ſecuritatis & uirtutis ſuę arma, quibus nõ ſolũ terrena odia, ſed & ſpiritualiũ nequitiarũ bella ſuſtẽtat. Aduerſum quas potius quàm aduerſum carnẽ & ſanguinẽ pugnã nobis apoſtolus docet eſſe. Miniſteriis enim impiorũ utunt ad uexatiões tribulationesq; ſanctorũ, cum eorũ corda penetrãtes in omnẽ eos impetũ turbulẽtæ mentis inſtigãt. Hãc igitur ſupereminentẽ in hoc ſeculo & efferentẽ ſe altitudinẽ propheta nõ pertimeſcẽs ait: Ab altitudine dierũ nõ timebo, quia multi qui debellant me timebũt. Scit æterni iudicij diem, nouit etiã ęternum ignẽ pœnis æternis præparatũ, atq; ideo magis illi qui eũ debellare tentãt timebũt, quia hoc ſancto nõ timente, in eos magis iudicij terror incũbit. Pro fiducia uero ſecuritatis ſuę ſubiecit: Ego uero in te ſperabo. In domino laudabo ſermones meos tota die.) Spes omnis in deo collocat, ſermonesq; ſuos toto tẽpore uitæ ſuę laudat. Neq; obſcurũ eſt quid in loquẽte ſe laudet. Vox enim hęc ſancto eſt digna quæ ſequitur: In deo ſperabo, nõ timebo quid faciat mihi homo. Nõ hũc frãgit ſeculi terror, neq; cõſpirantium aduerſus ſe odia perturbãt. Spes enim quæ in deo eſt terrores humanorũ nõ pertimeſcit odiorũ. Carnem autẽ pro ſignificatiõe hominũ per quã in corpore continentur frequẽter accipimus, uel cũ de ipſis dicit: Nõ habitabit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quoniam caro ſunt. Vel illud: Videbit omnis caro ſalutare dei. Vel illud Apoſtoli: Nonne eſtis carnales, & ſecundũ hominẽ ambulatis? Manet itaq; imperterritus ſub miſericordia dei, atq; ideo in eo ſperãs omnis carnis impetus inſectatiõesq; nõ metuit. Sed digna planè etiã hæc unigenito deo uox eſt, cui exinaniẽti ſe ex dei forma uirtutẽ dei atq; naturã ſeruilis forma nõ abſtulit. factus enim caro deus, etiã in aſſumptione carnis deus eſſe permãſit, utens uirtutis ſuæ ſub cõſortio noſtri corporis poteſtate. Nõ enim carne eſt degrauatus, ne ſuperundas ambularet, neq; nõ ut uſq; ad fimbrias ueſtis uirtus diuinæ poteſtatis exiret, neq; ut nõ peccata dimitteret, ut ſputo ſuo naturã uidendi cæcis ab utero oculis accẽderet, & aure ꝓducta de uulnere abſciſſę auris uulnus obduceret, neq; ut nõ ſolida parietũ corpore interlabẽte penetraret. Nõ ergo metuit à carne, uel in deo ſperãs, ꝓpheta, uel ſub aſſumptiõe carnis deus opa diuina conſummãs. In his etiã quæ conſequuntur, rei in eo quoq; geſtæ ſignificatio cõtinetur. Ait enim: Tota die uerba mea execrabãtur: aduerſus me omnia cõſilia eorũ in malũ. Habitabũt: ipſi calcaneũ meum obſeruabũt.) Nuſq; enim niſi occultis conſilijs aduerſum eũ teſtimonia falſa, & captioſæ interrogationes ſunt cõparatę, in cõmune habitãtes & conſilia maliciæ occulẽtes. Sed & increpationẽ uerborũ eius, quibus impietatẽ eorũ exprobrare nõ deſtitit, non tulerũt: egreſſus quoq; omnes ipſius in calcaneo contuẽtes, dũ in eius ſupplantationẽ frandulẽta cõſpiratione conſentiũt, ob quod eos digna hæc iudicij ſentẽtia cõprehendit. Sequit enim: Sicut expectauerunt animã meam, pro nihilo ſaluos facies illos: in ira populos deduces.) Nouus hic prophetæ ſermo eſt, ut eos qui expectant animam ſuã ad nihilũ deus ſaluet. Et cũ aliud ſit in nihilũ, aliud ſaluari, nũc ſalus quę in eos fiet in nihilũ ſit. Eſt ergo quod ſaluet in nihilũ, eſt planè, quicquid reſurrectione cõceſſa demutatione nõ dignũ eſt. Nã cum omnis caro redẽpta in Chriſto ſit ut reſurgat, & omnẽ aſſiſtere ante tribunal eius neceſſe ſit, nõ tamẽ omnibus gloria & honor eſt, ꝓmiſcuus reſurgendi. Quibus ergo tantũ reſurrectio non etiã demutatio eſt tributa, hi ſaluant in nihilũ. in ira enim deducẽtur hi populi, quibus ad pœnę ſenſum ſalus reſurrectiõis eſt cõſtituta, à qua ira eripiendos nos Apoſtolus pollicetur, dicẽs: Quoniã ſi cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multomagis iuſti in ſãguine eius ſaluabimur per eũ ab ira. Pro peccatoribus igit ad ſalutẽ reſurrectionis eſt mortuus, ſed ſanctificatos in ſãguine ſuo ſaluauit ab ira. Denicq; pro nihilo populis ſaluatis, & in ira deductis, ſpẽ uitæ ſuę ſanctus hic nũciat, dicens: Deus

uitam

uſtam meã nũciaui tibi,poſuiſti lachrymas meas in cõſpectu tuo,ſicut in promiſſione tua.) Dignus promiſſione dei eſt ob cõſtantiã prędicandi,& ob meritum nõ tacendi,lachrymæ enim ſuę,quas uel per ſe propheta,uel pro nobis dominus profudit,in dei ſunt cõſpectu legatione earũ ad obtinẽda quæ deus promiſit uſurus,ſed ſe gratiã æternę promiſſionis inituro,inimici eius cõuertentur retrorſum, ut quod ira deducerẽtur oſtẽderet.Id enim ſequitur: Cõuertantur inimici mei retrorſum in quacũq; die inuocauero te.) Illo deũ inuocante,illi eò unde proceſſerint cõuertentur, deducente eos dei ira & reſumpto ad pœnas corpore puniẽdos. Sed illis ad æternitatẽ pœnæ in infernũ poſt reſurrectionẽ reuerſis,hic officio gratulatiõis ſuæ fungitur,dũ ait: Ecce cognoui quia dominus meus es tu,& in deo laudabo uerbũ.) Hoc ergo uerbũ ſuum in deo laudat,quod deum ſuum eſſe cognouit.Neq; id tantũ laudat,ſed etiã illud quod ſperauit in eo,nõ metuẽs quid homo ſibi faciat. Hęc planè digna ſanctis omnibus uox eſt, conſtantẽ inter infectationes humanas fidẽ tenere,& metũ terrenæ turbulẽtiæ nõ moueri,ſpeq; certiſſima quod aliquid aduerſum animę æternitatẽ homo effecturus ſit nõ timere,cum poſt interceſſionẽ mortis iſtius in immortalẽ gloriã & corruptio & infirmitas noſtra mutetur. Atq; ob id ſermões ſuos quibus ſe ſperantẽ in domino humanã uim proteſtatur nõ metuere collaudat,dicẽs: In domino laudabo ſermonẽ,in domino ſperabo,nõ timebo qd faciat mihi homo.) Ob hoc ergo ſermonẽ ſuũ laudat in domino,quia ſperãs in eo hominẽ nõ timebit.Sed ut doceret,idcirco ſe nihil ab homine ptimeſcere,quia ſi quid poteſtatis ſuę exeruiſſet in corpore,id rurſum reſurrectiõis gloria ſine corporũ labe reciperet,ſubiecit: In me ſũt deus uota tua, quæ reddã laudatiões tibi,qm eruiſti animã meam de morte, & pedes meos de laſu,ut placeã corã deo in lumine uiuentiũ.) Nõ extra ſe ſunt iſta quæ ſperat,nec laudatiõis uota quæ reddẽda ſunt extrinſecus capeſſenda.Ipſe em̃ ſibi reſurrectionis eſt dñs,ipſe huic è mortuo & intra ſepulchrũ relicto corpori diuinę naturę ſuę tribuit conſortiũ.Neq; enim reſurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus acquirit̃, neq; peregrinæ originis externarumq; cauſarũ natura recipitur, ſed id ipſum in profectũ æternæ claritatis emergit,fitq; in eo demutatiõe potius q̃ creatione quod nouũ ſit.Sũt ergo in ſe uota quæ reddet,tum cũ infirmitas corporum detrahitur,id eſt,lapſus & lachrymę,tum cũ corruptionẽ incorruptio deuorauit, tũ cum mortẽ poteſtas immortalis abſorbet, tum cũ ſit deus omnia in omnibus, tum cum lumẽ uiuentiũ ſit in eodem uiuentiũ lumine deo ipſe placiturus. Nã ſi ſibi in creatione mũdi ſecundũ ſapiẽtiæ profeſſionẽ ſuper filios hominũ adgaudebat pater,lõge magis in recõciliatione mundi intelligendus eſt patri eſſe placiturus.Eſt enim lux uera mundi illuminans hominẽ uenientem in hũc mundum dominus noſter Ieſus Chriſtus,qui benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

In finem ne diſperdas in tituli inſcriptionem,cũ fugeret Dauid à facie Saul in ſpeluncam. PSAL. LVI.

Atq; hic titulus non habetur in libris noſtris.

DE ſuperioris pſalmi ſuperſcriptione id tantũ demutatũ in cõſequenti eſt,quod ubi pro populo longe à ſanctis facto ęnigmatũ eſt, nunc ne corrumpas uel diſperdas prędcribit̃, quod uno uerbo τὸ μὴ διαφθείρῃς utrũq; Græcus ſermo cõplexus eſt.Cõſequens enim erat, quia corruptio eos qui longe à ſanctis diſcederent manſura eſſet, ne huic ſanctus ſubderetur oraret. Nam & in pſalmo alio gratulationem auerſæ huius à ſe corruptionis oſtendit,dicens:Nec dabis ſanctũ tuum uidere corruptionem.Neq; ambiguum eſt,pſalmũ hunc ſecundum apoſtolorũ profeſſionẽ ex perſona eſſe domini intelligendum.Itaq; Dauid ad humanæ carnis gloriam reſurrectionis dominicæ tempus expectãs,nunc & nõ corrũpi ſe rogat, & auerſam à ſe corruptionẽ

in eo in quo primitiæ reſurrectiõis ſunt prophetiæ præſciẽtia gratulatur. Ideo aũt in finẽ tituli inſcriptio eſt, quia & glorioſa ad æternitatis honorẽ uita ſuſcepta, & mors plurimis ſalutaris uirorũ fortium inſcribaẽ ſepulturis. Et hæ omnia ad eum referri oportebat, qui uel finis eſt legis, uel quẽ pſalmi ipſius finis oſtendat. Id autẽ quod in ſpelũca clauſus hæc loquitur, tempus eſt prophetiæ, quo pſalmũ intelligi tur ſcripſiſſe, ipſa illa ſpelũcæ habitatione manſuro in corpore domini humilitatẽ prophetãs. Cæterũ uideri nõ poteſt, ut qui ob metũ erat intra ſpeluncã recondi/ tus, pſalterio & cithara, ut teſtatur in pſalmo, totius artis muſicæ perſtreperet ap/ paratu. Cœpit autẽ ita: Miſerere mei deus, miſerere mei, quoniã in te confidit anima mea.) Miſericordiã rogat, quia cõfidit in deo, docens ab his miſericordiam dei ſperandã eſſe q crederẽt. Et miſericordię dei quod momentũ quiue ſit effectus oſtendit, dicens: Et in umbra alarũ tuarum ſperabo donec tranſeat iniquitas. Aui/ bus naturę eſt infirmitatẽ pullorũ alis inũbrare, eosq; à pręteruolantiũ ui atq; im probitate defendere. Quod & in gallinis maxime noſcimus, cũ collectos intra pen nas fœtus ſuos aut opperiãt aut tueanẽ. Quarũ cõſuetudinẽ ad exemplũ ſolícitu dinis ſuæ dominus cõmemorat, dicẽs ad Hieruſalẽ interfectricẽ prophetarũ: Quo tiens uolui colligere filios tuos, ſicut gallina, quę cõgregat pullos ſuos ſub alis ſu/ is, & noluiſti: Sperat ergo in umbra alarũ dei ſanctus, donec iniqtas trãſeat, id eſt, dũ aut ſeculi ſcãdala, aut iníquitates impiorũ, terrenæ humilitatis infirmitatẽ, dũ hãc ipſam, quaſi ſpeluncã habitaculi & corporis ſui Dauid, qua nũc eſt clauſus e/ uadit, & ſperãs ſub umbra alarũ dei, officio ſpei ſuę ſemper intẽtus eſt dicẽs: Cla mabo ad deũ altiſſimũ, deũ qui benefecit mihi.) Clamat fide potius quàm uoce qui fugiẽs & latẽs clamat. Porrò aũt nõ eſt in ſermone ſperãtis gratulatio adem/ ptorũ, ſed prophetícę ſciẽtiæ ac fidei eſt, gerendis nõ aliter gaudere quàm geſtis, & idcirco ad eũ qui ſub indemutabili cõſtitutione bonitatis iã ſibi benefecerit, cla mat. Et quatenus benefecerit dominus cõſequentibus docet, dicẽs: Miſit è cœ lo & liberauit me, dedit in opprobriũ cõculcantes me, miſit deus miſericordã ſuã & ueritatẽ ſuã. Eripuit animã meam de medio catulorũ leonũ, dormiui cõturba/

Hic ponit in neutro.

tus.) Dignũ fuit etiã ſi nulla demutatio perſonæ eſſet ac ſenſus, diapſalma inter/ uenire, quia ad intelligentiã dictorũ ſenſus eſſet credentiũ erigendus. Benefecit deus ſancto ſuo mittẽdo de cœlo, ut liberato eo, in opprobriũ hí qui eum cõculca bant darenẽ. Et miſit miſericordiã ac ueritatẽ ad eripiendã de catulorũ medio ani/ mam ipſius, tũ cum cõturbatus dormiſſet. Sicut mors ſignificatur in ſomno, uel cũ dormiturus Dauid cum patribus ſuis eſt, uel cũ dormiens Lazarus excitandus eſt, uel cũ Cẽturionis illius nõ eſt mortua puella, ſed dormit, uel cũ eos qui dormie runt nõ præueniemus in reſurrectione, ſic cõturbatio dormientis ſignificatio eſt paſſionis, cũ dicit: Nũc anima mea turbata eſt ualde, quã tamẽ eripi de manu ca/ nis ita antea deprecatus eſt: Libera me de ore leonis, & de manu canis unicã meã. & nõ alij canũ uel leonũ catuli intelligi poſſunt quàm q ſunt & natio uiperarũ, de quorum medio anima eripitur, per miſſam è cœlo miſericordiam & ueritatem, ſecundũ illud: Miſericordia & ueritas ſe obuiauerũt. Et ſi miſericordia & ueritas dominus Ieſus Chriſtus eſt, non ambigitur quin illi in opprobrium dedentur, qui cõculcantes dominum, in paſſione iſta non credunt, quibus utiq; opprobrium eſt unigeniti dei aduentum & peccatorum indulgentiam perdidiſſe. Et quia huic ſanctorum ſpei, uel perſequentium odia uel negantium aduerſatura ſemper eſ/ ſent, commemoratis humanæ ſalutis ſacramentis, ſubiecit: Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum machæra acuta.) Vitia mo/ tusque animarum ſub corporalibus officijs diuinus ſermo ſignificat, ut in Deu/ teronomio cantico increaſſauit & calcitrauit dilectus, impietatis luxu ſub ſignifi/ catione conſuetudinis corporalis increpito, uel illud: Qui deuorant plebem ut

cibum

cibum panis,uel etiam dentes peccatorum contriuisti.Nec non & apostoli:Quod si mordetis inuicem, uidete non consumamini ab inuicem, ut quod singulis quibusq; membris officij actionisq; mandatū est, id ad efficientiam mentium animorumq; referatur,ut nunc uel persequentiū,uel obtrectantium cōmemoraturus effectus ait:Filij hominū,dentes eorum scutum & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta,cū & cōsumerent sęuitia potestatis,&obtrectationū iaculis uulnerarēt. Sed inter hæc quæ sitit & expectat propheta nō tacuit:deprecatus enim ne corrumperetur,absorbēdæ incorruptionis istius tēpus exoptat,dicens: Exaltare super cœlos deus,& super omnē terrā gloria tua.) Quę in altum de humilibus efferuntur, ea exaltari uidentur,quia per profectū quendam in id quod sublimius est euadunt. Quod aūt super cœlos exaltandū est, necesse est ut prius descenderit ad inferiora de cœlis,per quod rursum exaltandū sit super cœlos. Quod ipsum Apostolus absolutissime ita dicit: Qui cum ascendisset in altitudinē, captiuā egit captiuitatem, dedit dona hominibus. Ascendit aūt quid est,nisi quia & descendit in inferiora terræ? Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes cœlos,ut adimpleret omnia: hinc exaltandi super cœlos causam significans extitisse, quòd descendendi usq; in inferiora terræ humilitas esset assumpta ex uoto.Ergo propheta prænunciat exaltari super cœlos deum,& quia exaltatus super cœlos impleturus esset in terris omnia sanctisspiritus sui gloria,subiecit: Et super omnē terrā gloria tua.) Cum effusum super omnē carnem spiritus donum gloriā exaltati super cœlos domini protestaretur.Omnis aūt hic profectus non naturę diuinæ,sed infirmitati hominis optatur,quia se per assumptionē carnis in cœlestibus collocandum propheta nō nescit, quippe cū corporales & cōparticipes effecti simus in Christo.Et idcirco hæc in carnis suæ infirmitatē, quæ in passionibus domini uexanda & super cœlos esse exaltanda cōnexuit: Laqueos parauerūt pedibus meis,& incuruauerunt animā meam,foderunt ante faciem meam foueā,& inciderunt in eam.) Per cōpassionis fidem etiam se ipso in domino propheta patiente, tanq; & ipse sit passus hæc queritur.Sed in eos qui maiestatis dominū persecuti sunt,cum in foueam præparatā inciderint,mortis ipsius & sensus refertur & pœna. Et quia cōpatiendi & cōmorien di fides nos glorificat Christo,uelut in procinctu spei fideiq; huius propheta consistit,dicens: Paratum cor meū deus,paratū cor meum,cantabo & psalmū dicam tibi.Exurge gloria mea,exurge psalteriū in cithara,exurgā diluculo.Et confitebor tibi in populis domine, psalmum dicam tibi in gentibus.) Interiecto diapsalmate hunc ad deū retulit propheta sermonē,psalmi interim fide hæc eadem in quæ coreius paratum est cōcinendo,& animi sui corporis gaudia sub significatione psalterij & citharæ adhortatus sese ipsum in eo quod cantet psalmūq; dicat ostendit. Ait enim:Exurge gloria mea,exurge psalteriū & cithara,exurgam diluculo. Seipsum scilicet ostendit in psalterio citharaq; declarans,cum ad exurgendū cithara psalterioq; cōmonitis ipse potius qui in his significetur exurgat. Exurgens aūt diluculo cum gloria sua spei euangelicæ gloriā cantat,cōgruente diluculi & orationis tempore & salutis.Nam id sequitur: Et confitebor tibi in populis domine,psalmū dicam tibi in gētibus.) Laudaturus in populis & in gentibus deum,necesse est,ut in eo salutem gentiū laudet,quia iam non in uno Israël funiculus hæreditatis artatus sit, neq; Iacob portio, sed terræ plenitudo iam dei sit, neq; simus iam imago terreni, sed imago cœlestis. Quid autem confitendum in populis, psallendumq; inter gentes esset ostendit: Quia magnificata est usq; ad cœlos misericordia tua, & ueritas tua usque ad nubes.) Hæc est ergo in populis gentibusq; confessio, quia magnificata usque ad cœlos sit misericordia, & ueritas usq; ad nubes. Nam cum domino obuiam sancti rapientur in nubibus, ipso illa nube in resurrectionis corporeæ gloriam elato, & creatura omnis secundum Apostolum à corruptione

Diapsalma

ſit liberãda,pacificandaq; omnia per eũ quæ & in cœlo ſunt & in terra,merito & uſq; ad nubes ueritas noſtra in eo reſurrectionis effertur, & magnificatur uſq; ad cœlos miſericordia eius,cõgemiſcentis creaturæ corruptione depulſa.Sed horum quidem uſq; ad nubes & uſq; ad cœlos ſignificatur elatio,uerum illi proprium eſt cœlos tranſgredi,& omnẽ ſenſum exiſtimatę ſublimitatis euadere.Repetita itaq; ſpei ſuæ precatione propheta ſic clauſit: Exaltare ſuper cœlos deus,& ſuper omnem terrã gloria tua.) Nullus exaltãdo deo modus eſt, nam ſuper cœlos eius elatio eſt.Dominus eñ creaturarũ eſt ultra creaturas intelligendus,& cũ nobis nõ aliud ſit in cognitone q̃ cœlum, ultra omnem ſenſum eſt, qui ſuper cœlos exaltatus ſenſum notionis excludit.Miſericordiã quidẽ eius uſq; in nos redundauit, ſed magnificata uſq; ad cœlos in cœleſtibus mox futuris.Et cũ uſq; ad nubes ueritas eius elata ſit, nobis obuiam in nube rapiendis ſcilicet, cœlos omnes tamen conſeſſurus à dei dextris ipſe tranſcendit, gloria quoq; eius in terris,id eſt,nobiſcum manſura, cum dicit:Ecce ego uobiſcũ ſum omnibus diebus uitæ uſq; in conſummationẽ ſeculi, dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorũ. Amen.

In finem,ne diſperdas Dauid,in tituli inſcriptione. Pſalmus LVII.

DE ſuperioris pſalmi ſuperſcriptione ſola deeſt ſignificatio aliqua geſtorum. Nam & in finẽ,& ne diſperdas, & tituli inſcriptio eſt. Neq; enim pſalmus quicq; per rerum geſta cõtinet prophetiæ, ſicut in cæteris ſanctus Dauid & dictis prophetat & geſtis,ſed increpatio in impios eſt,& denunciatio iudicij dei in peccatores,& retributio lætitię in ſanctos,& fructus omnis iuſtitiæ cõtinetur.Hic ergo finis in pſalmo eſt, hæc depellenda corruptionis fiducia,hæc ei qui nos per mortẽ redemit,tituli inſcriptio eſt.Et quidem taliter pſalmus ipſe ſe profert: Si uere utiq; iuſticiã loquimini,directa iudicate filij hominũ. Etenim in corde iniquitates operamini in terra, iniquitatem cõplectuntur manus ueſtræ.) Iuſticiæ ſermo cõmunis eſt,ſed quia iudicij ſtudium & conſuetudo paucorũ eſt,& planè tum uere quis loqui iuſticiã exiſtimãdus eſt, cum iudiciũ retineat ueritatis,deo ob id non eloquia humana,ſed cordis opera,id eſt,cogitationũ molitiones iudicante. Solet aũt iniquitas ſub publicæ conſcientiæ pudore nõ peragi, & ideo licet cõplexæ manus nõ ſint iniquitatẽ, tamen iniquitatẽ deo cor operatur in terra.Hinc adulteriũ ſolo conceptum corde iam crimen eſt: hinc ſecundũ Pauli euangelium ſecreta hominũ deus iudicat,uoluntates hominũ deo in ipſis hamanę natiuitatis exordijs contuente.Nam cum naturæ potentis uirtus nõ tam uiſcerum fibras q̃ appetitus mentis introëat,neceſſe eſt ut nõ per motus ſenſuũ perſpiciendi ſumat exordium,ſed per naturę ſcientiã etiam futurus motus ſenſuũ præſciens apprehendat.Et idcirco de his qui cõplexas manibus iniquitates corde perficiũt,cõtinuo ſubiecit: Alienati ſunt peccatores ab utero,errauerũt à uentre,locuti ſunt falſa). Sic Eſau alienatus ab utero eſt,cũ maior minori ſeruiturus,etiã anteq̃ exiſteret nunciatur,deo futuræ nõ neſcio uoluntatis,cum & ſermonis falſitas,& uitæ error à uentre eſt, ipſo potius hoc ſciente, q̃ aliquo ad neceſſitatẽ genito naturamq; peccati,ac ne uitium referri poſſet ad originẽ præduratę in his ad obediendum uoluntatis crimen exprobrat,dicens: Furor illis ſecundũ ſimilitudinẽ ſerpẽtis,ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ nõ exaudiet uocẽ incantantiũ medicamẽtis medicatis à ſapiẽte.)Nõ excuſat quidẽ neceſſitas naturalis in crimine.Nam ſerpens innocẽs eſſe potuiſſet,cui aures per ſe ut ſurdæ ſint obſtruuntur,uocemq; incantãtis non audit,cum medicata medicamina à ſapiente nõ percipit.Neq; hæc †Marſorum cantus & conſopita uiperarũ ſibila memorat,quia hęc eadem maiore cum energia per fidem nominis dei uirtutemq; torpeſcunt,ſed illam contumacem atq; inſolentem antiqui ſerpentis inobedientiam docet aduerſum ſanctorum cantus & medicata à ſapiente medicamina obſurdeſcentis, cum ei cotidie ne fallat,ne ſubrepat,

†Marſi populus efficax domandis uenenis, unde pro Morſorum reposuimus Marſorum

ſubrepat, ne mordeat etiam ſub diuini nominis denunciatione mandetur, & tamē obſtructo deſæuit auditu, ex quo non obedientes Euangelio nati uiperarū ſunt. Sed quia poteſtas eius ſuorumq; conteritur, & omnia in his ſæuitiæ arma franguntur, hæc ſubdita ſunt: Deus contriuit dentes eorū in ore ipſorum, molas leonum confregit dominus. Spernentur uelut aqua decurrens, intendent arcum ſuum donec infirmentur. Sicut cera liquefacta auferentur, ſupercecidit ignis, & non uiderunt ſolem.) De peccatorum dentibus & molis leonum frequenter nobis fuit ſermo, quia in his deſæuientis malignitatis ſignificatur inſtinctus. His ergo confractis contritisq; uelut decurrens aqua ſpernentur. Omnis enim ſuperfluentium aquarum curſus eſt otioſus, cum unuſquiſq; ex his id tantū quod ſibi utile putet eſſet deriuet, cæteris meatu tranſcurrente perituris, cum ad ſolam ſui abolitionem uſque ad maria deferantur, atq; huius quidem in his naturæ atque contemptus in pſalmo alio meminit, cum dicitur: Effuſus ſum tanquàm aqua, & diſperſa ſunt oſſa mea. Factum eſt cor meum tanquàm cera liqueſcens in medio uentris mei. Et multa quidem quæ ex ſolidis in liquida ſoluuntur demutant habitum ſine abolitione naturæ, ut † ex agentibus fluant, cera autem ſola ſuſcepta igni ſic liqueſcit ut pereat, eodē nunc modo creationis utriuſq; in perdendis peccatoribus poſuit exemplum: Spernentur uelut aqua decurrens, intendit arcum ſuum donec infirmentur. Sicut cera liquefacta auferentur. Primum ergo ſpernentur ſine conſiſtendi ſpe & manendi inutiliter defluentes, dehinc arcus domini erit donec infirmentur intentus, infirmati autem liquefacti ceræ modo auferentur, & in arcu ſe ueritatem iudicij dei ſignificari frequenter oſtendimus, peccatorum hunc ſemper pœnis his qui puniētur intentum. Et ſanè intento arcu igne iudicij eos ut liquefactam cerā auferendos ſequens ſermo declarat: Supercecidit ignis, & non uiderunt ſolem. Superiectus ergo ignis eos auferet, ne ſolem iuſtitiæ contemplentur: indigni enim ſunt qui ſint cohæredes æterni luminis. Tanquàm cera autem liquefacta auferentur, igne ſuper eos, ne ſolem uideant, deſcendēte. Et ut abolitionem eorum potius quàm pœnā ſignificaret, adiecit: Priuſquàm producat ſpinas ueſtras rhamnus, ſicut uiuētes ſic in ira abſorbet uos.) Rhamnus ſentiū genus eſt, quod plures ex ſe condenſasq; ſpinas modo rubi affert. Floreſcit autem cum cęteris uere confotū. Ergo antequàm rhamnus peccatorū ſpinas producat, uiuentes eos ignis in ira abſorbebit. Necq; enim ſuſpenſo adhuc iudicij tempore quieſcere peccatores ſine pœna erat dignum: uiuentes itaque eos, cum pœnæ ſcilicet ſenſu abſorbebit ignis etiam antequàm reſurgent. Corporum enim reſurrectio ſignificatur in rhamno, quæ ipſa in ſe ſpinas, quibus compungenda ſunt, exhibebunt, aliis fructus æterni floris habituris. His uero tantū ad efferendos in ſe modo rhamnorum ſpinarum aculeos excitandis, peccatorum autem uim & dolorem ſignificari meminimus in ſpina, cum dicitur: In erumnam incidet dum confringitur ſpina, quouſq; ad mortem humiliatus de peccato condemnauit peccatū in carne, uelut configens ſpina cōfigitur, & unuſquiſq; ſecundū Apoſtolum, ſiue bona ſiue mala percipiet in carne, cum ipſam materiam ac ſenſum, in qua cōpungatur, habiturus ſit peccator. Ante reſurrectionē carnis, id eſt, anteq; ſpinas ſuas rhamnus emittat, uiuens abſorbetur ad pœnam anima eius (ſecundum diuitem in euangelio) puniēda quæ uiuēs ſit. Sed inter hæc iuſti cuiuſq; (tanquā Lazari in ſinu Abrahæ requieſcentis, lætitia mōſtratur. Sequitur enim: Lętabitur iuſtus cū uiderit indictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Et dicet homo ſi utiq; erit fructus iuſto, utiq; eſt deus iudicans eos in terra.) Lætitia iuſti eſt cū uiderit uindictā, quia peccatoribus puniendis deductum ſe per angelos in æternam requiem lętatur, manus ſuas non peccatorum ſanguine abluens, ſed cum peccatores in ſanguine ſint, quia rei ſanguinum ſunt, manus illæ ab omni reatu ſanguinis ablutas cōtinebit, &

Forte ex alijs gentibus

Rhamnus

ipſum

ipſum pſalmo alio teſtatus eſt, cum dicit: Odio habui cõgregationem maligno-
rum, & cum impijs non ſedebo, lauabo inter innocentes manus meas. Et comme-
moratis innocentiæ officijs, adiecit: Ne perdas cum impijs deus animam meam, &
cum uiris ſanguinum uitam meam. In peccatorum ſcilicet ſanguine manus ille
abluet inter innocentes. Adeo autẽ hi uiri ſanguinũ ſunt, ut omnium ab Abel uſq;
ad Zachariam interfectorũ ab his ſanguis ſit repoſcendus, & ab abluente manus
ſuas Pilato ſuper ſe ſuoſq; eſſe iuſti ſanguinem ſint profeſſi, ſed manus ſuas lauan-
te iuſto atq; lætante, dicet homo: an fructus erit iuſto: & utiq; eum eſſe dicit, quia
deus ſit in terra eos iudicans. Dicens ergo homo, an fructus ſit iuſto, non ambigi-
tur expectare iudicium iuſto, tamen iam in terris, quia per angelos in Abrahæ ſi-
num deductus ſit, iudicato, ſecundũ illud: Qui credit in me non iudicatur, ſed tran
ſit de morte in uitam: qui autẽ nõ credit, iam iudicatus eſt. Cum ergo ſanctus non
iudicandus ſit, qui in uitã ſit tranſiturus ex morte, & infidelis iam iudicatus ad pœ
nam ſit, intellígitur in eos reliquum eſſe iudicium, qui pro geſtorum qualitate in-
ter peccata fidemq; ſint iudicandi per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt
benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

In finem ne diſperdas Dauid in tituli ſcriptione, quando mi ſit Saul & cuſtodiuit domum eius ut interficeret eum.

PSALMVS LVIII.

SVperſcriptio pſalmi à ſuperiore non differt, ſed pſalmus eo differt, quòd quædam ex his quæ in Dauid ipſum geſta ſunt præferuntur, cum Saul miſit & cuſtodiuit ad interficiendũ eum domum eius. Ve-
rum ſi ob id dirigenda ad deum eſſet oratio, ſuperiora illa, id eſt, in fi-
nem, & ne diſperdas, uel corrumpas, & in tituli inſcriptione, non ne-
ceſſe fuerat anteferri. Hæc aũt maxime quanquàm ſpiritali ſint diſtributa ratione,
cum & finis legis ſit Chriſtus, & corruptioni ſubiecta non fuerit eius æternitas, &
glorioſæ mortis ipſius titulus in ſalute ſit gentium, tamen etiam ipſa quæ de geſtis
eius præſcripta ſunt prophetica eſſe declarant, cum paſſionis dominicæ propheta
non neſcius, ſub occaſione ac tempore eorũ quæ perpetiebatur odiorũ & patien-
do prophetam ſe docuerint & loquendo. Tractabimus autẽ pſalmũ, ut eorum qui
ſecundum literam ſapiunt intelligentiã non grauemus, ſed & ut quod à Saul cuſto
ditus ad interficiendũ eſt, non minus eius ſit temporis propheta quàm Apoſtolus,
& in Hieruſalem tanq; in domo ſua cõcluſus & cuſtoditus ſit ad mortem. Eripe
me de inimicis meis domine, & ab inſurgentibus in me libera me. Eripe me de o-
perantibus iniquitatem, & de uiris ſanguinum libera me.) Vitiorum humano-
rum cauſas profectuſq; complexus eſt, ut unde orta eſt, & quò euaderet impietas
noſceremus. Et idcirco iras & ſimultates & inimicitias euangelium cõpreſſit, cum
iraſci ſine cauſa fratri reatus gehennæ ſit, & oblatio muneris, niſi poſt reconciliatio
nem non conceſſa ſit ſimultatis, & inimicos non ſolum diligendos, ſed & pro his
orandum eſſe decernit, quia ex his ad uirum ſanguinum peruenitur, nam primum
inimici ſunt, dehinc inſurgunt in eum cuius inimici ſunt. Inſurgentes autẽ iniqui-
tatis operarij ſunt, poſtremo iniquitatis operarij uſq; ad uiros ſanguinum profe-
cerunt. Viros autem ſanguinum non ſolum admiſſa cædes, ſed & cogitata con-
ſummat. Sequitur enim: Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me
fortes. Neq; iniquitas mea, neq; peccatum meum domine, ſine iniquitate cucurri
& direxi.) Arctata anima eſt cum Dauid ad interficiendum domo clauſus eſt.
Et quanquã exutus de Saul ſit manibus, tamen uiri ſanguinũ ſunt ſanguinem eius
optantes. Sed ſecundum pſalmi præſcriptionem aduerſum unum eſſe precatio-
nem cõuenerat, regem utiq; hęc uolentem, ſed orationi propheticę fuit ſermo mo
derandus, ut querela referretur ad populum, cum captant animã fortes irruentes,

quippe

quippe quos fortis armauit, qui & cor Iudæ ad miniſterium proditionis ingreſſus eſt. Hi ergo fortes captant animam, & eius animam in quo neq; iniquitas, neq; peccatum eſt, qui currens ſine iniquitate direxit. Et neſcio ſi anterior pſalmus referri in Dauid iſta patiatur, quo dicitur: Ecce iniquitatem meam ego agnoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Non conuenit pſalmorũ ordini tanta diuerſitas, ut ab eodem dictum eſſe utrunq; intelligendum ſit, & ſit ut quia anterior confeſſi peccati pſalmus poſterior in tempore eſt, uideatur Dauid ante peccatũ, ut peccati neſcius hæc locutus. Meminerimus eum ſub eodem peccato de humanæ neceſſitatis confeſſione dixiſſe: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea, ſecundũ illud: Quis enim gloriabitur caſtum ſe habere cor coram deo, nec ſi unius diei fuerit infans, manente in nobis etiam ſecundum Apoſtolum & origine & lege peccati? Non ergo conſcientiæ humanæ uox iſta conueniet. Sed uideamus ne forte eius querelis hic abnegatæ de ſe iniquitatis competat ſermo, qui peccatũ non fecit, & in quo inuentus dolus non eſt, qui & dixerat: Ecce ueniet princeps mundi, & non inueniet in me quicquã, peccati ſcilicet in ſe calumniam non reperiendam, per quod de peccato peccatũ condemnaturus eſſet in carne. Ergo hic intelligendus eſt conqueri captatam animã ſuam, & irruiſſe in ſe fortes, qui & hanc querelæ ſecuritatem ut in ſe neq; iniquitatem, neq; peccatum eſſe profiteretur, & qui ſe ſine iniquitate cucurriſſe dixerat ſecundum illud: Exultauit ut gigas ad currendam uiam, à ſummo cœli egreſſio eius, & occurſus eius uſq; ad ſummum eius. Hic ergo ſolus currens direxit, qui infirmitatis noſtræ humilitate ſuſcepta egreſſus cœlos, regreſſus ad cœlos, qui reuehẽs nos ſecũ oblaturuſq; deo munus precatus ſit: Exurge in occurſum meũ & uide, tu domine deus uirtutum deus Iſraël. Intende ad uiſitandas omnes gentes, ne miſererearis omnibus qui operantur iniquitatem.) Exurgere enim ſibi in occurſum deum uirtutum ad uiſitandas omnes gentes precatur. In eo nanq; quo excitatæ & collocatæ à dextris eius in cœleſtibus gentes ſunt. Et dignũ fuit reditum eius ambitione occurſus cœleſtis ornari, ne ingreſſuro cœlos dignatio paterna de cœlo †eſſet. Neq; id mirum, cum primo nominis ſui martyri Stephano, uelut in primoribus in occurſum à deo patre deſcenſum ſit. Viſitari itaq; in occurſum ſuum omnes gentes precatur ſecundum illud: Neq; enim miſit deus filum ſuum in hunc mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſaluus fiat mundus per eum. Deſcenſum nanq; eius in carnem, & ex Maria natiuitatem lætantes angeli & patentes cœli honorauerunt. Non impudens ergo hæc occurſus ſui oratio eſt, cui ad ſalutẽ gentiũ, ſicuti & pſalmo alio & apoſtolico teſtimonio continetur, primogenito ex mortuis uox occurrentis hæc fuerit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hanc itaq; occurſus ſui ſignificationem uiſitandis à ſe gentibus deprecatur, non tamen iudicij ſeueritatem. Præterita enim miſericordia, ab omnibus qui iniquitatẽ operantur auertitur, omnibus quidẽ in eo, quia caro factus eſt, gentibus uiſitatis, ſed ęque in omnibus iniqua operantibus iudicatis. Interiecto enim diapſalmate, quæ in impietatem populi eſſent manſura declarat. Mox nanq; & templi deſolatio & ciuitatis euerſio, & ipſos illos captiuitas conſecuta eſt. Quinetiã nunc ingreſſus ciuitatis eiuſdem edicto Romani regis inhibentur, & cum deſerta ſanctorum ſancta, & prophetias ſilere, & placationum hoſtias deeſſe, & dignitatem omnem deformatam miniſterij Leuitici recordantur, conuerſi nunc, & fame uerbi dei, & cibi ſalutaris affecti, ad ſolatium præſentium miſeriarum circumire ſunt ſoliti ciuitatem. Id enim ſequitur: Conuertentur ad ueſperam, & famem patientur ut canes, & circumibunt ciuitatẽ.) Famen huius temporis per prophetã alium denuncians dicit: Ecce induco famẽ ſuper terram. Non famem panis, neq; ſitim aquæ, ſed famẽ uerbi, ut audiatur uerbũ dei. Impudẽtiam

† Fortè deeſſe legendum

eorum

eorum ac rabiem in nuncupatione canum arguens. Secundum illud: Libera me de ore leonis,& de manu canis unicam meã. Et hoc quidem habent interioris conſcientiæ ſuæ dolorẽ, cum ſe diſperſos, cũ captiuos, cum tributarios congemiſcũt, ſine templo, ſine ſacerdote, ſine regno. Et hoc poſteaq; in maieſtatis dominum ſaluatorem mundi manus impias intulerunt. Sed ubi de peccato crucifixi unigeniti dei arguuntur, impij eſſe non deſinunt, & dolore translatæ ad gentes diuinæ cognitionis accenſiores adhuc uerbisq́ue deſæuiunt. Sequitur enim: Ecce eloquuntur in ore ſuo, gladius in labijs eorũ.) Sed hanc obtrectandi atq; inſectandi impietatem, non ſolum in his, ſed etiam in gentibus, quæ audire detrectant, ita diuinus ſermo condemnat: Quoniam quis audiuit? & tu domine deridebis eos, pro nihilo habebis omnes gentes.) Nemine audiente irridentur à deo, quia ubi dicitur quis? ibi aut rarus ſignificat, aut nullus. Nullus ſecundũ illud: Quis ſimilis tibi in dijs domine? Rarus autem in eo quod dicitur: Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël? Irridentur igitur non audientes, & in quorũ ore labijſq; ſit gladius. Quia in cœlis habitãs deus ſubſannabit aduerſus deũ & Chriſtum eius reges ac principes congregatos. Gentes etiã omnes ſpernet uiſitatas, & nõ obedientes, quia quàmuis ex his ſit portio quantalacunq; credentium, tamẽ uniuerſitas reputatur in plurimis, ſecundum illud domini dictum: Nunquid cum uenerit filius hominis inueniet fidẽ ſuper terram? Nõ quòd in aliquibus nõ reperiet, quibus & dicetur: Venite benedicti patris mei, poſſidete præparatũ uobis regnũ à conſtitutione mũdi. Sed cum pauci ex omnibus gẽtibus ſint fideles, non per paucos efficitur ne non omnes gentes ſint infideles. Irridendarum autem gentium ea maxime cauſa eſt, quòd dum crucifixum, dum mortuum, dum ſepultũ ſtultitia prudentiæ ſecularis exprobrat, magnæ pietatis ſacramentũ non intelligentes, filium dei reſurgentem ex mortuis, & maieſtatis eſſe dominũ non credũt. Sed habẽs ille poteſtatẽ animę ponendæ, & animæ reſumẽdæ, quia hoc mandatũ accepit à patre, irriſis ſpretiſq; gentibus ſubiecit: Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia deus ſuſceptor meus es, deus meus, miſericordia eius præueniet me.) Deus meus oſtendit mihi inter inimicos meos fortitudinẽ ſuam, ad deũ cuſtodiet animã ſuam ſcilicet quã depoſuit reſumendo. Nemo eñ aufert eam ab eo. Et quia uirtus ſua, & refugium ſuum ſit, in cuius manibus commẽdauerit ſpiritũ ſuum, cuius miſericordia eum præueniet, ut etiam ante reſurrectionẽ dei filius intelligatur, cũ moriente eo in obſcuro ſole lux deperit, cum pendente eo in cruce tremit terra, cũ deſcendẽte eo ad inferos, ſanctos eius inferi non tenent, cum emittente eo ſpiritum, uelum templi tanq; cuſtodia illinc ſpiritali erumpente diſcinditur, cũ poſtremo Centurio proclamat: Vere dei filius erat iſte. Cuſtodita igitur ad deũ fortitudine ſua, quia lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderũt, & præueniente eum miſericordia ſua oſtendit ei inter inimicos eius, quia ſuſceptor eius eſſet, cum id etiã inimici confeſſione patuiſſet, uere enim eum dei filium eſſe Centurio proclamat, & hæc tum quidem ita cognita ſunt, ſed quia ſecundum illud: Et uidebunt in quem compunxerunt, etiam in futurum inter inimicos eius oſtendet deus, quòd eius ſit ſuſceptor, quippe cum ſecundum Apoſtolum introgreſſa gentium plenitudine, id quod de Iſraël ſit reliquũ ſaluabit, ut quod ſcriptũ eſt impleatur: Veniet ex Siõ qui liberabit & auertet impietates ab Iacob. Et hoc illis à me teſtamentũ, cum auferã impietates eorũ. Ad ſignificationẽ itaq; repoſitæ huius miſericordiæ ſpeiq;, ſubiecit: Ne occideris eos, nequãdo obliuiſcãtur legis tuæ. Diſperge illos in uirtute tua, et deſtrue eos, ptector meus dñe. Delicta oris eorũ ſermonẽ labiorũ ipſorũ, & cõprehendant in ſuperbia ſua. Et de execratiõe et mẽdacio cõuellent in cõſummatiõe. Cõſũmatio in ira cõſũmatiõis, & nõ erũt, & ſcient

quoniam

quoniam deus Iacob dominabitur finiũ terræ.) Inimici quidem propter nos, ſed dilecti propter patres miſericordiæ, id quod eorum eſt reliquũ reſeruat. Diſperſi quidem interim circũ omnes ferè gentes, ſed conſperſione eorũ ſancta atq; radice libe rabuntur. Deſtruentur ergo ſecundũ prophetã non occiſi, ſed diſperſi, & deſtruentur in delictis oris eorum, et ſermone labiorũ, cum ex Sion ueniat liberator, de quo clamauerunt: crucifige, crucifige, & cui dixerũt: Nos patrem habemus Abraham. Et rurſum: Quis tibi dedit hanc poteſtatem? Et: In qua poteſtate hæc facis? In hac igitur ſuperbia comprehendentur, cum ſaluatori ſuo hæc à ſe ingeſta eſſe non cognoſcent, auerſaq; impietate de execratione ac mendacio auellentur, & hoc in conſummatione, quia cum intrauerit gentiũ plenitudo, tum quicquid Iſraël eſt reliquum ſaluabitur. In ira aũt conſummationis non erunt, quia impietates ex Sion ueniens auertet. Non autẽ non erunt, qui & ſunt cogniturí, cognoſcentq;, quia de us Iacob dominetur finiũ terræ, nõ iam in funiculo hæreditatis, & in Iacob portione noſcẽdus, ſed deus Iacob, id eſt, quia in homine Iacob deus intellectus & uiſus eſt, dominator ſit tertæ finiũ, quorũ & creator eſt cõfitendus, ſed illos interim deſolationis & diſperſionis ſuę manet pœna. Tametſi conſummationi temporũ propter patres & electos hæc diſpenſatio miſericordiæ reſeruet, interiecto tamen diapſalmate, quid in eos interim repetita ſignificatione conſtitutũ fuerit oſtenditur. Sequitur enim: Et cõuertentur in ueſperũ, & famẽ patientur ut canes, & circumibunt ciuitatem. Ipſi diſpergentur ad manducandũ, ſi autem non ſaturabuntur & murmurabunt.) Amiſſa ciuitate, temploq; deſerto, & ſecundum Romani regis edicta circumeuntes tantum, nõ etiam ineuntes ciuitatẽ, fames eos nõ huius panis & cibi, ſed oblationũ hoſtiarũ, uiſionũ, quibus omnibus ſaturabuntur, afficiet, ad uerſum cuſtodem ſuũ canum improbitate latrantes. Et diſpergẽtur ad manducandum, quia per diuerſa ſpeciem ſacerdocij illius legitimi, & holocauſti, & circumciſionis imitantur, cum hæc tantũ non niſi intra Hieroſolymã ſint legitima conſtituta. Sed ad manducandũ diſperſi nõ ſaturantur. Non enim ſanctis & deo placitis, & loci ipſius ac templi cõſtitutione religioſis ſolennitatibus explebunt, ſed adhuc & murmurabũt, ne hac quidem fame feſtiuitatũ ſuarũ edomiti, ut ſecundũ murmur, quo in deſerto deum exacerbauerũt, pœnitentiæ quiete reſipiſcant. Sed inter hæc ſpes omnes ſuas & gratulationes pſalmi fine concludit, dicens: Ego aũt cantabo uirtuti tuæ, exaltabo mane miſericordiã tuã. Quia factus es ſuſceptor meus, refugium meũ in die tribulationis meę. Adiutor meus tibi pſallã, quia ſuſceptor meus, deus meus miſericordia mea.) Et iſta omnia poſſunt ad propheticã gratulationem referri, ſed neq; à domini ſunt cõfeſſione diuerſa. Hæc enim eorũ diſperſio paſſionis impietatẽ eſt cõſequuta. Sed quòd in miſericordia dei manet, quia ſuſceptor & refugiũ eius factus eſt, exultaturus, uidetur id ad reſurrectionis tempus eſſe referendum. Quia cũ omni tẽpore laus dei cantanda ſit à propheta, reſurgenti tamen ex mortuis diluculo in cœloſq; redituro, exaltatio matutinæ gratulationis eſt propria domino Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Adhuc eſuriunt

Pſalmus LIX. In finem, pro his qui immutabuntur, in tituli inſcriptione, Dauid in doctrina cum ſuccẽdit Meſopotamiã & Syriam Sobal, & conuertit Ioab, & percuſſit in ualle Salinarum duodecim milia.

EXPOSITIO TITVLI.

MVlta in pſalmo ante rerum geſta præſcripta ſunt, quæ neceſſe eſt ad alicuius intelligentiæ ſignificationẽ his quæ effecta ſunt anteferri, cum in finem, cum pro his qui demutabuntur, cũ in tituli inſcriptione, cum in doctrina Dauid, ſuperſcriptio cõprehendit, poſtquã geſtorum tempus

aſſcribitur. Succendit Meſopotamiam & Syriam Sobal, & conuertit Ioab, & percuſſit in ualle Salinarũ duodecim milia. Quo pſalmus ab hiſtoria diſſentit. Nam cum Sobal percuſſus cum Meſopotamia & Syria, quæ ab eodem ad bellum commota & accenſa, & capta eſt, hanc maximi belli uictoriam ingens gratulationis lætitia conſequuta eſt. Pſalmus autem totus triſtis & mœſtus eſt, cum ſuper repulſo deſtructoq; populo dolor eſt, cum cõmotæ turbatæq; terræ querela eſt, cum ſanandæ contritionis eius oratio eſt. Deinde id quod in Salinarum ualle memoratũ eſt, neq; in hiſtoria, neq; in aliquorum translatorum intelligentia eſt. Nam ſecundum Aquilam, qui translator legis Iudæis poſt paſſionẽ domini fuit, ita ſcribitur: Cum percuſſit ualles. Sed hic ſecundum literam ſcribens, & extra ſpiritalem intelligentiam manens, belli locum ædidit. Translatio autem illa ſeniorũ ſeptuaginta, & legitima & ſpiritalis ante paſſionem domini geſtorumq; ſuſcepta per nominum naturarumq; ſpecies nunc quoq; ut in omnibus pſalmis cauſam ſenſumq; manifeſtat in cõmemoratione geſtorum, non argumentũ pſalmi, ſed tempus oſtendens, nec ob id quod continetur in geſtis, ſed ut tum cum ea geſta ſunt, ſcriptus eſſe noſcatur. Sed antequã de tempore loquamur prophetiæ, quia multum ad intelligentiam pſalmi proficit ſcire quando ſit ſcriptus, de ſuperſcriptione tractemus, quæ intelligenda refertur ad finem & his qui immutabuntur. Qui ex impietate ſcilicet ac uitijs deſinentes, ad religionem atq; innocentiam transferentur, & ex peccatis ſynagogæ ad eccleſiæ gratiã demutabunt, ſicut in eo pſalmo qui primus in his qui immutabuntur eſt ſcriptus, oſtendimus cum dicitur: Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui quoniam concupiuit rex ſpeciem tuam. Et rurſum in eodem: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Filiorum itaq; demutatione facta pro patribus, paternam domum obliuiſcitur, deo regi magis regina placitura, cuius morte renouatur ad uitam. Et idcirco tituli inſcripti pro his qui immutabuntur aſſcribitur gloriæ mortis eius, qui pro omnibus mortuus eſt, tituli inſcriptione teſtante, & teſtante ad doctrinam Dauid ut eum omnes Dauid qui eſt oriens, & iuſtus, & rex, & æternus eſt nouerimus, qui inimicas nobis infeſtasq; uirtutes cum duce ſuo peremit, omnibus his qui aduerſum nos uitiorum bella accendere erant ſoliti, extinctis, non in ualle planctus, neq; in ualle tabernaculorũ, ſed in ualle ſalium. Id enim magis quàm ſalinarũ Græcus ſermo declarat, cum ex ſe iam non flebiles habitationes, nec lamentanda tabernacula, ſed ſalem potius hæc mundi huius uallis exhibeat, eos ſcilicet eorumq; ſimiles, quibus dictum eſt: Vos eſtis ſal terræ, in quibus maxime antiquus ille nosq; inſcẽdens hoſtis ille extinctus eſt. Pro his igitur in finem cõmutandis, & ſub teſtimonio ac tituli inſcriptione Dauid edocentis, pſalmus hic ſcribitur non alio tempore, quàm cum Nathan propheta throni æterni regem ex Dauid ſemine eſſe nunciauit. In eo enim tempore hæc quæ in rebus geſtis præſcribuntur, effecta ſunt, in quo prophetia æterni regis oſtenſa eſt. Intelligendus ergo pſalmus pro his eſt qui immutabuntur in Dauid æternum regem, & qui pro amiſſis patribus erunt ex commutatione iam filij. Ita enim cœpit:

πρὸς ἀλῶμ

Enarratio Pſalmi LIX.

DEus repuliſti nos & deſtruxiſti nos, iratus es & miſertus es nobis. Commouiſti terram & conturbaſti eam, ſana cõtritiones eius, quia mota eſt. Oſtendiſti populo tuo dura, potaſti nos uino compunctionis. Dediſti metuentibus te ſignificationẽ, ut fugiant à facie arcus.) Secundũ communem ſeculi ſenſum iræ miſerationiq; nõ conuenit, neq; ipſius in eoſdem utercq; hic idem cõueniet affectus, ut ultio uoluntati, uoluntas miſerationi admixta ſit. Solis autem hoc patribus pie iraſcentibus congruit, ut miſericors eorum ira in peccatis ſit filio

tis ſit filiorum, ſecundum etiam illud beati Pauli, cum ita ſatanæ in interitū carnis tradit, ut ſpiritus ſaluus ſit in die domini, uindictæ præſentis ſeueritatē ad ſalutem ſpiritus proficere demonſtrans. Aeternus ergo ille cœleſtis omnibus pater, qui & dixit: Ego occidam & ego ſanabo, repellit & deſtruit ſuos ut miſereatur iratus. Deſtruxit enim Hieruſalem tēplum, ſed cœleſtem ſanctis reddidit ciuitatem: repulit ab operationibus legis, ſed iuſtificationem fidei iuſtificans ex fide impium tribuit: diſſoluit terreſtre regnū, ſed reges conſtituit cœlorum, ita iram miſericordia conſequuta eſt, dum damno terrenorum prę ſentiū ingens æternorum bonorū retributio repenſatur. Et hæc quidē non magis ad Iſraël quàm ad uniuerſitatē humani generis aptata ſunt, quia ex uno in omnes ſententia mortis & uitę labor exijt, cum dictum eſt: Maledicta terra in operibus tuis. Nunc autē per unum in omnes donum uitæ iuſtificationis gratia abundauit, ut quorū terra maledicta eſt, horū nunc conformia deo corpora ſint, & quæ commota metu, & ignoratione turbata, & labore cōtrita eſt & ipſo illo lætificātis uini cōpuncta potu, nunc ſuſceptæ ſignificationis ſecura uirtute futurę iræ defugiat poteſtatem. In arcu enim, ut frequenter tractauimus, præparatę ad pœnā impijs iræ terror oſtenditur, ſecundū illud: Nunquid irascetur per ſingulos dies? Arcum ſuū tetendit, & parauit in eo uaſa mortis, ſagittas ſuas arſuris operatus eſt. Metuentibus igitur ſignificationē dedit, uel ſigni in frontibus, uel fidei in cordibus, uel teſtimonij in operibus, uel gloriæ in cōfeſſionibus, uel uictoriæ in martyribus, ut à facie arcus iræq; fugiatur, ut dictū eſt: Natio uiperarum, quis mōſtrauit uobis fugere ab ira uentura? Gratulantis igitur humani generis hæc uox eſt, poſt regnum mortis, poſt diaboli terrores, poſt laborū peccatorumq; onera, poſt infelicis lætitiæ dolorē, quia uitiorū gaudia cum ſint intellecta, compungūt. In uino enim ſecundū Apoſtolum laſciuia eſt, & ſicut eſt uinum cor hominis lætificans, ita & uinum eſt cor hominis cōpungens. Nam & calix iræ eſt, ſicut & calix uitæ eſt. Poſt hæc ergo & poſt hoc cōpunctionis uinum ſignificatione fugiendi arcus iræq; cōceſſa uniuerſitas fideliū æternis ſpebus exultat. Id enim mox diapſalmate interueniente declarat: Vt liberentur dilecti tui ſalua dextera tua, & exaudi me.) Dextera domini fecit uirtutē, & à dextris dei uirtus dei coëxcitata cū humilitatis noſtræ carne cōſedit. Data ergo ſignificatione fugiēdi à facie arcus liberantur dilecti, & per dei dexteram ſaluantur, & à qua facie liberentur ſaluanturq;, Apoſtolus docuit, dicens: Qui liberauit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. Liberandi ergo dilecti ſaluandiq; per dextrā dei ſunt, ſed ſalutis huius ad fidei firmitatē noſcēda eſt prophetia. Sequitur enim: Deus eſt loquutus in ſancto ſuo: Lætabor & partibor, & Sichimam conuallem tabernaculorū dimetiar. Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Effrem fortitudo capitis mei, Iuda rex meus, Moab olla ſpei meę. In Idumæam extendam calciamentū meū, mihi Allophyli ſunt.) In ſancto deus loquutus eſt, in eo nēpe, cui etiā dæmones clamant: Scimus quia tu ſanctus dei es. Et de quo angelus euangelizat: Et quod ex te naſcet ſanctū, uocabitur filius dei. In hoc itaq; ſancto loquutus eſt, cum dicit: Pater qui in me loquitur, ipſe facit opera ſua. Loquutus ergo deus in ſancto, in principio ſermonis exultat. Exultauit enim ut gigas ad currendam uiam, & exultauit in Sichima partienda. Sichima Samaria eſt, quę eadē in Sichem eſt, quam Iacob Ioſeph filio ſuo ſub benedictionis ſpiritu deputauit. Hæc cum omnibus antea legis tēporibus in impietate manſiſſet, euangeliū domini ex parte ſuſcepit. Nam hodieq; pars eius irreligioſiſſimis ſtudijs de ſtudio uetere detinetur. Illic enim uaccæ adoratæ, illic mons relicto ſacrario electus, illic regnū aduerſum Iudæam excitatū, ſed eò primum dominus accedens, etiam credente Samaritana, & aquæ uiuæ potum precante, fidem intulit. Mox etiam apoſtolis prædicantibus

Sichima Samaria.

participes ſancti ſpiritus facti ſunt. Parata ergo Sichima eſt, cum fideles ab infidelibus ſeparantur, & eſt futuri iudicij iſta diuiſio, ſicut ſcriptum eſt: Veniet dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemq; eius ponet cum hypocritis. Diuiſa ergo Samaria eſt, uel iudicio, uel fide, ſecundum illud: Non ueni pacem mittere in terram, ſed diuiſionẽ. Necq; ſolum loquens in ſancto deus Sichimã partitus eſt, ſed etiam conuallem tabernaculorum dimenſus eſt: hanc ſiquidem habitationis humanę dimenſam ſimilemq; ſedem, quam & alio loco ob ægritudines uitę ac lamentationes calamitatum, uallem planctus eſſe commemorat, dicens: Depoſuerunt in ualle plorationis. Dimenſus hanc eſt, quia gentium plenitudo ſpectatur. Et ubi modus eſt credentium futurus, illic dimenſionis examen eſt, partim intra eccleſiam congregandis, parte alia in eadem ualle reſidentibus. Quiſquis autem aliqua metitur, neceſſe eſt ut ea quæ ſua ſunt metiatur. Suus enim eſt Galaad, & ſuus eſt Manaſſes. Mons iſte Phœnicum eſt Arabiæ Meſopotamiæq; contiguus, ex parte Manaſſe in paſſionem deputatus, & ideo ſuus eſt Manaſſes. Sub Manaſſis nomine terræ plenitudinem, ſicuti & ſub Galaad omnem orbem ſuum eſſe demonſtrans, ſed in his uſurpandis nihil præter ius proprietatis oſtenſum eſt. Effrem autem aſſumptio capitis eius, & Iuda rex eius eſt. Hæc ſanctus loquente in ſe deo loquitur, qui & per Iacob Effrem conuerſa manu um ſanctificatione benedixerit, & regem ex Iuda, qui expectatio gentium futurus eſſet, oſtenderit. Aſſumptio ergo Effrem eſt, non etiam Manaſſes, cum Ioſeph uterq; ſit filius. Sed cum in capite ſignificatio contineatur & corporis, ſecundum illud: De torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput, & omnis ſanctus caput eſt corporis Chriſti, idcirco aſſumptio capitis eius Effrem eſt, quia contra generationum ordinem ad præferendam eccleſiæ ſanctificationem in prælato Effrem, & poſtpoſito Manaſſe minor maiori eſt antelatus. Aſſumptio itaq; capitis ſui Effrem, id eſt, populus quẽ in Effrem prefigurauit, uel potius eccleſia in corpus aſſumitur. Iuda etiam rex meus eſt, id eſt, à ſe diſpoſitus & electus. Non utiq; uel Dauid ipſe rex Iuda eſt, cum ex Iuda rex ipſe ſit primus, uel loquenti in ſancto ſuo deo rex eſt, ſed loqui hæc ſanctus iſte ei in quo deus loquitur intelligendus eſt, qui & ſpiritu Iacob repleuerit ad æterni regis iſtius prophetiã, cum ait: Non deficiet princeps de Iuda, nec dux de fœmoribus eius, donec ueniat qui mittẽdus eſt, & ipſe eſt expectatio gentium. Et qui non ſolum ex hac generatione ſanctorũ, ſed etiam ex peccatorum origine huic dei ſancto carnis eſſet ineunda ſuſceptio, quia in ſimilitudine carnis peccati deus filiũ ſuum miſit, idcirco etiam Moab olla ſpei eius eſt, & hæc quidem Moab generatio ſecundum eam quæ in Geneſi ſententia eſt, diuinæ maledictionis ſuſcepit opprobrium. Sed poſt decem generationes per gradus ſuſceptionis ſancto digna fit genere, ſanctusq; hic ex Iuda & ex Moab originem ſumens, decocta tanquã per ollam carnis cruditate in ſpeciẽ cibi ſignificatur æterni, cum caro eius uere cibus uitæ ſit. Eſt & olla ſecundum Hieremiã urens peccata atq; tollens, ſicuti & dominus ipſe mittere ignem uenit ſuper terrã. Et multi ſecundum Apoſtolum tanquã per ignem erunt ſalui, cum defecatis & peruſtis uicijs, ut argentũ ignitum probabiles iudicentur. Hinc ergo Moab ſpei ſuæ olla eſt, cui etiam ex Moab cruda utiq; atq; uitioſa iam cœleſtis illa adcibum uitæ ſanctificatio carnis in ſpe eſt. Quin etiam uſq; Idumæam calciamentum ſuum extenſurum eſſe ſe dicit, ſcilicet uſq; ad defectionem Eſau, quia Idumæa Eſau ſedes eſt, & prædicationis apoſtolicæ dirigat greſſum. Specioſi enim pedes euangelizantium ſunt, & in calciamento pedes, in pedibus autem greſſus oſtenditur. Necq; ſolum in Idumæam curſum prædicationis extendit, ſed etiam Allophyli ſubditi ſunt, ſecundum illud: Exaudi deus orationem meam, ad tę omnis caro ueniet, quia deo dignum ſit

num sit gentes ei omnes esse subiectas, & uniuersitatem carnis ad confessionem æternę huius misericordię erudiri. Sed cognitis his qui immutabuntur secundum tituli inscriptionem, & doctrina eius qui Dauid est æternus accepta, æternam illam primitiuorum in cœlestibus Hierusalem & circunstantium deo sanctorum ciuitatem ingredi propheta festinat, ducem qui se eò deducat, expectans. Sequitur enim: Quis deducet me in ciuitatem circunstantiæ? quis deducet me usq; in Idumæam? Nonne tu deus qui reppulisti nos, & non egredieris in uirtutibus nostris?) Esau defectio est, & idem secundum Genesim deficiens est, & secundum Apostolum, quod est reliquum Israël saluandum est. Optans ergo propheta in ciuitatẽ circunstantiæ deduci, scit se ante usq; in Idumæam esse uenturũ, id est, in illam defectionẽ populi anterioris, qua maior seruiet minori. Et ultima prædicatio conuertet corda patrum ad filios, cũ ueniens ex Sion peccata, & impietates ab Iacob auferat. Sed hic idem deducet, qui & ob impietatem ante destruxit & reppulit, quia capta Hierusalem, destitutoq; regno indignos spretosq; deseruit, solitus ante eos spiritalibus auxilijs confouere, & cœlesti militia aduersum inimicorum bella tutari. Nunc autem deserente eos custodia spiritus sancti, nullum in uirtutibus eorum, id est, in exercitibus diuinæ propugnationis auxilium est. Et ideo quia destruxit, non egredietur in uirtutibus eorum, sed repositæ spei, quia quod Israël est reliquum saluabit misericordiam propheta non tacuit, dicens: Da nobis auxilium de tribulatione, & uana salus hominis. In deo faciemus uirtutem, & ipse ad nihilum deducat tribulantes nos.) Scit uanam salutem esse, quæ ab hominibus speratur, quia & uitæ huius usus sine misericordia dei nullus sit, secundum illud: Melior est misericordia tua super uitam, quia nisi ad profectum æternitatis uita suscepta sit, miseriarum in nobis potius erit origo, non uitæ. Auxilium itaq; à deo in tribulationibus sperat, quia hominum salus uana sit. Postulat ergo de tribulatione auxilium, in deo uirtutes concesso auxilio facturus, cum liberati omnes à lege peccati, in dei potius iustificatione maneamus, cum pugnam non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spiritales nequitias & mundi potestates, deo satanam ipso spiritu oris sui interficiente, peragamus, cum non regnet in immortali corpore nostro tribulans nos ante peccatũ, cum absorbeatur mors à uita in contentione uictoriæ, per dominum nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

In finem Hymni Dauid Psalmus LX.

Simplex est psalmus æternæ gratulationis cõtinens prophetiã. Nam neq; res gestas, neq; significationes alicuius cognomẽti superscriptio cõprehendit. Tantum hymnus in finem est, ut id quod à prophe ta cantatum est, in finem uel psalmi, uel tẽporum explicandum esse noscatur. Oratio autem iusti æterna est sperantis, sesecq; in Christo coëxcitatum in cœlestibus gratulantis. Cœpit enim ita:

Enarratio psalmi LX.

Exaudi deus orationem meam, intende deprecationi meæ. A finibus terrę ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum.) Exaudiri deprecationem suam sanctus hic postulat, cuius & ea fiducia est, ut in orationem suam uelit intendi, utrum sit innocens, casta, & fidelis, & ex intimo cõscientiæ atq; cordis metu profecta, quia secũdum Apostolum & corde credendum, & ore confitendum sit ad salutem. Intendendæ autem orationis hinc precatio est, quod dum corde anxio est, à terræ finibus clamauerit. Nõ hic extima solitudinũ aut cõtigua oceani incolebat, qui à terræ finibus anxio corde clamabat

mabat. Sed ſciens ſe in carne quidem, quæ terra eſt, degentẽ, iam in fine carnis habitare, dum ſecundũ Apoſtolum habitans in corpore peregrinatur à corpore, dum uiuens iam non ſibi uiuit, neq; ipſe uiuit, ſed uiuit in eo Chriſtus, congemiſcens tamen in hoc ſuo habitaculo, ſuperueſtiriq; feſtinãs, ideo anxio corde à terrę finibus clamat, quum & neceſſitatem habeat in carne uiuendi, & ſpem teneat à carnis uitijs deſinendi, dicens: In petra exaltaſti me, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici, habitabo in tabernaculo tuo in ſecula.) Hic itaq; iam ſanctus à terræ finibus clamat: quia exaltatus in petra ſit. Petra autem ſecundum Apoſtolum, Chriſtus eſt, quem exaltauit deus, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. In quo & elegit nos ante mundi conſtitutionẽ in cœleſtibus: per eum enim ſumus in ſpem æternitatis deducti, & in hac ſpe non confundimur, quia ab inimici facie hæc eadem ſpes nobis fortitudinis turris eſt facta. Nam cum in muris ſit ualida & firma munitio murorum, tamen ipſorum firmitas in turribus omnis eſt. Et idcirco turris fortitudinis exaltans nos in petra deus factus eſt, quia per hanc ſpem uim diaboli eiusq; inſidias ſuſtinemus, tutiſſima aduerſus eum ſpiritalesq; eius nequitias fidei munitione conſepti, cum in tabernaculo dei habitaturi ſimus in ſecula, ſine ullo ſcilicet ætatis modo in æternum fluentibus ſeculis temporibusq; manſuri. Et quia hæc quamuis ſpe repoſita iam ſancti ſint, tamen adhuc ſub diſpenſatione temporum differunt, & qua munitione interim tutus ſit, interiecto diapſalmate demonſtrat, dicens: Protegar in uelamento alarum tuarum, quoniã tu deus exaudiſti orationem meam.) Protectionem miſericordiæ dei ſub uelamento alarum diuinus ſermo ſignificat, de quo, quia ſuperioribus pſalmis tractatum eſt, ſuperfluus nunc & ocioſus erit ſermo, ſed protectionis meritum ex fide orationis indultum eſt, ſecundum illud: Petite & dabitur uobis. Quin etiam ad quam ſpem protectione alarũ dei inumbrandus eſſet, oſtendit dicens: Dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum. Dies ſuper dies regis, adijcies annos eius uſq; in dies generationis & generationis. Permanet in æternũ in conſpectu dei.) Hæc enim hæreditas ſancti eſt, uita, & incorruptio, & regnũ, & coëterna cũ deo habitatio. Non Iſraëli tantũ hæc hæreditas ſcripta eſt, ſed timentibus dei nomen. Dies enim æterni ſunt regis, ſiue quia ſancti qui peccati ſerui non erunt reges ſunt, ſecundũ illud Apoſtoli: Iam ſine nobis regnatis, & utinã regnaretis, ut & nos uobiſcũ conregnaremus: ſiue quia hic idem etiam rex ſit propheta, ſiue quia in æterno regno conſidentẽ à dextris oportet regnare, donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus ſuis. Non ut rex ipſe tum nõ ſit, ſed cum tradiderit regnũ deo patri conregnabit his ipſis qui reges ſunt. Ex quo mihi uideẽ hæc nunc ratio ſeruata, ut uſq; in dies generationis & generationis adijcerentur ſuper dies dierum anni eius. In conſpectu aũt dei manere in æternũ, ut tẽpus illud quo eum regnare donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus ſuis, oportet à generatione uſq; in generationẽ ſit cõprehenſum, quia generationẽ hanc ſpiritalis natiuitatis generatio ex mortuis cõſequetur, æternitatis autem ſuæ exceptio, dum in æternũ in conſpectu dei eſſe prædicitur. Eſt aũt ipſe primogenitus ex mortuis, ſed huius regenerationis dominus ad apoſtolos ita memínit: Amen dico uobis, quòd uos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, & uos ſedebitis ſuper duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Iſraël. Huius igitur generationis tẽpus oſtendit, & uſq; in hanc ſuper dies dierum anni regis adaugentur. Cæterũ ipſe in cõſpectu dei, ipſe manebit æternus, iam omnibus quos redemit in reges cœlorũ & cohæredes æternitatis aſſumptis, tradens eos regnũ deo patri. Et quia cõparticipes & cõcorporales & cõformes eius effecti ſint, iam in his nec corruptione, nec morte dominante, cum in omnẽ plenitudinẽ dei repleantur, ſubiecit ſpiritus prophetiæ: Miſericordiam &

ũſam & ueritatẽ eius quis requiret eorum?) Non inopes iam miſericordiæ ueritatiſq; eius hę ſcilicet generationes erunt, quas in ſe ex mortuis regenerabit ad uitã, quæq; in ſpe glorię dei manſerint, tum cum in regnum traditæ deo patri ſuſcipientur in reges, conſummata in omnes eius miſericordia ac ueritate, per quem redemptas ſe gratulentur ad uitam, fitq; omnibus acceſſus ad patrem. Poſt quod miſericordiæ ac ueritatis nihil requiratur à domino, cum in dei plenitudinem implean tur. Simile autem huic prophetæ dictum eſt id, quod ad apoſtolos dominus ita loquutus eſt: Nunc quidem triſtitiam habetis, rurſum aũt uidebo uos, & lætabitur cor ueſtrum, & gaudium ueſtrum nemo auferet à uobis. In illa die me non rogabitis quicq;, quia ia m gaudium nemo ablaturus ab his ſit. In hanc igitur æternitatis ſpem ſeſe propheta cõfirmat, dicens: Sic pſallam nomini tuo in ſeculũ ſeculi, ut reddam uota mea de die in diem.) Pſallet in ſeculum ſeculi, & uota de die in diem reddet, nullo temporũ fine concluſus, hymnis æternis æternorũ uotorum gaudia redditurus, cũ abſoluta omni terrenorũ corporum infirmitate cœleſtem atq; angelorum agat uitã, de die in diẽ uota reddẽdo, ſecundũ illud: Vota mea domino reddam in atrijs domus domini, in conſpectu omnis populi eius in medio tui Hieruſalem, cœleſtis utiq; matris & liberæ per deum ac dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

In finem pro Idithum pſalmus Dauid. Pſalmus. LXI.

PRophetiæ ſermo non niſi ad aliquem profectum audientiũ ſcriptus eſt, ut aut ſcientiam doceat, aut ad uoluntatis innocentiam cõfirmet ut nũc hic pſalmus ad Idithum à Dauid cantatur, in quo à dei timore ad humanarum ſiue ſpiritalium nequitiarum conſtantem toleran tiam eruditur, & ad contemptum opum, quia auaricia malorum omnium radix eſt, firmat. In his enim beatę æternęq; uitæ ſtatus certus eſt, ſi & pietas in deum ſit, & patientia in aduerſis, & contemptus opulentiæ. A dei itaq; confeſſione cœptus eſt pſalmus.

Enarratio pſalmi. LXI.

NOnne deo ſubdita erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum. Et ipſe deus meus, ſaluator meus, ſuſceptor meus, nõ mouebor amplius.) Cõfeſſio dei cõmuni hominũ affectu à propheta ita cœpta eſt, ut cũ poſt multã inſcientiæ noctem, poſt ambiguã humanarũ ſententiarũ incertamq; doctrinam, poſt diuerſarum religionũ uariam opinionẽ, cum diu erratum quęſitumq; de deo ſit, an unus, an plures: & ſexus an unius, an duplicis: & poteſtatis an æqualis, an diſparis: & ætatis an uniformis, an uariæ: & naturæ, an innaſcibilis omniũ, an aliquorũ aliquando generatæ: tum deinde cum aliquibus magna ætate & longo labore certatũ ſit, aut nullos omnino eſſe, aut à cura humanæ uitæ abeſſe. Iam porrò cum à pleriſq; tractatũ ſit, uel ſolem aſtraq; cætera deos eſſe, uel mundum ipſum in æternitatis ſpecie huius ac mutationũ manentẽ cum omnibus ſuis quæ ex ſe efferat, deum eſſe. Iam uero ut plericq; ignẽ, uel aquas, uel ſpiritũ diuino nomini atq; honori donauerint, alij quoq; ligna, lapides, metalla ſub ſpecie hominum, uolucrũ, ferarum adorauerint: poſtremo confeſſis omniũ deſtitutiſq; ſtudijs plericq; eorum, maximeq; prudentes, unum hoc ſe ſcire, id eſt, nihil horũ hominem ſcire docuiſſent, tum poſt hanc quaſi neceſſarię cõfeſſionis inſcitiã prudens quiſq; conuerſus ad prophetas atq; apoſtolos, dei legem omnem ſub ſacramento æternæ diſpoſitionis perceperit, in qua rationem deductæ in hoc corpus animæ cõnexæq; tractauerit, in qua diuiſionẽ gentium ſecundũ angelorũ numerũ acceperit, in qua & eſſe principẽ mundi, & unius electionẽ gentis audierit, in qua humanæ mortis autorẽ non ignorauerit, & habitare in carne ſua peccati legẽ obnitentẽ legi mentis ſuæ ſen-

ſuæ ſenſerit & congemuerit, poſteaquã dei ſpiritũ, dei uirtutem, dei ſapientiã, dei filium, & unigenitum deum ad remiſſionẽ peccati condemnationemq; peccati legis hominẽ natum eſſe cognouerit, qui humanarũ paſſionum ſorte perfunctus, ad condemnenda in ſe cœleſtium nequitiarũ impia tentamẽta ſit mortuus, ut æterni tatem omnibus qui per habitantem in carne noſtra peccati legem moriebamur, inueheret, tum hoc ſacramento pietatis accepto, poſt ignorationis noctem in ſcientiæ lumine collocatus, ita dicit: Nónne deo ſubdita erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meũ. Etenim ipſe deus meus eſt, ſaluator meus, ſuſceptor meus, non mouebor amplius.) Reperta itaq; fidei ſede poſt uagos errores impietatisq; ſententiam, quia ſuſceptorem ſuum ſaluatoremq; cognouerit, amplius non mouetur. Quid enim ultra ignorantiæ anxietatiq; hominum eſt relictum, cum æternitas animæ & corporis, id eſt, totius hominis prædicetur, cum aſſumptio atq; ſuſceptio terrenæ noſtræ carnis à deo ſub ſacramento magnæ huius pietatis oſtenſa ſit, cum peccatorũ remiſſio cõdemnata peccati lege ſit præſtita, cum homini noſtro à dextris dei conceſſus in cœlis ſit? Sed hanc humanæ beatitudinis ſpem gentilium impietatum ſtudia cõminuunt, prudentiæ ſecularis inanitate profectum homini ad deum denegantes, & deo conſortium aſſumpti corporis detrahentes, arbitri moderatoresq; diuinæ poteſtatis, quaſi difficilius deo ſit aſſumpſiſſe hominem, quàm eum in tanta naturæ ac uitæ ſuæ ratione formaſſe. Hanc itaq; impietatum eorum obtrectationem propheta mox arguit, dicens: Quo uſq; irruitis in hominem, interficitis uniuerſi tanquam parieti inclinato, & maceriæ impulſæ.) Impellunt enim hæ ignorantes atq; impiæ diſputationes hominẽ ad uicia procliuẽ, & quaſſatum iam cadentemq; demergunt, conſilijs adhortationum fallacium noxiarumq; perimentes, quaſi parua ſibi ipſa conciliatrix uiciorũ uoluntas ſit, quam adhuc deſperatio iudicij æterni retributionisq; in uſum tantum præſentium & corporalium adhortetur. Sed hunc corporis ſui parietẽ quem ante libido, ebrietas, auaritia, ira perfoderat, iam ſe in domum dei uiuis lapidibus exſtructum eſſe non neſcit, & in imaginem dei creatũ eſſe recolit, certusq; conformẽ ſe dei gloriæ præparari, ſubiecit: Veruntamen honorẽ meum cogitauerũt repellere, cucurri in ſitim. Illis honorem ſuũ detrahere cogitantibus, ille in ſitim cucurrit. Eſt enim ſitis bonorũ æternorum & ſpiritalis in ſanctis, de qua dictum eſt: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſticiam. Curſum ergo iuſticiæ ſuæ ſciens tenuit, omnẽ uitã integrã etiã ab ipſa contra dicentiũ ſibi obtrectatione cõſeruans. Nam & à domino ſuo didicit, ut opera omnia ſua etiam gentilis teſtimonij iudicio laudentur, cũ dicitur: Sic luceant opera ueſtra coram hominibus, ut magnificẽt patrem ueſtrũ qui eſt in cœlis. Sic & Paulus placens per omnia omnibus, neq; Iudæis, neq; Græcis, neq; eccleſiæ ſcandalũ eſt, ne habeat aduerſarius male de ſe quid loqui, illo quidem obtrectandi ſtudiũ uoluntatemq; retinẽte, quã uis ſe ille liberũ ab omni obtrectationis occaſione præſtaret, quod & in hoc ſancto in ſitim currente cognoſcimus. Sequitur enim: Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.) Cum & conſeruantes honorẽ ſuum probabilis uitæ confeſſione benedicerent, & interioris odij malignitate maledicerent, ſed id quod ſibi maxime ſalutare eſt, ſanctus iſte etiam diapſalmate interueniente cõgeminat, indefeſſe in nobis cõfeſſionis perſeuerantiã oportere eſſe demõſtrans. Sequitur enim: Veruntamẽ deo ſubiecta eſt anima mea, quoniã ab ipſo eſt patientia mea. Quia ipſe eſt deus & ſaluator meus, adiutor meus, nõ emigrabo. In deo ſalutare meum, & gloria mea deus auxilij mei, & ſpes mea in deo eſt.) Impellant quidẽ iſti inclinatũ parietem, maceriãq; iam quaſſam, & benedicente licet ore, corde maledicãt, ſcit tamen ſubiectam animã ſuam deo eſſe oportere, quia ab ipſo patientia ſua ſit. Didicit enim ab eo nõ auertere faciem à ſputamentis, nec ſubtrahere

alapis maxillas,nec potandum cum felle acetum renuere,nec poſt colaphos & flagella maledicere. Ipſe enim deus ſuus eſt atq; ſaluator, ipſe etiam adiutor, ne de patientiæ huius perſeuerantia ſpeiq; ſuæ fiducia motus emigret. In eo enim eſt ſalus & gloria eius & ſpes,qui ſe coëxcitatum ſibi conformem ſit cœleſti glorię ſuæ redditurus.Et quia ſpei huius ipſe etiam cæteris, ut propheta ſit prædicator,ſubiecit. Sperate in eum omnis cœtus plebis, & effundite coram illo corda ueſtra, quia deus adiutor noſter eſt.) Nihil occultum, nihil clauſum, nihil obligatum ſub dei confeſſione in corde retinendum eſt. Effundendus coram eo omnis affectus eſt, ut nihil de nobiſmetipſis fiduciæ ſit, ſed ut per eum,ante quem non tanquam pro peccato effundimus, adiuuemur. Effundenda autem coram eo corda noſtra lachrymis & fletibus ſunt,ſecundum illud:Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte,dum dicit̃ mihi quotidie:ubi eſt deus tuus. Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, effuſionem animæ in lachrymarum profuſione eſſe demonſtrans, quia per eas rogandus eſt,qui eſt ſolus fidelis adiutor.Sed officio ſuo functus propheta,admonitionẽ ſuam parui apud impios ſcit eſſe momenti,nam continuo diapſalmate intercedente,ſubiecit: Veruntamen uani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de uanitate in id ipſum.) Vani homines ipſi uana ſperant, aut in eo ſperare ſit uanum. Mendaces quoq;, quia impietatis ſuæ ſenſu aut falluntur, aut fallunt, & in eo mendaces, ut decipiant in ſtateris,ſub iuſticiæ ſcilicet nomine iniuſta peragentes. Nam ubi examen de ſe moderatæ prudentiæ pollicentur,ibi ſtudia immoderatæ impietatis exercent, errore ſe ipſos quem à cæteris depellere ſe profeſſi ſunt, implicantes. Et idcirco ipſi de uanitate in idipſum illò ſcilicet recidentes, ex quo ſe excedere gloriantur. Sed radix maxime iniquitatum in pecuniæ cupiditate eſt, quam qui appetit,grauiſſimæ tempeſtatis naufragio mergitur.Sequitur enim: Nolite ſperare in iniquitate,& rapinas nolite concupiſcere. Diuitiæ ſi affluant,nolite cor apponere.) Magnæ enim in hiſce deſiderij ſui & amoris illecebræ ſunt, rapiunt ingenia, mentesq; pendulas apprehendunt. Non ſolum itaq; non concupiſcendæ earum rapinę ſunt,uerum ab his uoluntas noſtra etiam ſi prębeantur affluantq;,refrenanda eſt,ne deſideratæ cupitæq; dominent̃. Non enim hæc ſpebus noſtris bona ſunt coæterna,neq; nobiſcum aut condeſcendunt in infernum,aut conreſurgunt de inferno.Fides,pietas,continentia,benignitas expetenda eſt,& maxime dei cognitio ſectanda eſt. Cæterum hæc uana & per naturam ſui ad omnem iniquitatũ neceſſitatem captioſa uitanda ſunt,&quod illud magis ad ſpem æternitatis expetendum eſſet,propheta ſubiecit dicẽs: Semel locutus eſt deus,duo hęc audiui,quia poteſtas dei eſt, & tibi domine miſericordia, quia tu reddes unicuiq; ſecundum opera eius.) Semel deo loquente duo audiuit,& neceſſe eſt,ea ſibi eſſe cõnexa quæ ſub unius ſermonis ſignificatione ſunt cognita. Ad deũ nanq; in exordio pſalmi prophetică confeſſionẽ retulerat,dicens:Nónne deo ſubdita erit anima mea? Ab ipſo enim ſalutare meum. Depellendus itaq; abſolute fuit Iudaicæ impietatis furor,ut in deo patre ſignificari doceretur & filius, ut nunc in uno etiam alter oſtenditur. Eam enim fidem eſſe ſubdendæ deo animæ ſuæ teſtatus eſt, quia ab ipſo eſſet ſalutare eius,& ſalutarẽ Ieſum eſſe ſæpe tractatum eſt. Semel aũt deo loquente duo intellecta ſunt & audita,ſicut illud: Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus,in patre ſignificauit & filium,uti nunc ſemel loquente domino deo duo hæc audiuit, quia poteſtas dei eſt,& tibi domine miſericordia,quia tu reddes unicuiq; ſecundũ opera eius.Nouit Paulus in uno utrunq;,id eſt, neutrũ ſine altero cõfiteri, dicens: Vnus deus eſt, & unus dominus, quia & in deo dominus, & deus ſignificatur in domino.Semel itaq; loquẽte deo hæc duo audiuit,&quia poteſtas dei eſt,&: Tibi

domine miſericordia: ab ipſo enim ſalutare eius eſt. Et filius omnia accepit à patre, & idcirco in eo dei poteſtas, uel accepta, uel nata eſt. Pater enim non iudicat quenquam, ſed omne iudiciũ dedit filio. Retributor ergo unuſcuiuſq; eſt ille qui iudex eſt. Sed poteſtas eius eſt, à quo unigenitus deus eſt natus in iudicem: & poteſtas eius à deo eſt, qui iudiciũ accipit à patre, atq; ita nec caret poteſtate qui iudex eſt, nec miſeratione qui deus eſt. Neceſſe eſt enim æterni iudicij reus maneat in uno utrunq; non confitens, cum tamen non unus intelligendus ſit eſſe, qui uterq; ſit, dicens: Pater in me, & ego in patre, dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui benedictus eſt in ſecula ſeculorum. Amen.

Pſalmus LXII. Dauid cum eſſet in deſerto Idumææ.

DAuid in deſerto habitaſſe libro regnorũ continetur, ut qui paſſiones domini præfigurabat, etiam tum eas cum deſertum habitat propheta ret, unigenito deo æque in deſerto moraturo. Sed ut ſancto uiro congruum, & tanto propheta erat dignum, cum declinans odia impiorum ſolitudini ſe dediſſet, maximis rerum cœleſtium ſacramentis occupatur, & ab omni humanæ, aut impietatis, aut ignorationis cœtu remotus, animum ad ea quibus æternitatis cognitio ac meritum acquirebatur intendit. Non occupatus, non impeditus communium rerum ac ſeculi curis, ſed in illo ſolitudinis ſuæ quieto ocioſoq; ſecreto, cum nihil in oculos & in mentem offenſionis incurreret, ſolis diuinis ſtudijs negocioſus. Et uideamus unde pſalmi ſermo ſit cœptus.

ENARRATIO PSALMI.

DEus deus meus ad te de luce uigilo.) Huic planè ad gratulationẽ cognitionemq; dei dies cœpta eſt, cui idipſum orandi ad deum initiũ, quod lucis eſt, deum quidem uniuerſitatis, ſed tamen per cognitionis ſcientiam deum ſuum deprecatur. Oratio aũt nõ tam uerborũ eſt quàm affectus, & idcirco ſubiecit: Sitiuit tibi anima mea quàm ſimpliciter caro mea. In terra deſerta, & in inuio & in aquoſo.) Adeo igitur penes quem fons uitæ eſt anima ipſius ſitit deſiderio intẽta potandi, & quidẽ uniuſcuiuſq; mens ad cognitionẽ †ſpem æternitatis naturali quodam fertur inſtinctu, quia ueluti inſitum impreſſumq; omnibus diuinam ineſſe nobis animarũ originem opinari, cum non exiguã cœleſtis in ſe generis cognationẽ mens ipſa cognoſcat. Porrò autem terrena hæc corpora, quę ad uitiorum concreta materiã ſunt, dum his quibus quaſi naturaliter delectantur infecta ſunt, deſperant ſe conſequi poſſe conſortiũ munusq; cœleſte: quaſi non & animę naturam uitia corporis, quibus oblectantur inficiant: aut cum delectatio corporis redundet, ad mentem, & non mentẽ ſecum corpus retrahat ad oblationis affectum. Neceſſe eſt autem ut in eadem cõdemnatione ſit uoluntatis, quod in eadem eſt uoluntate. Sed nos ſpiritalibus doctrinis eruditi ſcimus, & animæ & corpori ſalutem à deo eſſe datam, ſi modo poſt regenerationis gratiã mentis gladij ſenſus corporis imbuatur, id eſt, ſi non ſecundũ carnem, ſed ſecundum ſpiritũ uixerimus, quia ſpiritus carnisq; opera ſecundum Apoſtolum, uitiorũ & cõtinentiæ ſtudijs diſtinguitur. Arduum autẽ, ſed maxime uerum eſt æternitatẽ ita corporis, ut animæ ſperare. Et ideo ad ſitim propheta ſubiecit: Sitiuit tibi anima, quàm ſimpliciter caro mea.) Nihil in ſe ſub infidelitatis ambiguitate retinẽs incertũ ſed tam ſimpliciter, q; anima deo ſitiens, & caro ſua ſitiat. Sitit enim non corpori, ſed deo ſitiens. Nam quamuis in eo deſerto, & in inuio & aquoſo manentẽ neceſſitas ipſa naturæ ad ſitim corporis detineret, tamẽ etiam per has inediæ & ſitis paſſiones ſcit fidem probandam eſſe credentiũ, ut magis anima deo, quã corpori ſitiat, ſitiens & corpori, quia neq; fames neq; anguſtiæ, neq; ulla genera paſſionum à charitate dei quæ eſt in Chriſto, ſint apoſtolorum ſeparatura. Sitit ergo deo ſanctus. Et quid

Vort. ſpeciem

ſitiat

ſitiat pſalmo alio teſtatus eſt, cum dicit:Sitiuit anima mea ad deum uiuũ, quando ueniam & parebo ante faciem tuam.Hoc animæ deſideriũ. Hæc ſitis ſpei eius eſt, ut dei ſibi proueniat aſpectus, ut quàm primũ raptus in nubibus deo Chriſto obuiam eleuatus appareat,& deſiderij huius affectũ,nunc quoq; propheta declarat. Nam poſt ſitis proteſtationẽ,poſt deſerti & inuij,& inaquoſi inopiam,quia in his ueluti militia,& uictoria ſit fidei,ſubiecit:Sic in ſancto apparui tibi,ut uiderem uirtutem tuam,& gloriã tuam,quia melior miſericordia tua ſuper uitam.Propheticæ ſcientiæ eſt pro gerendis geſta memorare,& hinc frequens autoritas eſt,cum aceto potauerint adhuc in paſſione potandum:cum diſciderint ueſtem,quę diſcinenda poſt eſſet,ut nunc in ſitim corporis deo ſitiens,ei in ſancto ſuo talis appareret,in ſimplicitate carnis,in ſiti animę,in oratione diluculi.Quia non niſi per hæc probati,uel aſſumpti habebuntur in Chriſto, uel ei obuiam rapientur in nubibus, ſed in ſancto dei non aliter apparebũt deo quam ſecundũ illud:Qui me uidet,uidet &patrem.Atq; illud:Ego & pater unum ſumus.Quia in filij,& natura,& nomine paternæ naturæ ac nominis ſignificatio continetur,apparens filio. Apparens autem filio uel ſuſceptus à filio patri apparebit in filio, atq; ut in ſancto appariturus deo, cuius ſancti deſiderium,in hac ſitis ſuæ ſignificatione oſtenderet ſubiecit: Vt uiderem uirtutem tuam, & gloriam tuam.) Eum ſcilicet, uideret qui ſecundum apoſtolum uirtus dei eſt,& in gloria dei eſt. Viſurus autem non ad aliud,quàm adconſortium æternitatis merendum,& ad regni cœleſtis æternitatem ſortiendam, quia hæc per miſericordiã dei ultra uitæ huius beatitudinẽ præparentur. Id enim ſequitur: Quia melior eſt miſericordia tua ſuper uitam.) Magnum quidem dei munus eſt, quod uenimus in uitam, & ipſa natura duce naſci nos gratulamur. Sed quia plena omnium anxietatum, ac dolorum ætas noſtra eſt, plus in miſericordia dei ſpei eſt quàm in uita, quia hanc mors ex peccati lege conſequitur. Hæc uero æternitatem ex morte reſtituit. Sicuti tritici ſatio ac diſſolutio ipſa tritici conſeruatione præſtantior eſt,hoc enim deus prout uult ueſtit in ſpico, ita magnũ miſericordiæ dei munus eſt ſi commortui Chriſto uiuamus in Chriſto. Nam & ipſa Adæ mors ne æternitatis pœna maneret ſub miſericordiæ ſignificatione eſt conſtituta, & Apoſtolus diſſolui ſe melius ſibi eſſe decernit. Et propheta gaudium manſuræ ſibi mortis oſtendit,dicens: Præcioſa in cõſpectu domini mors ſanctorũ eius,quia per eam cum peccati lege reſolutis demutationis glorioſæ profectu æternitas animæ corporiſq; iam ſine peccati corpore rependetur. Certus ergo miſericordiæ dei quæ ſupra uitam melior ſit propheta,officiũ gratulationis exequitur,dicens: Labia mea laudabunt te domine.Sic benedicã te in uita mea,& in nomine tuo leuabo manus meas.) Et ſermone ſuo, & opere laudat deum,atq; benedicit. Nam in uita ſua benedicẽs in nomine ſuo manus eleuabit.In eleuatione manuum non habitum orandi,ſed excelſi operis iudiciũ ſignificari frequenter docuimus.In hac igitur uita ſua deum cum miſericordia eius ſupra uitas ſit melior,laudauit.Eſt enim & uita poſt uitam, qua in Abrahæ ſinibus uiuendum eſt, in qua dei nomen pauperis quiete benedicitur,ſecundum illud prophetæ: Non mortui laudabunt te domine,neq; omnes qui deſcendunt in infernũ,ſed nos qui uiuimus benedicimus domino.Super has igitur uitas miſericordia eſt,quæ quod oculus non uidit, & auris non audiuit,& in cor hominis non aſcendit,his qui dominũ diligunt præparauit.Hanc igitur laudat,atq; benedicit,nõ etiam nunc ab holocauſtis pecudum,adipiſq; pinguedine ſacrificia legis expectans, ſed in ſola animæ confeſſione benedictionisq; laude ſeipſum deo hoſtiam ſtatuens, ſecundum illud: Sacrificium laudis honorificabit me,& illud:Immola deo ſacrificiũ laudis.& illud: Quoniã ſi uoluiſſes ſacrificiũ dediſſem,utiq; holocauſtis non delectaberis,quia literæ ac legis allegoricorum

gorícorum præſcriptione ceſſante, deus uiuæ intelligentiſq; hodie ſit laudibus honorandus. Subiecit enim: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labia exultationis laudabunt nomen tuum.) Neq; illa quaſi abominanda condemnat, ſed hæc ut magis expectata confirmans, cum ſicut adipe & pinguedíne, quæ ſacrificiorum primitię habebantur, repleri animam ſuam exultationis laude deposcat. Verum hæc non tam uerborum officia quàm mentis ſunt, ut ſacrificium laudis ex operum ſanctitate deſcendat. Itaq; continuo ſubiecit: Si memoratus ſum tui ſupra ſtratum meum in matutinis meditabor in te.) Meditationē matutinam recordatio nocturna cōſummat, & idcirco de luce ad deum uígilat, quía ex ſtrati, id eſt, ex lectuli puritate, & fiducia & conſcientia orationis eſt matutinæ. Obrepentes itaq; ſub ſecreto noctis cogitationes dei recordatione compreſſit, ſeſeq; aduerſum carnis incentiua luctantē, metus nomínis dei iuuit. Sequitur enim: Quía fuiſti adiutor meus, in uelamento alarum tuarum ſperabo.) Dei ſe meditatione per quam ſibi adiutor eſt protegente. Non enim ei alia q̄ placendi deo cura eſt, cuius tantū in ſtrato meminit. In eo quoq; in matutinis ex nocturna recordatione meditatur, quia adiutor ſuus eſt, & ſub uelamento alarū eius exultat, id eſt, tegmine protegentis eſt tutus. Sed horū omniū hinc profectus eſt, hinc cauſa eſt, quia ſequitur:

Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.) Amoris hæc uis eſt, ut his quos amamus etiam ſi abſentes ſint hæreamus, dum affectum inſitum nequaquam aut locus diuellit, aut tempus. Adhæſit ergo deo propheta nō blandimentis ſeculi, non corporis uitijs amorem ſuum ab eo charitatemq; retrahentibus, quia ſecundum apoſtolum adhærens deo, unus eſt ſpíritus cum eo. Et dominus pro diſcipulis orauit: Pater ſicut nos unum ſumus, ut & illi unum ſint in nobis. Adhærens ergo deo ſuſceptus à dei dextera eſt, id eſt, per uirtutem dei quæ ſignificatur in dextera, ab eo qui dei & uirtus & ſapientia & uerbū caro eſt factus, aſſumptus eſt conformis gloriæ corporis iam futurus. Et qui ſuſceptus à dei dextera metum omnem à ſe qui ab inimicis ſuis eſſe poſſit abiecit, fiduciæ ſuæ non tacuit ſecuritatem, neq; iuſti iudicij dei ignorat ſeueritatē, dicens: Ipſi autem in uanum quæſierunt animā meā, introibunt in inferiora terrę, tradentur in manus gladij, partes uulpium erunt.) In uanum itaq; animā ſuam quæſierūt. Secundū enim euangelium homo cum corpore animam non perimit, & miſericordia dei melior ſuper uitas eſt, & hic iam ſuſceptus à dextra dei eſt. Terrę autē inferiora introibunt, quía chaos inuio ſeparantur à ſanctis, & in manus gladij tradentur, quia ſecūdum diuitem poteſtas pœnæ, quæ in ore gladij ſignificatur, in impios exeretur. Partes etiam uulpium erunt, fallacium beſtiolarum ſordem adepturi: quía & Herodes eſt uulpes, & uineam ſponſi exterminant uulpes, & foueam ſibi filio hominis caput ſuum nuſquam reclinante in impiorum cordibus condiderunt: & dæmonum in his ſignificatas eſſe nequitías non dubium eſt, quibus cum príncipe eorum præparatus ignis gehennæ eſt. Sed inter hæc audi lætitiam eius, qui humanæ ſalutis gaudium frenquenter ad patrem exultauit. Rex autem lætabitur in deo, & laudabitur omnis qui iurat in eo, quoniam obſtructum eſt os loquentium iniqua.) Cauſam cur rex lætetur ſignificat, quía quiſquis in eo iurabit, in deo ſacramenti huius religione laudabitur, qui ſciat ſcilicet regem Chriſtum Ieſum, qui etiam deum ſuper omnia, qui ſecundum Paulum teſtetur magni dei ſaluatoris aduentum, qui ſecundum Eſaiam iurans iurauit in deum uerum. Obſtructum enim eſt os loquentium iniqua, quía prędicetur ex lege, & ex prophetis, atq; ab Apoſto, in eo nos ante conſtitutionem mundi, & elegiſſe pater, & benedixiſſe doceatur, & ipſe nos excitauerit & collocauerit à dextris dei in celeſtibus, & cū uidebūt eum in maieſtate ſua iudicare de uiuis & mortuis. Per hęc itaq; obſtruetur os loquentiū iniqua. Ipſe enim

eſt rex in

eſt rex in æternum,& in nomine domini Ieſu omne genu flectetur,cœleſtium, & terreſtrium,& infernorũ,& omnis lingua confitebitur, quia dominus Ieſus in gloria eſt dei patris,qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Pſalmus LXIII. In finem pſalmus Dauid.

EXaudi deus orationem meam cum precor ad te, à timore inimici eripe animam meam. Protexiſti me à conuentu malignantium,à multitudine operantium iniquitatem. Quia exacuerunt ut gladium linguam ſuam,intenderunt arcum rem amaram,ut ſagittent in occultis immaculatũ. Subito ſagittabunt eum,& non timebunt,firmauerunt ſibi ſermonem nequam. Diſputauerunt ut abſconderent laqueos, dixerunt, quis uidebit eos? Scrutati ſunt iniquitates,defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Accedet homo ad cor altum,& exaltabitur deus. Sagittæ paruulorum factę ſunt plagæ eorũ, & infirmatæ ſunt contra ipſos linguæ eorũ. Conturbati ſunt omnes qui uidebãt eos,& timuit omnis homo. Et annunciauerũt opera dei,& facta eius intellexerũt. Lætabitur iuſtus in domino & ſperabit in eo, & laudabunt omnes recti corde.

ENARRATIO PSALMI

PSalmi ſuperſcíptio hiſtoriam non continet. Simplex eſt,& prophetali ſpiritu æditus,tantum per id quòd: In finem præſcritur, res nõ ſui, ſed temporis quo ſcríptus eſt continere teſtatur. Sed quærendũ eſt, ex qua perſona ſit dictus,quíd ue ex ſe intelligendũ enunciet. Nam ſine dubio eſſe ſpiritalis eſt opinandus. Cũ enim ipſi illi pſalmi qui ſecundum titulorum inſcriptionem res geſtas continere creduntur, in plurimis à tituli ſui & rerum ac perſonarum proprietate diſſentiant, magiſq; per æditiones nominum,atq; geſtorum ſpiritalium operationum ſignificẽt effectus, quíd de eo erit intelligendum,in quo ſimplex tantum pſalmi, in finem intelligendi inſcríptio continetur,niſi quòd ſpiritalis in eo doctrinæ forma ſit conſtituta? Eſſe autem plures memini,qui omnia quæ in libris pſalmorum ſcripta ſunt ad perſonam domini noſtri unigeniti filij dei exiſtiment eſſe referenda, nihilq; in eis aliud, quàm quod ei ſit proprium contineri. Quæ eorum opinio argui non poteſt. Omnis enim ex affectu religioſæ mentis hic ſenſus eſt,& caret culpa propenſiori ſtudio,omnia ei per quem ipſa omnia ſunt,coaptare. Quanquam enim idipſum interdum imperite fiat, tamen per id quod ad eum cuncta referuntur, neceſſe eſt ut ea quæ ei ſunt propria,uere ac fideliter prædícentur. Cauendum autem eſt,ne dum omnia conuenire in eum æqualiter opinamur, per aſſertionis huius ſtudioſam intentionem plurimum & diuinitatis ſuæ dignitati, & corporationis ſacramento, & operationum poteſtati, & paſſionis uirtuti, & reſurrectionis gloriæ detrahatur. Tenendus igitur modus eſt: diligenter ac caute conſtituendum eſt, quíd de diuinitatis ſuæ natiuitate, quę ei à patre eſt,fuerit prophetatum,quando eius hominis quem aſſumpſit perſona tractetur,ubi operatio,paſſio,& reſurrectio prædícetur. Quíd uero uncuiq; tempori congruat,quando fides gentium nuncíetur, quando peccata anterioris populi arguantur,quando doctrina timoris dei & confeſſionis erudítio ex prophetæ oratione præſtetur. In his enim prophetiæ ſpiritalis ordo cõſiſtit. Et ſi dominus prædícatur,profectus ſcientiæ huius ad fidem utílis eſt. Si ad timorem & confeſſionem eius docemur,domino formamur, proficímus, acquirimur, ut per paſſionem eius redempti,ita eídem per doctrinæ ſuæ inſtitúta placituri. Eſſe autem in præſenti pſalmo quædam intelligo,quę ei homini quem dominus aſſumpſit aptarí poſſe uideantur,ubi dícitur: Perſcrutati ſunt iniquitates,defecerũt ſcrutantes ſcrutinio. Significari enim forte in eo exiſtímabitur Iudæorũ conſpira-

Allegoria licet falſa,tamẽ pie probatur

tio,cũ teſtimonia,quibus argui poſſet quæruntur,nec reperiuntur,& omnia ſcru/tantium ingenia deficiunt.Dehinc quòd ſagittis paruulorum, id eſt,doctrinis A/poſtolorum uulnerentur, aduerſum quos nullam cauſam iuſtæ perſecutionis in/uenerint,& ideo defecerint contra ipſos linguæ eorũ.Hæc quidem non tanquam improbabilia præmittimus, ſed quædam alia in pſalmo ſunt quæ ordinem intelli/gentiæ huius impediant. Non longe tamen ab his ſermo expoſitionis noſtræ diſ/ſentiet.Exiſtimamus enim non modo Apoſtolorum qui primi fuerunt,ſed cuiuſ/que ſancti in domino ſperantis cõfeſſionem præſenti pſalmo contineri. Inter ma/ximas enim ſeculi tempeſtates,& grauiſſimas humani generis in deum impieta/tes ſumus conſtituti,cuius fidelem per nos,& ueram confeſſionem nunc philoſo/phia irrideat,nunc hæreticorum furor incurſet,nunc auaritię ſtudia condemnent, nũc ambitionis fauor inquietet.Quibus omnibus diſſimulandis,tolerandis,uitan/dis, & coarguendis mens noſtra niſi per deum erudita nõ ſufficit. Quantis enim & quàm moleſtis diſputationum aculeis dei prouidentiam & principalem,atque ininitiabilem in creato ab eo mundo dominatũ eius philoſophia impugnat: nunc aquis,nunc terræ,nunc atomis, nunc cœlo dei nomen indulgens.Quàm uero in/genioſo callidꝭtatis uſu fidei doctrinam hæreticus mentitur: quanto deinde audi/entium periculo opum gloriam auarus affirmat:quanto quoq; continentiæ exci/dio gaudia corporis uoluptatum aſſertor exequitur,quàm peſtifera autem ambi/tioſorum in honoris adhortatione facundia eſt. Quibus omnibus peruigil cura, pernox oratio, & æterna ad deum confeſſio repugnabit. Ob hæc igitur fidei no/ſtræ & æternæ ſalutis excidia propheta orare intelligitur in pſalmo, ex perſona ſua quatenus in deum ſperare nos conueniat oſtendens.Ait enim: Exaudi deus orationem meam,cum tribulor,à timore inimici eripe animam meam.) Ingruen tibus his quæ ſuperius memorauimus,per quę fides noſtra & ſpes periclitatur,ad eum qui ſolus mederi his poteſt refertur oratio. Metus eſt enim,ne infirmam per naturam & conſortium carnis animam undiq; ſubrepentium illecebrarum æſtus abſorbeat. Adſunt namq; quotidie & pugnant blandimentis fallacibus, quaſdam machinas excidij admouentes. Itaq; per doctrinam cœleſtis eruditionis peruigi/lem curam fidei impendere admonemur: timere inſidiantem ſemper hoſtem, ne incautam ſecuritatem noſtram ipſe in ſpeculis poſitus incurſet. Vigilandum er/go in oratione dei eſt,& ſemper orandum, ut cum fatigari anima & affligi ſubre/pentium illecebrarum aculeis cœperit,deus ſemper oratus exaudiat,nosq; ab his quæ timemus eripiat. Ait enim:A timore inimici eripe animã meam. Deus enim non tantum tum orandus eſt, cum quæ timentur ingruerint,ſed timenda ea ſunt quæ cum cœperint adeſſe, dominantur.& ſemper atque indefeſſis precibus oran dus eſt, ut nos à timore eorum quorum dominatum timemus eripiat. Scriptum enim in prouerbijs eſt: Cum uocarem non exaudiſtis & cum extenderem uerba non intendiſtis, ſed inania feciſtis. Et ego perditionem ueſtram irridebo. Erit er/go cum inuocabitis me, & ego non exaudiam. Propheta ergo licet prior tem/pore, non tamen eorum quæ poſtea dicerentur ignarus eſt, ſed impendentibus ſemper tribulationibus anxius, & ad omnem timorem inimici ſolicitus deum orat, ob ea quæ timet, & ut ſecum in tribulatione ſit, & ut exaudiat deprecatur. Neque enim dei miſericordiam metus noſter, ſed fides promeretur, & longæ præparationis documento opus eſt, ut mereamur audiri. Meminit ergo prophe/ta ab his ſe omnibus precantem liberari, & docet orationem ſuam non ex domi/natu eorum quæ timuerit, ſed ex merito eſſe fidei exauditam. Ait enim: Pro/texiſti me à conuentu malignantium, & à multitudine operantium iniquitatem. Qui exacuerunt ut gladium linguas ſuas,intenderunt arcum rem amaram,ut ſa/gittent

gittent in obſcuro immaculatum.) Non hic propheta arma bellica, nec enſes, aut iacula, aut tormenta arcuum pertimeſcit. Omnis enim in lingua timor eſt: huius gladios ſpicula metuit, ab his quidem fide ſua tutus. Ait enim: Protexiſti me à conuentu malignantium. Sed arcus homicidæ linguæ ſemper intentus eſt, & acumen gladij in lingua eius præſto eſt. Volant autem letales eius ſagittæ, & nõ ambiguum eſt quid efficiant, ſcilicet ut ſagittent in obſcuro immaculatum. Et proprietas uerbi intelligenda eſt. Non ſanctum, non fidelem, non iuſtum, ſed immaculatum ſagittant eum, cui per ſacramentum baptiſmi ſordes & maculæ ueterum criminum recens ablutæ ſunt, nondum tamen firmatæ fidei, nondum doctrinis ſpiritalibus eruditum, nondum contra hæc pugnacis linguæ arma certantem, ſed ſimplicem & ex nouæ natiuitatis infantia tenerum. Hunc ergo ſine metu contradictionis alicuius, intento iampridem arcu, per rerũ ignorantiam in obſcuro poſitum uulnerabunt. Ait enim: Subito ſagittabunt eum, & non timebunt.) Naturam ſimplicem, & immaculatam nouitate imperitam. Hanc enim fallunt, huic occultos laqueos prętendunt, inſidiarum ſecretis latentibus gloriantes. Sequitur enim: Firmauerunt ſibi uerbum malum, diſputauerunt ut abſconderent laqueos. Dixerunt quis uidebit eos?) Tempus diſcernitur & inferendi uulneris, & conſilij firmati. Nam cũ dicitur: ſubito ſagittabunt, futuri temporis opus docetur, cum autem: firmauerunt uerbum malum, iam ex præterito conſilium firmatæ pridem uoluntatis oſtenditur. Semper enim excidia aduerſus fidem præſto ſunt, & occultis ac fallentibus inſidijs peſtiferæ adhortationis dolí adiacẽt, quos à rarís quibuſq; conſpici opinantur. Et ideo dictum eſt: Abſconderunt laqueos & dixerunt: quis uidebit eos? Si enim hæreticus peruertere fidem tentet, incredibile eſt quantis eam dolis ſubuertere contendat. Si ſpem æternitatis noſtræ philoſophus impugnet, mirum in modum omne bonum præſentis uitæ ponet in corpore, omni ingenij ſui alacritate ea, quibus doctrinæ cœleſtis inſtitutio ſubrui poſſit utercq; ſcrutantes. Sed quid ad deum humana peruerſitas? Quid aduerſus opificem operis ingenium? Exquirant licet omnibus argumentationis ſuę quæſtiunculis excidium ueritatis, deficiet tamen in ueritatis diſtinctione falſitatis aſſertio. atq; ideo ſubſequitur: Perſcrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.) Defectio ſcrutantium defectionem ſuperuacuæ contra deum adhortationis oſtendit. Quæ enim non labefactabuntur ingenia contradictioni ueritatis intenta? Rimentur licet omnia naturaliũ cauſarum ſecreta, peruicacicq; ſtudiorum ſuorum uigore ipſa cœleſtium motuum interna ſcrutentur, in ipſa tamen operis ſui intentione deficient doctrinis ſpiritalibus refutati. Qui enim fortuitis motibus agi omnia docent, audient à nobis æternæ uirtutis deum non in fortuitis manere, ſed eſſe mundi creatorem, indefinitæ ut eſſentiæ, ita & uirtutis. Ipſum à nemine ſed ex eo omnia, moderantem ea ipſa omnia & continentem. Qui uero prædicabit animæ cum corpore occaſum, audiet animam non eſſe terrenam, ſed ex afflatu dei ortam, elementis corporis admiſceri: mortem autem non interitum eſſe, ſed diſceſſionem eius à corpore. Qui autem reſurrectionem carnis abnegabit, ſciet non difficilem eius inſtaurationem futuram ei, cui inchoatio prima ſit facilis. Porrò qui curam humanæ conuerſationis deo auferet, cognoſcet æterni regni deum iudicem: neq; hominem idcirco tantum conditum ut eſſet (quid enim eſſe hominem deo utile fuit?) ſed ut in cognitionem dei æditus, profectum ſibi ex opificis ſui cognitione ſperaret. Iam ſi fidem hæreticus deſtruet, dei filium ſemper eſſe cognoſcet nullo à patre interuallo temporis ſeparatum, ipſum eſſe uerbum, uirtutem, ſapientiam dei: hunc mundi opificem fuiſſe, hunc & hominis conditorem: hunc prima mundi crimina diluuio abluiſſe: hũc Moyſi legem dediſſe: hunc

in prophetis fuiſſe, & per eos ingentia illa corporationis & paſſionis ſuæ ſacramenta ceciniſſe: hunc in corpore reſurgentem caducæ carni claritatem ſpiritalis gloriæ intuliſſe, & in naturam diuinitatis ſuæ terrenæ corruptionis abſorbuiſſe primordia. Deficient igitur aduerſum iſta ſcrutantes, & per uirum doctrina dei eruditum, & in altum humilitatem cordis ſui erigentem, hæc diuinæ operationis præconia proferentur, ita ut hæc eminentia dei eorum ipſorum, qui hæc audiant confeſſione laudetur. Atq; ideo ita ſequitur: Perſcrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur deus.) Cognita enim ſcrutantium defectione, & accedente homine cordis alti, magnificentia diuinæ bonitatis agnoſcitur. Quantus autem fiet doctrinæ ſpiritalis profectus? Nam quis non magnificabit deum quem mundi huius cognouerit conditorem, quis non metuet quem iudicem ſciet? Quis non renaſci in innocentiam uoluerit, cum peccati remiſſionem ſacramentum nouæ natiuitatis indulgeat? Quis nõ à peccato deſinat iam renatus, & in innocentia uelit paruuli permanere, cum talium ſciat regnum eſſe cœlorum? Hæc profeſſio noſtra ſcrutantium ingenia debilitat: hæc doctrinæ ſpicula quæ per regeneratorum exordium ſagittæ ſunt, paruulorum ſtultas diſputationes, & ridicula de deo dogmata uulnerãt. His aduerſari profanæ linguæ contradictio non poteſt, ad horum omnium diſputationum, & adhortationum noſtrarum fidem, & trepidatio abnuentium & metus eſt audientium. Annunciatis enim operibus dei tunc incipiẽt facta eius intelligi, tunc in his lætabitur iuſtus, tunc eum omnes recti corde laudabunt. Et hoc ipſum pſalmus ita edocet: Accedet homo ad cor altum & exaltabitur deus. Sagittæ paruulorũ factæ ſunt plagæ eorum, & nihil habuerunt contra ipſos linguæ eorum. Conturbati ſunt omnes qui uidebant eos, & timuit omnis homo. Et annunciauerunt opera dei, & facta eius intellexerunt. Lætabitur iuſtus in domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.) Aduerſus uulnerantes ſagittas paruulorum loqui aliquid aduerſantium lingua non habuit, & qui uidebant paruulos ſagittantes conturbantur & metuunt: cum in ſe errores iſtos recognoſcunt: cum diem iudicij & retributionem actæ uitæ in corpore agnoſcunt: cum opera dei audiunt, & facta eius intelligunt. In his eſt lætitia ſanctorum, in his ſpes firmiſſima. Ob hæc deum qui recto corde ſunt laudant, ſcientes eſſe remiſſionem peccatorum, mortis peremptorem, & diaboli debellatorem, iudicem ſeculi, æternitatis largitorem deũ & dominum noſtrum, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Pſalmus LXIIII. In finem pſalmus Dauid.

TE decet domine hymnus deus in Sion, & tibi reddetur uotum in Hieruſalem. Exaudi deus orationem meam, ad te omnis caro ueniet. Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos, & impietatibus noſtris tu propiciaberis. Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in tabernaculis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctũ eſt templũ tuum, mirabile in æquitate. Exaudi nos deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longe. Præparans montes in uirtute tua accinctus potentia. Qui conturbas profundũ maris ſonum fluctuũ eius. Turbabuntur gentes, & timebunt omnes qui habitant fines à ſignis tuis, exitus matutini & ueſpere delectationis. Viſitaſti terrã & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam. Flumen dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorũ, quoniam ita eſt pręparatio eius. Riuos eius inebria, multiplica generationes eius, in ſtillicidijs eius lætabitur exoriens. Benedices coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur uberta te. Pingueſcent fines deſerti, & exultatione colles accingentur. Induti ſunt arietes

ouium

ouium,& conualles abundabunt frumento,etenim clamabunt & hymnũ dicent.

ENARRATIO PSALMI



Opportune ſuperiorem pſalmum hic qui ſubiacet conſecutus eſt.Eſt autem & ipſe,in finem,& congregationem gentium,quæ dominũ laudaturæ ſunt nunciat,& ipſe huius interpretationis noſtrę fidem reddet. In exordio autem eius ſecundum conſuetudinem ſuam propheta orationem omnem ad deum dirigit. Omnis enim nobis res atq; ſermo cum confeſſione dei ineundus eſt. Sed ſciens propheta plures propter diuerſitate rerum ac ſtudiorũ in ſuperuacuis demorari,ſpecialem & proprium dei à nobis honorem requirit,dicens: Te decet hymnus deus in Sion.) Sion mons quidem Hieruſalem adiacens eſt.Sed montem hunc eiusq; nomen,atq; etiam urbis ipſius eccleſiã,quæ corpus eſt Chriſti,nuncupatam ſemper accepimus in pſalmis,domino dicente: Ego autẽ conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montẽ ſanctum eius.) Et ne in regno eum collis huius conſtitutũ arbitraremur, in prophetis,atq; etiam in Euangelijs dictum eſt: Gaude ualde filia Sion,prædica filia Hieruſalem. Ecce rex tuus uenit tibi.& apoſtolus:Ea autem quę ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt,quæ eſt mater noſtra.Hymnus ergo hic deo condecet,qui ſit in Sion ſpiritali & eccleſiaſtico cantico innocens,& dei laudibus dulcis. Omnia autem ſuperſtitionum genera quę extra religionem dei ſunt condemnat.Plures enim ſunt in diuerſiſſimo erroris profundo locati, qui doctrinæ ſuæ peruerſitatem quadam inanis laboris probitate cõmendent.Cernimus namq; nudis philoſophos corporibus algere:ipſo etiam coniugiorum uſu magiſtri abſtinent:hæretici ſicco panis cibo uiuunt.Sed qui tandem ocioſi huius propoſiti profectus eſt? Totum hoc inane atq; ridiculum eſt, & cum ipſis ſuperſtitionis cauſis miſerabile. Deo ergo uouenda ſunt,contemptus corporis, caſtitatis cuſtodia,ieiunij tolerantia. Atq; ideo ait: Et tibi reddetur uotum in Hieruſalem.) Vota enim tantũ eccleſiaſticæ religionis utilia ſunt,quæ cum & dignis deo cantionibus,& propoſitæ in eccleſia obſeruantiæ ſtudio probantur: tum digni erimus pro quibus deum ſanctus ſpiritus interpellet.Idem namq; per prophetam loquitur, & docet. Ipſe autem ſecundum apoſtolum pro nobis inenarrabilibus gemitibus interpellat.atq; ideo hic ita dictũ eſt:Exaudi orationem,non enim ſubſequitur meam,ut dicentis perſona poſſit intelligi.Licet enim multi tanquam hoc deeſſet addiderint, nõ tamen in authenticis extat.Propheta enim nõ ſuo ſenſu,ſed inſpiratus hæc loquitur: Exaudi orationẽ: ſequitur ut quorum oratio ſit exaudienda demonſtret, nec longe expectationem noſtram differt. Subiecit enim: Omnis caro ad te ueniet.) Humani generis uniuerſitatem ſcriptura ſub carnis nomine deſignat. In lege ſcriptum eſt, & dixit deus:Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis,quoniam caro ſunt. & in eadem:Quoniam corrupit omnis caro uiam eius.& in propheta dominus: Et effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.& in Euangelio:Et uerbum caro factum eſt,& habitauit in nobis. Huius igitur humani generis orationem exaudiet deus,quòd uanis infœlicium ſuperſtitionum doctrinis tenebatur, cum præcepta gentilia omnes eos ad ſtudium impietatis imbuerent, deum in lignis, & ſaxis, & metallis prædicando, & mundi opificem, atq; animæ noſtræ parentem intra inanem materiam collocando.Hinc igitur errorem gentes fatentur,quòd eos philoſophiæ facundia detinuerit in errore,ſcientes tandem uetera delicta ſua, & antiquæ impietatis crimina deo propicianda eſſe per Chriſtum.Ipſe enim ſecundum Apoſtolum noſtra placatio eſt. ait namq; : Quem propoſuit deus placationem per fidem in ſuo ſanguine.Ea iterum : Ipſe eſt placatio pro peccatis noſtris. Veniet ergo ad eum omnis caro,dicens: Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos, & impietates

Heretici ſobrij

Vota qualia debeant eſſe

pietates noſtras tu propiciabis. Sed qui tandem propitiationis affectus eſt, uel quid proderit errorem gentilem reliquiſſe, & doctrinam impiam ſpreuiſſe: Et id ipſum nō diſſimulauit, dicens: Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, ut inhabitet in tabernaculis tuis. Omnis quidem caro ueniet.) Id eſt, ex omni hominū genere congregabuntur. Sed beatus eſt quiſquis fuerit electus. Multi enim ſecundum Euangelium uocati ſunt, ſed pauci electi. Electi autem ſunt nuptiali ueſte conſpicui, puro atq; integro nouæ natiuitatis corpore ſplendidi. Itaq; non res indiſcreti iudicij electio eſt, ſed ex meriti delectu facta diſcretio eſt. Beatus ergo quem elegit deus. Beatus ob id quia electione ſit dignus. Scire autem nos conuenit, hic beatus in quam rem fuerit electus, ſcilicet ad id quod ſequitur: Inhabitabit in tabernaculis tuis. Omnis perfectio bonorum in habitationis cœleſtis eſt requie. Multas manſiones dominus in cœlis eſſe teſtatur, ſed patrem orat, ut apoſtoli ubi & ipſe ſit maneant, dicens: Pater quos mihi dediſti, uolo, ut ubi ego ſum ibi & illi ſint mecum. Ex plurimis manſionibus, apoſtolis ſuis eam quæ ſibi eſt propria communicat. Scit propheta quanta beatitudo ſit in tabernaculis dei eſſe, alio loco dicēs: Cō cupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Sed ob id bonorum cœleſtium ſpes adimitur, ſi non omnes ad cohabitationem dei eligentur. Plures enim manſiones diuerſæ dignitati habitantium præparantur. Sed licet diuerſa ſit dignitas: differt enim ſtella ſtellæ in gloria, tamen quotquot habitationibus uarijs licet digni habebuntur, ſidei fructum & honorem cœleſtis gloriæ ſortientur. Poſt enim beatitudinem eius, qui ad habitandum in tabernaculis dei fuerit electus, hoc ſequitur:

Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templū tuum mirabile in æquitate.) His ergo bonis domus dei replebimur, quia in tabernaculis dei beatus habitabit. Et quidem interim bona domus quę ſint poſſumus æſtimare, eccleſiæ ſcilicet munera, quæ ei ſecundum multiplicem fructum Chriſtus indulſit, quia & ipſa ſecundum Apoſtolū domus dei eſt. Vt ſcias, inquit, quemadmodum oporteat in domo dei diuerſari, quæ eſt eccleſia dei uiui, columna, & firmamentum ueritatis. Hæc ergo habet triceſimum ſexageſimum centeſimumq; fructum. His ergo bonis domus dei fides credentium explebitur, quæ interim donorum diuiſionibus adornatur, ſicut ſcriptum eſt: Huic enim datur ſermo ſapientiæ, alij uero ſcientiæ, alij fides in eodem ſpiritu, alij dona ſanationum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Verum ſunt & alia plena & perfecta domus dei munera, nequaq; naturis carnalium ſenſuum æſtimanda. Nouit hęc uſq; ad tertium cœlū Apoſtolus raptus, & prædicat, dicens: Quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit deus his, qui diligunt eum. His igitur domus dei bonis replebimur, & meritum percipiendorum horum fructuum docet, dicens: Sanctum eſt templum tuum mirabile in ęquitate. Omnia namq; credentium corpora templum dei eſſe Apoſtolus docet, dicens: An neſcitis quod templum dei eſtis, & ſpiritus dei habitat in uobis? Si quis templum dei corruperit, corrumpet & hunc deus. Templum enim dei ſanctum eſt. Ornandū ergo hoc templum dei eſt ſanctitate atq; iuſtitia, ut bonis domus dei repleatur, ut æquitatis ac fidei operibus mirabile ſit. Domum autem dei etiam ipſum aſſumptum à dei filio hominem intelligere erit promptum, quia in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis, & per naturæ proprietatem in eo pater habitat, bonis eius, id eſt, uirtutis, gloriæ, æternitatis unumquenq; replendo qui ſe templum deo ſanctum & mirabile in æquitate ſeruauerit. Omnium itaq; noſtrum ſpes iſta eſt, ut bonis domus dei repleamur, ut ſanctum & mirabile templum illius ſimus. Beati quidem ſunt qui iam à deo ad habitandum in tabernaculis eius electi ſunt. Sed feſtinare nos in conſortium huius beatitudinis congruum eſt, operationibus id atq; orationibus expetentes

petentes,ob quod ita ſequitur: Exaudi nos deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ,& in mari longe.) Non competit hæc oratio Iudæo. Et quanquam hic liber legis ſit, prophetia tamen non eſt gentis unius. Spes enim hæc omnium finium terræ eſt,& quacunq; ſe habitabilis mundi huius temperies extendit, omnibus Chriſtus in ſpe eſt. Quinetiam interni atq; externi maris inſulę in huius nominis uirtute requieſcunt. Spes enim omnium finium, terræ & in mari longe eſt. Sed ſpem oportet non ex inani eſſe præſumptam, ne magis ſit incertorum præſumptio,quam expectatio cognitorum. Itaq; cur in eo ſpes omnium ſit in conſequentibus docet, dicens: Præparans montes in uirtute tua accinctus potentia, qui conturbas profundum maris ſonum fluctuum eius. Ad terrenorum montiũ naturam ſermo iſte non pertinet,firmati enim ſunt non præparati. Præparatio autem futuræ operationis eſt cœptũ. De hinc memoratorũ montium præparatio in accinctu potentiæ ac uirtute eſt. Terra autem omnis ex nihilo eſt iuſſa ſubſiſtere, resq; ea potentiæ nõ eguit accinctu,quæ ex iubendi facilitate pendebat. Vtile eſt autem cognoſcere ſicubi in ſcripturis montiũ facta eſt mentio. Ait namq; prophe ta: Audite populi omnes, & attendat terra & omnes habitantes in ea. Et erit uobis dominus deus in teſtimonium, dominus de domo ſancta ſua. Propter quod ecce dominus deſcendet de loco ſuo, & deſcendet ſuper excelſa terræ, & conteret montes ſubtus ſe,& ualles liqueſcent tanquàm cera à facie ignis propter impietatem Iacob. Hæc omnia propter peccata domus Iſraël. Et rurſum: Et commota eſt & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt & commota ſunt, quoniam iratus eſt his. Aſcendit fumus ab ira eius, & ignis à facie eius exardeſcet,carbones ſuccenſi ſunt ab eo,inclinauit cœlum,& deſcendit,& caligo ſub pedibus eius. Et in conſequentibus: Miſit ſagittas ſuas & diſperſit eos, & fulgura multiplicauit &conturbauit eos. Et in his quantum lectio docet,deſcenſionem domini de cœlo per prophetam ſpiritusſanctus oſtendit,motum terrę,montium trepidationem, ob id quia his dominus iratus ſit fumo de ira eius exorto, igne deinceps de conſpectu eius accendendo. In fumo qui aſcendit præteriti temporis res eſt. In igne autem accendendo futuri ſignificatio cõtinetur. De hinc nequicquam de natura hebeti & immobili dictum exiſtimaretur. hos montes ſagittæ miſſæ diſpergunt,& fulgura multiplicata conturbant. In hoc igitur montium nomine omnem ſupereminentem uirtutem intelligi oportet,quę ſe contra deum exaltans atque efferens iræ dei ſubdidit. Deſcendens igitur deus uerbum aſſumptum ſibi hominem potentia accingens, primum hæc cacumina montium depreſſit, diaboli ſcilicet & ſuorum contumacem excellentiam protriuit, quos per hanc primæ obtritionis poteſtatem pœnæ æternæ iudicij præparauit. Seruauit autem hanc eandem propheta rationem,dicens: Aſcendit fumus ab ira eius, & ignis à conſpectu eius ardeſcet. Fumus enim eos interim arſuri ignis inuoluit, atque ob id in præſenti pſalmo ita ſcriptum eſt: Pręparans montes in uirtute tua accinctus potentia. Accinctio potentiæ ei quod indigebat corpori coaptatur. Non enim uirtus accingitur ſed in uirtute dei potentia,homo quem dominus aſſumpſit accingitur. contemplandum autem eſt, quid præparationem montium ſubſequatur. Qui conturbat fundum maris ſonum fluctuũ eius.) Conturbat non mare ſed maris fundum,neq; fluctus eius ſed ſonum fluctuum. Mare autẽ ut prophetiæ ſermo edocet, pro ſeculo nuncupatur ut ait: Superinducet dominus machæram terribilem & magnam ſuper draconem ſerpentem prauũ & perimet draconem qui in mari eſt. Et iterum: Mare hoc magnũ & latum, ibi requieſcet draco quem figuraſti ad illudendum ipſum,uel certe illud abſolutius: Veni in altitudinẽ maris,& tempeſtas demerſit me. Montes igitur,id eſt,aduerſariæ omnes ſupereminentesq; uirtu-

tes pœnæ iudicij præparantur,& maris fundamenta turbantur. In harũ enim inimicarũ uirtutũ fiducia seculũ consistebat,& hęc in inuisibilibus seculi huius profundis latebant. Sonus autẽ fluctuũ cũ fundo maris perturbat. Turbato enim diabolo,omnia terroris sui ministeria turbantur, & ipse in quo gentes pauebant, adsersantium potestatũ sonus trepidat. Recordemur uatũ murmura, & inconditos bacchantiũ fremitus, & nonnunq; confuso audientiũ sensu incertũ nescio quid simulacrorum aëra sonuisse,omnẽ denicq; prophano cerimoniarũ cantu mundũ resultantem. Nunc uero domino Christo prædicato silere omnia cõfutata & trepida,cũ hi templorũ & gentiũ dij uirtute fideliũ subijciuntur ad pœnam,cũ credentium uerbis torquentur,laniantur,uruntur,& inuisibiles nobis atq; incomprehensibiles naturę uerbo cõtinentur,puniuntur,abigunt,cũ uates silent,cũ muta sunt templa. Per hæc itaq; iam iudicio præparant & pręparatio ista quid proficit? proficiũt namq; Turbabunt gentes,timebũt.) Cernentes scilicet deos suos mutos & tantũ ad impositionẽ manuũ nostrarũ pœnæ suæ uocibus ingemiscentes. Sed post turbationẽ gentiũ alij timebũt. Timorẽ enim erit illatura turbatio. Nunquid omnes qui & turbabuntur timebũt? Nõ utiq; omnes qui turbabuntur timebunt. Qui ergo timebunt? Qui inhabitant fines.) Non subiecit scriptura (ut assolet) fines terrę. Non enim hic de terrę finibus loquebatur,dehinc sermonis ratio nõ patitur ut ita dictũ existimemus. Ait enim: qui inhabitant fines. Nunquid & gentes quę intra fines sunt nõ timebunt? & terrarũ tantũ extima deum metuent,ab eius metu cęterisq; in medio habentur alienis? Finis aũt est nõ res ipsa,sed rei extimũ. Extimum uero est,in quo res ipsa deficiet. Qui ergo fines inhabitant? scilicet qui in carne positi,neq; in totum adhuc secundũ carnem agunt, neq; iam omnino finem peccati per desinendi à peccatis consuetudinem tenent,sed uolentes desinere,nec penitus desinentes, & finem etiamnum, id est, quandam proximam defectionem peccati,carne habitantes,nec à carne absunt, nec in totum interna carnis exercent. Apostolus autem cum in corpore sit,peregrinatur à corpore: Apostolus cum in uita sit,quotidie tamen moritur: uiuit autem iam non ipse,uiuit uero in eo Christus. Omnes ille fines ambiguæ uoluntatis excessit, etiam extra fines corporis peccatiq; habitat peregrinando à corpore dum in corpore est, & quotidie moriendo deo uiuit, & iam non ipse in se uiuendo, sed Christus. Cæterũ timentium trepidatio ex ambiguæ habitationis incerto est,dũ adhuc habitando fines timent, nondum penitus quod iam habitatum sit transeundo. Et tamen desinendi uoluntate in fine iam habitent desinendi. Sed uideamus, hi qui fines habitant cur timebunt,& unde illis metus ingruat. Neq; id occultum est. Sequitur namq; Et timebunt qui inhabitãt fines à signis tuis.) Metus ergo omnis à signis est. Sed quę hæc erunt signa? Exitus matutini & uespere delectationes. Visitasti terram & inebriasti eam,multiplicasti locupletare eam. Flumen dei repletum est aqua,parasti cibum illorum,quoniam ita est præparatio tua.) Ab his igitur signis metus ortus est. Est enim magnum in singulis quibusq; eorum signum. Nam post prępara tiones montium in accinctu potentiæ & conturbationem maris fundi, & sonitus fluctuum eius progressus ecclesiæ in matutinum & uespertinorũ hymnorum delectationes maximũ misericordiæ dei signum est. Dies in orationibus dei inchoatur, dies hymnis dei clauditur, secundum quod dictum est: Suauis ei sit laudatio mea. Et rursum: Eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Succedit igitur ex hoc sequens signum: Visitasti terram & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Terra hæc qua utimur non locupletatur, sed ex fructuum suorum ubertate locupletat. Non ergo in eam sermo conueniet, quæ & locupletandi se caret sensu,& cuius id est ut locupletet officium. Visitauit autem deus terram,

id est,

id eſt, humani generis natiuitatem, eaq; uiſitata à deo multiplicatis gratiarum muneribus diteſcit, Apoſtolo dicente: In omnibus ditati eſtis in ipſo, in omni uerbo & ſcientia. His enim bonis replemur, & ſine ceſſatione potandi quotidie bonorum cœleſtium munus haurimus, pleni diuinis copijs atque ebrij. Locupletatio enim oſtẽſa eſt eſſe ea quæ ſuperius nuncupabatur ebrietas, & locupletationis atque ebrietatis huius fructus eſt contuendus. Et qui hic tandem ſit non tacetur:

Flumen dei repletum eſt aqua, paraſti cibum illorum, quoniam ita præparatio ſua.) Et de flumine ambigendi locus nullus eſt. Ait enim propheta: Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei. Et ipſe dominus in Euangelijs ait: Qui biberit ex aqua quam ego dedero, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ ſalientis in uitam æternam. Et iterum: Qui crediderit in me (ſicut ſcriptum eſt) flumina de uentre eius exient. Hoc autem dicebat de ſpiritu ſancto quem accepturi erant credentes in eum. Hoc ergo flumen dei aqua repletur. Spiritus enim ſancti muneribus mundamur, & in nos ex illo uitæ fonte fluuius dei aqua repletus infunditur. Habemus etiam & cibum paratum. Et quis hic cibus eſt? Ille ſcilicet à quo ad dei conſortium præparamur, per communionem ſancti corporis in communionem deinceps ſancti corporis collocandi. Id enim præſens pſalmus ſignificat dicens: Paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio ſua. Quia cibo illo quàmuis in præſens ſaluemur, tamen in poſterum præparamur. Seruat autem conſuetudinem ſuam propheta, ut tempora de quibus loquitur diſtinguat. Superior namque ſermo tanquàm de præterito fuit, quæ autem adhuc gerenda erant, gerendorum fide & ſcientia tanquàm iam geſta memorauit. Vt autem ea omnia futuri temporis doceret eſſe ait: Riuos eius inebria, multiplica generationes eius, in ſtillicidijs eius lætabitur cum exorietur.) Omnis hic orantis eſt ſermo, ut ea quæ commemorata ſunt deus expleat deprecantis. Terra autem uiſitata inebriata eſt. Et quomodo nũc riui eius inebriantur. Sed meminiſſe debemus, quòd ſi qui ex aqua domini potauerit flumina de uentre eius effluent. Ergo potatione aquæ opus eſt ut flumina fluant. Inebriamur autem ipſi, cum ſpiritum ſanctum qui fluuius eſt nuncupatus accipimus. De hinc, quia ex nobis diuerſi gratiarum riui emanant, orat propheta ut hos eoſdem dominus inebriet, ut his inebriatis & dono diuini muneris perfuſis generationes noſtræ multiplicentur, terra ſcilicet bona ſecundum Euangelicam comparationem, uerbi ſemen excipiens fructu trigeſimo & ſexageſimo & centeſimo diteſcat. Eſt autem nobis per ſacramentum baptiſmi renatis maximum gaudium, cum quædam in nobis ſpiritus ſancti initia ſentimus, cum ſubeat nos ſacramentorum intelligentia, prophetiæ ſcientia, ſermo ſapientiæ, ſpei firmitas, ſanationum chariſmata, & in dæmonia ſubiecta dominatus. Hęc enim tanquàm ſtillicidia nos penetrant, quę paulatim cœpta fructu multiplici exuberant. In his ergo ſtillicidijs cum exorietur terra lætabitur. Sed ſtillicidia multiplicantur ut riui ſint, riui autem inebriantur ut flumina ſint. Conſequens autem eſt ut omnem expectationem noſtram propheta confirmet, & doceat quid montium præparatio, fundi maris turbatio, terræ uiſitatio & eius inebriatio, & fluminis plenitudo cõſummationis habitura ſint. Docet itaq; in his quæ cõſequuntur dicẽs: Benedices coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate. Pingueſcent fines deſerti, & exultatione colles erigentur. Induti ſunt arietes ouiũ, & conualles abundabũt frumento, etenim clamabũt & hymnũ dicent.) Annũ benignitatis dei ex propheticis atq; Apoſtolicis doctrinis cognouimus. Dictum eſt enim ex perſona domini: Spiritus domini ſuper me, propterea unxit me, euangelizare pauperibus miſit me. Prędicare captiuis remiſſionẽ, & cęcis uiſionẽ, uocare annũ domini acceptũ, & diẽ retributionis annũ æterni & beati illius

illius ſeculi ſine dubio declarat. Namq; bonitatis domini hic annus eſt, quo erunt indefeſſa illa benignæ retributionis tempora auſpicanda. Huius igitur anni dei benedicet coronam iucundiſſimus & ſuauiſſimus uiſitatę terrę inebriatęq; fructus. Hæc enim Chriſti eſt, depulſa corporũ noſtrorũ corruptione & perempta mortis poteſtate uictoria. Hæc corona ſanctificatæ terræ noſtræ flore benedicta eſt, dominus ſanctorum ſuorum choro atq; ambitu glorioſus. Tunc ubertate campi replebuntur, tunc deſerti fines pingueſcent, tunc colles exultatione accingentur, tunc arietes ouium induentur. Illud enim retributionis eſt tempus. Sed diſcrimẽ prius retributionis eſt contuendum. In campis enim quorum in cultura uſus eſt ea quæ ſub lege & cultura dei fuerint opera ubertatem conſequentur. Vbi autem fines deſerti pingueſcent, eccleſiæ quæ deſerta diu fuit, populus repromiſſionis bonis opimatur. In collibus uero exultatione accinctis glorioſa martyrum gaudia nunciantur. Hi enim ſunt terris cæteris celſiores. Cum autem arietes ouium induentur, æterna illa & beata patriarcharum & prophetarum & Apoſtolorum (qui duces gregis ſancti ſunt) ueſtis oſtenditur, de qua ait beatus Apoſtolus Paulus: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionẽ. Et iterum: In quo nolumus diſpoliari, ſed ſuperindui, ut abſorbeatur hoc mortale à uita. Hoc ergo indumento arietes ouiũ induuntur, & hoc glorioſæ immortalitatis habitu ueſtiuntur. Sed quanquàm diuerſa retributionum dona monſtrata ſint, ſpem tamen præter hæc non exiguam miſericordiæ ſuæ deus tribuit, dicens per prophetam: Et conualles abundabunt frumento.) Humiliores ſcilicet, ſed tamen non impiæ fidei atq; operis homines fructum uitæ ſortientur. Non enim ubertate replebuntur ut campi, neq; ex deſerto pingueſcent, neq; exultatione accingentur ut montes, neq; tanquàm arietes ouiũ induentur, in quibus omnibus indefinitæ gloriæ munus oſtenditur, ſed frumento abundabunt, uiuendi ſcilicet ſubſtantia nõ carebunt, quia per infirmitatem fidei humiles ſunt, & editis circum ſe collibus uallium more depreſſi. Ac ne propheticus ſermo hos campos, hęc deſerta, hos colles, hos arietes, hæc conuallia quæ aſpectui noſtro ſubiacent, uoce & ſenſu carentia ſignificare exiſtimaretur, adiecit: Etenim clamabunt & hymnũ dicent.) Dei ſcilicet laudes ob hæc diuerſa retributionum præmia indefeſſis & maximis uocibus concinentes.

In finem canticum Pſalmi. Pſalmus LXV

IVbilate deo omnis terra, pſalmũ dicite nomini eius, date gloriam laudationi eius. Dicite deo, quàm terribilia ſunt opera tua, in multitudine uirtutis tuæ mentientẽ tibi inimici tui. Omnis terra adoret te, & ſpallat tibi, pſalmũ dicat nomini tuo. Diapſalma. Venite & uidete opera dei, terribilis in conſilijs ſuper filios hominum. Qui conuertit mare in aridam, in flumine perambulabunt pede, ibi lætabimur in ipſo qui dominatur in uirtute ſua in æternum. Oculi eius ſuper gentes reſpiciunt, qui in iram prouocant nõ exaltentur in ſe. Diapſalma. Benedicite gentes deum noſtrum, & obaudite uocem laudis eius. Qui poſuit animam meam ad uitam, & nõ dedit commoueri pedes meos. Quoniam probaſti nos deus, igne nos examinaſti ſicut examinatur argentũ. Induxiſti nos in laqueũ, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Tranſiuimus per ignẽ & aquam, & induxiſti nos in refrigerium. Introibo in domũ tuam, in holocauſtis reddam tibi uota mea quæ diſtinxerunt labia mea. Et locutum eſt os meum in tribulatione mea. Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo & arietibus, offeram tibi boues cũ hircis. Diapſalma. Venite & audite & narrabo uobis omnes qui timent deũ quanta fecit animæ meæ. Ad ipſum ore meo clamaui, & exultaui ſub lingua

mea.

mea. Iniquitatem ſi conſpexi in corde meo non exaudiat deus. Propterea exaudiuit deus, & intendit uoci orationis meæ. Benedictus deus qui nõ ammouit deprecationem meam, & miſericordiam ſuam à me.

SVperſcriptio pſalmi à ſuperiore eo diſtat, quòd in ſe habet canticum pſalmi, cum in anteriore pſalmus cantici æditus ſit. Cæterum æqualiter prę ſcribuntur in finem. Itaq; ſecundum illam quam in exordio attulimus de titulorum inſcriptione rationem, perſpicuum eſt, pſalmũ hunc ob adepta per meritum boni operis ſpiritalis doctrinæ inſtituta cantari. Quia quando in ſuperſcriptione pſalmus cantici eſt, per cognitionem cœleſtium prędicationum geſta boni operis continentur in pſalmo. Cum autem canticum pſalmi eſt, ex operationis obedientia adepta, ſpiritalis ſcientiæ hymnus oſtenditur. Canticũ enim uocis officium eſt, pſalmus autẽ ex coaptatione (quam harmoniam nuncupant) organis comparatur: fitq; ex imparibus ac diſſimilibus modis artificis ingenio apta & conſonans & amœna modulatio. Quo exemplo uarijs officij noſtri & ſcientiæ miniſterijs gratum deo opus & ſibi cõſonans comparamus. Et huius quidem intelligentiæ ipſi nobis pſalmi autores erunt, cũ quando ſit in pſalmo cantici per ſcientiæ & cognitionis doctrinam boni operis prædicatio. In cantico uero pſalmi per geſtorũ meritum gratulatio adeptæ ſcientiæ intelligatur. Ob eam igitur cauſam in pſalmo præſenti ſpiritus prophetiæ à gratulationis doctrina cœpit. Pſalmum autem ex perſona prophetarũ conſiſtere res ipſa & ratio demonſtrat: Iubilate deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudationi eius. Dicite deo: quàm terribilia ſunt opera tua, in multitudine uirtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.) Primũ ergo iubilandum deo præmonet, ſecundo pſallendũ nomini eius, dehinc gloriam dandam laudationi eius, tum dicendũ deo: quàm terribilia ſunt opera tua, poſtremo id confitendũ in multitudine uirtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Sed ut rationem atq; ordinem ita diſpoſiti huius ſermonis intelligamus, neceſſariũ eſt id quod difficultatem affert paucis abſoluere, in Latinis codicibus ita legimus: Iubilate deo omnis terra. Et quantum ad eloquij noſtri conſuetudinem pertinet, iubilum paſtoralis agreſtiſq; uocis ſonum nuncupamus. Cum in ſolitudinibus aut reſpondens, aut requirens per ſignificantiam ductę in longum, expreſſæ in immenſum ſonus uocis auditur. In Græcis uero libris (qui ex Hebræo proximi ſunt) non eadem ſignificantia ſcribitur. Namq; ita ſe habent: ἀλαλάξατε τῷ κυρίῳ πᾶσα ἡ γῆ, & cum illis ἀλαλαγμός, quem latine iubilum ponunt, ſignificat uocem exercitus prælianti ſ, aut in cõcurſu proterentis hoſtem, aut ſucceſſum uictoriæ exultationis uoce teſtantis. Quam rem ubi ita ſe translationis ratio temperauit abſolutius in pſalmo altero intelligimus, cum dicit: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate deo in uoce exultationis. Vox autem exultationis diſſentit ab iubilo, ſed pro translationis conditione (quia proprie exultantis uocis nuncupatio nõ reperta eſt) per id quod iubilum dicitur, uox exultantis oſtenditur. Poſiti igitur in uitæ iſtius prælijs, & in hoc carnis ac ſanguinis noſtri certamine aduerſum diabolũ exercitusq; eius armis ſpiritalibus dimicantes, deo monemur in uoce exultationis iubilare. Et ne ad inanem hãc terræ molem eſſet ſermo referendus, uniuerſitas noſtra ex terra in primo Adam parente genitorum ſub plurali numero monſtratur cum dicitur: Iubilate deo omnis terra. Simul enim & officium omnium docetur & origo. Terrendus ergo eſt confeſſionis noſtræ ſermone omnis prophanus auditor, & aduerſum diabolũ armaq; eius orationũ noſtrarũ ſonitu certandum eſt, & belli noſtri uictoria exultationis uoce monſtranda eſt. Audiat orantis populi cõſiſtens quis extra eccleſiam uocem, ſpectet celebres hymnorũ ſonitus, & inter diuinorũ quoq; ſacramentorũ

Iubilũ quid

officia

officia reſponſionem deuotæ cõfeſſionis accipiat. Neceſſe eſt terreri omnẽ aduerſantem, & bellari aduerſus diabolũ, uincíq; reſurrectionis fide mortẽ tali exultantis uocis noſtræ (ut dictũ eſt) iubilo. Sciat hoc deo placitũ eſſe, hoc ſpei noſtrę teſtimonium publicas uictricesq; exultationis noſtrę uoces perſonare. Quarũ propheta nõ negligẽs eſt, loco alio memorans: Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis. Et ne inanẽ iubilationis huius doctrinam atq; obſeruantiam crederemus, alibi proteſtatur: Beatus populus qui ſcit iubilationẽ. Neceſſarium ergo id fidei noſtrę eſt, in cuius ſcientia beatitudo eſt, nam primũ in admonitionum ordine propheta diſpoſuit ut iubilet deo omnis terra, ſecundo ut pſalmũ dicat nomini eius. Deo itaq; iubilandũ eſt, quia debitũ ei à nobis eſt exultantis uocis officiũ. Pſallendũ autẽ nomini eius eſt, quia ut per organũ pſalmus eſt, ita & corporis noſtri, quod animę & affectionis & negociorũ omniũ organũ eſt, artificioſis operibus eſt placendum. Digne ergo dei nomine agendum eſt, ut in quantũ effici licet, dictis domini obſecundemus dicentis: Sic luceat lumẽ ueſtrum coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & magnificent patrem ueſtrum qui in cœlis eſt. Vitæ enim noſtræ honeſtas ad eius laudem erit referenda cui uiuimus. Denicq; idipſum ex ſubiectis docetur. Sequitur enim: Pſallite nomini eius, date gloriam laudationi eius.) Quia ex organi noſtri pſalterio, id eſt, corporis animę famulantis effectibus præbetur per nos deo glorioſa laudatio, cum gentes opera noſtra contuentes, patrem noſtrum qui in cœlis eſt magnificant. Et dabitur laudi eius gloria, ſi digne nomini eius organi, id eſt, corporis noſtri operatione pſallamus. Docemur etiam cõſequentibus monitis ad ordinem obſequelæ prophetalis ſpiritu perprophetã ita admonente: Dicite deo quàm terribilia ſunt opera tua.) Quis enim nõ trepidet ad maieſtatẽ eius, qui ſecula inſtituerit, mundũ cõdiderit, tempora reuolubili uiciſſitudine curſuq; dimenſus ſit, cœlum aſtris ornauerit, terram fructibus repleuerit, mare obicibus cõcluſerit, hominẽ ut his aut uteretur aut dominaretur elegerit? Per hęc enim omnia uirtutis ac poteſtatis eius æternitas noſcitur, Apoſtolo dicente: Quæ enim inuiſibilia eius à creatura mundi ipſius facta intellecta aſpiciuntur, æterna quoq; uirtus eius & diuinitas. Hæc terribile nomen conditoris efficiunt, & operũ dignitas maieſtatem eius, qui ea ſit operatus, oſtendit. Horũ igitur operũ conditor eſſe deus & à nobis prædicandus eſt, & à cęteris confitendus, non hæc omnia eſſe diſ mentienda ſunt. Alij enim fortuitu hæc extitiſſe cõmemorant, alij æterna manſiſſe cõfirmant. Et idcirco mundum ipſum deũ eſſe cõtendunt, dum aut ſuapte cũ uoluitur poteſtate conſtiterit, aut dum initio caret, careat dominantis arbitrio. Alij autẽ ſolum cœlum, quia igneum ſit: alij aẽra, quia motu ac natura indiſſecabili circunferatur: alij aquas, quia indefeſſe efluant, deũ nuncupãt: plures terræ metella, robora, ſcopulos, herbas deos adorauerũt. Nõnulli deos eſſe aut putrefactorũ corporũ oſſa, aut deflagrantiũ rogorũ buſta mentiti ſunt, horũ omniũ cõditorem deũ neſcientes. Et idcirco talem confeſſionis noſtrę ordinẽ propheta eſſe docuit oportere: Dicite deo quàm terribilia ſunt opera tua, in multitudine uirtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.) Ex multitudine ſcilicet uirtutũ dei uenerationem falſorũ in diſs nominũ mentientes. Sed quia mentiuntur inimici, quid à cunctis fieri operteat docetur ita. Omnis terra adoret te, pſallat tibi, pſalmũ dicat nomini tuo altiſſime. Mendacio inimicorũ in nuncupatis diis demonſtrato, ſalutis noſtræ inſtituta præbentur, ut terrena omnis origo noſtra adoret & pſallat altiſſimo, uerum deũ & uniuerſorũ cõditorem relictis impietatum mendaciis recognoſcens. Senſum diapſalma diſtinxit. Sermo enim ad eum cum oratione directus ad homines nunc refertur, quos tanquam longe à cognitione dei conſiſtentes prophetia ad proximum aduocat, dicens:

Diapſalma

Venitẽ

Venite & uidete opera dei.) Docuit autem & Apoſtolus, eſſe plures longe à deo poſitos, quos doctrinę adhortatio tanq̃ in uicino collocauerit cũ ait: Et cum uenisset, euãgelizauit pacẽ uobis qui longe, & pacẽ his qui propè. Ex lege enim multi tanq̃ de propè manentes, crediderũt gentibus longe aduocatis. Prophetica igitur prædicatio omnis ad dei opera cõtuenda aduocauit, ſed non ea opera quæ cunctorũ aſpectui ſubiecta ſunt, cœli, aeris, terrę ac maris (hęc enim omnes cõtuentur) ſed ea quæ fideliũ tantum ſtudijs comperta ſunt, quibusq̃ ſaluti humanæ cum ingenti admirabiliũ uirtutũ terrore conſultum eſt, Pharaone impietatis ſuæ pœnis in exemplum humani timoris cohercito, ut terror damnationis in religioſorum metu religionem inchoaret, cum in iter mare aruit, & aquę in aridam conuerſæ ſunt, cum Iordanẽ pedibus populus ingreſſus eſt, & ingreſſuro repromiſſionis terram Iſrael fluentis ſtare iuſſis, reliquus ad gradiendi ſecuritatem fluuij alueus decucurrit. Ad huius igitur legis & prophetarum dei opera contuenda propheta gentes aduocat, dicens: Venite & uidete opera dei, terribilis in conſilijs ſuper filios hominum. Qui cõuertit mare in aridam, in flumine pertranſibũt pede.) Ipſe enim deus eſſe intelligendus eſt, cuius terribilibus conſilijs humanæ ſaluti per hæc opera conſultum eſt, ut opinionem de deo, quia nemo cœlum contuens deum eſſe non ſentiet, ſcientia nos & cognitio talium operum de autore confirmet. Verum hæc quamuis uirtutum dei opera ſunt, non tamen ſpei & ſaluti ſatisfaciunt uniuerſorum. Populo enim tantum legis, mare in terram demutatum eſt, eiuſq̃ itineri Iordanis aruit. Sed quid hoc ad uniuerſæ terræ ſalutem proficit? Omnibus enim hoc quod uenite dictum eſt, competit, quia de uniuerſis præſcriptum erat, omnis terra adoret te. Quid ergo mihi ad ſalutẽ tanto poſt genito Iordanis tum arefactus impertit? Impertit planè. huius enim primum aquis peccatorum ablutio Ioanne pœnitentiam prædicante donata eſt, & per quem populo in repromiſſionis terram iter fuerat, per eum uia nobis cœleſtis regni & nouæ generationis lauacro poſſeſſio æternorum corporum inchoatur, aquis ipſis baptiſmate domini conſecratis. Ob quod ad id quod dictum erat: Venite & uidete opera domini, quia terribilis in cõſilijs ſuper filios hominum, qui conuertit mare in aridam. In flumine pertranſibunt pede: ne ab his quæ antea geſta ſunt ſpei noſtræ eſſet interciſa ſecuritas, cum de futuro tranſibunt dixiſſet, ideo ſubiectũ eſt: Ibi lætabimur in ipſo.) Per has enim Iordanis aquas in illa quæ à prophetis promiſſa ſunt terrę bona greſſu abluendorum corporum tranſitũ eſt atq̃ tranſitur, & ibi cœleſtis ſacramẽti exordijs lętamur. Cuius lætitię & tempus & cauſam alius propheta teſtatur, dicens: Lætare deſertum ſitiens, exultet deſertum & floreat tanq̃ lilium, & efflorent & exultent deſerta Iordanis, inualeſcite manus inualidæ, & genua diſſoluta conſolamini, modici animi ſenſu inualeſcite, nolite timere. Ecce deus iudiciũ reddet, ipſe ueniet & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures audiẽt, audietur lingua mutorum. Tunc ſaliet claudus tanquam ceruus. Hoc ergo illud eſt quod ſignificatur: ibi lætabimur in ipſo. Quæ in aduentu domini & Iordanis baptiſmo & infirmitatũ omniũ curatione expleta ſunt. Quòd autem ibi lætabimur, ad Iordanem pertinet. Ita enim dictum eſt: In flumine pertranſibunt pede, ibi lætabimur. Quod autem in ipſo quis iſte ſit in quo lętabimur in ipſo, propheta ſubiecit dicens: Qui dominabitur in potentia ſua in æternũ.) Non ambigimus quis iſte erit, ſi dicti huius euangelici recordemur: Data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra. Euntes nunc docete omnes gentes. Et Apoſtoli dicentis: Propter quod exaltauit eum deus, & donauit illi nomẽ quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium & terreſtrium & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur, quia dominus Ieſus in gloria eſt dei patris.

Et hæc non de diuinitatis ſuæ dicta ſunt poteſtate. Illa enim ut ſemper eſt dominans, ita & dominabitur ſemper, ſed in æternam gloriam eius aſſumptę ex uirgine carnis natura transfertur. Ieſus enim eſt eius hominis, qui ex Maria natus eſt, nuncupatio. Et Ieſu nomen quod ſuper omne nomen eſt donatum. Non enim hic eſt, ut in cæteris, Ieſu Chriſto, ſed Ieſu tantũ. Ei enim à cœleſtibus & terreſtribus & infernis adorato, & per omnem linguam in dei patris gloria eſſe confeſſo, æterni regni donatur arbitrium. Sed ut in pluribus, nunc quoq; Latinitas noſtra non ſatis proprie ſignificationem dicti Græci elocuta eſt. Quod enim nobiſcum ſcribitur, qui dominabitur in uirtute ſua in æternum, in Græcis ita legitur. τῷ δεσπόζοντι ἐν δυνάμει αὐτοῦ, τῷ αἰῶνος: quod nobiſcum in æternũ, id ſimplex & in omne tempus ſine definitionis alicuius proprietate commune eſt, quod cum illis τοῦ αἰῶνος. Id certi deſignati ſeculi ſignificationem habet. Vnigenitus enim dei filius & ſi regnauit ſemper, non tamen regnauit ſemper in corpore. Ergo ubi deſignati & tanquam demonſtrati ſeculi dominatio per id quod τοῦ αἰῶνος dicitur, uirtute uerbi ipſius continetur. Tempus illud oſtenditur, quod glorificato in gloriam dei corpori & nomen dei donatur & regnum. Et huius quidem dominandi ſeculi tempus abſolute Apoſtolus docet, dicens: Cum euacuauerit omnẽ principatum & poteſtatem & uirtutem, & nouiſſima inimica deuincetur mors, tunc ſolus in uirtute ſua ſeculo dominabitur. Nunc enim quamuis regnet, tamen princeps huius ſeculi petit, ut modo tritici Apoſtolos cerneret: & ſunt ſpiritales nequitiæ in cœleſtibus, aduerſum quas ſpiritalibus nos armis beatus Paulus inſtruxit, aduerſus quas militantes nos fidei noſtrę angeli, qui ſecundum euãgelia cotidie in cœlis deum patrem uident, proſequũtur, & miſericordia dei protegit, atq; ob id conſequitur: Oculi eius ſuper gentes reſpiciunt.) Ab omni enim in peccatis morante uultus domini auerſus eſt. Hoc nanq; indemutabilis dei ſignificata cõuerſio eſt, non quòd tanquam per naturam corporalem ſe quoq; aut auertat aut referat, ſed quòd par atq; idem æqualiter ſemper manens uniuſcuiuſq; auxilio promeritorum diuerſitate aut deſit aut adſit. Ex perſona enim peccatorum ita ſcriptum eſt: Auerte faciem tuam à peccatis eorum. Et iterum: Quare auertis faciem tuam & dexteram tuam? Et rurſum: Auertiſti faciem tuam, & factus ſum cõturbatus. Vbi autem iuſtorum perſona tractatur, hęc dicta ſunt: Oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Et iterum: Oculi tui uideant æquitates. Et deinceps: Deſignatum eſt ſuper nos lumen uultus tui domine. Ergo incorporalis deus miſericordiæ ſuæ oculis & tanquam miniſterio famulantium angelorũ protegit gentes, & in omnes credentes donum diuinæ miſerationis effundit. Hoc Iudæi denegant, his operibus dei infidelis populus contradicit, gloriam ſibi in Abraham electi generis uſurpans. Et conſequentibus iſtud dictis propheta demonſtrat ad id quod dixerat: Oculi eius ſuper gentes reſpiciunt, connectens illud: Qui in iram prouocant non exaltentur in ſe: hoc quod in ſe exaltantur, dominus in euangelijs cõdemnat, dicens: Nolite proferre inter uos, dicentes: Patrẽ habemus Abraham. potẽs eſt enim deus ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Quòd autem in iram prouocat, omnifariam prophetæ loquuntur. Eſaias: In iracundiam prouocaſti ſanctum Iſrael. Ad Ezechiel quoq; ſpiritus loquitur: Fili hominis mitto te ego ad domum Iſrael, qui exacerbauerunt me. Et in pſalmis: Exacerbauerunt ſpiritum eius. Et rurſum: Frequenter liberaui eos, ipſi uero me exacerbauerunt. Omnes ergo operationem & miſericordiam dei in ſalutem gentium denegantes, in iram prouocant miſericordię & ſalutis autorẽ, quia in ſe glorioſi & exaltati, iram eius qui ſolus glorioſos poteſt efficere exacerbãt. Interiecto rurſum diapſalmate, & ſenſus & perſonæ demutationẽ docet. Nam ſub hac ſignificatione frequenter

alterum

alterum, nonnunquam utrunq; diſtinguitur. Superior enim ſermo ex prophetæ perſona omnis fuit dicentis: Venite & uidete opera dei, quàm terribilis in conſilijs ſuper filios hominum. Sequentem uero apoſtolicum eſſe oportebat, ut his inuitantibus, iſtis prædicantibus eadem doctrina ueteris ac noui teſtamenti prædicatio contineretur. Horum igitur adhortatio refertur ad gentes, cum dicitur:

Benedicite gentes deum noſtrum.) Non ex inani, noſtrum, prophetiæ ſermo ſubiecit. Non utiq; illos quos deos putabatis, heroum nomina, uel elementorum creationes, uel materiem metallorum, ſed noſtrum, & eum cuius opera recenſentur, qui terribilis in conſilijs ſuper filios hominum, qui conuertit mare in aridam, qui dominatur in uirtute ſua in æternum. Hoc enim proprium apoſtolicæ doctrinæ eſt, deum ex lege ac prophetis in euangelijs prædicare. Sed id quod conſequitur, & obaudite uocem laudis eius, intelligentiam confudit. Nam uox laudis non eius qui laudatur, ſed eius qui laudet, auditur. Et quomodo gentes ut uocem laudis obaudiant admonentur? Verum & hic Latinitas noſtra proprietatem dicti in translatione non reddidit. Nam hoc quod nobiſcum ſcribitur, & obaudite uocem laudis eius, à Græcis ita dictum eſt, καὶ ἀκροάσασθε τὴν φωνὴν τῆς αἰνέσεως αὐτοῦ. Quo uerbo id ſignificatur, ut obaudiri poſſe efficiant uocem laudis eius, quod plenius intelliget qui meminerit deum in euãgelijs dixiſſe: Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Deus nanq; conſtanti & publica prędicatione laudandus eſt, neq; debet in commemorandis uirtutibus eius fides noſtra trepidare. Sed quæ tandem uox laudis eius audiri efficienda eſt? Nempe ea quòd credentium animam poſuerit in uitam, quòd apoſtolicæ prædicationi & martyrum confeſſioni conſtantiam & perſeuerantiam largitus ſit confitendi, quorum diſcurſibus orbem terræ quibuſdam quaſi pedibus cœleſtis regni prædicatio tranſcurrit. In omnem enim terram exijt ſonus eorum. Et alibi ſpiritalis diſcurſus gloriã clamat ſpiritus ſanctus: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium bona, euangelizantium pacem. Hæc ergo uox laudis dei prædicantium audienda præconio eſt propheta teſtante: Qui poſuit animam meam ad uitam, & non dedit commoueri pedes meos.) Non enim humanarum commutationum terriculis à curſu prædicationis ſuæ Apoſtoli deflexi ſunt, neq; firmitas pedum inſiſtentium à fidei greſſu commota eſt, quin ſemper iudicij & regni æterni dominum prædicarent. Locutus autem ex unius perſona ſpiritus prophetiæ rem ipſam non uni tantum nomini competere ſignificat. Nam cum dixiſſet: & non dedit cõmoueri pedes meos, ſubiecit: Quoniam probaſti nos deus, igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.) Sermo itaq; cœptus ex uno refertur ad plures. Eſt nanq; unius ſpiritus, & una credentium fides eſt. Et ſecundum quod in geſtis apoſtolorum eſt: erat credentiũ anima & cor unum. Atq; ita cum ab uno cœptum deſignatur in plures, unanimitas docetur in pluribus. Sed quæ tandem comparationis ſimilitudo eſt, examinatos eos igni, ſicut examinatur argentum? Et (ut arbitror) examinandi argenti illa ſola ratio eſt, ut ſordes quæ ex prima terræ materie adhæſerint decoquãtur, & quæ fraudulenter ex alterius metalli natura admixta fuerint purgentur. Deus itaq; credentes in ſe non tanquam fidei eorum ignarus examinat, ſed quia etiam ſecundum Apoſtolũ tentatio probationem affert, examinantur credentes non ad cognitionem dei, ſed ad ſui probationem, ut igne purgati & ab admixtione uitiorum carnalium defecati ſplendeant examinatæ innocentiæ claritate. Tentationum autem genera & diuerſas martyrum uictorias contuentes, ſcimus quibus modis anima ponatur in uitam, cuius contemptu deſæuientibus pœnarum ingenijs à fidei greſſu & teſtimonio non mouentur. Alij enim in uinculis carcerum gloriantur, alij cæſi in uerberibus

Græci ſermonis uſus

ἀκροατὸν *exaudibile*

ἀκροάζω *exaudibile facio*

gratulantur,alij poteſtati irreligioſorum deſecanda felicium capitũ colla ſubmittunt,plures in extructos rogos currunt, & trepidantibus pœnæ miniſtris, ignem ſaltu deuotæ feſtinationis inſiliunt, alij in profundum demergendi non in aquas necaturas, ſed in refrigerium æternæ beatitudinis decidunt, toto ipſo ſe corpore deo hoſtiam tanquam holocauſta præbentes. Percurrit ergo per hæc paſſionum genera ex perſona apoſtolorum, euangeliſtarum, martyrum propheticus ſermo, dicens:Igne nos examinaſti, ſicut igne examinatur argentum: Induxiſti nos in laqueum.) id eſt,in cuſtodiarum cathenas. Poſuit tribulationem in dorſum noſtrum.) pœnas ſcilicet uerberum, quibus cum apoſtolis Petrus gaudet, & Paulus exultat. Impoſuit homines ſuper capita noſtra, tranſiuimus per ignem & aquam.) Glorioſas uidelicet martyrum mortes commemorat, gladij,ignis,profundi.Sed qui tranſit per ignẽ & aquã non his aboletur,ſed in aliud per illa tranſducitur.Et quò tranſducat propheta non neſcit, dicens: Et eduxiſti nos in refrigerium.) Huius refrigerij & in loco alio meminit,dicẽs:Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit mihi. Eripuit animam meã de morte, oculos meos de lachrymis,& pedes meos de lapſu.Bene placebo domino in regione uiuentium.Animam uidelicet ſuam in requiem beatę illius reſurrectionis hortatus, in qua poſt mortis iſtius tempus omni humanarum calamitatum labe deterſa, non doletur,nõ fletur,non peccatur & uiuitur. In huius igitur beatitudinis per ignem & aquam refrigerium educti ſunt. Et ne aut pertranſeuntis aquas natatus,aut tranſilientis ignem ſaltus,aut introductio in refrigerium communis alicuius & terreni loci requies ſignificari exiſtimaretur,adiecit: Introibo in domũ tuam in holocauſtis.) Holocauſta ſunt integra hoſtiarum corpora, quæ quia tota ad ignem ſacrificij deferebantur,holocauſta ſunt nuncupata.Per hæc igitur genera pœnarum martyres in fidei teſtimonium corpora ſua holocauſta uouerunt, ut in dei domũ,id eſt,in cœleſtis domicilij habitationem conſummatis hoſtiarum ſuarum ſacrificijs introirent. Sed quid tandem in hac corporum ſuorum oblatione uouerũt? Scilicet ut per hęc martyrij ſui exempla gentes ad ſpem regni æterni erudirent. Qui enim tum Chriſtum prędicabant,non ſibi,quibus tum erat cognitus,ſed nobis qui futuri adhuc eramus, uel quibus tum erat incognitus,prædicabant. Quæ eorum prædicatio omnis poſteritatis fidem ad martyrij deſideriũ accendit. Non enim cauſa alia prædicabãt,niſi ut fidei ſuæ & martyrij exemplo plures martyres erudirent. Quod Paulus docuit,dicens: Ego Paulus uinctus Chriſti Ieſu pro uobis gentibus. Atq; ob id in huius prædicationis fructu deo ſe uota reddere confitentur,dicentes: Reddam tibi uota mea quæ diſtinxerunt labia mea. Et elocutum eſt os meum in tribulatione mea, holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo & arietibus,offeram tibi oues cum hircis.) An ignorat propheta ex perſona dei in ſpiritu ſancto ſe locutum: Nõ accipiam de domo tua uitulos,neq; de gregibus tuis hircos? Et nũquid manducabo carnes taurorum,aut ſanguinem hircorum potabo? Et rurſum: Quoniam ſi uoluiſſes ſacrificium dediſſem,utique holocauſtis nõ delectaberis. Ceſſat igitur opinionis noſtræ error, ut hæc uouiſſe martyres exiſtimemus. Sed in martyrijs poſterorum reddunt deo quæ locuti ſunt uota,ipſi quidem ſe primum deo uouentes,& ſe ipſos holocauſta prębentes,quia in his domum dei introibunt in paſſionum ſuarum tribulationibus Pauli uoce clamantes: Quis nos ſeparabit à charitate dei? tribulatio,an anguſtia, an perſecutio, aut fames,aut nuditas,aut periculum? Et: Confido quòd neq; mors,neq; uita,neque præſentia,neq; futura poterunt nos ſeparare à charitate dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Hæc ergo in tribulatione prima beatorum martyrũ uota ſunt,quæ in tribulationibus ſuis loquuntur & ſpondent: tum deinde,ut ex nobis holocauſta medullata

dullata conſumment. Medullata ob id, quia fides animæ & cordis officium eſt, reſq; hæc uoluntatis internæ eſt, cum incenſo quoq; arietes offeruntur. Quid autem ſit incenſum, ita hoc eodem pſalmorum libro docemur: Fiat oratio mea tanquam incenſum in conſpectu tuo. In incenſo orationes intelligendas eſſe ſignificans. Qui uero ſub arietum nomine oſtendãtur, anterior pſalmus oſtendit, cum ait: Induti ſunt arietes ouium. in his enim tanquam in principibus gregum ſignificat ſacerdotes, quos doctrinę apoſtolicæ eruditio cum orationũ odore, (Bonus enim ſecundum Paulum in Chriſto odor ſumus) ad martyrij ſtudium proſequitur. Non ſolum autem arietes cum incenſo offeruntur, ſed etiam boues offeruntur, id eſt, contumacis naturæ pecora in culturam dei mitigantur, in hoc martyrium Chriſti nominis doctrinis apoſtolicis edomita. In hoc autem quod dicitur, offeram tibi boues cum hircis, uirtutem uerbi ex Hebræo in Græcum demutati Latinus ſermo non tenuit. Nam quod nobiſcum eſt, offeram tibi boues cum hircis, cum illis ita habetur, ἀνοίσω σοι βόας μετὰ χιμάρων. Cum Græcis non proprium, ſed appellatiuum nomen hircorum eſt, & eorum maxime qui in ipſo hyemis tempore æditi ſint, & ſcriptura hoc in loco tantum χιμάρους nuncupauit, cæteris autem locis quos nos hircos dicimus, τράγους poſuit. Confirmat autem ſpiritalis intelligentiæ ſenſum aliorum conſonans ſibi & concors translatio, qui pro χιμάρους τράγους tranſtulerunt. τράγοι autẽ ſignificãtur, qui ex ipſo tempore æditi ſunt, χίμαροι autem quos hyems genuit, unde & torrentes eodem uocabulo Græcitas nuncupat, quos ex nihilo in fluuios hyems auxerit. Ergo cum ait βόας, non de pecudibus ſe loqui propheticus ſermo demonſtrat, ſed in bubus eccleſiæ ſe homines oſtendere, χιμάρους autem eos quos ipſa perſecutionis tempeſtas in martyrij gloriam genuerit. Scimus enim plures ſacramẽtorum diuinorum ignaros, exemplo martyrum ad martyrium cucurriſſe, & extra ſcientiam fidei, aut uiuentes facto fidei præſentis edoctos, ipſam illam conſummatæ in martyrio fidei gloriam conſecutos. Qualis fuit ille qui dominũ in ipſa ſua damnatione confeſſus eſt, dicens: Memento mei domine, cum ueneris in regnum tuum. Qui mox tale martyrij huius à domino munus accepit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Huius igitur ſimiles apoſtolicæ doctrinæ eruditio deo offert, cum hominibus diuturnæ frugiferæq; culturæ ſub ipſa deſæuientis hyemis tempeſtate progenitos. Dicente autem deo: Quò mihi multitudinem hoſtiarũ ueſtrarum? plenus ſum, holocauſta arietum & adipem agnorum & ſanguinem taurorum & hircorum nolo, quis enim hæc exquiſiuit de manibus ueſtris? ſuperfluum eſt exiſtimare in hircis & bubus tanquam perfecta ſolenniorum uota placuiſſe. Demutat ut in cæteris interiectio diapſalmæ perſonam atq; ſenſum, doctrinæ tamen ordine diſſidente. Poſtea enim quàm ex perſona apoſtolorum ac euangeliſtarum, martyrũ, prophetarum oſtenderat, quibus modis anima eius poſita eſſet in uitam, id eſt, per paſſionum pœnas atq; mortes, per quas in locum beatitudinis tranſiſſet reddens in holocauſtis deo uota. Poſt hunc ergo ſermonẽ, quem omnem ad deum habuerat, eos nũc quos ad holocauſtorum ſolennia erudierat affatur, dicens: Venite & audite & enarrabo uobis omnes qui timetis deum. Aduocat nõ incertos neq; ad incerta. Nam qui ſint quos aduocet docet: Omnes qui timetis deum, in religioſis enim neq; adeundi, neq; audiendi uoluntas eſt, dehinc qui enarraturus ſit ſignificat, quanta fecit animæ meæ. Hanc enim poſuit in uitam, hanc in refrigerium induxit, hæc in holocauſtis domum dei introibit. Sed ut hæc animæ fierent ex cauſis meruit ut fierent, quibus uero cauſis meruit ædidit: Ad ipſum clamaui ore meo.) Meruit ergo bona animæ quod ad eum ore clamaui. Sed clamor oris plerunque mendax eſt, & non ſemper uerborum ſonus affectum mentis enunciat.

Soloeciſmus

Sequi ergo clamorem oris debet & ſenſus & ſecutus eſt. Nam propheta connexuit: Et exaltaui ſub lingua mea.) Nō in lingua, ſed ſub lingua, in occultis ſcilicet linguæ, & quodam intra ſe tacitæ uoluntatis eloquio, quod id ipſum in euangelijs domino placuit dicenti: Intra in cubiculum tuum, & claude hoſtium tuum & ora, & pater tuus qui uidet in abſconſo reddet tibi. Ergo nūc qui ore clamatus eſt exaltatur ſub lingua deus. Sed qui ſub lingua exaltatur omni cordis puritate uenerandus eſt. Nec ſufficit non egiſſe aliquid impium, ſi mente cogitatur impietas. Ab eo autem qui ſub lingua exaltat deum, hanc impietatis cogitationem abeſſe oportere propheta docuit, dicens: Iniuſtitiam ſi cōſpexi in corde meo, non exaudiet deus. Propterea exaudiuit me deus, & intēdit uocí orationis meæ.) Iniquitatem non modo re non effecit, ſed nec corde cōſpexit. Vel certe iniquitatem non conſpexit in corde, nullum uitium iniquæ ſuæ uoluntatis in corde ſuo contuens. Et ob id dignus audiri. In uitam enim eius anima poſita eſt, pedesq; eius non commoti ſunt, & in refrigerium inductus eſt, & domum dei introiuit, & quæ diſtinxerit labijs uota perſoluit deo, honoris & glorię confeſſione ſubnixus, dicens:

Benedictus deus qui non amouit deprecationem meam, & miſericordiam ſuam à me.) Laudem dei cœptam in exordio pſalmi in fine confeſſus, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, amen.

In finem hymnus pſalmus cantici Dauid, Deus miſereatur noſtri & benedicat nos. Pſalmus LXVI

PSalmus breuis eſt, & euangelica prædicatione abſolutus. Nam & in finem eſt, & pſalmus cantici eſt, per quod confeſſio per ſcientiam gerendorum, & per doctrinam proficientia geſta cantantur, & principium eius unde oportuit ſumptum eſt. Eſt autem omnis in eo ſermo uel prophetarum, uel apoſtolorum, quorum alij uenturum in corpore unigenitum deum, alij ueniſſe docuerunt, ſancto ſpiritu illumināti & honore glorię cœleſtis expleti. Oratio ergo eorum in pſalmi exordio eſſe noſcenda eſt. Deus miſereatur nobis & benedicat nos, illuminet uultū ſuū ſuper nos & miſereatur nobis.) Secundū doctrinæ ordinē primū miſericordia dei poſcitur. Ex copia enim bonitatis ſuę miſericordiam in peccatorum remiſſionem largitur, & peccatorum remiſſio non probitatis eſt meritum, ſed ſpontaneæ indulgentiæ uoluntas ex bonitatis diuitijs ad miſerandi munus exuberans. Ergo qui miſericors eſt, ut benedicat oratur. Et benedictionis quidem fructum iam in exordio formati hominis cognouimus, cum talis ad Adam tum adhuc peccati neſcium, ſermo eſt: Creſcite & multiplicamini & replete terram, & dominamini eius. Iſta quidem quamuis corporaliter tantum dicta plericq; arbitrentur, tamen ſpiritali doctrina eruditis plus de ſe uirtutis præbuerunt. Hæc enim benedictio non creationis tantum corporalium ſucceſſionum Adæ largita eſt, quamuis enim fœcundæ eius ſoboles futurę eſſent, tamen terram implere non poterant, quæ pro copia hominum, licet habitetur, non tamen adimpletur. Verum terram corporis noſtri impleri doctrinis ſpiritalibus uoluit, & multiplicari & creſcere ſciētia dei. Per Adam enim atq; in ipſo Adam, qui primus opus dei fuerat, oportuerat cognitionē dei inchoari, ſed eo peccatis coinquinato, benedictionis iſtius fructum prophetæ ſibi atq; apoſtoli deprecantur. Quem beatus Apoſtolus conſecutus ita de ſe gloriatur: Benedictus deus qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali in cœleſtibus in Chriſto. Hi ergo creſcunt, multiplicātur, replentur, qui in Chriſto cœleſtes ſunt, & benedicti ſunt, qui ſpiritali benedictione in cœleſtibus benedicuntur. Et uideamus an benedictionis iſtius fructum præſentis pſalmi oratio deprecetur.

Poſt

Poſt miſericordiam enim & benedictionem id ſequitur: Illuminet uultũ ſuum ſuper nos & miſereatur nobis.) Benedictione dei opus eſt, ut nos uultus eius illuminet, ut tenebroſa corda noſtra cognitionis ſuæ lumen irradiet, ut maieſtatis ſuæ ſpiritus lucem obſcuritatis intelligentiæ noſtræ ſenſibus tribuat, & gloriari deinceps liceat, dicentes: Deſignatũ eſt ſuper nos lumen uultus tui domine. Hanc autem illuminationem uultus ſui ſuper nos miſericordia ipſius quæ in peccati remiſſione in nobis eſt cœpta largitur. In quem autem profectum illuminationem uultus dei ſuper ſe precentur, ſermo conſequens docet. Diapſalma. Vt cognoſcamus in terra uiam tuam, & in omnibus gentibus ſalutare tuum.) Interiectio diapſalmæ, & ſi conuerſionẽ perſonæ attulit, ſenſum tamen nõ demutauit. Nunc enim ſermo eſt ad eum qui nunc uſq; fuerat in uotis. Quod autem in Latinis libris ita ſcribitur, ut cognoſcamus in terra uiam tuam, in Græcis ita eſt, γνῶναι ἐν τῇ γῇ, τὴν ὁδόν σου. Et cognoſcamus, id differt quod ſine perſonæ definitione eſt γνῶναι. Cognoſcamus autem ipſos eos, qui hæc loquuntur oſtendit. Ergo ſecundum ueram illam Græcitatis translationem illuminari ſe dei uultu ob id deprecantur, ut cognita fiat in terra dei uia, quæ eſt doctrina uitæ religioſæ. Per eam enim ad deum pergitur. Religioſę autem uitę doctrina Chriſtus eſt, quam ſe eſſe in euãgelijs oſtendit, dicens: Ego ſum ueritas, uia & uita. & rurſum: Nemo ad patrem uadit, niſi per me. Et hunc eſſe uiam ipſe ille connexus ſibi pſalmi ſermo teſtatur. Quæ in terra, id eſt, uel ex terra ortis, uel terram inhabitantibus cognoſcibilis, & nota prędicanda eſt. Vt cognoſcamus in terra uiam tuam. In omnibus gentibus ſalutare tuum.) Ieſum ſalutare tuum. Ieſum ſalutare ac ſalutarem dicĩ ipſe ille proprietatis ſermo loquitur. Nam quod nobiſcũ ſalutare eſt, id apud Hebræum Ieſus eſt. Confirmat autem iſtud angelus ad Ioſeph de Maria loquens: Pariet autem filium, & uocabis nomen eius Ieſum, quia ipſe ſaluũ faciet populum à peccatis eorum. Ieſum itaq; oſtẽdit angelus idcirco, quia ſalutaris eſſet populo, nuncupandum. Tantæ ergo prædicationis ſe impares eſſe niſi illuminentur oſtendunt, niſi quodam uultus domini ſplendore luceſcant. Sunt enim & ipſi ſecundum euangelicum lumen mundi (Dominus autem ipſe lux uera eſt) à luce illuminati, ut lumen eſſent Apoſtoli & prophetæ. Cæterum ſuperfluum eſt ideo illuminari ſe uelle ut cognoſcant ea, de quibus quaſi cognitis prædicabant. Hanc autem omnem propheticam atque apoſtolicam doctrinam neceſſe eſt confeſſio populorum & remiſſorum peccatorum lætitia conſequatur. neque ſolum peccatorum remiſſorum, ſed quod eum qui peccata remiſerit ęquitatis futurum iudicem ſciant, quod per eum in uiam uitę omnes gentes terram inhabitantes, dirigantur relicto idolorum errore ad cognitionem dei, erudite idcirco hęc ſequuntur:

Confiteantur tibi populi deus, confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terram dirigis.) Cum confitentur populi, deſignari uidentur ex tribubus duodecim uel credentes, uel crediturí. Cum confitentur populi omnes, exceptio nulla fit gentium, cum lætantur & exultant gentes, quoniam iudicabit populos in æquitate, & gentes in terram diriget: cauſa lætitiæ ex ſpe iudicij æterni, & directarum in uiam uitæ gentium prædicatur. Interiecto Diapſalmæ uidetur hic nihil innouaſſe, cum præſertim ſub hiſdem uerbis ſenſus iteratus ſit: Confiteantur tibi populi deus, confiteantur tibi populi omnes. Sed cum adijcitur: Terra dedit fructum ſuum, intelligitur non ex nihilo eorundem uerborum facta eſſet repetitio, ſi tamen id ipſum ſub hiſdem uerbis ſignificatum intelligere debeamus. Inuenimus confeſſionem duplici ratione tractandam eſſe, unam confeſſorum peccatorum, ubi in deſerto Iordanis confitebantur peccata ſua, eſſe aliam laudationis dei, ubi do-

minus loquitur ad patrem: Confiteor tibi domine pater cœli & terræ, quoniam abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Prima ergo illa & superior confessio peccatorum esse credenda est, maximæ quæ prædicationi propheticæ atque apostolicæ connectitur. Sequens hæc laudationis dei intelligenda est populorum, deinde omnium, id est, gentium uniuersarum, & ob id quia terra fructum suum dederit. Sed quærendum est quem fructum terra dederit, ob quem populi omnes deum laudẽt. Causa quidem deo debitæ laudationis æterna est, quod corporales hos & nobis necessarios fructus terra suppeditet. Sed terræ non sunt. Aut enim nostri sunt quibus præbentur, aut dei sunt per quem ministrantur. Requiramus ergo quos fructus terra habuerit & amiserit. Per id autẽ quod amisit, ostenditur habuisse. Adæ terram meminimus post peccatum datarum sibi benedictionum honore fuisse spoliatam. Ipsi enim dictum est: Quoniam terra es, & in terram ibis. Ergo quia terra est, hac post peccatum maledictione damnatur: Male dicta terra in operibus tuis, in doloribus edes eam in omnibus diebus uitæ tuæ, spinas & tribulos generabit tibi. Terræ elementum extra crimen fuit, caret ergo maledictione quod carebat & crimine. Verum hic Adæ terra quæ illecebra cibi erat criminosa, maledicitur. Hæc ergo ab eo omnibus præsentis uitæ mœroribus cõsumitur, ægritudinum doloribus editur omnibus, in spinis & tribulis uitiorum & cupiditatum aculeis compuncta. Omnis ergo terreno Adæ similis hos maledictos fructus terræ suæ reddit. Cæterum qui iam cœlesti Adæ configuratur, habet innocentem terræ suæ fructum, primum dei cognitione locupletem, dehinc castitatis, iustitiæ, misericordiæ operibus glorioſum, uetere homine cum uitijs & concupiscentijs eius exuto. Ob id ergo deo est reddenda cõfessio, quòd terra fructum suum dederit. Suum, quia eum Adam cum habuisset, amiserat. Dedit ergo quod suum est, id est, fructũ, qui ei & in cognitione dei est exhibuit in ipso illo primum domino nostro, qui terrenum corpus sumpsit nihil peccans. Ob quæ demonstranda & docenda rursum benedictionis dei munus oratur, cum dicitur: Benedicat nos deus.) Ac ne de incerto & incognito deo sperari benedictio existimaretur, adiectum est: Deus noster.) Patriarcharũ scilicet & prophetarum, & apostolis ipsis tanquam successionis hæreditate iam proprius, in quibus fructum suum dedit terra, continentiæ & fidei & iustitiæ & misericordię. Quinetiam inter ipsos sæuissimarum persecutionum cruciatus atq; mortes ipso iam diuini nominis deuota martyrio. Repetitur deinde benedictionis oratio, cum dicitur: Benedicat nos deus.) Non ex nihilo iterantur hæc uota, sed ut per benedictionem dei augescente doctrina deũ omnes terræ fines timeant. Ait enim: Et metuant eum omnes fines terræ.) Metuant ergo omnes fines terræ deum, sed deum nostrum, sed deum benedicentem. Non est minimum officium fidei metus. Nam inter præcipua spiritalium gratiarum dona numeratur, cum dicitur per Esaiam: Et replebit eum spiritus timoris domini. Et per Salomonem: Initium sapientiæ timor domini est. Beatus cui prouenerit timere non ex naturæ humanæ trepidatione, sed ex cognitiõe rationis. Qui enim ex infirmitate in rebus trepidis metuit, hic in secundis rebus rursum ex naturæ uitio insolescit. At qui ex sciẽtia timet, semper timet, neq; minus secunda quàm aduersa formidat. Sumit igitur originem sapientia ex timore, res utiles atq; probabiles exequendo, quæ proprię peculiaresq; sapientiæ sunt. Hunc ergo dei timorem omnibus terrę finibus propheta optat, ut nulla gens terram incolens extra metum eius sit, Apostolo uoti istius summam explicante, cum dicit: Et omnis lingua cõfiteatur, quia dominus Iesus in gloria est dei patris, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

In finem

In finem ipſi Dauid pſalmus Cantici.

PSALMVS LXVII

PSalmus non à Dauid, ſed illi Dauid in finem præſcribitur. Deinde non canticum pſalmi, ſed pſalmus eſt cantici, ut in eo cognitionis & ſcientiæ propheticæ enunciatio doceretur. Eſt autem ipſe totus ſacramentis legis euangeliorumq; contextus, magnaq; & ex præteritis & ex futuris allegoricorum dictorum interpretatione confertus, qui & legis latæ in ſe doctrinam contineat, & aſſumptæ à domino carnis affectat notionem, & impietatem populi anterioris exprobret, & futuræ cognitionis noſtræ fidem nunciet, & domini ſuper cœlos complectatur aſcenſum, & futuri regni eius gloriam comprehendat. Initium autem ex eo ſumpſit propheta, in quo ſalutis noſtræ conſiſtit effectus. Cœpit enim ita: τῷ δαβὶδ

EXurgat deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant odientes eum à facie eius.) Sermo uotorum eſt non ex incerto poſcentis, ſed ex cognitione ſcientiaq; ſperantis. Reſurrectionis enim nunc in deo tempus optat, cum de peccato peccatum in carne condemnans poteſtates, huius mundi oſtentui fecit, cũ fiducia triumphans in ſemetipſo. Venit em̃ mundũ uincere, & principem mũdi cum peccati lege cõfigere, & decretũ mortis, peccati remiſſione delere. Hanc igitur propheta fugã horũ inimicorũ eius expectat. Neq; enim reſurgẽtis ex mortuis occurſum eius potuit hæc odientiũ eum dæmonũ turba perferre, cum ad primã apoſtolicæ fidei uocẽ poſt ſubiectas his ſpiritalis nequitiæ poteſtates excidiſſe de cœlo ſatanã modo ſit fulguris prædicatũ, & princeps mũdi in paſſione ſit iudicatus. Sed fugientes à facie dei trepidationẽ ſuã quidem dum fugiũt oſtendũt, euadere tamen faciem dei quanq̃ fugiant nõ poſſunt. Nam & trepidationẽ earundem nequitiarũ ſpiritaliũ pſalmo anteriore declarat dicens: Miſit ſagittas ſuas & diſſipauit eos, & fulgura multiplicauit & conturbauit eos. Conturbãtur itaq; & fugiunt diſſipati, uerũ dei uultus nõ effugient poteſtatẽ, ſecundum illud: Aſcẽdit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exardeſcet, carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Horũ itaq; inimicorũ fugam hæc & interitus & iudicij pœna cõſequentur. Et ſanè idem nũc qui in anteriore pſalmo prophetię ordo diſtingui/tur. Sequitur enim: Sicut deficit fumus deficiãt. Sicut liquefit cera à facie ignis, ſic pereãt peccatores à facie dei.) Fumus cum emerſerit licet globoſus & craſſus, tamen paulatim ita deficit aboleturq;, ne extet. Sicut in cõſpectu ignis cera ſic liquefit, ut nõ ſit, fumo quidẽ in igne per leuitatẽ ſui tenuitatemq; dilapſo, cera aũt ui & calore ignis abſumpta, quia infirmæ ipſa per ſeſe naturæ potioris diripiatur ardore, quẽ in modũ omnis iniquorũ poteſtas à facie dei, id eſt, dei iudicio delinquit. Et hunc peccatorũ à facie dei interitũ neceſſe eſt, ut iuſtorũ lætitia conſequatur. Nam & cõtinuo ſubiectũ eſt: Et iuſti lætentur lætitia.) Etenim iudicij cœleſtis & iuſta moderatio eſt, ut peccatores morte deficere, ita & iuſtos lætitia munerari. Idipſum aũt ad oſtendendũ iudicij examen eſt cõſecutũ: Exultẽt in conſpectu dei, epulẽtur in lætitia.) Mundo enim corde, ſecundũ euangelicę benedictionis merita, in cõſpectu dei digni ſunt. Verũ lætari in lætitia ſignificationis eſt altioris, cauſam ſcilicet perfectæ letitiæ oſtendẽs. Plericq; enim in his quæ ſibi ſunt nocitura lætãtur, ut gaudet laſciuus in ſcortis, ut fur lætaf in furtis, ut unũquenq; pro uitijs ſuis ea quæ exercet oblectãt. Verũ qui in lætitia lætatur, cauſam lętitiæ *ex ipſis lætitiæ honeſtamen taliq; ueritate ſuſcipit. Et idcirco ait: in lætitia lætantur, qui in conſpectu dei exultabunt, eam ueræ exultationis docens eſſe lætitiam, quæ conſpectus dei iucunditate perfecta ſit. Exultationis autẽ huius atq; epulantiũ gaudia, ex quibus eſt lætitia iuſta, ſanctus Moſes in diuina illa Deuteronomij cantione

*Fortè ſic legẽdũ *Ex ipſis honeſtis moralíq;.*

cantione ita meminit, dicens: Iucundamini cœli simul cum eo, & adorẽt eum omnes angeli dei. Iucundamini gentes cum populo eius, & confortentur omnes filij dei. In hac itaq; lætitia lætabuntur, & iusti cœlesti gaudio unanimes exultationis diuinæ societatem lætantes, ad cuius nos temporis gratulationem sub fidei euangelicæ confessione nunc propheta aduocat, dicens: Cantate deo, psallite nomini eius, iter facite ei qui ascendit super occasum, dominus nomen est illi, & exultate in conspectu eius. Adhortatio omnis licet multum ad quendam pulsum & uoluntatis nostræ proficiat & mentis, cum aliquid optandum agendumq; conciliante casu uel illiciente deducimur, tamen si maxime adhortationis ipsius causa proposita sit, iam ratione animus ac uia tanquam certissimo duce nititur, ut nunc propheta nos ad cantandum deo psallendumq; nomini eius hortatur, ne quid forte ambiguitatis relinqueret, cui deo & cuius nomini psallendum esset ostendit, ut iam non adhortatio adhibita, sed cognitio præcepta in dei nos exultatione canticum collocaret. Psallendum itaq; ei, iterq; eius parandum est qui ascendit super occasum. Occasu autem uniuersa quæ ueniunt in uitam intelliguntur aboleri. Abolitio autem omnium occidentium secundum humanam communemq; opinionem existimatur in morte. Ei ergo psallendum, eiusq; iter nobis est pręparandum, omnem qui occasum mortis ascenderit, id est, qui occasum omnem occasu ipso non detentus excesserit. Huic autem nomen est domino, qui se ex forma dei exinaniens, & formam serui suscipiens, obedientem se usq; ad mortẽ crucis egit. Propter quod eum exaltauit deus, nomenq; ei super omne nomen donauit, ut in eius nomine genu cœlestia, terrestria flecterent & inferna, linguaq; omnis confiteretur dominum Iesum esse in gloria dei patris. Ascẽdit ergo super occasum, cui nomen est domino, idq; quo occidunt uniuersa transgrediens, legem mortis ex mortuis æternus egressus est. Huic itaq; iter parandum est secundum illud: Parate uias domini, rectas facite semitas eius. Omnis uallis implebitur, & omnis collis humiliabitur. Parato itinere in nobis, id est, uitiorum infidelitatisq; nostræ uel cõpressis tumoribus, uel eleuata humilitate terrenæ labis, iturus cum rectis æquitatis uitæq; semitis in corda nostra descendet. In huius itaq; conspectu exultabimus, cui iter ex æquitatis & insolentiæ tumoribus & libidinum uoraginibus sit parandum, & in quo nos resurgentes ex mortuis contuebimur. Super occasum enim nostræ mortis ascendit, qui uitam nobis ex mortuis in se resurgente quæsiuit. Hæc illa apostolorum est lætitia, cum eum post resurrectionem contemplantes contrectantesq; uiderunt. Sed hanc sanctorũ lætitiam trepidatio eorum quos cum mundo uicit insequitur. Id enim ait: Turbabuntur à facie eius patris orphanorum & iudicis uiduarum. Causam turbationis hanc docuit, etiam quod pater orphanorũ sit iudexq; uiduarũ. A facie enim patris orphanorũ uiduarumq; iudicis fugient, nõ relinquentis eos orphanos, qui agnoscentes patrẽ in cœlis, diabolo patri renunciauerint, easq; uiduas quæ legi mortuę sponsum sese sequutę sunt iudicãtis. Viduã enim quæ à lege sit libera, beatus Paulus transire ad nuptias alterius sine adulterij crimine docuit. Idq; exemplũ omne ad ecclesiam quæ legi sit mortua, Christo postea se sociari aptauit. Est autẽ etiam secundũ huius seculi sortem sensus aptissimus, ut deus qui aduocatũ nobis à patre aliũ dedit, ne orphani essemus in seculo, orbatorũ sit pater iudexq; uiduarũ, quia & desolatæ à parentibus misereatur infantiæ, uiduarumq; quæ in se adquieuerint iudex sit. Iudex aũt ideo, quia sub nomine uiduarũ pleræq; nõ uiduæ sunt, uel deliciatę in Christo nubere uolũt, uel fallunt humana iudicia, & quia dignitas nominis in cõseruato proposito sit uoluntatis, scrutans corda & renes deus, idcirco sit iudex, quia solus earum mentẽ sensumq; dijudicet, & quidem hæc secundũ desolationem cõditionis humanæ

humanæ de orphanis uiduisq; sint dicta. Cæterū ut ad ecclesiæ totius demonstrationem hæc ita significata esse possit intelligi, continuo subiecit: Deus in loco sancto suo, deus inhabitare facit unius moris in domo. Educens uinctos in fortitudine, similiter eos qui exacerbabant, qui inhabitant in sepulchris.) Hic ergo locus deo sanctus est, ubi sit uidua ex lege, ubi orphanus ex seculo, ubi unius moris ac uoluntatis pacificus unanimisq; conuentus. Erat enim secundū Actus apostolorum credentiū anima una, & cor unū. Vbi qui uincti sunt educētur in fortitudine. Ligato enim prius intra domū suā forti, eos qui peccatis suis uinciebantur absoluit, ut Abrahæ filiā septem & decem annis ligatā in libertatem uerbo uirtutis eduxit. Eduxit etiā eos qui ante exacerbabāt, id est, qui transgressione legis, iram in se dei iudicis incitabāt, uel aduersum nomen eius gentili eloquio differebāt ad doctrinā diuinæ cognitionis instituit, ut ex persecutore Paulū gentiū apostolum doctoremq; præfecit. Hos itaq; exacerbantes, inhabitantes antea in sepulchris, id est, intra corporū suorum emortua domicilia cōsepultos in cœlestem uitā spiritalemq; deduxit. Sunt enim multi in uiuentibus mortui. Nam & in euāgelicis mortui non putati nō differre docentur à mortuis, domino dicente: Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Et Apostolus scit quasdā mortuas uiuere, id est, dum uiuunt esse iam mortuas. Sed hos homines de sepulchris dominus qui in filios dei regenerantur eduxit. Verū hæc qui in nobis deus super occasum ascendens per uirtutem resurrectionis operatus est, idem omnia ad huius spei nostrę præparationem adumbrata gessit in lege, ut nō alius prophetarum, alius euangeliorum deus possit intelligi. Atq; ideo erga nos quoq; paribus hæc momentis, quibus ex Aegypto populum eduxit, impleuit. Nam & patres nostri sub nube fuerunt, & in Mose in mari baptisati sunt, & in similitudinem cœlestis panis manna è cœlis decidente saturati sunt, & Christo aquam petra præbente potati sunt, quæ quidem in illis salubriter gesta figuram quoq; nostræ in se salutis habuerūt, ut sequens prophetiæ sermo declarat dicens: Deus dum egredieris coram populo tuo, dum transgredieris in desertum terra mota est: Etenim cœli distillauerunt à facie dei, mons Sina à facie dei Israel.) Præisse dominum iter populi sui, dum desertum transgreditur in columna nubis ignisq;, cognouimus, & usque ad populi terrorem de cœlis stillasse manna, sed cum superiora omnia quæ ecclesiæ propria sunt atq; apta memorasset, scilicet cum super occasum ascendit dominus, cum orphanorum pater est, iudexq; uiduarum, cum in oleo sancto suo, id est, in domo congregatos unius moris, & uinctos in fortitudine, & exacerbantes extrahit è sepulchris, hæc tamen coram populo egrediens, & in desertum transiens consummare memoratus est, ut nunc ex præterito motam esse terram, distillasse cœlos, & hoc à facie dei Israel in Sina refertur effectū. Hoc ideo ut cum illa quæ legis sunt gesserit, in his quoq; ea quæ euangeliorum sunt præformasse sciretur. Egressus enim coram populo suo desertum transgressus est, in illud uidelicet desertum Iordanis, in quo lilia floruerunt, in quo fons aquæ uitalis desolatos & aridos irrigauit. Funiculus nanque ante erat hæreditatis Iacob, desertæq; gentes elementorum subditæ fuerunt potestati. At nunc inspectante eo, qui fuit dei populus, deus ad ea quæ ante erant desolata transiuit, ut iam irrigata ab eo finium deserta pinguescerent. Et hic idem est qui manna de cœlis dedit populo. Si enim lex dispositа est per angelos, panemq; angelorum manducauit homo, cœliq; stillasse in Sina scribuntur, profecto ministerium hoc à cœlis, id est, ab angelis expletum esse non est dubium. Estq; idem largitor eius qui de cœlis est panis, qui in Sina mannæ fuerat indultor. Sed transiens ad desertum deus, id est, ad gentilium aridа & desolata quondam corda transcendens, felicem illam bonæ uoluntatis

pluuiam

pluuiam ſegregauit. Segregauit enim ipſe ex utero matris Paulũ in apoſtolum, quia quos præſciuit, hos & prædeſtinauit. Hanc etiã eloquij prædicationiſq; pluuiam & in pſalmo Salomon terrę ad ſpei ſecuritatem nunciauit, dicens: Et deſcendet ſicut pluuia in uellus, & ſicut ſtillicidia ſuper ſtillantia terram. Et aliquibus nubibus ne ſuper uineam pluerent meminimus eſſe præceptũ. Sanctus quoq; Moſes quæ ſub uelamento uerborum communium ingentia cœleſtis ſpei ſacramenta cõdebat uerba ſua excipi, ut pluuiam imbremq; cantauit, pluuiam irrigantem deſerta & arida & præparatã dei hæreditatem, atq; ideo ſequitur: Pluuiam uoluntariam ſegregabis deus hęreditati tuę, & infirmata eſt, tu uero perfeciſti eam. Animalia tua habitabũt in ea, paraſti in dulcedine tua pauperi.) Prouidus enim uoluntatum deus ſegregauit uoluntariam pluuiã præſciendo quæ infirmata eſt, cum iudicium in ſe mortis habuit Paulus, cum Petrus ſcandalo crucis motus terdenegat, admonitus ne negaret, cum apoſtoli timent, fugiunt, diffidunt. Sed quia in his bonæ uoluntatis eſſet affectus, perfecti ita ſunt, ut & fundamenta eccleſiarum fierent & columnæ. Hæc ergo hæreditati dei pluuia ſegregatur. Quæ autem hæreditas ſit non obſcurum eſt, ea ſcilicet quæ data eſt poſcenti, cum dicitur: Poſce à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Gentes itaq; animantium & pecorum ritu non intelligentes. Et ideo cum cura pecorum deo nulla ſit, hæreditas illa in hac ſegregata uoluntaria pluuia eſt, in ea habitare monſtrantur. Sequitur enim: Animalia tua habitabunt in ea, paraſti in dulcedine tua pauperi. Habitabunt ergo animalia uel in hæreditate dei, uel in pluuia uoluntaria, & hæc in dulcedine pauperi uel hæreditas uel pluuia eſt præparata. Eloquia enim dei in ſanctorum faucibus dulcia ſunt, & beati ſunt pauperes ſpiritu, quia ipſorũ eſt regnum cœlorum. Animalia autem cum eſſent, facta ſunt ſpiritalia. Hæc ergo omnia in uſum hæreditatis, uel uoluntariæ pluuiæ in miniſterium ſunt ſegregata. Atq; ut ſecundum præparatam dulcedinem pauperi, uel eccleſiæ congregatio, quæ hæreditas dei eſt, uel apoſtolicæ prædicationis ſignificatum eſſe intelligeretur eloquium, ſubiecit: Dominus deus dabit uerbum euangelizantibus uirtutibus multis, rex uirtutum dilecti & pulchritudini domus diuidere ſpolia.) Segregatę itaq; pluuię ad euangelium irrigandum dominus dabit uerbũ, idipſum in ſenſum noſtrum & ora diffundens, ſecundum illud: Non enim uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri qui loquitur in uobis: Sed uirtutes multæ euangelizantibus ſunt. Sunt quibus dabit uerbum, ut ſit in Paulo uirtus, in Petro uirtus, in Ioanne uirtus, & in cæteris uirtus, multasq; ob id euangelij prædicandi ſignificet eſſe uirtutes, quibus quamuis deus & dominus & rex dabit uerbum, uirtutes tamen iſtę dilecti ſunt, id eſt, eius qui regi & domino & deo ſit dilectus. Laborioſius autem id & obſcurius, dum collocationes uerborum non demutat, translatio Latina declarat. cæterum abſolutius totum hoc ſermo è Greco enunciatus eloquitur, hunc ſcilicet deum & dominum noſtrum regem earum quæ dilecti ſint eſſe uirtutum, ut uirtutes ad apoſtolos, dilectum uero referatur ad Chriſtum, cuius uel in his, uel hi omnes intelligantur eſſe uirtutes. Oportuit autem propterea quæ ſequuntur, licet in omnibus unus atq; idem eſſet ſpiritus, numeroſarum uirtutum fieri mentionem, quia ad plenitudinem domus ipſe uirtutis ſpolia diuideret. Ad eccleſiæ enim decus detracta ab diabolo gentium ſpolia diuiduntur, atq; etiam ex his ſpoliis domus pulchritudo perficitur, cum in ſacerdotes dei ad myſterij ſanctificationem ab aris templiſq; dæmonum abſtrahuntur, ſanctoq; ſpiritu irrigati euangelizantes effecti ſunt dilecti uirtutes. Ad has enim eaſdẽ uirtutes, quæ ad pulchritudinem domus uel ſpolia diuidẽtur, uel ipſæ ſunt ſpolia, diuinus ſermo ſe retulit, dicens: Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora

ὁ βασιλεὺς τῶν δυνάμεων τοῦ ἀγαπητοῦ, τῆ ὡραιότητι τοῦ οἴκου διελεῖν σκύλα.

ſteriora dorſi eius in uiriditate auri.) Prophetiæ uota ſunt, quibus manere in me diſs cleris hæc ad pulchritudinẽ domus diuiſa ſpolia exoptat, ut uſq; ad conſummationis ſuæ diem, quia ſignificari mors ſoleat in ſomno, in domus pulchritudine perſeuerent. Qui quidem ſunt in uſum prædicationis tanquam deargentatæ pennæ columbæ, id eſt, ſpiritus ſancti munere ornatuq; precioſi. In his autẽ quæ poſt eos ſunt, in auri uiriditate conſiſtent, ut his poſt prædicationem Euangeliſ honor regius & indefeſſa æternitas ex conſcientię ſuæ fructu in auri uiriditate reddatur, dum & aurum refertur ad honorem, & in uiriditate uigor æternus oſtenditur. Poſteriora itaq; dorſi, quæ interſcaplia magis Græcus ſermo ſignificet, id eſt, quę bonæ cõſcientiæ atq; honoris poſteriora ſint tempore, ultra prædicationis huius honorem ſint honoranda, cum interim deargentatæ pennæ ſub munere ſancti ſpiritus permanentes, poſt etiam ad conſcientiæ ſuæ fructum auri uiriditatem, id eſt, florem honoris perpetui conſequentur. Vt autem hæc ad pulchritudinem domus ſpolia diuiſa, quibus ut inter medios cleros dormirẽt, id eſt, ut morte tales conſummarentur, optatum eſt, ad principes eccleſiarũ, per quos pulchritudo domus conſiſtit, relatũ poſſit intelligi, continuo ſubiecit: Dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam, niue dealbabuntur in Selmon, mons dei, mons uber, mons conſecratus, mons pinguis.) Dum itaq; hos cœleſtis reges ſuper eam diſcernit, id eſt, dum dominus de cœlis deſcendens, eos qui ſpolia fuerant, conſtituit in reges, ſuper eam domum, quæ per eos pulcherrima eſt, unumquenq; diſponit. In Selmon niue dealbabuntur, in pace ſcilicet, quia Selmon interpretatio pacis eſt, gloriam æternitatis accipient. Hic enim dei mons, in quo pax dei nominis ipſius eſt ſignificata uirtute, & ubi conſecratus & pinguis eſt. Reges autem eos eſſe non obſcurum eſt, de quibus dictum eſt: Iam ſine nobis regnatis, & utinam regnaretis, ut & nos uobiſcum conregnaremus. Dominus ergo cœleſtis, quia qualis cœleſtis, tales & cœleſtes, hos in Selmon reges ſuper domũ ſuam, per quos diuiſis ſpoliſs ornabitur, ex albatos niue diſponet in reges. Factus eſt enim in pace locus eius, & phœnicium, ſecundum Eſaiam, ut nix dealbabitur. Sed reges neceſſe eſt penes quos ſit domus pulchritudo, ultra candorem niuis præſtare. Lux enim mundi ſunt, & quiſquis dignus erit cum domino montem regni cœleſtis aſcendere, ſuper niuem dealbabitur. Quia cum ſe apoſtolis in habitu quo cũ ſanctis conregnaturus eſſet oſtendit, ueſtimenta eius ſuper niuem alba ſunt uiſa. Hic ergo mons & hoc regnũ deo pacis eſt, ſed plericq; ſunt qui eccleſiæ pacem ſub hæreticorum cõſortio mentiuntur, diſſoluentes noui ac ueteris teſtamenti connexam ſibi coniunctamq; rationem, dum plericq; alium Euangeliorum, alium deum legis effingunt, nonnulli uero aduerſum unigeniti dei naturam nomenq; uenientes, ex tempore natum ſolum hominem confitentur, neq; ex forma dei in formam ſerui eſſe deductum, ſed ex forma ſerui tantum eſſe cœpiſſe confingunt. Plures autẽ nõ ueræ diuinitatis deum, neq; ex paternæ maieſtatis naturæq; proprietate ſubſiſtere differunt, ſed externæ ſubſtantiæ deoq; diuerſæ, quę in adoptionem filij electa ſit modo creaturarum ex nihilo, quibus nulla origo anterior ſit, conſtiterit. Plures etiam in corpus atq; ex ſe protenſum permanentemq; patrem loquuntur, ut aſſumptio illa carnis ex uirgine filij nomen acceperit, non qui ante erat dei filius, idem hominis filius ſit natus in corpore. Et quidẽ omnia hæc ad ſpeciem humanæ prudentię coaptantur, poſtquam rationem cœleſtis ſapientiæ nõ comprehenderunt, quibus, ut ſpero, alijs locis uberius copioſiusq; reſponſum eſt. Quia ergo uerę fidei una hæc eſt fides deo quæ ſit placita, & hic æterni regni mons unus in pace ſit, de ſuſceptis plurimis arguit nos propheta, dicens: Vt quid ſuſpicitis montes caſeatos?) Lac cum corrumpitur denſatur, & ex uicio in coaguli caſeiq; ſpeciem cõcreſcit. Nam utrunq; id unus

τὰ μετάφρενα

ὄρη τετυρωμένα

id unus Græcitatis ſermo complectitur. Ergo ſicuti ex natura ſua lac ipſum uitio accedente degenerat, & quadam ſui corruptione coaceſcit, ita hæc genera doctrinarum quæ initia cognitionis ex innoxio ſyncerocꝫ lacte deducunt, corrumpuntur in uitia, fiuntcꝫ corruptione ſui coagulata uel caſeata ne lac ſint. Quod id ipſum loco alio ita meminit: Coagulauit ſicut lac cor eorum, ego uero legem tuam meditatus ſum, quia conſilijs geſtiscꝫ impietatis cor infeſtum cũ per infantiæ ſimplicitatem naturam lactis habuiſſet, uitiorum poſtea corruptione degenerans, in coagulum denſatum eſſet atcꝫ concretũ. Referendus ergo ab his omnibus & ſenſus & ſtudium eſt, necꝫ quiſquam alius magis quàm hic mons pacis habitandus eſt. Nam poſt exprobrationem caſeatorum coagulatorumcꝫ montium, continuo ſubiecit: Mons in quo beneplacitum eſt deo habitare, in eo dominus habitabit uſcꝫ in finem.) In eo monte æternæ habitationis *ſalem deo oſtendens eſſe complacitam, qui ad ſedem pacis eſſet electus. Sed quia poſt legis tempora circunciſionis cꝫ preſcripta ſacrificiorumcꝫ præcepta per Euangelicæ cõfeſſionis fidem ab his qui gloriantur in lege, id eſt, à carnali Iſraël quædam per nos uidetur pacis dei facta eſſe mutatio, cognitionis cꝫ alterius quàm in lege præſcripta eſt introducta confeſſio, cũ nos omnia per dominũ Ieſum Chriſtum quæcunꝫ præcepta ſunt lege, in ſpem Euangelicam adumbrata eſſe doceamus, illis contrà deum patrem ſecum loquutũ, ac legem dediſſe iactantibus, reſpondendũ eſt, hac ipſa pſalmi prophetia per angelos potius legem in manu mediatoris eſſe diſpoſitam, neque à nobis quicquàm eſſe mutatũ, ſed in his manere quæ *ſola ſunt, id eſt, unam eandémque ſedem dei pacis incolere, cum eundem prædicatorem Euangelij dominum Ieſum Chriſtum, quem & latorem legis habeamus. Poſt unius enim complaciti deo montis ſedem, quam uſcꝫ in finem cœleſtis habitabit, ut ſedes hęc Euangelicę pacis præformata per mediatorem legis intelligeretur in lege, continuo ſubiecit:

Currus dei decem milium multiplex milia lætantium, dominus in illis in Syna ſancto. Aſcendit in altum, cepit captiuitatem, dedit dona hominibus, etenim non credentes inhabitare.) Fidem omnem breuia hæc quidem uerba ſignificant, ſed quæ uirtutibus ſuis magna & infinita complexa ſunt. Hanc autem currus ſiue ſedis dei dignitatem haud diſſimiliter Daniel propheta deſcripſit, dicens: Sedes eius flamma ignis ardens, rota eius flumen ingens ducebat ante eum, milia milium ſeruiebant ei, & decies centena milia adſtabãt ei. Atcꝫ in his quidem ſiue ſub ſpecie talis ornatus, ſiue ſub ſignificationis exemplo nobis in curru opinio & ſenſus comitatus cœleſtis affertur, ut ſub concordi iugo milibus lætantiũ obſequelam cœleſtem intelligamus. Et hoc ille in Syna ardentes faces conlucentescꝫ ignes, ingraueſcentiacꝫ tonitrua, & totus domini aduentus terror oſtendit, miniſteria ſcilicet angelorum, legem in manu mediatoris diſponentium adſtitiſſe. Hic ergo currus dei decem milium multiplex eſt, miliacꝫ lætantium ſunt. Et quia mediator dei hominumcꝫ ſit dominus, in cuius manu per angelos, ut dictum eſt, lata lex fuerit, ſequens ſermo ſubiecit: Dominus in illis in Syna.) In illis ſcilicet lætantibus milibus, curruscꝫ numero multiplici decem milium, id eſt, infinitorũ intelligentiam ſub decem miliũ multiplicatione ſubiecta. In his itacꝫ deus in Syna eſt. Sed ne fortè Euangelia nõ ſupplementa legis aliquatenus uiderentur, qui in illis in Syna eſt dominus, hic rurſum in ſancto aſcendit in altum, captiuamcꝫ cepit captiuitatem, in eo ſcilicet ſancto, cuius formam ex forma dei euacuatus accepit. Quòd autem ſanctus ſit, cũ plures prophetiæ, tum Gabriel angelus ad Mariam teſtatur, dicens: Et quod ex te naſcetur ſanctũ, uocabitur filius dei. Et dæmones clamant: Scimus quia ſis ſanctus dei. In ſancto ergo aſcendit in altũ, & quid illud ſit, aſcendere in altum, ſub huius ipſius dicti ſignificatione Paulus docuit, dicens: Aſcendit autẽ in

altum

altũ, quid est, nisi quia & descendit in inferiora terræ? Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos. Ascendens ergo in altum, & sese hominem ex mortuis in cœlestibus reuehens, accepit eos qui à diabolo erant capti, quos & ad pulchritudinem domus spolia diuisit. Dehinc dona in hominibus accepit, cum primogenitus ex mortuis de se ipse testatur, dicens: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Posce à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Accepit ergo dona in hominibus, gentes scilicet in hæreditatem, in quibus in sancto in altum primogenitus ex mortuis capta captiuitate cõscendit. Et quia ultra humanæ spei fidem sit, eum terrenæ carnis corruptionem in cœlestem gloriam transtulisse, gentesq; impias, & ante uitiorum ac superstitionũ furore peruersas ad cognitionem dei cõsortiumq; esse deductas, ob hoc in his dona hominibus accepit, qui se cum deo habitaturos esse nõ crederent. Atq; ita huius mediatoris ex lege cognitio est, ut qui in lætantium milibus in Syna fuisset, hic idem in sancto rursum in altum captiua captiuitate cõscendens, dono nos qui secum cohabitaturos diffidebamus, acciperet. Post hanc itaque contra spei nostræ diffidentiam acceptorum in hominibus donorum hæreditatem digna hæc ad deum prophetæ subiecta cõfessio est: Dominus deus benedictus de die in diem, prosperum iter faciet nobis deus salutarium nostrorum.) Benedictus itaque dominus & deus est ascendens in altum, capiens captiuitatem in hominibus, dona percipiens, eos scilicet qui inhabitaturos se esse non crederent. Quotidie autem pro populi credentis accessione benedictionis multiplicatur augeturq; cõfessio, cum gentiles superstitiones, impięq; de dijs fabulæ, cum aræ dęmonum, idolorum inania relinquuntur, & iter omnibus ac profectus dirigitur in salutẽ. Hic igitur salutarium nostrorum dominus ac deus est, cuius de die in diem benedictionũ significatur æternitas. In eo autem quod quotidie est continuatur, & semper cum tanta æui protenditur infinitas, quanta & dierum post dies successio cõsequatur. Cautissime autem semper propheticus sermo, ne quid per gentiles fabulas, philosophiæq; doctrinam notionem nostram de diuinæ ueritatis scientia perturbaret admonuit, quia uariæ eorum impijssimæq; sententiæ multa de deo stulte prophaneq; complexæ sunt. Nos uero ad cognitionẽ dei patris & dei filij instituti, sacramentum sumus ueræ cœlestisq; prudentię in eo quod uerbũ caro factũ est consequuti. Ipsum enim nobis, quod Iudæis scandalũ, gentibus uero stultitia est, id est, dei passio, crux, mors, sepultura, siue per rationem diuinæ uoluntatis perfecta cœlestisq; sapientia est, siue per resurrectionis potestatem uirtutis æternitas est. Ad huius igitur nos propheta scientiam dei, qui nobis & passus, & mortuus est, & resurrexit, & dominus est, instituit dicens: Deus noster deus saluos faciendi, & domini * exitus mortis.) eum nobis deũ intimans, qui cum esset deus, omnia ad salutis nostræ incrementa suscepit. Et idcirco hic deus noster est, quia deus eorũ sit, qui fient salui. Saluos autem nos per id deus noster efficit, quod exitus sit mortis egressus. Id enim his uerbis, quæ Latine minus expresse atque absolute translata sunt, continetur. Admonui enim superius, plerunq; interpretes cunctos, dum collocationem ordinemq; uerborum demutare ac temperare nõ audent, minus dilucide proprietatem declarasse dictorum. Veruntamen in his quæ dicta sunt: Deus noster deus saluos faciendi, & domini exitus mortis, & salutis nostræ deus, & exitus eius ultra exitũ mortis ostendit̃, qui mortis exitus domini sit. Omnibus enim qui ueniunt in uitam, ingressus in mortem est, sed primogenito ex mortuis tanto propior fuit egressus ex morte. Atq; ideo proprius exitus mortis est domini, quia assumptæ ab eo carnis hæc uirtus sit, ut naturæ nostræ corruptionem in gloriam cœlestem post exitus mortis efferret. Verum susceptæ mortis ipsius non fuit oc-

αἱ διέξοδοι τοῦ θανάτου

cultanda uel cauſa,uel ratio,& quid nobis unigenitus deus ex forma dei exinaniſtus & formam ſerui aſſumens afferret auxilij,oportuit ad fidei noſtræ & ſecuritatem,& ſcientiam reuelari. Et primum quidem non alienum à dei miſericordia & bonitate uideri poteſt,ut uitam omnibus in ſe ipſo reſtitueret ex mortuis.Namq; qui primum animam nobis ac flatum reſpirationemq; uiuendi, cum hominem ſecundum imaginem ſui ſimilitudinem conſtituit, de theſauris poteſtatis ſuæ diuinitatisq; diffuderit.Secundum Apoſtolum enim ipſius genus ſumus, & ſecundū eundē omnia ex ipſo,& per ipſum, & in ipſo ſunt, ſcilicet ut in ipſo habitatio noſtra atq; incolatus oſtenſa ſit ſedes, dum omnia immenſa uirtutis poteſtate complexus eſt. Per ipſum uero originis inchoatæ opus effectusq; monſtretur, cum in nobis id ipſum quod ſumus operatus ſit, ex ipſo autem initia uitæ ac exordia ſpiritus indulta noteſcerent.Non fuit ergo à beneficentia diuinæ bonitatis alienum, ut qui ex ſe ipſo nobis, qui eius genus ſumus, uitæ ac ſpiritus elementa tribuiſſet,in ſe ipſo quoq; nobis per unigenitum deum æternitatis noſtræ inchoaret exordia,uereq; nunc & ex ſe ipſo,& per ipſum,& in ipſo maneremus, cū nos in hac ipſa habitatione ac ſede mundi huius, qui omnia in omnibus eſt collocatus, rurſum plenius iam atq; perfectius in ſe ac per ſe in iſta uel ipſa carnis noſtræ ſocietate poſt exitus mortis iam collocaret æternos.Hæc quidem ad ſignificationē diuinæ bonitatis ita dicta ſint, ſed ſuſcipiendæ ab unigenito deo carnis, adeundæq; mortis & per Apoſtolū, & nunc per prophetam grandior profundiorq; ratio tractatur. Ac primum quid in crucis ſacramento atq; mortis ab unigenito deo & domino maieſtatis effectum ſit,per Apoſtolum intelligamus, ut duce eo docti, prophetiæ ſcientiam conſequamur.Ait enim ita: Et uos cum eſſetis mortui in peccatis & præputio corporis ueſtri, conuiuificauit cum illo donans nobis omnia peccata,delens quod aduerſum nos fuit,chirographū in ſententijs, quod erat contrarium nobis,tollens illud de medio,& affigens illud cruci,ſpolians ſe carne,& principatus & poteſtates oſtentui fecit,cum fiducia triumphans eos in ſemet ipſo.Sacramentum itaq; ſalutis noſtrę primū reſurgens,ipſe ex mortuis decretumq; mortis noſtræ quo ante detinebamur abſoluens,in ſe ipſo qui ex mortuis æternus iam maneret,impleuit.Sed in eo ipſo quod nobis uitæ autor in ſe eſt,dum per aſſumptionē corporis homo natus & mortuus,iam rurſum æternus ex mortuis eſt,omnes quoq; inimicas uirtutes,mundicq; poteſtates, principesq; aëris huius oſtentui reddidit,id eſt,uel noſtrę ſpei,uel ſuę damnationis fecit oſtenta,& ipſos quædam quaſi ex dijs ſeculi portenta cōſtituit,his ipſis in ſe cum fiducia triumphatis, dum & per ſecuritatē æternitatis mors ipſa in deo moriente fiducia eſt,& autores mortis humanæ,cū etiam in ſe ipſo per occupatū à ſatana cor Iudæ autores ſunt mortis,triumphat ex mortuis,ut neq; pœnæ mortis abeſſent,cū ſe uſq; ad mortis infirmitatem ſubieciſſet æternus,& omnem pœnam humanæ mortis exciperet, ut autores cum in æternitatis dominum autores mortis,per id quod uerbū caro factum eſt,extitiſſent.Hæc quidē ita Apoſtolus,ſed propheta breuius,licet eandem intelligentiam uerbis ſignificantibus eadem iſta complexus eſt. Nam ubi dominū in exitum mortis oſtenderat,ſubiecit: Veruntamen conquaſſabit capita inimicorum ſuorum,uerticem capilli deambulantium in delictis ſuis.) Principatus enim ac poteſtates in quibus capita inimicorum ſignificantur,fecit oſtentui.Hęc igitur in mortis exitu conquaſſat,quorū ſpiritalem nequitiam atq; naturam, in eo quod capilli uerticem perambulent,docet,dum & tanquam dominantes hominū capitibus inſiſtunt,& tanquam nequitiæ ſpiritales ſine ſenſu eorum quibus inſiſtant,ipſum illum capilli uerticem proculcent, quia & ipſa ſcilicet corpora uſq; ad animæ mentisq; ſedem ſine ſenſu adeundi intrò labantur & penetrent.Aëris enim huius

ſunt

ſunt poteſtates,& ideo capilli uerticem perambulãt,uel inſiſtendi leuitate,uel poteſtate dominandi,& toto in orbe per momenta ſingula commeantes. Sed hæc in delictis ſuis peragunt,dum unicuiq; in eo quod delinquant autores ſunt,ſecundũ illud Apoſtoli:Deus filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati,& de peccato condemnauit peccatum in carne. Cum cauſam in his exordium q; peccati ex eo ipſo quod in carne ſua per inſtinctum proditionis peccant,id eſt,de peccato carnis peccatũ in carne condemnat. Tenet itaq; diuinæ diſpenſationis ordinem propheticus ſermo,& Euangeliorum opera adumbrata eſſe per legem, ipſis illis legis operibus declarat. Multa enim plerunq; per nominũ proprietates ita expreſſa atque abſoluta ſunt,ut non gerendis in præſens potius quàm in futurum ſignificandis rebus impenſa ſint,ut nunc poſt tantas ac tam manifeſtas Euangelicæ ſpei prædicationes altius quiddam nobis & ultra aurium ſenſum affert ſubiectus ordo dictorum uel geſtorum. Dixit dominus ex Baſan,conuertar,conuertar in profundum maris.) Videtur enim hic ſermo domini fuiſſe, cum ad diuidendum ad iter mare,exerendamq; in Pharao iram conuerſus eſt. Nunquid ex Baſan conuerſum eum eſſe lex docuit? Nõ utiq;. Baſan uero eſt ciuitas hoſtilis,quondam regni quæ fuit Og regis habitatio,ſed interpretatio nominis pudorem confuſionemq; ſignificat. Poteſt quidem uideri,ut ex pudore populi in Aegypto ſeruientis,cũ depreſſus à Pharaone, ipſam illam conſeruandi educandiq; generis libertatem perdidiſſet,in profundum maris,id eſt, ad liberandi populi ſui magnificentiam deus ſit cõuerſus. Sed qui ſecundum proximũ huic pſalmum dixerit: Saluum me fac deus, quoniam intrauerũt aquæ uſq; ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinẽ maris,& tempeſtas demerſit me,non ambigendus eſt poſt humani corporis pudorem(quia ipſæ illæ corporũ atq; elementorum noſtrorum origines ſint pudendę)in hoc mare,id eſt,in hanc ſeculi tempeſtatem eſſe conuerſus, ut uſq; ad ultimæ confuſionis uerecundiam ſubiectus crucis morti,per eam in ſe inimicorum capita conquaſſaret,ſpiritales ſcilicet nequitias poteſtatesq; omnes,& principatus aëris huius teddens oſtentui triumpharet, cum eos æternæ pœnæ,poſtquam ipſe & paſſus,& mortuus eſt,deſtinaret. Ob id ergo conuerſus in profundũ maris intelligendus eſt,id eſt, uſq; ad ultimas deſcendiſſe ſeculi paſſiones, ut conculcans capita inimicorum, ultionem diuinæ poteſtatis exerceret. Quod id ipſum uidetur ſequens ſermo complecti, cũ dicitur: Vt intinguatur pes tuus in ſanguine,lingua canũ tuorũ ex inimicis ab ipſo.)Diuinæ autem ultionis ira ſub humanæ uindictæ ſignificatur exemplo. Ex Baſan enim in profundum maris conuerſus ob id eſt, uti pes tinguatur in ſanguine, atq; ab ipſo ſanguine qui ex inimicis eſt,canũ quoq; lingua tinguatur. Hæc uero accidere ſolent omnibus bello conſumptis,& captiuitate deletis,& uictorum arbitrio atq; ultione punitis. Per humanæ itaq;,ut dixi,conſuetudinis morem,cum gladius, cum arcus,cum ſagitta,cum framea, cum reliqua pœnarum ac mortium arma memorantur,diuinæ ſeueritatis ſignificantur officia. Et hęc quidem Iudæis poſt crucem & mortem domini omnia acciderunt,cum à Romanis capti uniuerſa ſuppliciorũ ac miſeriarum genera perpeſſi ſunt, ut peremptorũ ſanguine incedentium pedes tincti ſint,& canũ lingua ſatiata ſit. Sed id nõ minus ad eorum pœnam damnationemq; referendum eſt, qui oſtentui redditi cũ fiducia triumphantur. Et quia ſub his quæ in Iudæorũ populo temporibus legis expleta ſunt,uniuerſarum ferè gentium ad ſpeciem futuræ miſericordiæ ſalus eſt inchoata,ut per id quod tum geſtũ eſt,id quoq; quod poſtea gerendum eſſet, doceretur, cum ipſos illos in quos illa tum gerebantur,& inumbratio nubis,& iter maris,& mannæ ſpiritalis cibus,& ſpiritalis potus ex petra in ſpe Euangelica fideq; concluderet,nunc quoq; ut ſem-

per,in his ipsis noui ac ueteris testamenti per prophetam facta connexio est, cum dicit: Visa sunt itinera dei mei regis, qui est in sancto. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuenum tympanistriarum.In ecclesijs benedicite dominum deum de fontibus Israël. Ibi Beniamin iunior in pauorem, principes Iuda duces eorum, principes Zabulon,principes Neptalim.) Dei quidem itinera sunt uisa, cum coactis in glaciem aquis præeunte eo in columna ignis & nubis iter populo siccatum est, cum in medio tympanistriarum iuuenes psallentes gloriose glorificatum dominum cantauerunt. Sed non minus itinera & alia regis in sancto, cum uirtutibus cœlestibus animisq; sanctorũ iter eius præeuntibus in eo qui primæ sabbati psalmus est,cantatur: Tollite portas principis uestri, & eleuamini portæ æternales,& introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus uirtutum ipse est rex gloriæ. Et hæc itaq; dei nostri & regis in sancto itinera sunt uisa,cum ingressum eius tanta cœlestium cœtuũ gaudia præeunt. Sed quia quæ ante præformata in Pharao & in Israël fuerant,in diaboli suorumq; clade,& populorum omniũ salute perfecta sunt,non ad synagogæ confessionem,sed ad ecclesiæ benedictionẽ nos cohortatur propheta, ut quibus dei & regis in sancto itinera essent uisa firmaret,dicens: In ecclesijs benedicite dominũ deũ de fontibus Israël.) Ex initijs scilicet legis atq; adumbrationem gestorũ doctrinam ecclesię defluxisse commemorans, ac ne quid benedicentibus ecclesijs ambiguitatis existeret, quis hic maximus Euangelicæ spei prædicator futurus esset, ostendit dicens: Ibi Beniamin iunior in pauore,in ecclesiæ scilicet fontibus Beniamin iunior in pauore mansurus, post consternationem enim pauoris in Euangeliũ Christi de tribu Beniamin Paulus electus est,matutino deuoratas carnes ad uesperum diuidens in salutem. Cæteros quoq; principes Iuda ne ignorentur ostendit, id est, qui ab eo qui de Iudæ frutice expectatio gentium futurus erat,eligendi essent,reuelans: Principes Zabulon,principes Neptalim.Ex his enim,ut Euangelia declarant,apostolorum est cœpta delectio,hos principes eorum qui in ecclesijs cõgregarentur ostendens. Nam cum ex omnibus tribubus singulis quibusq; populis secundũ legem sint principes instituti, nunc tamen ubi Euangelicæ dispensationis principes declarabantur,eorum tantum tribuum ex quibus uocandi essent, cõmemorata sunt nomina. Orta enim in finibus Zabulon & Neptalim luce magna post umbram mortis,piscatores ex his sunt hominum cõstituti.Solum ergo id sub prophetiæ significatione ex illa principum uniuersitate memoratũ est, quod ad Euangelij confirmationem ipsis rerum effectibus & apostolorum electione esset explendum.Et quia tantæ expectationis spe detinerentur, quia non ambiguum est omnes sanctos & prophetas cœlesti desiderio Euangelicæ beatitudinis tempus optasse, domino dicente: Amen dico uobis, quia multi prophetæ & sancti cupierunt uidere quæ uos uidetis,& audire quæ uos auditis,consummari id quod tanto opere concupiscit precatur dicens: Manda deus uirtuti tuæ, confirma deus quod operatus es in nobis.A templo tuo in Hierusalẽ tibi afferent reges munera.) Distinguit intelligentiæ significationẽ, ne quid confusum ambiguumq; subrepat in eo quod ait:Manda deus uirtuti tuæ.Quod utiq; contra humanum sensum & usum naturalis consuetudinis est loquutus.Mandare enim quisquam uirtuti suæ aliquid nõ uidetur, quia per eam internæ potestatis insit effectus: & cum omnia uirtute fiant,non existimatur uirtuti ipsi aliquid mandari solere faciendum. Sed enim dei uirtus deiq; sapientia est dominus Iesus Christus,qui & ponendæ animæ ac resumendæ mandatum accepit à patre. Idcirco non contra intelligentiæ communis sensum dictum uidetur, quod tamen propheticæ scientiæ proprietate memoratum est, ut uirtuti suæ mandaret deus,unigenito scilicet deo, qui & dei uirtus est.

Dehinc

Dehinc quia rerum ſubitarum in deum non cadit noua repenſq; molitio, cuius ſcientiam non ſubterfugiant quæ gerenda ſunt, quia natura eius uniuerſa quæ erunt, uirtutis ſuæ poteſtate complexa eſt, id nunc confirmari propheta poſtulat, quod iam ſit idem deus operatus in nobis, ſecundum illud Apoſtoli: Benedictus deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali in cœleſtibus, in quo & elegit nos ante mundi conſtitutionẽ, uti eſſemus ſancti & immaculati in ipſo. Deus itaque qui ſecundum prophetam fecit quæ uentura ſunt, ea quæ iam ante conſtitutionem mundi per definitionem gerendorum operatus in nobis eſt, cõfirmauit in domino. Et quid illud ſit, mox continuat ordo dictorum: A templo tuo in Hieruſalem tibi afferent reges munera.) Templum in Hieruſalem eſt, in quo hoſtiarũ legitima offerebantur, nunc autem à templo in Hieruſalem à regibus ſunt munera afferenda. Quod utiq; contra locorum ſignificationem rationemq; geſtorum eſt, ut illinc quò inferri magis oporteret, id eſt, de templo auferenda ſint munera. Sed quia eſt cœleſtis illa nobis mater Hieruſalem, & primitiuorum conſcriptorũ, & frequentantium cœtus, omnisq; in Chriſto renatus dei templum eſt, maxime in quo non mors magis ſit regnatura, ſed uita, & qui ipſe rex ſit eius, cuius ſeruus fuerat ante, peccati, hoſtiam ſe ipſum uiuam, & rationabilem, & placentem deo offerens. Cum ergo ab hoc templo, id eſt, ab hac ſancta corporis ſui habitatione in illo conuentu angelorum frequentantium, id eſt, in illa cœleſti Hieruſalem ſi qui reges ſint, id eſt, qui peccato ultra non ſeruiant, offerent ſe ipſos deo munus. Quod quia carnalis Iſraël dum ſibi tantum peculiarem dei miſericordiam uſurpat, uidetur tanquam ſoli ei ſit proprium defendere, mox propheta ſubiecit: Increpa feras ſyluæ, concilium taurorum inter uaccas populorum, ut non excludantur hi, qui probati ſunt argento, diſſipa gentes quæ bellum uolunt.) Vaccas in Samaria adoratas eſſe cognitio ex libris eſt. Principes uero populi iſtius iam non populi, ſed gregum duces eſſe propheticus ſermo eſt, cum dicitur ex domini perſona: Tauri pingues obſederunt me. Feras autem ſyluæ nequitiarum ſpiritalium ſupra uerticem capilli in peccatis ſuis deambulantium ſignificatio intelligenda eſt, ſecundum illud: Deuaſtauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Hoc in loco ipſius principis mundi, id eſt, ſatanæ & immanitas ſignificatur & uirtus. Id ergo nunc poſcit propheta, ut uidelicet has feras ſyluarum uel hoc concilium taurorum inter populorum increpet uaccas, ne hi qui probati argento ſunt, excludantur. Probati autem argento hi ſunt, qui ſecundum argentum de peccati & paſſionũ omnium igne decocti, immaculati & ſine terrenæ ſordis ammixtione iam ſplendent. Cum enim propheticus ſermo fidem gentium prædicet, populiq; huius exacerbantis improbam uoluntatem ſæpiſſime increpet, iamq; ſalus à deo in omnes, per omnesq; ſit cognita, idq; ex ſcientia diſpoſitionis dei notum ſit, quum impietate populi exprobrata, ſancti quiq; in ſpem regni cœleſtis uocantur. (non enim Iudæorum deus tantum eſt, & nõ gentium, imò & gentium. Vnus enim deus eſt qui iuſtificat circunciſionem ex fide, & præputiũ per fidem) Poſtea ergo quàm increpitis his, qui principes Sodomorum & populus Gomorreorũ eſſe meruerunt, tum ad gentes cognitio dei ſcientiaq; defluxit, & iam non intra errorem neq; contradictionem in ſcientia detinentur. Increpitis autem ſyluarum feris, taurorumq; concilijs uaccisq; populorum, eos qui adhuc perpetuis aduerſum gentium ſpem ad ſalutem infidelitatis odijs perſiſtunt decertare, condemnat dicens: Diſſipa gentes quæ bellum uolunt. Pacificauit enim omnia dominus in cœlo & in terra. Et ſecundum Apoſtolum deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Earum ergo gentium diſſipationem, quæ cœleſtis pacis fœdus abnuant, magisq; diſſenſionum uo

lunt bella,ſub diuerſarum tamẽ gentium congregatione denunciat.Nam ad conſeruationem coniunctionemq; totius ſenſus,increpitis taurorum concilijs,furisq; ſyluarum, gentibusq; bellũ uolentibus diſſipatis,ne quid ſibi ultra arrogans Iſraël impiusq; præſumeret,ſubiecit: Venient legati ex Aegypto,Aethyopia,præueniet manus eius deo.Regna terræ cantantes deo,pſallite domino.) Expleta autẽ hæc eadem ſunt uel Magis ex oriente uenientibus,uel tunc cum in apoſtolos ſpiritus ſanctus diuiſi ignis modo uenit. Nam illic ad prædicationis Euangelicæ cognitionem etiam ex Aegypto conueniſſe ſcribuntur,quibus magnitudinem diuini muneris tanquam legatis renunciantibus,Aegyptus propè uniuerſa eſt iam fidelis.Aethyopia uero in Candaces Eunucho fidei confeſſionem præuenit.Manu autem ſua dum ipſe baptiſmi gratiam ſibi poſtulat,dicens: Ecce aqua,quis prohibet me baptizari? ſacramentum ipſum baptiſmi adeo impatientis deſiderij cupiditate præueniens,ut à diacono miniſterium apoſtolici officij ſalutis ſuæ cupidus exigeret. Et quia exinde per omnes ferè gentes prædicatio diuinæ cognitionis illuxit, quia & omnia regna dominum Chriſtum deum intellectura licet ſero ſunt, & omnis lingua confitebitur, quia dominus Ieſus in gloria dei patris ſit,conſummationem temporis huius exoptat,dicens: Deo regna terræ cantate, deo pſallite, domino omneis ſcilicet ad canendum ac deo pſallendum adhortatur,uel quia ſalute omnium prophetica ſolicitudine lętatur,uel quia regnis omnibus deum cognoſcentibus regni cœleſtis ſuccedit æternitas. Atq;, ut in cæteris ſolet,nunc quoque cum deo dominoq; cantandum pſallendumq; eſſet,oſtendit dicens: Pſallite deo qui aſcendit ſuper cœlos cœli ad orientem, ecce dabit uocem ſuam uocem uirtutis.) Competenter nunc aſcendentis ſuper cœlũ cœli ad orientem dei honor poſcitur,ut quia ſuperius ſignificata humilitas eius fuiſſet, cum uidelicet ſuper occaſum aſcendit, & exitum mortis egreditur, nunc ubi non cœlum, ſed cœlum cœli tranſgreſſus eſſe noſcitur,diuinitatis ac magnificentiæ eius non ignoraretur æternitas. Ad orientem uero idcirco, quia ipſe ſecundũ prophetam oriens ex alto ſit, ut regreſſus eò unde deſcenderat oriens,noſceretur,ipſeq; ſit omnibus in hũc cœleſtis ſedis aſcenſum rurſus autor oriundi. Nam id ipſum ſequẽs ſermo ſignificat, cum dicitur:Ecce dabit uocem ſuam uocem uirtutis.In omnibus quidem quæcunque in corpore manens geſſit,uirtutis uocem dedit,quum paralytico dicit: Surge & ambula, quum Lazarũ uocat è ſepulchro, quum Petro cæterisq; apoſtolis ait: Quæcunq; ligaueritis ſuper terram,ligata erunt & in cœlis:& quæcunq; ſolueritis ſuper terram,ſoluta erunt & in cœlis. Vox plane eſt iſta uirtutis,humanæ infirmitati tantum poſſe concedere. Sed ſcimus adhuc aliam uocem ſupereſſe uirtutis,de qua ipſe teſtatus eſt,dicens:Amen amen dico uobis,quoniam uenit hora,& nunc eſt,in qua audient mortui uocem filij dei,& qui audierint,uiuent. Nunquid ulla uox poteſt maior eſſe uirtutis, quàm diſſolutorũ corporum puluerem in formam cogere,ſoliditatemq; membrorũ, & uitam rurſum in homines animasq; renouare,& corruptionem naturæ imbecillis naturæ cœleſtis incorruptione mutare? Hæc humanæ ſpei uera & perfecta conſtantia eſt, hæc diuinæ magnificentiæ bonitas abſoluta eſt, ob quod uniuerſos ad honorem huius tantæ uirtutis hortatur,dicens: Date honorem deo, ut perceptæ immortalitatis laudem ad honorem eius qui tanti nobis muneris parens eſt,referamus.Dehinc ne quid ſibi uel carnalis Iſraël uniuerſitas gentium ipſarum ex his pietatis ſcientiæq; dei meritis præſumeret,à quibus hic honor deo reddendus eſſet,oſtendit dicens: Super Iſraël magnificentia eius,& uirtus eius in nubibus.) Super eum ſcilicet Iſraël magnificentiam futuram eſſe demonſtrans, qui iam ex comparatione nubiũ ſpiritalis exiſteret, uel qui ſecundum Apoſtolum rapi obuiam Chriſto in nubibus mereretur. Et

idcirco

idcirco uirtus eius in nubibus est, quia his qui ultra terrenam originē mortalemq; degentes se in sensum cœlestem & uitam, ut ita dicam, aëream extulissent, obuiamq; elati in nubibus astitissent, his esset proprium uirtute dei magnificentiaq; lætari. Frequenter autem memini his ipsis nubibus tanquam ratione scientiaq; perfectis, ne super impiam Israël uineam pluerent, esse præceptum, quia indigni sancto eloquio, quos iam spinæ & tribuli, id est, terrena uitia obsederant, extitissent. Namq; cum omnibus sit ad nouam resurrectionis originem uoce uirtutis utendum, nō uniuersis tamen gloriosus, id est, resurrectionis honor est præparatus, domino dicente: Nolite mirari ista quoniā uenit hora in qua omnes qui sunt in monumentis audient uocem eius, & prodient qui bona gesserunt in resurrectionem uitæ, qui autem iniqua gesserunt in resurrectionem iudicij. Et idcirco super eum Israël magnificentia & uirtus dei est, qui esset in nubibus, quia pro discrimine uitæ innocentis atq; impiæ resurrectionis sit, aut in uitam, aut in iudicium distincta diuersitas. Deinde id ipsum sequens sermo designat, dicens: Mirabilis deus in sanctis suis.) In eis scilicet mirabilis, quos in uitę resurrectione excitabit ęternos. Mirabilis autem est, cum omnem beneuolentiæ suæ in eos conferet uoluntatem, cum ipsos intra perfectionem cœlestis gloriæ collocabit. Sicuti ad patrem pro his precatus est, dicens: Pater, uolo ut ubi ego sum, & hi mecū sint. Vel illud: Vt omnes unum sint, ego in illis, & hi in me. Mirabilis ergo in sanctis deus est, quos cū conformes gloriæ corporis sui fecerit, per se, qui mediator est, etiam in unitatē paternæ maiestatis assumet, dum & in eo per naturam pater est, & ille rursum per societatem carnis in nobis est, quos in regnum præparatū illis ante constitutionem mundi obtinendū locauerit, quibus absorpta morte immortalē uitam æternamq; reddiderit. Non enim iam incrementis corporum escarumq; alimentis, infirmitatumq; casibus uitæ humanæ demutatio laborq; tolerabitur, sed æternitas cunctis quæ naturæ suæ uirtute ipsa se continens, id est, quæ se ipsam alat conseruetq;, donabitur, certiq; omnes fore se sempiternos, quod non aliunde iam, id est, nō extrinsecus contineantur ad uitam, sed ex deo, per quem resurrexerint, & iam immortales maneant, & æterni. Et ideo hæc humanæ spei sacramenta tali confessionis fide propheta cōclusit: Mirabilis deus in sanctis suis deus Israël, ipse dabit uirtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus deus est.) Dat itaq; uirtutem plebi suæ & fortitudinē deus, quæ immortalis effecta, intra uitam uirtutemq; contineatur, dispoliatoq; corpore, superinducta sit honore cœlesti, ut omni corruptione & infirmitate depulsa, deum æternitatis suæ laude benedicat, per unigenitum & primogenitum suum deum ac dominum nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

In finē pro his, qui uel immutabunt. Psalmus ipsi Dauid. Psalmus LXVIII

SAluum me fac deus, quoniam intrauerunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.) Tertius hic pro his qui immutabuntur est psalmus, qui & si nihil sub historiæ commemoratione complexus est, ut in quinquagesimo & nono inesse tractauimus, neq; ut in quadragesimoquarto aliquid proprium in superscriptione prætulerit, ubi: Pro dilecto canticum prænotatur, in eo tamen quod non: illius Dauid, sed illi Dauid psalmus: In finem præscribitur, in illum potius Dauid qui, & oriens & iustus & finis est legis conuenire intelligenda prophetia est. Per id enim non ab illo sed in illum psalmus docetur esse cantatus. In his autem qui immutabuntur Euangelicæ spei fideles significari docuimus, qui aut ex legis obseruatione, aut ex gentis impietate ad cognitionē dei demutati tanquam

renascentes

renaſcentes incorruptæ æternitatis candore florerent, quod id ipſum pſalmi fine tractabitur. Non ambigitur autem pſalmus ipſe ſacramentum paſſionis domini continere. Nam præter Ioannem apoſtolum qui in potatione aceti conſiſtere conſummationem ſcripturarũ teſtatus eſt, cum etiam dictum hoc ab eodem ſub Apoſtolorum recordatione præſumptus ſit: Zelus domus tuæ comedit me, adimit ambiguitatem, confirmatq; omnia ad eum dicta geſtaq; eſſe referenda. Vniuerſarũ itaq; humanarum paſſionum ſorte perfunctus, ſecundum ſuſceptas infirmitates noſtras loquitur, & dolet ipſe quidem extra neceſſitatem & timoris poſitus & doloris, ſed his ſe tamen quæ ſuſcepit accommodans, ut qui carnis noſtræ homo natus eſſet, ex dolorum noſtrorũ querelis & infirmitatis precatione loqueretur. Cœpit itaq; ita: Salua me deus, quoniam intrauerũt aquæ uſq; ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & nõ eſt ſubſtantia.) Viuendi omnibus finẽ mors in cunctos cõſtituta præſcribit. Et quid ſibi nunc oratio iſta uult, quæ ſe ſaluari deprecatur, cum lex mortis in omnes ſit conſtituta? Dehinc nunc orandę ſalutis hæc cauſa eſt, quia intrauerint aquæ uſq; ad animam. Introëundi autem aquis ad animam hinc facultas ſit, quòd infixus ſit in limũ profundi. Defixi uero in limo profundi nulla ſubſtantia ſit. Ergo quia nemo niſi quod ſperat precatur. Sperat autẽ nemo ſe mori talis, hæc eius merito oratio eſt, quæ moriturus licet, morte non erat obtinendus. Aſſumpta ergo infirmitas habuit officiũ deprecandę ſalutis, diuinitatis uero cõſcientia ſpem tenuit ſalutis in morte ſperanda. Saluari ergo ſe orat qui & dixerit: Deus deus meus quare me dereliquiſti? Introëuntibus enim aquis uſq; ad animam ſubiectus morti crucis fiebat, cum paſſionũ uniuerſarũ impetus uſq; ad mortem animæ prorumperet. In aquis autem inſectationes populi motusq; gentium ſignificari ſolere non dubium eſt, cum dicitur: Torrentem pertranſiuit anima mea. uel illud: Et pertranſiuit anima mea aquam immenſam. Sunt & aquę arenoſam domum ſubruentes, eamq; in caſum ruinamq; pellentes. Hę ergo nunc aquæ uſq; ad animam intrantes ad precem eum orandæ ſalutis coëgerunt. Verũ ineuntium harum paſſionum non aliunde, quàm ex aſſumptione carnis & uirtus eſt & poteſtas. Non enim incidere in deum hic infirmitatum noſtrarum terror uelebat, aut exerere ſe niſi in carnem corporis noſtri ante quàm in ſubiacente materia potuerant paſſiones. Porrò autem haurienda fuit natura cœleſtis, ut exinaniens ſe ex dei forma in formam ſerui hominisq; decederet. Et ideo uſque ad animam aquæ penetrant, quia ſubſtantia ei non ſit infixa in limo profundi. Non utique ſubſtantia ea nõ erat quæ aſſumpta habebatur, ſed quæ ſeipſam inaniens hauſerat. Nullo autem modo ſe *coruit qui ſeipſum exinaniuit euacuans, nec tamen idipſum uidebatur extare, quod iam in aliud ſe euacuando congeſſerat. Non eſt ergo ſubſtantia, per id quod infixus eſt in limo profundi. Primus enim homo de terræ limo, & ſecundus Adam in huius limi profundum de cœlis deſcendens ſeipſum tanquam ex alto ueniens defixit. Euacuans ergo ſe, quippe cui ſubſtantia non erat, non iam uſque ad carnis, uerum etiam uſque ad mortis profunda deſcendit, & omnis in eum terror deſæuientis in nos tempeſtatis incubuit. Cum enim ſe contra naturæ cœleſtis terrenæq; diuerſitatem in hanc humum poteſtatis ſuæ uirtute defixit, quia ea quæ natura diſſident, ad quandam connexionis ſuæ ſoliditatem non generis ipſius propinquitate conueniunt, ſed potiore uita, quàm confixa ſociantur: tunc & pati cœpit & mori poſſe, per occaſum mortis in terram ac in inferna deſcendens. Sequitur enim: Veni in altitudinem maris & tempeſtas demerſit me.) Imitator ille & dominicæ mortis & temporis Ionas, mari merſus cetoq; ſuſceptus, non tam in mari ſe, quàm in inferno poſitum teſtatur. Clamaui in preſſura mea ad deum meum, & exaudiuit de uentre

Fort. horruit aut ſe corruit, pro ſe coniecit

inferorum

inferorum clamores meos. Et quamuis eum cetus ad ſpeciem infernæ mortis hauſiſſet,ait:Introiuit caput meum in ſciſſuras petrarum,deſcendi in terram cuius ſeræ tenaces & æternæ. Sancto etiam Iob poſt illud uniuerſarum paſſionum gloriosiſſimum bellum,cum dignus iam eſſet eloquio diuino ſcientiaq; naturę,poſt confracti intra ſe maris portas,rugientesq; eius in matris ſuæ uentre terrores, rurſum quid etiam in mari ſignificaretur dominus reuelauit,dicens: Veniſti autem ſuper fontes abyſſi,aut in ueſtigijs maris ambulaſti. Aperiuntur autem tibi præ timore portæ mortis. In ueſtigijs utiq; maris tanquam in profundo uel altitudine maris portas mortis eſſe ſignificans. Nam cum profunda maris inferiora ſint terræ, neceſſe eſt in profundo maris, id eſt, in inferioribus ſedem mortis oſtendi. Veniens ergo in hoc profundum maris tempeſtate demerſus eſt, cuius in anteriori pſalmo ita meminit,dicens: Omnia excelſa tua & fluctus tui ſuper me tranſierũt. Sed & ille,ut dixi,dominicæ mortis imitator,quem ex tenacibus externiſq; terrę ſeris immaniſſimus ille maris iſtius cetus euomuit,haud diſſimilis eſt. Omnes ſuſpenſiones tuæ & fluctus tui ſuper me tranſiebant.) Vſque ad mortis igitur ueniens profundum,mortis ipſius tempeſtate demerſus eſt,aduerſarumq; uirtutũ depreſſus procellis eſt,nõ tamen* tactu eorum qui ſeipſos diabolo præbituri erant uelut Fort.*actu miniſterij arma peccato:quippe qui & nonnunquam conſilia initæ mortis ſuæ exprobrauerit, & ſtans in templo ſæpe clamauerit, & eleuatis ad deum frequenter oculis intenderit, ut ad unumquodq; diuinitatis ſuæ opus maximum aſpectare intelligeretur ad patrem,ob quod ſequitur: Laborauí clamans,raucæ factæ ſunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum ſpero in deum meum.) Infirmitates noſtras ſuſcipiens, portansq; peccata, uſu & conſuetudine humanæ defatigationis loquutus eſt. Nempe qui ſe ſomno & laſſitudini ſæpe commiſerit,etiam uſq; ad ſitis & eſuritionis neceſſitatem,fauces itaq; eius raucæ ſunt,oculiq; defecti. Cauſam uero maxime clamoris & intentionis oculorum hanc eſſe docuit,quia ſperaret in deum,uel cum clamat dicens: Qui credit in me,non in me credit,ſed in eum qui me miſit: uel cum clamaturus Lazarum uoce magna, eleuatis ſurſum oculis ait: Pater gratias tibi ago quia audiſti me. Sed illo uel paterni nominis magnificentiam teſtante, uel humanæ ſalutis opus moliente, odia in eum multiplicantur ineaſſum. Sequitur enim: Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei,qui oderunt me gratis. Conualuerunt qui perſequuntur me inimici mei iniuſte, quæ nõ rapui tunc exoluere repetebar.) Numerus odientiũ ultra capillos capitis eſt multiplex,ſiue ob impiorum copioſam multitudinem, ſiue quia indigni ſint dei cura. Nam Apoſtolorum capillos cum tanta eorum deo cura eſſet,ſcimus eſſe numeratos:ſiue quia infidelium numerus ultra numerum ſit fidelium. Nam decus capitis in capillis eſt,& eccleſiæ quæ corpus eſt Chriſti, in apoſtolorum decore omnis ornatus eſt. Super hoc capitis ſui decus odientium eſt multitudo. Oderunt autem eum gratis, id eſt, cauſam odij non habentes, & conualeſcentes inimici iniuſte ſunt perſecuti. Non enim peccatum egerat,nec dolum habuerat,& ideo quæ non rapuerat, tunc repetebatur exoluere. Cum enim debitor mortis peccatiq; non eſſet,tanquam peccati & mortis debitor tenebatur,ab his ſcilicet qui in eo peccati legem,quæ in membris noſtris eſt,exerebant. De peccato enim condemnauit peccatum in carne. In quo quia magnum diuinæ ſapientiæ conſilium explebat, crucisq; mors in deo ſtultitia gentibus uidebatur, magnaq; in eo cœleſtis terrenæq; ſpei expectatio inerat,ſubiecit: Deus tu ſcis inſipientiam meam,& delicta mea a te non ſunt abſcondita. Non confundantur in me, qui expectant te domine uirtutum. Non uereantur ſuper me qui quærunt te deus Iſaël.) Inſipientiæ ſuæ deus conſcius eſt, & delicta ſua abſcondita ab eo non ſunt. Pœnas ſcilicet inſipientiæ

entiæ & delictorum quas non rapuerat repetebatur exoluere. Vſque ad crucis autem ſtultitiam, id eſt, quia ſtultum ſit gentibus peccata noſtra ſic ſuſcipi, ut peccator & ſtultus gratis iniuſteq; uexatur. Sed quia ſtultitiam atq; delicta propter ſapientiam noſtram uitamq; ſuſceptat, ut & principem ſeculi iudicaret, & de peccato condemnaret in carne peccatum, cum in ſe, in carne ſcilicet corporis ſui in qua nihil inueniri poterat peccati, ſecundū quod ait: Ecce ueniet princeps mundi, & non inueniet in me quicquam. Veniens hic mundi princeps nihilq; inueniens, peccati tamen pœnam, id eſt, ius mortis exercuit, per quod humanæ mortis autor, quia in autorem uitæ peccati neſcium mortem molitus ſit, iudicatur. & hæc ſanctorū expectatio fuit, ut omnis caro redimeretur in Chriſto, ut in eo æternæ reſurrectionis primitiæ exiſterent. Non confundi in ſe eos rogat qui expectent dominum, necq; quærentes deum Iſraël ſuper ſe uereri aut pudere, quia ſuſcipiendæ ab eo carnis tempus deſideratum ſit, ſecundum illud: Multi prophetæ & iuſti cupierunt uidere quæ uos uidetis, & audire quæ auditis uos. Ne quid ergo in ſe imbecillum infirmumq; maneat deprecatur, ne ſpem expectantium infirmitas corporis carnisq; confundat. Per eum enim & in eo expectatio nobis omnis ad deū eſt. Et ueniens ergo in corpus, ne in ſe ſanctorum ſpes cōfundatur orat. Quòd autē infirmitates noſtras ad ſalutem generis humani ex paterna uoluntate ſuſceperit, quia non uoluntatem ſuam facturus uenerit, ſed uoluntatem eius qui ſe miſerit patris, nunc quoq; per ſubiecta declarat: Quoniam propter te ſuſtinui improperium, operuit reuerentia faciem meam. Extra factus ſum fratribus meis, & hoſpes filijs matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me.) Non fuit ergo in unigenito deo naturalis infirmitas, ſed aſſumpta, quia propter deum hæc imporperia ſuſceperit paſſionum. quanquam ne in naturis quidem hominum ineſt neceſſitas aliqua peccati, ſed ex appetitu uoluntatis oblectationeq; uitiorum peccati uſus arripitur. Et ideo dominus non ſe rapuiſſe, quæ ut ſolueret repetebatur oſtendit, quia ea quæ contra naturam ſint deſiderata rapiantur, ſoluturis omnibus quadrantem nouiſſimum talium debitorum, & ob hoc orationis dominicæ præſcripto, remitti nobis debita deprecamur. Suſtinuit ergo improperiū propter deum, dum alienum à natura ſua corpus aſſumit: dum ſecundum Apoſtolum peccatum neſciuit, pater facit eſſe peccatum: dum fit obediens uſq; ad mortem crucis: dum ipſe ex probratur quòd cæteros ſaluans ſe ipſe non ſaluet: dum contumelias ſputorum alaparumq; perpetitur. Hoc igitur pudore coopertus ob deum fit alienus à fratribus ſuis, & filijs matris ſuæ hoſpes efficitur, à uitijs ſcilicet eorum qui ſibi ſecundum carnem conſanguinei habebantur alienus: dum numulariorum menſas templum ingreſſus euertit: dum nundinas ouium ac boum prohibet: dum uendentibus columbas cur domum patris ſui domum fecerint negociationis exprobrat. Zelo enim domus dei peruaſus hæc egit. Eſt autem hæc amoris pij indignatio, ut eorū quos diligimus contumelijs tanquam zelo efferueſcente moueamur. Hoc enim pollutæ domus zelo, ut Euangelium (ſicut ſuperius docui) teſtatū eſt, turbam omnem ementium ac uendentium templū ingreſſus eiecit. Zelo autē dei etiam uſq; ad mortis ſeueritatem, & finem placuiſſe laudabile eſt. Per hanc igitur exprobratarum his cupiditatum indignationem, omnium in eum maledictorum congeſta conuitia ſunt. Quæcunq; autem in impios dirigi ſolent, hæc in eum opprobria ſunt relata, cum blaſphemus, cum Samaritanus, cum Belzebub, cum dæmonium habens dicitur. Id enim ſubiecit: Et opprobria exprobrantium te ceciderunt ſuper me.) Blaſphemiæ opprobrium ei potius, qui deo contumeliam exprobret ingeritur, ſicuti dæmonij infamia ei magis qui à deo ſit alienus, eſt propria. Quæ cum omnia ei exprobrata ſint propter domus dei zelum, eorum

qui

qui deum exprobrant ſuper eum opprobria congeruntur. Et huius dicti ad Romanos Apoſtolus ſcribens ſub huius ſignificationis meminit intelligentia. Ipſa enim ieiunij continentia recidit in opprobriũ, cum à diabolo tentatur, cum in templi pinnacula locatur, cum ſupra montem fertur, cum poſtremo ad adorandum ſatanam totius mundi ambitione tentatur. Flet interdum & ingemiſcit & triſtis eſt, & id ipſum ad infirmitatis tribuitur exemplũ. Omni denicq; generi hominum & obtrectatio efficitur & canticum. Ipſi enim, qui in portis orandi uictus cauſa ſedebant, obloquuntur & detrahunt, & in eo ebrij pſallunt. Hæc autem omnia uel ſecundum geſtorum fidem, uel ſecundum humanæ conſuetudinis modum in ſe ita geſta eſſe conqueritur. Et operui in ieiunio animam meam, factum eſt mihi in opprobrium. Et poſui ueſtimentum meum ſaccum, & factus ſum illis in parabolam. Aduerſum me detrahebant qui ſedebant in porta, & in me pſallebant, qui bibebant uinum.) Fuit itaq; ieiunium ei in opprobrium, quia per eſuriendi opprobrium uſq; ad adorandi ſatanæ contumeliã tentatus eſt. Veſtis autem de ſacco habitus eſt luctus. Luctus uero omnis affectus in fletu eſt. & cum Lazarũ excitaturus lachrymat, infidelitatẽ humani generis lugebat. In habitu enim luctus, flendi ſignificatur effectus. Quòd autem non Lazarum, cuius & morte lætatur, quem & ex mortuis excitaturus erat fleuerit, omnis ipſe euãgelij ſermo declarat. Sed cum reſurrectionis fidem nullam futuram, in ipſo reſurrectionis opere fleuiſſet, fletus eius in parabolam profecit, ut documentum amoris ſui in Lazarũ flendo dictus ſit præbuiſſe: & à pleriſq; hodie, quia fleuerit, arguat infirmus. In ebrijs autem pſallentibus, & his qui in porta ſederent detrahentibus, omnium etiam infirmorum in eum contumeliæ per hanc conſuetudinem uulgi docentur. Adeo autem nullum genus hominum de deo tacuiſſe manifeſtum eſt, ut Cleophas ei qui tanquam rerum ignarus cauſam ſermonis interrogaret, reſpondiſſe ita ſcribatur: Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in ea in diebus his? Stupor enim eſt de ignoratione unius in cognitione uniuerſorũ. Sed inter has omnium de ſe & obtrectationes & contumelias, humanæ ſalutis ſacramenta peragebat, & ſalutem à deo homini quẽ aſſumpſerat deprecatur. Id enim ſequitur: Ego uero orationem meam ad te domine tempus beneplaciti deus. In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, in ueritate ſalutis tuę. Eripe me de luto ut non hæream, & de profundo aquarũ. Non me demergat tempeſtas aquę, neq; abſorbeat me profundum, neq; contineat puteus ſuper me os ſuum.) Cæteris in contumelias & opprobria eius intentis, ipſe oratione ſua totus ad deum eſt, ſuſceptas quidem infirmitates noſtras in ſe habens, ſed in his quibus afficitur cœleſtis erga nos miſericordiæ munus exequitur. Neq; inuitus hæc ſumens in multitudine miſericordiæ, beneplacitum deo eſſe tempus oſtendit. In hoc ergo beneplacito tempore rogat, quia nõ ignorat hanc patris de ſe prophetiam etiam ab Apoſtolo Paulo recognitam: Tempore accepto exaudiuit te. Omnia quidem deo pro magnificentia operũ intelligenda ſunt, placere quæ geſta ſunt, & cum in Geneſi ſcribitur: Et uidit deus quia bona ſunt, uitium nullum in rerum relinquitur creaturis. Tametſi quędam humani ingenij corrupta nequitijs ſunt, ut ex remedijs uenena, ut ex ferro enſis, ut ex igni conflagratio, ut ex cibis cruditas, ut ebrietas ex uino, ut poſtremo partes ipſæ & membra corporum ad naturalis utiq; uſus utilesq; formatæ, uitiorum ſe ac criminũ miniſteria præbuerunt. Et cum deo cuncta ſint placita, beneplacitum tamen tempus hoc eſt, quo unigenitus deus in ſanguine corporis noſtri, tanquam inimica ac diſſidentia reconciliaturus omnia in cœlis & in terra deo eſſet: cum multiformis illa dei ſapiẽtia aliis occulta temporibus, nullisq; principibus ac magiſtratibus ſeculi cognita, ad laudem claritatis dei eſſet reuelan

da:cum cohæredes & cõcorporales & compartícipes Chriſto gentes fierent:cum in eo omnes aduerſæ deo uirtutes dehoneſtarentur: cum mors poſtquàm in deo eſſet graſſata deſineret:cum lex peccati,quæ in carne noſtra eſt tolleretur: cum revelationem filiorum dei congemiſcens omnis creatura ſperaret: cum in paſſione unigeniti dei omniũ ante conſtitutionem mundi cauſarum & originum conſummaretur effectus:principem ſeculi iudicando,hominem ex peccati lege redimendo:creaturis à corruptionis uanitate cui ſeruierant liberandis: nequitijs ſpiritalibus domini morte damnandis:deo in omnibus & per omnes æternitatis munere immortalitatis noſtræ claritate laudando. Omnia autem hæc uirtus reſurrectionis impleuit, & per primitias ex mortuis ab hominum genere morte depulſa, in autores mortis æternæ mortis pœna decreta eſt. In ſe enim ipſo principatus & poteſtates dehoneſtatas cum fiducia triumphauit. Et ideo poſt beneplaciti temporis ſignificationem omnis tribuendæ ueræ ſalutis oratio eſt, ut ea ipſa ſalutis ueritas intelligeretur,quæ ex reſurrectione ſperatur. Dehinc qui infixus eſſet in limo profundi,ut luto non inhæret rogaret,ſecundũ illud: Quoniam non derelinques animam meam in inferno,nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem. Qui enim de terra eſt, & in terram ex qua acceptus eſt reuertetur, luto & limo quo infixus eſt inhærebit,naturæ ſuæ,id eſt,corporis origine diſſolutus. Liberari ſe etiam ex odientibus ſe deprecatur, & de profundo aquarum, quia uſq; ad animam ſuam, id eſt,uſq; ad paſſionem inſectantium odia proruperant. Veniens quoq; in altitudinem maris ac tempeſtate demerſus,nunc ne demergatur orat, ut ſuperius aſſumptæ infirmitatis noſtræ profeſſio ſit, cum ſe demerſum eſſe profitetur: nunc uero conſciæ ſuæ ſalutis fiducia eſt, cum ne ſe aquæ tempeſtas demergat precatur. Nam eiuſdem naturę non eſt,& demerſam iam eſſe,& ne demergatur orare, ſed eius quæ per corpus licet merſa,non tamen ſit detinenda per ſpiritum. Et ideo nunc ne abſorbeatur profundo, néue ſuper ſe puteus os ſuum claudat, precatur. In puteo enim infernæ mortis ſedem ſignificari & pſalmus alius teſtis eſt,cum dicitur: Tu uero domine deduces eos in puteum interitus: demerſum hoc profundumq; puteorum in inferna terræ ſignificari demonſtrans. Ne contineat ergo ſuper eum puteus os ſuum poſtulat. Impoſſibile enim eſt deum uitæ, portis inferni detineri. Ac ne in eo quòd mortem noſtræ infirmitatis aſſumpſit ſecundũ humanam neceſſitatem aliquid ei ex mortis acerbitate hęreret,ideo ſubiecit: Exaudi me domine,quoniam ſuauis eſt mihi miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ conſpice in me.) Hoc enim in multitudine miſericordiæ bene placitum eſt tempus, cum in ſe uniuerſorum hominum uitam deus miſerans, ut miſerator deus uitã eſſet largiturus ex mortuis, ſed qui ſuauem hanc ſibi eſſe dei miſericordiam teſtabatur, ſuſceptæ tamen infirmitatis noſtræ ſolicitudinem non relaxat,dicens: Ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor, uelociter exaudi me. Intende animæ meæ,& libera eam,propter inimicos meos eripe me.) Omnia ut homo patitur & loquitur. Nam ex ſuſceptiõe carnis & puer eſt, ſecundum illud: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo cõplacuit animæ meæ. Et citum auxilium tribulationi ſuæ orat,& intendi in animam ſuam rogat,ut per id quod in eam intendit deus digna ſit liberari. Et hæc quidẽ, ut homo noſter obediens uſq; ad mortem crucis precatur. Sed cum eripi ſe propter inimicos ſuos rogat,conſuetudinẽ humanæ & ſpei & moris excedit. Nemo enim ſaluus alia magis quàm ſalutis ſuæ cauſa uult eſſe, & à malis quis eripi ſe obid neceſſe eſt,ne malis afficiatur optabit. At uero nunc eripi ſe non ſua cauſa, ſed propter inimicos ſuos,ex his quibus afficitur depoſcit, quia hi inimici dehoneſtandi in ſe patiente,& triumphandi cum fiducia in ſe ex mortuis reſurgẽte mox eſſent.

Denicq

Denicꝙ nihil ſe ſua cauſa agere ac pati conſequentibus docet, dicens: Tu enim ſcis improperium meum & confuſionem & uerecundiã meam. In conſpectu tuo ſunt omnes tribulantes me. Improperium expectauit cor meũ & miſeriam.) Superior nõ diſpar profeſſio eſt, cum dicit: Deus tu ſcis inſipientiã meam, & delicta mea à te non ſunt abſconſa. Contra humanæ enim opinionis errorem, ſoli deo aſſumpta magis hæc ab eo infirmitas, & naturalis eſſe erat nota. Et quia propter inimicos ſuos hæc perpetienda ſibi fuerant, per quæ humanæ ſaluti atcꝙ æternitati conſulebat, huius beneplaciti temporis teſtatur affectum, dicens: Improperiũ expectauit cor meum & miſeriam, deſideratas ſibi eſſe huius temporis ſignificans paſſiones, ſecundum illud diuinæ cõmunionis ſacramentũ: Deſiderio cupiui hoc manducare, quia in his paſſionis ſuę deſideriis beneplaciti temporis cõſiſtebat effectus. Sed pati ad profectũ noſtræ ſalutis expectans, alterius quoꝙ expectationis deſiderio detentus eſt. Sequitur enim: Et ſuſtinui cõmœrentem, & nõ fuit, & cõſolantem, & non inueni.) Commœrentis & cõſolantis non ſolatium, ſed fidem quærit, ut ſi quis ueniens ex lege, & harum omnium paſſionum intelligens, prophetiam ſecum, tancꝙ in cõſummatione ipſius legis adſiſteret, ut poſtea Paulus adimplens paſſiones Ieſu Chriſti, & cõſepultus in baptiſmo, Chriſtum finem eſſe ſcit legis. Nam ad cõſummationem humanarum paſſionũ propheticorumcꝙ dictorum, qui geſtorum futurus finis erat, idem eſt & querelarum. Id enim ſequitur: Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.) Hæc enim ita ut ſcripta leguntur, expleta ſunt. Nam & fel ingeſtum ei, & aceto potatum euangelia teſtantur. Oblatum quidem ſecundum Matthæũ fel renuens: ſed ſecundum Ioannem, ut acetum potaret ſitiuit. Locus autem ipſe his uerbis eſt dictus: Poſt hæc Ieſus ſciens, quoniam omnia cõſummata ſunt, ut impleretur ſcriptura, ait: Sitio. & erat concha poſita aceto plena. Spongiam igitur plenam aceto hyſopo admiſcentes, obtulerũt ori eius. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum dixit: Conſummatum eſt. Venerat ad oues perditas domus Iſrael, & expectans conſolantem commœrentemcꝙ nõ habuit, non quòd cõſolatione eguit uolens pati atcꝙ mori, ſed qui ſecum ſuper totius populi impietate mœreret, & qui ſeipſum ipſa mœrentis ſecum ſalute cõſolaretur, ut omnibus tanto ſcelere perfunctis ſolatium in his ſaltem qui ſalui fierent acciperet, ſecundum illud: Et infernis ſuis cõſolabitur, quia non credente Iſrael gentes in eum eſſent crediturę. Verum prophetice non ſitiſſe ſcribitur, ſed ut implerentur omnia, ſitiſſe ſe dixit, quia cunctæ noſtræ quæ in eo fuerunt infirmitates, nõ naturales ſunt ſed aſſumptæ. Dehinc ut ſatisfeciſſe ſcripturæ propheticæ noſceretur, potato aceto omnia cõſummata eſſe teſtatus eſt, ut plenitudo legis & prophetarum, qui legem & prophetas cõſummabat, exiſteret. Iam uero quia intra cõſummationem oblati fellis & potandi aceti conſummãda quoꝙ erat paſſionis totius prophetia, ad ea quæ poſtea impietatẽ tanti facinoris conſecuta ſunt ſermo ſe retulit, dicens: Fiat menſa eorũ coram ipſis in laqueum, & in captionem, & in retributionem, & in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorum ne uideãt, & dorſum eorum perpetuo incurua.) Eſſe menſam ſacrificiorum, ut de lege quæ in ſe futuri eſt ſpeciem complexa taceamus, Apoſtolus teſtatus eſt, dicens: Non poteſtis menſæ domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. Sed eſſe menſam ſcientiæ, cum nonnullis locis cognitum ſit, tum etiam in his ipſis dictis id intelligi oportere, idem beatus Apoſtolus ad Romanos ſcribens interpres eſt, cum eos obcæcatos eſſe ne quid intelligerent teſtatur. Hæc ergo menſa unde cibus uitæ ſpiritalis accipitur, coram ipſis in laqueum, & in captionem, & in retributionem, & in ſcandalum facta eſt: cum uel præſcripta legis, uel prophetarum uoces ab eccleſiæ uiris ad reuelationem diuini conſilij tractantur:

Quõ non naturalis, qui naturam aſſumpſit

cum ad assumendæ carnis fidem unigenitus deus in hominis specie, & ab Abraham adoratur,& cum Iacob colluctatus ostēditur: cum ex Iuda princeps ueniens
πατριαί idem expectatio gentium nunciatur:cum in Abraham semine omnes patriæ gentium benedicendæ sunt: cum ex Dauid utero æterni regni dominus prædicatur: cum secundum Esaiam, dominus tanquam ouis ad occisionem ductus, nec maxillas ab alapis, nec faciem auertit à sputis:cum secundum Hieremiam, hic deus noster est, qui disciplinis omnibus Israel dilecto suo traditis postea in terris uisus sit,& inter homines conuersatus sit: cum denicq; de aduentu eius omniū prophetarum dicta conueniunt.Hęc itaq; doctrinę mensa uel hic uitalis cibi sermo & laqueus,& captio,& retributio, & scandalum est, cum à nobis deus Iacob esse qui ab his sit crucifixus ostenditur.Hæc enim est retributio tantæ impietatis, ut quod nobis est dei uirtus,his scandalum sit.Nam cum illaqueati captiq; sint scriptis,intelligentiæ tamen carent sensu, & ideo obscurati sunt oculis ne uideant, idest,ne lumen intelligentiæ contuerentur,quia,secundum euangelium,Omni habēti dabitur,qui autem non habet,etiam quod habet, auferetur ab eo. Indigni uidelicet, qui intelligentiæ sensum ac lumen acceperant,& ideo euangelicæ libertatis scientiam non adepti,perpetuo adhuc legis onere deprimuntur,ut ferant quod sustinere non possunt.Id enim in incuruando dorso per corporaliū operū speciem significatur.Sed hanc eorum obcæcati cordis insciti am alia etiam debitæ ultionis pœna consequitur: Effunde super eos iram tuam,& animatio iræ tuæ comprehendat eos.Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum nō sit qui inhabitet.) In ira dei pœnæ cōstitutionem, non motum animi ad ultionis uoluntatem exardescentis significari sæpe tractauimus, quam non subito puniturus intenderet,sed in quam pœnam dignus incideret. Mansit autem hæc a prophetis omnibus huic genti impiæ denunciata damnatio. Nam euersa mox ac diruta ciuitate deleti sunt,glorioſissimo illo templi cultu deleto ornatuq; detracto. Et ideo habitatione deserta in tabernaculo eorum nullus habitabit. Verum adhuc secundū impietatis incrementa prophetia quoq; pœnæ & ultionis extenditur: Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt,& super dolorem uulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, & nō intrent in iustitiam tuam.Deleantur de libro uiuentium,& cum iustis non scribantur.) Causam apponendæ iniquitatis super iniquitatem ipsorum,& repellendi eos ne in iustitiam intrarent,& delendis de uiuentium libro nō scribendisq;, cum iustis eam esse demonstrans,quod quem deus percusserit,hi persecuti sunt, & super dolorem uulnerum suorum addiderint quod doleret. Et forte nō iniuste quem deus percusserit,persecuti esse uideantur.Ac de his quæ percussa à deo sint, quid sentiri oporteat ante tractandum est,ut quatenus & hæc percussio salutaris,& illa percussio impia sit,possit intelligi.Percussit dominus Sodomam & Gomorram ultimis sceleribus pollutas & abominatas: & inuenio his ad misericordiæ recōciliationem,id quod percussæ sunt profeciſſe,cum tolerabilius his in die iudicij sit futurū, quàm his ciuitatibus,in quibus de apostolorum pedibus puluis excussus sit. Percussam quoq; synagogam Dathan & Abiron plaga dignissima cognitum est, sed in animis eorum ea,quibus maxime peccauerant sanctificata sint opera. Et ne per singula quæ sunt multa discurram,cum & Apostolus in interitum carnis ad salutem spiritus tradat,dominus ipse quid percutiens proficiat,ostēdit dicens: Videte uidete quoniam ego sum,& nō est deus præter me.Et ego interimam, & ego uiuificabo:percutiam & ego sanabo, ut percutiendi causam proficiſci ex causa sanationis ostenderet. Percussus ergo est dominus, peccata nostra suscipiens, & pro nobis dolens,ut in eo usq; ad infirmitatem crucis mortisq; percusso sanitas nobis

per

per resurrectionem ex mortuis redderetur. Percussum autem se, ipse testatus est, commonefaciens discipulos dicti huius: Percutiam pastorem, & dispergent̃ oues gregis. Sed & Apostolus dicti huius significationem haud dissimiliter cõfirmat, dicens: Qui filio suo dilecto nõ pepercit. Non pepercit itaq; dilecto filio suo, quẽ & colonis uineæ non ignarus quòd occisuri eum essent, destinauit. Non peperce rat autem primo illi de terrę limo Adę, quem de paradiso post culpam, ne lignum uitæ attingens in ęternitatem pœnæ maneret, eiecit, ut naturam corporis eius A/ dam è cœlis secũdus assumens, pariq; morte percussus, eam rursus in uitam æter/ nam iam sine pœnæ æternitate reuocaret. Hunc igitur ita à deo percussum perse/ cuti sunt, super dolorem uulnerum dolorem persecutionis huius addẽtes. Pro no bis enim secundum prophetam dolet, & idcirco esse in doloribus ęstimandus est. Quod enim postea nominis sui odium susceperint, quatenus silentiũ resurrectio/ nis pecunia emerint, quibus Apostolos terroribus iniurijsq; uexauerint, cognitũ est. Et quia hæc super dolorem uulnerum addiderunt, apponetur super iniquita/ tem iniquitas. Appositæ autem iniquitatis pœna est, ne intrent in iustitiam dei, id est, ne concorporales & comparticipes Christo fiant, qui nobis secundum Apo/ stolum iustitiæ sanctificatio, & redemptio à deo factus est. Excluſi uero à iustitiæ ingressu necesse est à libro uiuentium deleantur. Scripti enim erant in Abrahę be nedictionibus, cuius semen sicut stellæ cœli, & sicut arena ad oram littoris abũ/ daret. A quo libro cum omnem populum deleri Moses metueret, se primum dele ri deprecatus est, optans, ut opinor, secundum Apostolũ anathema pro fratribus suis esse. Et quia super dolorem uulnerum dolorem persecutionis addentes rur/ sum pœnitentiæ locum perdiderunt, deleti de uiuentium libro, ne postea quidem scribi cum iustis meruerunt, ut intelligi possit alius uiuentium, alius liber esse iu/ storum. Nec ambiguum est eos in uiuentium libro esse, qui antea sine ulla Chri/ sti cognitione pie in lege uersati omnia præscripta legis impleuerint, de quibus se cundum legem apostolus Paulus ita docuit: Quia qui fecerit ea uiuet in illis. Scri buntur autem in libro iustorum, quibus iustitia Christus est factus. Iustus enim ex fide uiuit. Quo de libro ad Apostolos dominus ita loquitur, dicens: Gaudete & exultate, quia nomina uestra scripta sunt in cœlo. Et idcirco duplex significan/ tia delendorum de libro uiuentium, & non scribendorum in libro iustorum fuit, quia post librum uiuentium liber esset reliquus iustorum. Apostolis autem hinc magnæ gratulationis causa suggeritur, quia plus sit in libro scriptos esse iustorũ, quàm de uiuentium libro non esse deletos. Tenet autem in se eum confessionis modum, quem in nobis esse oportet fidei, ut in eo tam natura hominis, quàm na/ tura dei cognita sit. In forma enim serui ueniens, euacuauit se à dei forma. Nam in forma hominis existere, manens in dei forma potuit: aboleri autem dei forma, ut tantum serui esset forma, non potuit. Ipse enim est & se ex forma dei inaniens, & formam hominis assumens, quia neq; euacuatio illa ex dei forma naturæ cœ/ lestis interitus est, neq; formæ seruilis assumptio, tanquam geminæ originis con/ ditionisq; natura est: cum id quod assumptum est, non proprietas interior sit, sed exterior accessio, quod ipsum cõsequẽtibus docet, dicens: Pauper & dolens sum ego, & salus uultus tui deus suscepit me. Pauper est, qui secundum Apostolum cum esset omniũ dives, seipsum ut nos ditesceremus paupertauit: dolens est, qui secundum prophetam pro nobis dolet. Sed hunc pauperem ac dolentem salus ea quæ uultus dei est, suscepit. Forma & uultus & facies & imago non differunt. Id/ ipsum enim in utroq; horum significari communis est sensus. Hinc igitur paupe/ rem in salutem uultus dei, qui forma dei est, suscepit, id est, assumptum hominem unigenitus deus, qui imago inuisibilis dei est in æternitatis suæ uita, quæ in deo

ſalus eſſe intelligitur,collocauit. Omnis enim lingua confitebitur, quia dominus Ieſus in gloria dei patris eſt,id eſt,ſuſceptus homo in naturã diuinitatis acceptus. Eſſe autem in eo finem legis,& ſacrificium laudis euangelica confeſſio eſt, ita ut hoſtiarum ſanguine ex oblatione ceſſante ſacrificium gratiæ laudiſq; prælatum ſit. Hoc enim iſto paupere & dolente in ſalutem uultus dei formæ quæ ſuſcepta cõtinuatur.& ſequitur: Laudabo nomen dei cum cantico,& magnificabo eum in laude.Et placebit deo ſuper uitulum nouellum cornua producentem & ungulas.) Hęc itaq; laudatio nominis dei, laudiſq; ipſius magnificatio ſuper uitulum nouellum placebit. Talis enim ante in lege pro peccato offerebatur,cuius ętatem per terrena ungularum & cornuum incrementa ſignificat. Placebit ergo ſuper uitulum peccati honor laudis,ſecundum illud:Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter in quo oſtendam illi ſalutare dei. Iter igitur oſtendendi ſalutaris dei in laudis ſacrificio,& ipſum in conſequentibus pſalmus oſtendit. Nam poſt placitu ram magnificentiam laudis ſuper uitulum nouellum, ſubiecit: Videant pauperes & lætentur,& quærite deum,& uiuet anima ueſtra. Quoniam exaudiuit pauperem dominus,& uinctos ſuos non deſpexit.) Hoc ſcilicet tempus lætentur uidentes,cuius ſacrificium in laude ſit,quia illic oſtendetur ſalutare dei. Et ideo deus ab his ad uitã animæ quæreť. Carnis enim & corporis timeri iudicem uetuit, quia animam in gehennam mittere ſolus potens ſit deus. Quærẽdi autem dei ad uitam animæ ea cauſa eſt,quia exaudiuit deus pauperem,eum ſcilicet qui ſe pauperauit, ut nos diteſceremus, quem in ſalutem uultus ſui ſuſcepit, in quo nobis peccata donauit,nõ ſpernens uinctos ſuos,ſiue qui uincti ſunt Chriſti, ut Paulus in uinculis gloriatur,ſiue quos ſatanas peccatis uinctos ut armatus & præpotens obtinebat,ſecundum illud:Dirupiſti uincula mea,tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Lætentur ergo in his quæ uident pauperes,quia ſcriptum eſt:Beati pauperes ſpiritu,quia ipſorum eſt regnum cœlorum. Et quia his qui pauperes ſpiritu ſunt in cœlorum regno conſtitutis,creatura omnis congemiſcens & dolens in gloria filiorum dei liberanda eſt,uanitati non ſua ſponte ſubiecta, nunc quoq; ob lætantes pauperes uitamq; quærentes,exauditumq; pauperem uinctosq; non ſpretos ipſa illa ad laudem dei expectãs reuelationem gloriæ, pauperum creatura aduocatur.

Laudent eum cœli & terra,mare,& omnia repentia in eo.) Sub horũ elementorum commemoratione creaturarum omnium liberandarũ ſenſum mentemq; ſignificans,ut dum cœlũ & terra & mare dicitur,cognoſcãtur domino Ieſu Chriſto cœleſtia & terreſtria & inferna genu flectere. In his enim quę in mari repunt, cum tamen in aquatilibus natatus magis ſit ex natura quàm reptio, ea quæ in inferis degunt docentur,cum profundũ maris ſedem intelligamus inferni. Cauſam autem adhuc cur cœlum & terra & mare deum laudent,oſtendit dicens: Quoniam dominus ſaluificauit Sion,& ædificabuntur ciuitates Iudę,& inhabitabunt in ea,& hæreditabunt terram. Et ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam, & qui diligunt nomen eius inhabitabunt eam.) Laus uniuerſa ex rerum admirabilitate proficiſcitur. Tum enim aliquid laude dignum uidetur, cum opus ipſum ita magnificum atq; præclarum eſt,ut & prudentiam ac uirtutem gerentis & geſtorum decus uſumq; contineat. Quòd itaq; ſenſum atq; opinionem ingenij communis excellat, id per admirationẽ ſui meretur ad laudem. Cœlum ergo quod tanto ornatu diſtinctum impletumq; eſt,tantosq; motus atq; curſus incredibili conſtantia ac uarietate conſeruat,ut annum inter hyemem caloremq; æſtatis temperatis autumni & ueris temporibus moderetur & finiat, terra autem quæ ſupernis inumbrata naturis, uel complexa in ſeſe, uel ſuſcepta ſinu ſemina & contineat & alat, & fœcundet ſecundũ uniuſcuiuſq; generis naturã, uſu ac maturitate conſolidet,

mare

mare autem quod uitæ noſtræ modo, nunc hauſto ſpiritu, nunc refuſo animetur & maneat, motuq; in tanta ſui uarietate rationibus te lunaris incremẽti detrimẽtiq; moderetur, & profunda infinitaq; ſui obice mentem humanæ opinionis excedat, ut neq; quid extra, neq; quid intra ſit ſenſu perſequente capiamus, in his tamen tantis tamq; admirabilibus rerum naturarumq; uirtutibus in deo, hoc quod Sion ſalua ſit, ciuitatesq; Iudæ ędificandæ ſint, cœli, terra, maria laudabũt, humana utiq; opera & caduca, & ipſo tempore ac uetuſtate ſoluenda. Quòd ſi extructas eas eſſe ut ſint, laude ſit dignum, nónne magis cõſeruatas eas eſſe ne deſtruerentur proficeret ad laudem? Non ergo hæ maximæ utiq; præſtantiſſimæq; rerum omnium, uel magis quibus uniuerſæ res contineantur alanturq; naturæ maris, terræ & cœli ad inanium pœnæ ac leuium operum laudem aduocãtur, id eſt, quia Sion ſaluificata ſit, extructæq; Iudææ ciuitates, quas poſt Babyloniorũ Antiochiq; uictoriã bellum quoq; Romani regis abſumeret. Dehinc ipſam hanc inopem impiamq; ſententiã, rei quoq; communis ſcientia & ratio cõdemnat. Nam ob id ædificari ciuitates Iudææ propheticus ſermo declarat, ut in ea quæ ſalua facta ſit Sion inhabitet. Et quid hic ſecundum humanas extructiones ciuitatumq; fabricas intelligẽtiæ loci eſt? cum neq; in ædificandis his laus ulla ſit, quæ ſint poſtea deſtruendæ, neq; ratio & natura patiatur ædificari ob id ciuitates, ut inhabitent ciuitatem. Eſt autem digna planè deo laus cœli & terræ ac maris confeſſione tribuenda, quòd illa filia Sion quæ inuecta in Hieruſalem tanto præeuntium ſequentiumq; comitatu ſalua per deum ſit, in quam angeli concupiſcunt, in quam creatura omnis gemens dolensq; proſpectat, in qua æternitatis noſtræ gloriã laudemq; ſpeculamur, in qua ædificatæ eccleſiarum ciuitates manebunt. Sion enim licet colliculus templo quod in Hieruſalem fuit iunctus ſit, tamen ſecundum interpretationem ex Hebræo in Latinum Græcumq; ſermonem ſpeculatio dicitur. In hoc ergo corpore domini, quod reſurrexit ex mortuis, quod à dextris uirtutis cõſedit, quod in gloria dei patris eſt, ſpem noſtram uitamq; ſpeculamur. Et quia reuelationem noſtræ in eo claritatis & ipſa in eandem liberãda creatura omnis expectat, ſalutem huius Sion ſub ſignificatione cœli & terræ & maris laudat, quia omnia in cœlis & in terra pacificata & reconciliata per eam deo ſint, quia in reſurrectionis gloriam, cuius ſpem in ipſo ex mortuis reſurgente ſpeculamur, peccatũ, mors, corruptio à uita & immortalitate deuorata ſint & exhauſta. Nam ſi ſuper unius peccatoris pœnitentia magnum in cœlis gaudium eſt angelorum, quanto magis in totius mundi reconciliatione lætitia ſit? Et quia in finem pro his qui immutabuntur eſt pſalmus, Iudææ etiam ciuitates, ut in Sion inhabitẽt, ædificandæ eſſe laudantur. Et ciuitates ipſas conuentus hominum eſſe quis dubitet? eccleſias uero ex conuentu plebium effici notum eſt. In hac ergo Sion, quæ illam in ſe etiam primitiuorum conſcriptorum in cœlis, complexaq; ſit ciuitatem, habitatio noſtra perficitur, qui ut ſemen Abrahæ, ita & ſemen Iudæ manemus. Non enim qui in carne Iudæus, ſed qui in ſpiritu. Ob quod in his noſtris conuentibus ciuitates quoq; Iudæ ſumus. Ac ne ſibi Iſrael impius ciuitatũ Iudææ gloriam eo quòd ſecundum carnem ſeruorum dei ſemen eſt uendicaret, eorum hæreditatem, eorum habitationem in Sion eſſe demonſtrat, qui nomen domini diligant, ut pietatis magis ſit, non generis electio, quia præſtet omnibus charitas dei, quæ in Chriſto eſt: & Petrum nihil aliud quàm utrum ſe amaret interrogat dominus noſter Ieſus Chriſtus dei filius, qui eſt benedictus in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

In finem psalmus Dauid in rememoratione, eo quòd saluum me fecit dominus. PSALMVS LXIX



Omine deus in adiutorium meũ intende, domine ad adiuuandum me festina. Confundãtur & reuereantur qui quærũt animã meam. Auertantur retrorsum & erubescãt, qui cogitãt mihi mala. Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge euge. Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant semper magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum. Ego uero egenus & pauper sum, deus adiuua me. Adiutor meus & liberator meus esto domine, ne tardaueris.



Lius hic in rememoratione psalmus est: nam trigesimoseptimo eadem inscriptio est. Ex ipsa autem uerbi huius significatione usuq; communi quòd in rememoratione præscribi intelligendũ sit, edocemur. Nam rememorationis precatio ei competit, qui se incidere in obliuionẽ eius à quo uel auxiliũ uel ueniam expectat pertimescit, & aut sui ad salutem commemorationem fieri desiderat, aut eorum ad pœnam, qui sibi semper infesti sunt. Et quidem in anteriori superscriptionis ipsius psalmo de uenia & salute tractatũ est, qui totus ex persona dolentis domini pro nobis portantisq; peccata nostra constitit. In hoc uero necessitas poscẽdæ ueniæ nõ relicta est, quia iam superior & contiguus huic psalmus saluificatæ Sion, ędificatarumq; ciuitatum Iudęæ laude concluſus est. Sed in eo rememoratio in impios ultionis est, & retributionis in sanctos. Et quia nõ illi Dauid, sed in illũ Dauid psalmus in finem est secundũ æditam in anterioribus ex nominis proprietate rationem, ex persona domini tractabitur, ut ipso psalmi fine noscetur: Domine deus in adiutoriũ meum intende.) Piæ confessionis hæc uox est, adiutorium à domino & deo sperare, sed plus hic quàm in deprecationibus sperandi auxilij solet esse, sermo significat. Videri enim id potest, ut qui in adiutorium positus sit super potentem, nunc in adiutorium in quod positus est, ut intendatur orare. Et quis hic sit nõ ambigitur ex psalmo, in quo inest scriptum: Posui adiutorium meum super potentem, & exaltaui electũ de plebe mea, inueni Dauid seruũ meum. Et ne aliquid in illum Dauid lesse referri posset, adiecit: Et ego primogenitum ponam eum, excelsum super reges terræ. Ne quod primogenitus est, ad primitias indulti ei à deo regni trahi posset, id quod soli domino Iesu Christo proprium esset ostendit dicens: Et sedes eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta manet in æternũ, & testis in cœlo fidelis. Nunc ergo qui aduersum potentem positus sit adiutor, & qui intendi in adiutorium ium precatur, pœnam in eos qui sibi aduersantur expostulat, dicens: Confundantur & reuereantur qui quærunt animam meam. Auertantur retrorsum & erubescant, qui cogitant mihi mala. Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge euge.) Ex uerbis loquelæ sermonis nostri diuinus sermo pendẽdus est. Pudor & confusio ex dedecore est, auersio ex repulsa est. Reditus uero in noua loca magis q̃ in ea unde digressio est. Qui quærũt animam sancti huius, qui in adiutorium suum orauit dominum cõfundentur, post etiam auertentur nõ in alia, sed in eadem. Et idem est dictorum ordo qui & rerum. Confundẽtur iusti animam quærendo, quem cum peremerint, scient quoniam deus uitæ & resurrectionis est dominus. Ac deinde auertẽtur, ne occurrãt cum sanctis obuiã Christo in nubibus rapti. Postremo auersi nõ ibunt in aliena loca. Surgẽtes enim impij ex mortuis, rursum detrudentur in infima terræ unde emerserãt. Nam, ut Apostolus ait: Omnis quidẽ caro resurget, sed nõ omnis demutabitur. Resurget autẽ, quia in carne siue bona siue mala egerint recipere constitutũ est. Ergo & quærentes animã iusti, &

euge

euge euge dicentes, & cõfundentur & reuertentur in reſurrectione, cõfundentur inquã ad iudicium reuocari. Euge euge autẽ iuſto dixiſſe conſtat, qui dixerunt: Saluos fecit alios, ſe ipſe ſaluare nõ poteſt. Sed poſt hanc malorũ pœnam, quia rememorationis erat pſalmus, pro ſanctorũ quoq; fuit ſpebus orandum. Sequitur enim: Exultent & lætẽtur in te omnes qui quęrũt te & dicãt ſemper, magnificetur deus, qui diligunt ſalutare tuum.) Vt confuſio & reuerẽtia iuſti animã quærentibus, ita exultatio & lætitia quærentibus deum, quia ſecundũ prophetam reſurgent alij in cõfuſionem, alij in lætitiam. Et ut retrorſum erubeſcentes auertentur, qui mala cogitãt, qui dicunt euge euge, ita qui ſalutare dei diligũt, ad cõfeſſionem magnificentiæ dei proficiunt, ut ex gratia indultæ ſibi à deo exultationis, laudis confeſſio augeatur. Non enim aliquo deus qui idem atq; æternus eſt indiget, aut quicquam in rerum naturis & mentiũ opinionibus eſt quod expectet. Quod enim incremento demutabile eſt, id detrimento ſæpe mutatur. Deus autem qui idem origo & cauſa gignẽtibus eſt, ad æternæ beatitudinis naturam ſibi ipſe ſufficiens, nihil extra uel ultra quod ſibi deſit, ne aliunde expetat, dereliquit. Magnificatur autem per beneficiorum ſuorum incrementa nobiſcum, cum magnificentia eius & commodorum noſtrorum ſenſu ac iocũditate & referendæ gratiæ, laude cumulatur. Ergo quotieſcunq; magnificatur dominus, toties aut optandi nobis à deo muneris uota ſunt, aut ſumpti perceptiq; confeſſio eſt, magnificentiæ eius laude nobiſcum per commodorum noſtrorum incrementa naſcente. Oportuit autem pſalmum qui rememorationis in finem eſt, digno rememorationis fine concludi. Sequitur enim: Ego autẽ egenus & pauper ſum, deus adiuua me. Adiutor meus & liberator meus es tu domine, ne tardaueris.) Neq; regis dignitati neque regni, ſummæ paupertatis atq; inopiæ profeſſio congruit, ſed eius uox eſt, qui ut nos diteſceremus pauperem ſe præſtitit, cui ne ad ſupremam quidem cœnam, niſi quæſita & aliena domus fuerit. Auxilium pro nobis itaq; rogat. In forma enim ſerui, obediens uſq; ad mortem factus eſt. Citum quoq; auxilium ut liberetur orat, in quo nullius morationis tarditas ſit, qui & ipſas paſſionis moras non ferens, proditori dixerit: Fac quod facis cito, memorari in ſe ſuſceptæ carnis infirmitatem, ut liberetur paterni numinis uirtute feſtinat.

PSALMVS CXVIII ℵ Aleph

Beati immaculati in uia qui ambulãt &c. Vſq; ibi: derelinquas uſquaque.) Qui ad doctrinam rationalis & perfectæ prudentiæ prę parantur, ab ipſis ſtatim literarum elementis docendi ſunt, ut perfectam ueramq; rationem tanq; ab exordio primæ inſtitutionis conſequantur. Sciens iſtud ſanctus Paulus apoſtolus eam ſolã ueram atq; utilis doctrinæ eſſe prudentiã, quæ ab ætatis initijs atq; ab infantiæ ipſius inchoaretur exordijs, hæc ad Timotheum inter magna atq; præclara fidei ſtudijſq; præconia, in ſecunda epiſtola ſcribit: Tu uero permane in his quæ didiciſti & credidiſti, & ſciens à quibus didiciſti, & quod ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere in ſalutem. Hoc propter præſentem pſalmum ita dictum ſit, in quo cum cognitio ueritatis ad eruditionẽ humanæ ignorantiæ eſſet ædenda per ipſa literarum atq; elementorum initia, doctrinæ ordo eſt diſtributus. Secundum enim Hebręorũ literas ſingulis octonis uerſibus ſingulæ literę pręferũtur. Eſt aũt omnis numerus uerſuũ in centum ſeptuaginta octo uerſibus. Nam cum ex uiginti duabus literis omnis Hebręus ſermo cõueniat, & octonos uerſus literę ſingulę explicent, numerus iſte uerſuũ octonis partibus multiplicatus expletur. Hanc igitur extitiſſe cauſam exiſtimo, ut per literas totius iſtius pſalmi ordo decurreret, ut ſicut paruuli & imperiti & ad legendũ imbuendi, hæc primum per quę ſibi uerba

contexta

contexta ſunt literarum elementa cognoſcerent, ita & humana ignoratio ad mo/
res,ad diſciplinam,ad cognitionem dei per hunc ſingularum literarum octonari/
um numerum ipſis ueluti infantulis doctrinę initijs erudiretur.arduũ enim & dif/
ficillimum eſt,hominem per ſe ipſum ui per ſeculiq; doctores rationem præcepto
rum cœleſtium cõſequi:nec naturæ noſtrę recipit infirmitas, diuinis inſtitutis ni/
ſi per eius gratiam,quæ hæc ipſi dederit,erudiri.Nanq; qui ſimpliciter ea quæ in/
ter manus ſibi inciderint legunt,exiſtimant nihil differentiæ in uerbis,nihil in no/
minibus,nihil in rebus exiſtere. Sed ſi iſtud cõmunis colloquij ſermo nõ patitur,
ut ſub diuerſis rerum nuncupationibus, niſi diuerſa ſignificata eſſe intelligãtur,
nunquid dei eloquia tam imperita & tam cõfuſa eſſe credimus, ut aut inopia uer
borum,quibus iterantur laboraverint,aut diſtinctionum genera neſcierint? Plu/
res enim cum audiunt legem, iuſtificationem, præcepta, teſtimonia,iudicia,quæ
omnia Moſes ſub diuerſa uniuſcuiuſq; generis uirtute diſpoſuit, unũ atq; idem
eſſe exiſtimant,ignorantes aliud legem,aliud iuſtificationem, aliud præceptum,
aliud teſtimonium,aliud eſſe iudicium,quæ multum à ſe differre & diſcrepare te
ſtis nobis eſt octauus decimus pſalmus, quo continetur proprietas uniuſcuiuſq;
& nuncupationis & generis.Lex enim immaculata conuertens animas,teſtimo/
nium domini fidele erudiens paruulos. Iuſtitiæ domini recte lætificantes corda,
præceptũ domini lucidum illuminans oculos. Timor domini ſanctus permanens
in ſeculũ ſeculi,iudicia domini uera iuſtificata in ſemetipſa. Sunt ergo diſtantiæ
in ſingulis quibusq; rebus: & prudentis atq; intelligentis uiri eſt, in quæ ſcripta
ſunt diſcernere,ubi lex,ubi præceptum,ubi teſtimoniũ,ubi iuſtificationes,ubi iu/
dicia conſtituta ſint,ne illa quæ ſermo propheticus mirabili uniuſcuiuſq; propri
etate diſtinxit,ea ignorãtiæ noſtræ infirmitas indocta imperitiæ opinione confun
dat.Itaq; per literas ſingulas hæc omnia maximus & ultra cæteros copioſiſſimus
pſalmus iſte diſcreuit,ut per hæc uerborum elementa credendi & uiuendi & eru/
diendi in domini doctrina ratio,diſtinctio doceretur.Plures autem arbitrãtur,ſim
plicitatem fidei ad abſolutam æternitatis ſpem poſſe ſufficere, tanq; innocentiæ,
ſecundum iudicium ſeculi,ſtudium doctrinæ cœleſtis nõ egeat inſtitutis.Et quia
aliter ſe res habet,idcirco nunc uiuendi in deo innocenter,& in innocentia religio
ſe manendi cognitio multa cum copia prophetici ſermonis expoſita eſt,quia diffi
cile eſt quenq; per ſemetipſum,id eſt,per ſeculi inſtituta,hanc innocentiæ religio
ſæ cognitionem ad uerum uſum uitæ piæ & innocentis adipiſci. Nouit etiam in/
firmam per ſe eſſe humanã naturam Apoſtolus ad hanc uiuẽdi ſcientiã capeſſen/
dam.Nam cum de chariſmatum & munerũ dei donis doceret, cum primum ſer/
monem ſapientiæ prætuliſſet,ſtatim ſermonem ſcientiæ ſubiecit.Hoc enim ſcien
tiæ,poſt ſapientiæ ſequens à deo donum dei eſt, quia uſus ſapientiæ in uſu ſcien/
tiæ perfectus eſt. Occurrit autẽ in præſenti pſalmo etiã ea nobis difficultas,quòd
cum duos tantũ pſalmos acceperimus per literas Hebræas cõſcriptos, id eſt,cen/
teſimum undecimum atq; duodecimũ,ita ut à prima uſq; uigeſimã ſecundam ſe/
cundum Hebræos literã uerſuum numerus cõueniret,uerſusq; ſinguli à ſingulo/
rum elementorũ initijs inchoarẽtur,in hoc nũc pſalmos octonos uerſus elementa
ſingula obtinerẽt. Sed cum omnia uiuẽdi,credendi & placendi deo præcepta con
Ogdoas tinerentur in pſalmo,in eo numero omnia literarũ initia cõtinentur, qui maxime
ſecundũ plenã & religioſam eiuſdem numeri uirtutẽ primus omniũ cõuenientiũ
in ſe undiq; partiũ æqualitate perfectus eſt.Primum etenim per duas in ſe partes
ex partibus coequalis,tum deinde per quatuor æque partes conuenit. Et uirtutes
pſalmorũ,q in hoc numero uel ſingulari uel multiplicato collocati ſunt,docẽt nu/
meri huius eſſe ſanctã & religioſam plenitudinẽ. Hic aũt numerus etiam in lege

ſanctus

ſanctus eſt. Iuſſum enim eſt ut qui natus eſſet, in octauo ſignũ circunciſionis acci peret. Hæc etiam in circunciſione domini ratio ſeruata eſt, & in hoc dierum nu/ mero cum ipſe circunciſione non egeret, oblatus in templo eſt, ut in corpore eius humanę carnis recideretur infirmitas. Hic etiã numerus omnia genera pecudum ut digna ſacrificijs habeantur, enunciat, octaua enim die iubentur offerri. Et in hoc numero diluuij diebus origo rurſum humanæ generationis elígitur. Cõſum/ matio igitur nunc doctrinæ & eruditionis noſtræ ſub perfecti huius numeri abſo lutione per ſingula elementa concluditur, antequam neq; mundi deo hoſtia fuit, neq; in generis familia quis ceſſante circũciſione ſuſceptus eſt, & ex quo rurſum iterandæ generationis cœpit exordiũ. Primæ igitur literæ hi uerſus ſunt: Beati *Aleph* immaculati in uia, qui ambulant in lege domini. Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum.) Dictorũ ordo non negligẽdus eſt, qui ſi non diligenter à nobis cognoſcitur, neq; diſpoſitæ quidem beatitudinis ordinẽ conſe/ quemur. Non enim primũ beati ſcrutantes teſtimonia, ſed primũ beati immacula ti in uia. Prius enim eſt cõfirmatis moribus, & in innocentiæ ſtudijs ex communi probitatis honeſtate compoſitis uiam ueritatis ingredi, ſequens deinde eſt ſcruta ri dei teſtimonia, & expurgato emundatoq; animo ad inueſtiganda adeſſe. Ordi/ nis autem huius & alius propheta nõ immemor eſt, dicens: Serite in iuſtitia uoſ/ metipſos, & metite uos in fructũ uitæ, & illuminate uos in lumine ſcientiæ. Non illuminatio primũ, ſed ſatio noſtra præceptũ eſt, & cum ante noſmetipſos, id eſt, uitæ noſtræ uſum in ſpem fructuũ ſeuerimus. Deinde cum quæ ſata ſunt meſſue/ rimus, tunc nos lumine ſcientiæ illuminemur. Tenendus igitur hic ordo eſt ſatio/ nis, meſſis & illuminationis. Plures enim noſtrũ illuminari ſe priuſq; ſerere ac me tere feſtinãt, cum ſatio atq; meſſis quædã cõſequendi luminis præparatio ſit. Pri/ ma igitur hæc beatitudo eſt, beatos eſſe qui immaculati in uia ſint. Sed nõ in uia fortuita & incerta & in erratica, ſed in uia in qua in lege domini ambulat. Plures enim utilem & neceſſariã uiam eſſe ſe ingreſſos exiſtimãt, ſed immaculati in uia non erunt, quia nõ in lege domini ambulãt. Sed uia hæc non ſolũ ineunda eſt, ſed etiam peragenda eſt. Nemo enim dum in uia eſt, id ad quod per uiam tendit obti nuit. Beatus Paulus ait: Non quod iam acceperim aut perfectus ſim, ſequor autẽ ſi apprehendam, in quo & apprehenſus ſum à Chriſto. Ergo adhuc ille pergebat, ea quæ retro ſunt obliuiſcens, in his aũt quæ in priora ſunt ſe extendens. Itaq; ui/ am hanc agens beatus eſt, qui cum obliuione pręteritorũ in futurorũ ſpem exten ditur. Et quæ uia ſit in qua unuſquiſq; ambulãs beatus ſit, dominus docet dicens: Ego ſum uia. Quiſquis igitur in præceptis eius inſtiterit, hic beatus eſt, dum uitia carnis coercet, dum animi petulantiã edomat, dum auaritiæ famem uincit, dum terrenorũ honorum gloriã euitat. Quiſquis ergo in his manſerit, hic eſt immacu/ latus in uia, & in lege domini ambulans. Adiectio autem ea qua dictũ eſt, in lege domini, nõ eſt ocioſa. Eſt enim et peccati lex de qua ait beatus Apoſtolus: Video aliam legẽ in mẽbris meis contramilitantẽ legi mentis meę, & captiuũ me ducen tem in legem peccati. Ergo quia & lex peccati eſſet, idcirco domini lex dicta eſt. Niſi enim & lex exterior, non cum adiectione proprietatis legem domini prophe ticus ſermo dixiſſet. Sequens deinde uerſus eſt primæ literæ: Beati qui ſcrutan tur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum.) In primo uerſu eſt: Qui am/ bulant in lege domini. in ſecundo: Qui ſcrutantur teſtimonia eius. In quarto, quia tertius ſupplementũ dedit, ſecundo de mandatis ait dicens: Tu mandaſti man/ data tua cuſtodiri nimis.) In quinto de iuſtificatione: Vtinam dirigãtur uię meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.) In ſexto rurſum de mandatorum effecti/ bus: Non confundar cum reſpicio in mandata tua. In ſeptimo de iudicijs: Con/

fitebor

fitebor in directione cordis in eo quod didici iudicia tua. In octauo de iuſtificatiõne iuſtificationes tuas domine cuſtodiam, non me derelinquas uſquequaq; nimis.) Si ergo aliud lex, aliud præceptum, aliud iudiciũ, aliud iuſtificatio, aliud teſtimonium, neceſſarium eſt ab eo qui hæc omnia conſtituit & condidit, intelligentiæ gratiam nos & munus orare. Totum autem hoc in ſe habet legis nuncupationem. Quid ergo eſt lex? umbra ſcilicet (ut Apoſtolus ait) futurorũ. Quod de cæteris ſcriptum nunquam eſt, ſui ut futurorũ umbra ſit, aut iuſtificatio, aut teſtimonia, aut mandata, ſed tantum legi id proprium eſt (ut Apoſtolus in pluribus docet) non ſecundum literæ intelligentiam legem eſſe tractandam, ſed ſecundũ ſpiritalem doctrinam futurorum in ea umbram eſſe noſcendam. Ait enim: Non obturabis os boui trituranti. Et adiecit: Nunquid pecudum deo cura eſt? An non propter nos dicta ſcriptaq; ſunt. Et rurſum: Legem legentes non audiſtis quòd Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, & unum ex libera? Sed qui ex ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autem ex libera, ſecundũ repromiſſionem: & quia lex futurorum umbra eſt, adiecit, quæ ſunt. Hæc enim ſunt duo teſtamenta. Ergo quæcunq; doctrinarum ſpiritalium umbra complexa eſt, hæc lex eſſe dicẽda eſt, quia lex & ſpiritalis & umbra eſt futurorum. Mandatũ autem domini eſt, in quo obſeruatio præceptorum & cuſtodia continetur, ut illud: Non occides, non mœchaberis, & cætera horum ſimilia. Et quia hæc ſimplicia & ſplendida ſunt, nosq; in uerum lumen per obſeruantiam ſui diligentia, idcirco ita dictum eſt: Præceptum domini lucidum, illuminãs oculos. De lege autẽ non cõuenerat iſta dixiſſe quæ per umbram futurorum aucta eſt, & animas per futurorũ cognitionem conuertens, mandatum autem per obſeruantiam ſui illuminans. Ergo quia beati ſunt ſcrutantes teſtimonia dei, & aliud legem, aliud mandatũ, aliud teſtimonia eſſe, ſicut cætera diximus, quæ hæc ſint dei teſtimonia noſcendum eſt. Legis enim totius liber ſub teſtimoniis datus eſt. Cœlum nanq; & terrã Moſes librum teſtamenti traditurus in teſtimonium aduocauit. Sunt & plurima in cauſa teſtimoniorum conſtituta, cum Iacob ait: Teſtimonium erit uobis collis iſte, & teſtimonium erit lapis iſte, & in Ieſu ſcriptum eſt: Duodecim lapides tollite, ut ſint hi in teſtimonium filiis ueſtris. Curato etiam leproſo dominus ait: Offer munus tuũ in teſtimonium quod conſtituit Moſes illis. Apoſtolus plura ad Timotheum per epiſtolam loquens denunciat ſub teſtibus dicens: In cõſpectu multorum teſtium denuncio tibi, & in cõſpectu dei uiuificantis omnia, & Ieſu Chriſti & electorũ angelorum, ut hæc cuſtodias. Plura igitur & innumerabilia ſunt dei teſtimonia, quæ ſi quis ſcrutari per cognitionem legis, prophetarum, apoſtolorum, euangeliorum uellet, in beatitudine permaneret, necq; uelut uacuo & ſolitario orbe uiuens ſciret ſe niſi ſub teſte peccare. Plena ſunt enim omnia diuinis teſtimoniis, & omne hoc uacuum quod putatur, repletum eſt angelis dei, nihilq; quod non hæc diuinorum miniſteriorum frequentia incolat. Horum itaq; cognitionem per doctrinã quis adeptus, ſcit ſe ſub teſtibus uiuere. Et cum natura humanæ infirmitatis procliuis ad uitia eſt, refugit tamen uel ſub teſte peccare, quod ipſum docet nos cõmunis conſuetudinis ratio. Quis enim furari ſub teſte non metuit? Quis ad ſcelus niſi ſecretum elegit? quis ad adulteriũ non aut ſolitudinem aut noctem optauit? Et ſi quando incaleſcentibus uitiis iam ad crimen animus promptus eſt, tamen furor inſanientis uoluntatis occurſu teſtis coercetur, & in ſeſe abruptam humanæ petulantiæ naturam nõnunquam interceſſio repentina reuocauit. Si ergo metu interceſſionis iam præſumptum animo facinus demoratur, quid Chriſtianum hominem agere cõueniet, ſcientem ſe tot undiq; ſpiritalium uirtutum teſtimoniis, non dico operum ſuorũ, ſed ipſius tantũ uoluntatis obſeſſum? Nónne cum in aliquã turbidæ

bidæ affectionis uolũtatem infirmitatis noſtræ aculeis commouemur, metuimus adſiſtentes undiq; nobis choros angelorum, & plenũ miniſterijs cœleſtibus mundum: Si enim angeli paruulorum patrem noſtrum quotidie uident, qui in cœlis eſt, poſſumus teſtimonia eorum metuere, quos & uobiſcum manere, & deo quotidie ſcimus adſiſtere. Quinetiam ipſum diabolicũ illum, per quem ipſa illa uitiorum noſtrorum incentiua præbentur, ſuosque omnes teſtes metuere debemus, puncto temporis omnem amplitudinem mundi huius obeuntẽ. Cui dulce eſt peccare nos, ut peccatorũ noſtrorum teſtimonio glorietur. Eſt enim eius hæc propria calliditas, inſtigare ad peccandum, & arguere peccãtes, dictum eſt enim: An neſcitis quia adeſt diabolus accuſator fratrum ueſtrorum, & quia hæ ſunt aduerſa riæ nobis uirtutes: In teſtimonio cum cæteris permanẽtes, de ſanctis tantum prophetam meminiſſe dignũ fuit dicentem: Beati ſcrutantes teſtimonia tua nõ aliena ſcilicet, ſed illa quæ dei ſunt.) Non negligens autem teſtimoniorum dei oportere eſſe ſcrutatio, ob quod dictum eſt: In toto corde exquirũt eum. Non pro parte ſtudium cœleſti doctrinæ adhibendum eſt, ſed toto corde dei teſtimonia inquirenda ſunt, ut quia ſunt & alia quæ dei non ſunt, ea quæ dei diſcimus eſſe, non auocato in alia negocia corde hæc ſcrutemur. Succedit deinde hic uerſus: Non enim qui operantur iniquitatem, in uijs eius ambulauerunt.) In primo uerſu ſingulariter uia commemoratur, in hoc tertio plures: ex quo intelligẽdum, eſt per multas uias ad unam peruenirí, in qua quiſq; immaculatus ſi ſit hic, beatus eſt. De plurimis autem uijs atq; una Hieremias paria teſtatus eſt dicens: State in uijs & interrogate uias domini æternales, & quærite quæ ſit uia bona. In plurimis ergo uijs ſtandum eſt, & plurimæ interrogandæ ſunt, & hæ quidem plures & domini ſunt & æternales, & in his cernendum eſt quæ ſit uia optima. Viæ plures ſunt, & plurima dei mandata, plures prophetæ per quos omnes in unam uiam pergitur, ſed in his operarij iniquitatis non ambulauerunt. Nam ſi in eis manſiſſent, uſque ad optimam illam noui teſtamenti uiam peruenirent. Eſt uia per Moſen, eſt per Ieſum, eſt per Dauid, eſt per Eſaiam, eſt per Hieremiam, eſt per Apoſtolos, per has omnes ad eum neceſſe eſt peruenire, qui dixit: Ego ſum uia, & nemo uenit ad patrem niſi per me. Simile quiddam ſub margaritæ nomine dictum eſſe intelligendum eſt. Multarum enim margaritarum negociatorem oportet ut unam margaritam multi precij conſequatur. De margaritis uero cum ſit ſermo, ſufficit ad honorem earum quod margaritæ ſint nuncupatæ. Vna autem illa margarita quæ reperta eſt, magni eſſe precij dicitur. Ita & cũ de uijs plurimis prophetatur, quod & domini & æternales ſunt dictæ. Cum autem in his uijs quæritur quæ ſit utilis uia, ea quæ reperta eſt optima prædicatur. Ergo quamuis uel illæ uiæ æternales ſint, uel margaritæ ipſæ ſuo nomine honorabiles ſint, in multis uijs ſtandum eſt, ut bona uia reperiatur, & uendendæ omnes margaritę ſunt, ut ea quæ multi precij eſt reperta ematur: Dehinc cõſequitur hic uerſus: Tu mãdaſti mandata tua cuſtodiri nimis.) Superius cõmemorauimus aliud ſignificare mandata, aliud legem. Et de lege, quantum arbitror, Apoſtolus nobis teſtis fuit, quia umbra ſit futurorum, in qua ſpecies ueritatis tanq; corpus in umbra deſcribitur. Mandatum uero eſt, quod per obſeruantiam implendum eſt, ut illud: Non mœchaberis, & nõ occides. Non enim in eo ſpecies futuræ imaginis continetur, ſed præſentem operationis habet effectum. Tu mandaſti mãdata tua cuſtodiri ualde. Nihil igitur diſſoluto animo, nihil incurioſo agendum eſt, ſed ſollicitos atq; anxios curam mandatorum dei exequi nos oportet, ut id quod agimus, in profectũ fidei noſtræ, in reuerẽtiam eius cuius negociũ agimus exequamur. Cęterum ſi aliquid remiſſa uoluntate & occupata in res alias cogitatione egerimns, officia quidem corporis in

Diuerſæ uiæ domini.

agendo occupabuntur, ſed deuotionis meritũ per negligentiã non conſequemur.

Vtinam dirigantur uiæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.) Habemus nunc poſt mandatorũ cuſtodiam etiam iuſtificationũ obſeruantiam, & mandata iam ſuperius quæ eſſe exiſtimaremus oſtendimus. Iuſtificationes autẽ ſunt plures atq; diuerſæ in obſeruandis ſingulis officiorũ generibus temperãdæ: ad quorum cuſtodiam, niſi à deo dirigamur, infirmi per naturam noſtram erimus: adiuuandi igitur per gratiam eius dirigendiq; ſumus, ut præceptarũ ordinem iuſtificationum conſequamur. Eſt uobis iuſtificatio circa ſeruum diſtributa, eſt circa filiũ, eſt circa patrem, eſt circa patres, eſt circa fideles uiros, eſt circa eccleſiæ principes, eſt circa angelos, eſt circa deum ac dominũ noſtrum unigenitum dei uerbum. In ſingulis ergo quibuſq; generibus atq; nominibus iuſtificationis ratio obſeruãda eſt, quia niſi hæc omnia ex comparibus deuotæ uoluntatis officijs retineantur, iuſtificationem dei nõ tenebimus. Religioſus in patrem ſi oderit filium, modum iuſtificationis amiſit. Religioſus in ſeruum ſi fratrem oderit, prædictę iuſtificatiõis ordinem dereliquit. Religioſus in dominum ſi oderit ſacerdotem, quam iuſtificationis obſeruantiã in religione dei expleuit, odia in ipſa miniſteria diuinæ iuſtificationis exercens? Iam uero in ipſam fidei ueritatem, id eſt, dei patris & domini intelligentiam per quam maxime iuſtificatio nobis erit probata, quanta opus eſt nobis dei gratia, ut recte ſapiamus, ut ex propheticis atq; euangelicis autoritatibus unũ idemq; teneamus, ne in uno aut altero opinio noſtra & ſermo diſſideat, ſed uniuerſas dei iuſtificationes æqua ac pari operum ac doctrinæ obſeruantia dirigamus, quod cum conſequemur tum dicere id quod conſequenti uerſu continetur licebit: Tunc nõ confundar cũ reſpicio in omnia mandata tua.) Niſi enim attenti in omnibus mãdatis eius fuerimus, fuerintq; alia pręterita, alia pro uoluntate obſeruata, iuſtificationis ordinem non tenebimus: cæterum ſi directis uijs noſtris erit par in omnia æqualisq; cuſtodia, nullo obliuionis uel negligẽtiæ pudore confuſi cõfidenter omnium mandatorũ obſeruatione gaudebimus. Sequitur deinde ſeptimus uerſus: Cõfitebor tibi in directiõe cordis, in eo quod didici iudicia iuſticiæ tuæ. Iuſtificatiões tuas domine cuſtodiã.) Abijciẽda ergo eſt omnis animæ peruerſitas, & directo atq; in nullã aliam partẽ deflexo corde eſt confitendum, ne cedat animus in ſeculi curã, ne ex illis doctrinæ dei ſemitis in deuia euagetur, ſed directæ huius confeſſionis hæc cauſa eſt, quę cõſequenti uerſu continetur: In eo quod didici iudicia iuſticiæ tuæ.) Primũ igitur orauit ut ad cuſtodiendas iuſtificationes directæ uiæ ipſius fierent. Secundo in nullo confundendum ſe eſſe ſubiecit, cũ in omnia dei mandata reſpiceret. Tertio quoq; in directiõe cordis deo ſe confeſſurũ ſpopondit, ob id quia iudicia iuſticiæ eius didiciſſet. Per doctrinam ſcilicet directi cordis cognitæq; iuſticiæ laudẽ deo reddens, ſed iuſticiæ cognitæ hic fructus eſt, ut iuſtificationes dei retineãtur, & idcirco ſubiecit: Iuſtificationes tuas domine cuſtodiã.) Quis enim didiciſſe iudicia dei fructus eſt, niſi cognitionẽ noſtram iuſtificationũ obſeruantia conſequatur? Sed meminiſſe debemus, licet cognitio præſtanda à deo ſit, tamen eſſe ſemper orandũ, ut his quę in cuſtodiendis iuſtificationibus ſuis cuſtodire uolumus faueat, ſcientes quidem frequenter nos ab eo ob tentationes derelinqui, ut per eas fides noſtra probabilis fiat. Veruntamẽ ſecundum prophetam ne nos penitus derelinquat deprecãdus eſt, ait enim: Non me derelinquas uſquequaq; nimis.) Quod & in dominicæ orationis ordine cõtinetur cũ dicitur: Nõ derelinquas nos in tentationẽ quã ferre non poſſumus. Scit Apoſtolus derelinqui nos ad tentandum, ſed nouit & menſuram infirmitatis noſtræ deum noſſe, dicens: Fidelis eſt deus, qui nõ permittat nos tentari ſupra quàm poſſumus. Iob deus tentari permittẽs à iure diaboli poteſtatẽ

animæ

animæ eius excerpſit,& ſecundum modum infirmitatis humanæ tentanti ius de/relinquit infirmitatis ſuæ.Igitur propheta conſcius orat, ne ualde derelinquatur, ut imbecillitatem eius tanquàm Petri demergentis fluctibus dominus aſſumat, ut quanquàm ad tentandum relictus ſit,non tamen uſquequaq; & ualde, ſcilicet ne uſque animæ & fidei periculum derelinquatur.

ב Beth.

IN quo corrigit iunior uiam ſuam?&c. Vſq; ibi, & conſiderabo uas tuas.) In ſecunda conſequentium octo uerſuum litera ipſe ſibi pro/pheta his quibus reſponſurus ſit propoſuit dicens: In quo corrigit adoleſcens uiam ſuam?) Hæc ex proponentis perſona dicta ſunt. Dehinc nũc tanq; reſpõdentis confeſſio ſubditur, in cuſtodiendo ſermones tuos.Cõtuendum autem eſt, ſecundum eum quem in exordio habuimus ſermonem, uera atque perfecta timoris dei inſtituta ſub his elementis literarum contineri,quibus quaſi ad uſum confeſſionis dei per ipſa infantiæ rudimenta formamur.Ergo intelligendus eſt propheta non ocioſe locutus eſſe: In quo corrigit adoleſcens uiam ſuam? Omni quidem ætati optabile eſt,ex his corporis ſui uicijs ad innocentiæ ſtudium transferri,quia & ſera ſcilicet emẽdatio utilis ſit obliuione uitiorum.Sed placiturum deo uirum propheta conformans,nõ expectat poſt longam ac diuturnam criminum conſuetudinem doctrina dei & præceptis timoris inſtitui,ſed rudes à peccatis annos,& ætatem adhuc criminum neſciam uult non modo ſtudijs aliquando innocentiæ,ſed etiam ipſa adoleſcentiæ conſuetudine imbui.Difficile eſt ab uſitatis deſinere,difficile eſt à familiaribus abſtrahi.Magnum in ſe conſuetudo habet uinculũ,& idcirco optimus ille fuerit cultor, quem non modo delictorum remiſſio ſine crimine conſtituerit, ſed ipſa illa præſtiterit uiciorum ignorantia innocentem. Nouit Hieremias propheta ætatis huius beatitudinem,dicens:Bonum, inquit, eſt iuueni uiro cum fert iugum graue in iuuentute ſua,ſedebit ſingulariter & tacebit. Non expectat frigeſcentes ſenectutis annos, nec emortuam iam per ætatem uitiorum conſuetudinem, uult longi prælij militem, uult eum Chriſti ſeruum, quem ne ipſa quidem præteritorum criminũ recordatio polluat. Nam in his qui iam prouectioris ætatis crediderunt, ineſt quidem per donum gratiæ præteritorum indulgentia, ſed non abeſt per conſcientiæ naturam geſtorum recordatio:Bonum,inquit,iuueni ferre iugum graue. Onus iſtud maturi ad obediendum anni ægre ferunt.Cæterum ætas reuera grauioneris moleſtiam per uirtutis incrementa non ſentit. Sed ſuſcepto in iuuentute onere quid faciet? Sedebit,inquit,ſingulariter & tacebit. Rarus ipſe eſt cum quo perfectio timoris dei per annorum augumenta concreſcat, & idcirco ſingularis ſedebit laſciuos adoleſcentiæ cœtus derelinquens,& ab ipſo ſenum nuper credentium confeſſu remotus,quia comperit ſe non dicere:Delicta iuuentutis mæ domine ne memineris.Silebit etiam,congruam fidei & iuuentuti exiſtimans taciturnitatem,non tumultibus negociorum ſecularium admixtus, ſed per moleſtiam tacens, ſola diuina ſacramentorum cognitione occupatus,& ſermones dei tacita rerum atq; operum obſeruatione cuſtodiens.Redit deinde ad perſonam ſuam propheta, ut id quod ſuperius dixerat ſignificaſſe de ſe noſceretur,dicens: In toto corde meo exquiſiui te,ne repellas me à mandatis tuis.) Competere bonitati dei non uidetur,ut à mandatis ſuis quempiam repellat,ſed ſermonum adiectio & uirtus uerborum quæ ex perfectæ cœleſtisq; doctrinæ ratione diſpoſita eſt,nihil dubium,nihil contrarium in ſe habet. Qui ergo ſecundum prophetam mauult peccatorum pœnitentiam quàm mortem,nunquid exiſtimandus eſt à mandatis ſuis quenq; repellere? Abſit iſtud exiſtimare. Sed neque hoc nunc propheta ſentit,

maxime qui in toto corde deum perquiſierit. Sed abſolutio difficultatum in his ipſis requirenda eſt,è quibus uidet exiſtere. Propheta enim quid ſenſerit in promptu eſt noſcere. Legimus ſcriptum in Hieremia: Maledictus qui facit opera domini negligenter. Legimus & in euangelijs ſcriptum: Omni enim habenti dabitur, & abundabit: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Ergo habēs abundabit, non habens uero ipſo illo quod habet indigebit. Propheta non eſt obnoxius maledictionis conditioni, quia non negligenter opera dei egit, cum toto corde perquirens Dauid confidenter ait, ne à mandatis dei repellatur, quia eum toto corde perquirat. Secundū euangelia enim habenti dabitur, & ei qui nō habet etiā quod habet auferetur. Deus ergo non aufert niſi non habenti, ſecundum quod neq; repellit niſi negligentem. Adeo autem bonitate plenus eſt, ut habentem abundantia muneretur: adeo uero non uult quenq; non habere, ut nō habenti ipſum quod habet adimat. Neminem igitur niſi obnitentem repellit, neminem niſi negligentem reijcit. Hanc enim propheta prætulit cauſam, cur ſe non repelli à mandatis dei precaretur, quia non ex parte, neq; per deſidiam deum, ſed toto corde quęſiſſet, per quod intelligimus etiam à mandatis repelli, qui per multam incuriam fuerit indignus admitti, & extra inhibentis inuidiam eſt, quod de culpa proliciſci tur non merentis. Tertius iſte fœcundæ literæ uerſus eſt: In corde meo abſcōdi eloquia tua, ut non peccem tibi.) Meminimus ſimile huic dicto legi ſolere ubi dicitur: Myſterium regis bonum eſt abſcondere. Meminimus enim Paulū ad Corinthios adhuc in fide paruulos quædam dei eloquia occuluiſſe, cum dicit: Lacte uos potaui non cibo, nondum enim poteratis, ſed neq; adhuc poteſtis. Legimus & in euangelio in agro uberi atq; fœcundo repertum theſaurum, eundemq; empto agro occultari. Nouimus neq; margaritas ante porcos proijciendas eſſe, neq; ſanctum canibus dare oportere. Ergo intelligimus quædam nos cordis noſtri ſecreto continere, quæ diuulgata inexpiabilis peccati culpam comparabunt. Ita enim dixit: In corde meo abſcondi eloquia tua ut non peccem tibi. Quia cum cætera peccata ſecundum differentias rerum aut in nos ipſos aut in alios exercētur, tamen tum fierent in deum propria, cum quę occultorum cordium eſſent condenda ſecreto, hæc in profanæ cognitionis ſcientiam proderentur. Contuendus autē eſt in quarto hoc qui cōſequitur uerſu ordo doctrinæ. Primus uerſus de cuſtodiendis ab adoleſcente mādatis dei cōſtitit, ſequēs quia in toto corde deū exquiſierit, ne à mādatis dei pelleretur, dehinc quòd ſacramēta abſcōſa ſapientiæ & occulta dei myſteria mētis ſuæ ſecreto cōtinuerit, quarto nūc id deprecat ut iuſtificatiōes ſuas eidē oſtendat, & deprecat cōfeſſionis honore prælato, dicens: Benedictus es domine, doce me iuſtificatiōes tuas.) De iuſtificationibus nonnulla anteriori ſermone cōplexi ſumus, & ſuperfluū eſt eadē frequenter iterare. Maximus igitur & præcipuus labor eſt, hanc iuſtificationū dei ſcientiā conſequi, & humanæ naturæ infirmitas difficulter tot tantarumq; rerū cognitionem conſequitur, atq; ob id ut doceat orat, quia diuinæ bonitatis munus eſt, animi humani imperitiam ad congruā atq; unicuiq; tenenti competentem officiorū obſeruantiam temperare. Succedit deinde etiam de iudicijs dei ſermo quo dicit: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.) Quanta rerum & nuncupatuum differentia eſt? Primum à iuuentute mandata domini cuſtodiuntur, dehinc deus toto corde exquiritur, cum dei eloquia occuluntur, & iuſtificationes diſci deſiderantur, nunc iudicia prædicantur. Sed propheta fortè exiſtimabitur à ſe excidiſſe, & uel ſuorum, uel alienorum dictorum inuentor fuiſſe. In hoc enim pſalmorum libro legimus: Iudicia tua abyſſus multa. Paulus apoſtolus ait: Inſcrutabilia iudicia dei. & rurſum propheta: Magna enim ſunt iudicia tua, & innumerabilia: & quomodo audebat

audebat propheta dicere, in labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui? Sed nihil neq; contra se, neque contra alium eiusdem spiritus prophetam nunc locutus est. Non enim ait: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia tua, sed ait: omnia iudicia oris tui, sciens nonnullam differentiam esse iudiciorum dei, & iudiciorum oris dei. Nunquid cum ait: Iudicia tua abyssus multa, dixit iudicia oris tui sicut abyssus multa? Nunc autem ait: Iudicia oris tui annunciaui. Ea ergo quæ cognita esse per prophetas, uel ex dei uerbis iudicia esse potuerunt, ea propheta non tacuit. Quæ idcirco prædicata sunt ut doceantur. Post iudiciorum autem dei oris publicam & cõstantem prædicationem, id quę sequitur: In uia testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.) Non timet propheta uitæ suę testes, sed in his delectatur, & ei conscientia spectantium se & cõtuentium iucunda est. Trepidat enim ad omnem intercessionem pollutæ conscientiæ metus, cæterum ubi cõstans innocentis uitæ est fiducia, plurium testium interuentio grata est, sed non de communis consuetudine gaudij iucundus propheta est. delectat enim sicut in diuitijs omnibus. Sunt opes in auro, sunt in argẽto, sunt in pecunijs, sunt in uestibus, sunt in domibus, sunt in agris eorumq; aut uitibus, aut oleis, aut frugibus. Sed domini propheta doctrinarum fruge perfectus est, & legis ac prophetalium institutionũ facultatibus diues, & anterior licet tempore, non tamen euangelicorũ & apostolicorũ præceptorum ignarus est. Nouit enim & has diuitias Paulus ad Corinthios loquens: Gratias ago deo meo semper pro uobis, per gratiam dei quæ data est nobis in Christo Iesu, quoniã in omnibus diuites estis in ipso in omni uerbo & in omni scientia. In his ergo diues est, & in his delectatur propheta. Cæterum non est æstimandus secularium opum comparatione delectatus esse, qui nisi cum contemptu atq; inopia seculi diues in domino esse non potuit. Delectatus autem in uijs testimoniorum dei opus delectationis suæ agere debet, & non ambiguum est quin agat. Ait enim septimo uersu: In mandatis tuis exercebor, & considerabo uias tuas.) Exercitatione igitur & assiduitate opus est, ut usus rerum necessariarum retineatur, quia periculosa est humanarum mentium & molesta desidia: ac ne ocij consuetudo subrepat assiduitas exercitationis adhibenda est. Sed retentus etiam hic ordo rationis est. Nam prius exercendum est in mandatis dei, tum deinde uiæ eius considerandæ. Quia nisi fidelium operũ usus præcesserit, doctrinæ cognitio non apprehendetur. Agendum à nobis antea fideliter est, ut scientiam consequamur. Vias ergo, secundum superiorem expositionem, legem, prophetas, & omnia euẽgelia & apostolos esse existimamus, quos in mandatis dei se exercens propheta considerauit ut nouerit. Concluſit autem octauum numerum hoc uersu: In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos.) A doctrinæ perfectæ ordine propheta non excidit. In iustificationibus dei, quas doceri se orauit exercetur, sicut meditetur in mandatis. Mandatorum enim ea est ratio quo nos ad obseruantiam atq; opus innocentiæ instituant, ut illud est: Non occides, non mœchaberis, & cætera his similia. Hæc ergo exercentur, quia in his operationis est usus, per præsentium se exercitationem ad futura confirmans. Iustificationes autem sunt, quibus Hebræus puer sex annis seruus, liber deinceps anno septimo fiet, & post sex annorum fructus ager ociosus relinquendus est, & cætera in iustificationum obseruantiam constituta, quæ ingentem in se habent futuræ spei meditationem per negocij præsentis effectum. Atq; ideo in his meditatur, ut in mandatis exerceatur, quia exercitatio ad usum pertinet consuetudinis institutæ. Meditatio autem se in id quod nondum obtinuit extendit, ut per meditationem id quod expetit consequatur, ne sermonum & promissionum subrepat obliuio.

Non omnia dei scrutanda

ג Gimel.

RETribue ſeruo tuo &c. uſque ibi: & conſolatio mea iuſtificationes tuæ.) Quibus non eſt conſtans emundati cordis conſcientia, precari iſta prophetæ uoce non poſſunt: retribue ſeruo tuo. Si enim digna ſecundum opera noſtra retributio aderit, peccatorum ac delictorum noſtrorum pœnas merebimur. Satis eſt autem ſi cui uel hæc fiducia ſaltem gratulandi ad deum fuerit, non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniuſticias noſtras reddidit nobis. Quia ſecundum altitudinem cœli à terra longauit iniquitates noſtras à nobis, quia ipſe cognouit figurationem noſtram. Magnum eſt, tantam in ſe dei miſericordiam recognoſcere, & ſcire conſuetudinem criminum procul à ſe abeſſe, & dignum dei miſericordia ſe eſſe cœpiſſe. Propheta autem hic, in cuius ſcilicet corpore habitatio dei digna eſt, qui ſancto ſpiritu plenus, non communia, nec terrena cogitat & effatur. Libertatis eius eſt ut oret: Retribue ſeruo tuo. Sed fortè inſolentis iſtud audaciæ eſt ſine aliqua confeſſionis modeſtia meritum retributionis optaſſe, nec ſe in corpore ſitum, id eſt, in uili atque humili ſorte eſſe meminiſſe. Excluſit autem propheta omnem de ſe uanitatis ac iactantiæ opinionem, nam cum dixiſſet: Retribue, ex fiducia innocentiæ: ſeruo tuo, ex ſeruitutis officio, & ex conditionis ſuæ confeſſione ſubierit. Conſtanter igitur hæc poſtulat qui dei ſe ſeruum, non peccati eſſe meminiſſet, quia omnis qui peccat, ſeruus eſt peccati: Viuam iam, inquit, & obſeruabo ſermones tuos.) Viuam atq; obſeruabo non præſentis temporis res eſt, ſed ſignificatio ſermonis huius in futurum ſe tempus extendit. Scit enim proheta quando beata illa & uera uiuentium uita ſit. Nunc uero & in puluere mortis manemus, & in mortis corpore ſumus, à quo ſe liberari Apoſtolus orat, dicens: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Habemus autem etiam nunc non admixtam nobis materiam quæ mortis legi & peccati obnoxia eſt, & in huius caducæ carnis infirmæq; domicilio corruptionis labem ex eius conſortio mutuamur, ac niſi glorificato in naturam ſpiritus corpore, uitæ ueræ in nobis nõ poteſt eſſe natura. Audiamus eum qui ſe meminit in corpore mortis habitare dicentem: Quia uita noſtra abſconſa eſt cum Chriſto in deo. Cum autem Chriſtus apparuerit uita noſtra, tunc & nos apparebimus cum ipſo in gloria. Hanc ergo retributionem ſibi propheta orat, ut uiuat futuræ huius uitæ tempus in loco altero docens, quo ait: Et placebo deo in regione uiuentium. Scit hanc mundi iſtius ſedem regionem non eſſe uiuentium, ſcit nos adhuc ſecundum præfiguratio-
nem legis emundandos eſſe, nũc enim admiſcemur morticinæ, & in lege quiſquis mortuum contrectat immundus eſt. Sed abſit iſtud ut quicquàm horum in lege corporaliter intelligatur, tanquàm per contrectationẽ mortui quiſquàm fiat immundus. Ioſeph oſſa egrediẽs Aegyptum Moſes ipſe lator legis euexit. Heliſeus mortuo ut eum uiuificaret incubuit. Dominus ipſe mortuos manu apprehenſos in uitam retraxit, & contrectatio mortui ſi immundũ effectura fuiſſet, nequaq; à tantis uiris, neque à domino uiolata lex eſſet ipſo dicente: Non ueni legem ſoluere, ſed adimplere. Sed quia lex umbra eſt futurorum bonorum, idcirco per hanc præformatam ſignificãtiam docuit, nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo mundos eſſe non poſſe, niſi per ablutionem cœleſtis miſericordiæ emundationem conſequamur, poſt demutationem reſurrectionis terreni corporis noſtri effecta glorioſiore natura. Et fortè ſi quis exiſtimet ſibi in ſacramento baptiſmi perfectam illam innocentiam, & cœleſtis uitæ dignam redditam puritatem, Ioannem baptiſtam dixiſſe recolat: Ego quidam baptizo uos in aqua pœnitentiæ,

Contagium animi.

qui

qui autem poſt me uenit, fortior me eſt, ipſe uos baptizabit in ſpiritu ſancto & igni. Ipſum autem dominum baptizatum à Ioanne cum adhuc eſſet in corpore meminerit locutum: Adhuc habeo alio baptiſmo baptizari. Eſt ergo quantum licet exiſtimare perfectæ illius emundatio puritatis etiam poſt baptiſmi aquas repoſita, quæ nos ſancti ſpiritus ſanctificet aduentu, iudicij igne nos decoquat, quæ per mortis iniuriam à labe morticinæ & ſocietate purgabit, quę martyrij paſſione deuoto ac fideli ſanguine abluet. Et idcirco ſanctus propheta uicturũ ſe dicit eſſe cum uiuat, per hanc ſcilicet umbram uitæ ad ueram illam regionem uiuentium transferendum. Secundum quod exemplum, ut dixit, uiuam, ita & cuſtodiam ſermones tuos. Cuſtodiuntur interim ſecundum apoſtolum Paulum pro parte & per ſpeculum. Sunt enim multa ſeculi ſcandala quæ prohibent perfectam in nobis mandatorum eſſe cuſtodiam. Taceo de naturis corporum, quæ nos interim aut per infirmitatem, aut per incentiua uitiorum imperfectos eſſe compellunt. At uero morte uicta, & aculeo eius obtuſo, cum facie ad faciem audiemus atque cernemus, tunc uere & uiuemus, & mandata dei ſequemur. Ordo intelligentiæ qui primo uerſu continetur, hic idem in conſequentibus eſt. Ait enim: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.) Scit mortalibus oculis atque corporis nubem obſcuritatis obſiſtere, ſcit ea quæ corporaliter in lege præcepta ſunt umbram eſſe & ſpeculum futurorum. Legem quidem legit, ſed optat legis mirabilia contueri. Meminit ſancta eſſe ſabbata, ſed in æternorum ſabbatorum requie eſſe deſiderat. Vtitur quidem azymis panibus, ſed fermentum eiſcere naturæ ueteris feſtinat. Immolat paſchæ ouem, ſed aſſiſtere ei qui per Ioannem reuelatur agno, concupiſcit. Septimi anni legi ſatisfacit, ſed ipſi exactis ſeptem milibus, ſeculi eſſe liber expoſtulat. Iubilei quinquageſimi anni legem explet, ſed pentecoſtadis remiſſionem ac renouationem obtinere feſtinat. Scit ex præcepto dei ſecundum cœleſte exemplar & altarium à Moſe inſtitutum, & Aaron ſacerdotali habitu ornatuque ueſtitum, ſed principis ſacerdotum in cuius exemplum hæc fuerant, intereſſe miniſterijs properat. Inducí quoque in terram ſanctam & terram fluentem lac & mel, tanquàm totius huius orbis peregrinus orat. Vniuerſa quidem iſta Iudæi corporaliter gerunt, ſed hoc Paulus aliter intelligit, dicens: Scimus enim quia lex ſpiritalis eſt. Hæc igitur legis mirabilia quæ uelatis oculis adumbrantur propheta orat ut cernat, ſcilicet ut caduco atque infirmo corpore abſolutus, hæc quæ per corporalem obſeruantiam legis magna & mirabilia in cœlis præfigurantur aſpiciat. Non demutatur affectus orantis. Poſt hæc enim ait: Accola ſum in terra, ne abſcondas à me mãdata tua.) Accola non iuris ſui terram incolit, ſed aduena, & peregrinus fructum extemporariæ operationis expectat. Nouit incolatus huius Apoſtolus ordinem, dicens: Peregrinandum à corpore, & cum Chriſto manendum eſſe. Propheta itaque quaſdam imagines cœleſtium conuerſationum decernens, licet corpus incolat, tamen rem non ſuam incolit. Oculis in cœlum mentis erectis ſcit in cœlo theſauros collocandos, quia ubi theſaurus ſit, illic & cor futurum ſit. Non erat ille ſenſu ſuæ terræ accola, qui in euangelica comparatione horrea extruit capacia ingentium fructuum, & animam ſuam per præſentium copiam ad delitias adhortatur ſtultus anima ipſa eadem nocte priuandus. Ergo accolam ſe propheta confitens orat ne mandata dei à ſe oculantur. Nemo enim niſi peregrinus corporis ſui cognitione mandatorum dei eſt dignus. Quod mandatum cum lucidum ſit illuminans oculos, abſurde nunc uidebitur dixiſſe, ne ſibi mandata dei oculantur, quæ hoc naturæ in ſe habent, ut & lucida ſint & illuminent. Sed negligentia auriũ affert ſenſuum difficultatẽ. Illic enim mandatum lucidũ & illuminãs eſt, hic mandata abſconſa ſunt.

Baptiſmus martyrum.

Allegoriæ ueteris legis.

Lucidum mandatum eſt, per quod ad contuendum lumen mandatorum illumi/namur. Per mãdatum quod in lege primum eſt, quo deum ex tota anima, ex tota uirtute amare præcipimur, digni illuminatione cognitionis efficimur, & ſicut de gloria in gloriam tranſibimus, & in lumine uidebimus lumen, ſic per ſpeculum faciem ipſam quandoque cernemus. Per hoc enim nunc corporalis uitæ mandatũ ſacramento baptiſmi & præcepto dei illuminamur, & lumine utimur, & in gloria manemus. Per hoc rurſum ex mandato mandata cernemus, per hoc ex lumine lumen uidebimus, per hoc ex gloria in gloriam transferemur. Scit autem in cœlis propheta plura dei eſſe mãdata, ſcit per diuerſitatem miniſteriorum diuerſas eſſe præceptorum obſeruantias, angelorum, archangelorum, thronorum, dominationum, poteſtatum, & principatuum. Quos utique neceſſe eſt, ut nomnibus ita & officijs eſſe diuerſos, perpetuam tamen mandatorum cuſtodiam pro naturæ ſuæ firmitate retinentes. Atque ob id reuelari ſibi cœleſtium mandatorum ſacramenta orat, quia ſciat ſe in terræ huius corpore eſſe peregrinum. Quartus hic tertiæ literæ uerſus eſt: Concupiuit anima mea ut deſyderem iudicia tua in omni tempore.) Non eſt prophetæ huius communis cum cæteris uel ſeculi ſermo, altius ſub ſignificatione familiarium uerborum intelligentiæ ſuæ extulit ſenſum, dicẽs: Concupiuit anima mea ut deſiderem iudicia tua in omni tempore. Multis enim uidetur rectius dictum fuiſſe: Deſiderat anima mea iudicia in omni tempore. Et fortè quidam exiſtimant idipſum ſub his dictis contineri. Sed meminit propheta, arduum eſſe & naturæ humanæ periculoſiſſimum dei deſiderare iudicia. Cum enim nemo uiuens in conſpectu ipſius mundus ſit, quomodo deſiderabile eius poteſt eſſe iudicium? An cum ex omni ocioſo uerbo rationem ſumus præſtituri, diem iudicij concupiſcimus, in quo nobis eſt ille indefeſſus ignis obeundus, in quo ſubeunda ſunt grauia illa expiandæ à peccatis animæ ſupplicia? Beatæ Mariæ animam gladius pertranſiuit, ut reuelentur multorum cordium cogitationes. Si in iudicij ſeueritatem capax illa dei uirgo uentura eſt, deſiderare quis audebit à deo iudicari? Iob omnium humanarum calamitatum militia & uictoria perfunctus, qui cum tentaretur ait: Dominus dedit, dominus abſtulit, ſit nomen domini benedictum in ſecula. Cinerem ſe eſſe confeſſus, audita de nube dei uoce non loquendum ſibi ultra decreuit. Et quis erit auſus dei deſiderare iudicia, cuius uocẽ de cœlis nec tãtus propheta ſuſtinuit, neque apoſtoli in monte cum domino ferre potuerunt? Tenuit itaque propheta & humanæ naturæ & conſcientiæ modum, dicens: Concupiuit anima mea, ut deſiderem iudicia tua in omni tempore. Non enim iudicium deſiderat, ſed ut deſideret concupiſcit, deſiderij eum cupiditas nõ iudicij continebat. Concupiſcit enim deſiderare ſcilicet, ut in tanta innocentia maneat, ut tuto iam & ſine metuendi iudicij terrore deſideret rem ipſam, nondum per conſcientiam humanæ conditionis deſiderans, ſed eius deſiderium ex conſcientia perfectæ ſi proueniat innocentiæ concupiſcens. Scit uero continentem & indefeſſam deſiderij huius concupiſcentiam eſſe oportere, atque ideo adiecit, in omni tempore, nullum ſcilicet docens ocium nobis eſſe debere, quin ſemper deſiderij huius cupiditate teneamur. Dehinc ſequitur: Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mãdatis tuis.) O infelix ſuperbia, dedignaẽ ſub præceptis cœleſtibus uiuere, quæ madata diuina animi infidelis tumore faſtidit. Plurima ſunt humanorũ uitiorũ crimina, & diuerſæ atq; innumerabiles peccatorũ operatiões, ſed nulla magis prouocandi in nos iram dei quàm ſuperbiæ cauſa eſt. Increpaſti enim non auaros, non laſciuos, quibus utique increpatio debita eſt, ſed ſuperbos. Quia plures ſuperbia qua humana contemnunt, etiam deo obſequi ſpernunt. Sed ſint licet præclara cætera fidei opera, & in omnium diuinorum

Aliud ſentiũt qui liberant eã à peccato originis.

præceptorum

præceptorum cuſtodia deuotio immoretur, tamen ſubrepente ſuperbia eorum memoria, quæ recte operamur abolebitur, quando euangelicus ille phariſæus labore ſe in uitæ uiam ſtatuit, ne alienæ rei rapax eſſet, ne in quenquàm iniurioſus exiſteret, ne adulteriis diſſolueretur, laborauit bis in ſabbato ieiunans, & infœlix hoc uicioſum corpus per abſtinentiam cibi ingentis patientię uirtute confecit, quando deinde labore auaritiæ uincendæ decimas ſubſtantiæ ſuæ in uſum egentium intulit. Quid his præclarius? quid horum operum executione difficilius? Sed incidit in ſuperbiæ laqueum, dicens: Quia non ſum ſicut peccator iſte & publicanus. Ex ingentibus operibus cecidit in crimen, & inſolens per hanc uirtutum ſuarum gloriam factus iuſtificato magis publicano receſſit. Sed quid de phariſæo dicimus? Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, aduerſum quem diabolus omni uirtutis ſuæ arte luctatus eſt, angelum Satanæ qui ſe colaphiſet accepit, ut per paſſionum omnium indefeſſas moleſtias nulla ſuperbiendi occaſio per ocium temporis poſſet obrepere. Ipſe quoque eligendi & conſtituendi ſacerdotis quandam legem ferens, cum iam eum in his qui bus epiſcopum dignum eſt uirtutibus collocaſſet, neophytum elegi uetuit, ne ſuperbiret, dicens: Non neophytum, ne inflatus incidat in iudicium diaboli, id eſt, ne per recens adeptam regenerationis gratiam inſoleſcat, uult illum multo paſſionum bello ante tentari, uult multis humilitatis & fidei ſtipendiis prouehi. Cor enim humiliatum deus non ſpernit, & ſacrificium optimum cor contribulatum. Quia qui ſe humilat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur. Et idcirco maledicti qui declinant à mandatis tuis, quia increpantur ſuperbi, quia ſuperbia animi inſolentis & humana deſpicimus, & diuina negligimus. Sed uirtus uerbi hic collocati non negligenter eſt audienda. Promptum enim fuerat dicere, maledicti qui non obtemperant mandatis tuis, de uno & de plurimis mandatis in ſuperiore uerſu competentia diximus: Maledicti autem ſunt, qui per hanc prophetiæ doctrinã eruditi à mandatis dei declinant, id eſt, per uiciorum præſentium deſideria ab ſpe æternorum mandatorum decidunt. Qui enim declinat, id in quo eſt deuitat, ex alia parte in aliam deducitur, & deflexu quodam de itinere decedit. Vel leuiter ergo declinantem à mandatis dei maledictionis ſententia comprehendit, ut intelligeremus quanti periculi res eſſet, ea omnia ignorare nos, à quibus declinare maledictum eſt: Auer à me opprobrium & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui.) Peccata opprobrio ſunt digna, & idcirco peccatores exurgent in opprobrium ſempiternum. Quòd autem peccata omnia opprobrio ſint digna in euangeliis diſcamus, tum cum dominus exprobrare illis ciuitatibus cœpit, in quibus plures uirtutes eius effectæ eſſent, nec pœnituiſſent Corozaim & Bethſaida. Quod ab illis cœptum, neceſſe eſt ut in omnes eiuſdem criminis pares fiat, & tunc humano generi exprobret non pœnitenti, neq; in uiam euangelicã pergenti, id quod pſalmo continetur: Quę utilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem? Exprobrat enim ſuperbis atque maledictis, cur nihil in ſacramento ſanguinis ſui atque mortis utilitatis eſſe exiſtimarint, cum ille noſtri cauſa, & natus & paſſus & mortuus ſit. Tenuit etiam propheta rationem infirmitatis humanæ. Scit ineſſe quædam quæ per dei miſericordiam auferenda à nobis ſint, ſcit deum tali peccatorum noſtrorum confeſſione orandum, ut & ſi digni arguitione habeamur, non tamen arguamur. Confitendum enim crimen eſt, ut obtineatur & uenia. Scit deinde poſt arguitionem in cõtemptum, id eſt, in nihilum gentes æſtimari, quia ſcriptum eſt: Omnes gentes nihil ſunt, & omnia quæ à malitia ſunt, in nihilum æſtimata ſunt. Sed ſecundum prophetiæ exemplum auferri à nobis opprobrium & contemptum hac ſpe ac fiducia nos deprecari oportet, ut addamus

ad id

ad id quod dicitur: Aufer à me opprobrium & contemptum, & id quod ſequitur: quia teſtimonia tua exquiſiui. Et teſtimonia dei exquirit, ut argui non debeat, & auferri à ſe opprobrium contemptumq; precatur, ut uerecundiam non derelinquat. Eſſe quidem in natura ſua cõfeſſus arguitionis & opprobrij cauſam quã à ſe deprecatur auferri, ſed per deuotionem exquiſitorum teſtimoniorũ eam ſperat auferri. Exquirit autem teſtimonia dei propheta, non in ocio, neq; inſolentia rerum ſecularium, ſed exquirit multis aduerſus ſe reſidentibus, aduerſus ſe colloquentibus, dicens: Etenim ſederunt principes, & aduerſus me detrahebant.)

Scit enim omnem prophetiæ fidem mundi huius deeſſe principibus, ſcit & apoſtolos cunctis futuros propter Chriſtianum nomen odioſos. Sedent aduerſus prophetam principes & detrahunt tunc cum audiunt Eſaiam dicentem: Audite uerbum domini principes Sodomorum, attendite legem dei populus Gomorrhæ. Ex conſilio enim talium Eſaias ſectus eſt. Hieremias quoq; carcere claudítur, Daniel leonibus fame ad ſęuitiam incitatis obijcitur, Zacharias inter templum & altare occiditur, apoſtoli cæduntur, deſecantur, crucifiguntur, ut prædicatio dei auferatur, ut doctrina prophetiæ inhibeatur, ut uitę æternæ uia obſepiatur. Sed hos principum conſeſſus, & hęc obtrectationis eloquia ſpreuit fides cõſtans. Conſequitur enim: Seruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus.) Obſtrepentibus illis uidelicet, & totis pœnarum armis inhibẽtibus, in exercitationibus iuſtificationum dei ſpiritus perſeuerat. Sed ut iam ſuperius tractauimus, exercitatio iuſtificationum & meditatio teſtimoniorum illa eſt, qua cum legis opera per corporales efficientias exerceamur. Exercitatione iuſtificationum tamen, & teſtimoniorum meditatione bonorum æternorum per præſentium meditationẽ quędam præparatio comparatur. Sed teſtimoniorum meditatio unde oriatur oſtendit. Adiecit enim: Et conſilia mea iuſtificationes tuæ.) Omnem ſcilicet uitæ curam, omnes conſiliorum uarios diuerſosque motus intentos eſſe iuſtificationibus confitens dei in Chriſto Ieſu, cui gloria & honor in ſecula ſeculorum. Amen.

ד Daleth.

Adhæſit pauimento anima mea & cætera, uſq; ibi: cum dilataſti cor meum.) Multiplex intelligentia non poteſt in ſe habere dictorum difficultatem, cum amota omni obſcuritate intelligendi magis abundet electio, ut in primo quartæ literæ uerſu cõtuemur. Ait enim: Adhæſit pauimento anima mea, uiuifica me ſecundum uerbum tuum.) Poteſt iſtud & de aſſiduitate orationis intelligi, tanq; ex peccatorum confeſſione in terra propheta proſtratus adhæſerit pauimento. Sed ut altius aliquid ſub his dictis intelligamus, perſpecta diligentius uerborum uirtute neceſſarium ducimus. Non enim ait: Adhæſi pauimento, ſed ait: Adhæſit pauimento anima mea, & admonemur intelligere hic eum eſſe de animæ & corporis ſocietate conqueſtum. Et multa ſunt quæ nos ut potius probabile exiſtimemus admoneant. Dixit enim Apoſtolus, corpus humliationis noſtræ, dixit & prophetа: Humiliata eſt in puluere anima mea. dixit rurſum: Et in puluere mortis deduxiſti me. Igitur uel quia in terræ huius ſolo commoramur, uel quia ex terra inſtituti conformatique ſumus, anima quæ alterius originis eſt, terræ corporis adhęſiſſe creditur, maximum ipſa certamen ſuſcipiens, ut ſe immanẽs in eo, ab eius ſocietate diuellat, ut tanquàm peregrina incolatu eius utatur. Non ignarus eſt autem propheta, licet anterior ætate, apoſtolici dicti, quia qui adhærent domino, in uno ſpiritu ſunt. Scit etiam à ſe prædicatum: adæſit poſt te anima mea. Quin etiam legit in lege: Poſt dominum deum ambulabis, adhęrebis ipſi.

Adhęrere

Adhærere igitur huic magis quàm illi concupiſcit. Sed quia meminit ex conſortio eius nonnullam ſe labem contraxiſſe peccati, orat ut per uerbum dei quàmuis admixta terrenæ mortaliq; naturæ anima eius ſit, ipſe tamen in uiam uitæ cœleſtis animetur. Scit enim ſe nunc pauimẽto adhęrere non uiuere, ſed ſecundum uerbũ dei, cui mortui uiuunt, orat ut uiuificetur in uitã. Dehinc ſequit:

Vias meas pronũciaui & exaudiſti me, doce me iuſtificationes tuas.) Qui ſecundũ uoluptates corporis uitã agunt, in uijs ſuis ambulant. Qui autem omni uiciorum carnalium conſuetudine derelicta in præceptis dei degunt, iam illis nõ in ſua, ſed in uia dei iter eſt. Et hęc audiamus in Deuteronomij præcepto: Sed nũc Iſraël quid dominus deus tuus poſcit à te, niſi ut timeas dominũ deum tuum, & ambules in omnibus uijs eius, & diligas eum, & ſeruias domino deo tuo ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & cuſtodias præcepta domini dei tui, & iuſtificationes eius, quæ ego præcipio tibi hodie ut bene ſit tibi? Ergo deo adhęrens, in uia dei eſt. Et qua ratione prophetã hic locutum exiſtimabimus dicentẽ: Vias meas pronunciaui, & exaudiſti me, doce me iuſtificationes tuas? Si enim uias ſuas prædicat, neceſſe eſt peccati uias prædicet: quia in uia peccati ſit, quiſquis in uia dei non ſit. Sed huic præſenti dicto cõſentiens illud uidetur, quod dictũ eſt: Pronunciabo aduerſum me iniuſticias meas domine. Et rurſum: Iuſtus in exordio ſermonis ſui ipſe ſibi accuſatus eſt. Ergo hic pronunciatio quæ dicitur non laudatio eſt, ſed cõfeſſio uiarũ ſuarum, id eſt, peccatorũ ſuorum pœnitẽs profeſſio. Et prophe ta ut eſſet dignus ſpiritu prophetiæ, uias ſuas, id eſt, peccata ſua ante cõfeſſus eſt, ut per hanc pronuciationẽ eorum, doctrinæ iuſtificationũ dei capax eſſet. Quod utrumq; abſolute docetur. Nam cum dicit pronunciaui, confeſſionem hanc præteriti temporis eſſe demonſtrat: cum dicit, doce me, oratio eſt ex futuro. Quia confitendum ante eſt de peccatis, & exacta confeſſione diſcendũ. Manẽs autem propheta in lege non ex his doceri ſe poſtulat, quæ corporali tũ miniſterio gerebant, ſed ex his quę per ſpeciẽ præſentiũ futuri erant ſacramenta cõplexa. Viam iuſtificationũ tuarũ fac ut intelligã, & exercebor in mirabilibus tuis.) Sermo preſens diſcreuiſſe cognoſcitur iuſtificatiões à uia eorũ. Et quantũ re ipſa intelligitur, omne quod eſt ad quod per uiã tẽditur, nõ idem eſt quod & uia ipſa qua pergitur. Quærenda igitur cauſa eſt, cur propheta præſtari ſibi, ut uiã iuſtificationũ intelligat, potius quàm ut ipſas iuſtificationes cognoſcat, orauerit. Meminit etenim omnes iuſtificationes legis umbrã in ſe ſanctarũ iuſtificationum continere, cum poſt ſexennij ſeruitutem Hebræus puer liber eſt, cum ſeptimi anni fructus indigentibus & pecoribus terræ relinquitur, cũ poſt quinquageſimũ annum omnia in ius familiæ eius unde deceſſerint reuertantur. Et quia hæc quæ in lege ſunt conſtituta, uia eſt eorũ quorum in his præformatur exemplum, uiã harum iuſtificationũ ut intelligens in mirabilibus dei exerceatur orat, id eſt, in legis operibus uerſetur, quia lex ſit ad futrorum bonorum ſpeculum conſtituta. De ſequenti uerſu comperi multos uaria ſenſiſſe, eo quòd non eadem proprietate à cæteris trãslatoribus ex Hebræo demutatus eſſet, ut ab his Septuaginta interpretantibus conſcriptus eſt. Nõnulli enim pro eo quod ab alijs dictũ eſt, ἐνύσαξεν, diſtillauit uerterũt. Sed nobis neq; tutũ eſt translationẽ Septuaginta interpretũ tranſgredi. Et ſanè ratio eſt, & ſenſus dictorũ ita admonet, ut recte ac probabiliter uerſum translatũ intelligamus. Eſt enim cũ illis & nobiſcũ ita: Dormitauit anima mea præ tædio.) Et ſuperior omnis ſermo & cõſequens humilitatis & infirmitatis confeſſionẽ in ſe habet, cũ pauimento anima mea adhæſit, cum peccatorũ uiæ confitentur, cũ intelligentiã uiæ iuſtificationum orat. Conſequens ergo eſt, ut nunc animam ſuam præ tædio mortalis habitaculi dormitare conqueſtus ſit, quæ nondum iuſtificationum

Νυσάζω dormito, σαλάζω ſtillo, notat hoc Ambroſius, & legit ſtillauit, Hieronimus uertit diſtillauit.

ſicationum uiam intelligat, quæ etiam non pauimento adhæſerit. Atque ob id in uiſs dei confirmandum ſeſe orat, quia præ tædio dormitet. Sed hic ea ratio ſeruata eſt, ut dormitare ſe non dormire dicat: Quia qui dormit in ipſo ſomni opere eſt, qui autem dormitat, antequàm dormiat dormitat. Quæ & in alio loco ratio ſeruata eſt, cum dicat: Ecce non dormit, neq; dormitabit qui cuſtodit Iſraël. Sed & illic ubi meminit: Si dedero ſomnũ oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ. Dormitationem dixit palpebrarũ, ſomnũ uero eſſe dixit oculorũ, quia palpebrarum officium eſt, ut ſomnũ ex dormitatione conciliẽt. Propheta igitur etſi dormitat, nõ tamẽ dormit, atq; ob id ne dormitãs obdormiat adiecit: Confirma me in uerbis tuis, id eſt, ut per omniũ iuſtificationum, quas ſuperius memorauit, intelligentiã confirmatus non modo non dormiat, ſed etiã ſine aliqua dormitatione peruigilet. Ait enim poſt hæc: Viam iniquitatis amoue à me, & lege tua miſerere mei.) Promptũ fuerat dicere: iniquitatẽ amoue à me, ſed licet infirmitatis ſuę conſcius, cum meminerit in corpore ſuo uiam ineſſe peccandi, tamẽ per timorem dei à peractione peccati omnis alienus eſt. Viã igitur peccati qua ad peccatũ pergere promptum eſt amoueri à ſe deprecatur, id eſt, omnia corporaliũ uoluptatum deſideria auferri, nec tentationẽ aliquã concupiſcentiæ, aut ignorantiæ qua tanq; per uiam ad peccatũ itur ingruere. Nec ſolum id orat deum, ſed etiã ut per legem ſuã miſereatur eius. Per legẽ autem hoc modo miſericordiam cõſequetur, quia ut ſuperius oſtendi, ita in lege eſt ſcriptum: Et nũc Iſraël quid dominus deus tuus poſcit à te, niſi ut timeas dominũ deum tuũ, et ambules in omnibus uiis eius, & diligas eum, & ſeruias domino deo tuo ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & cuſtodias præcepta domini dei tui, & iuſtificationes eius, quas ego præcipio tibi hodie, ut bene ſit tibi: Ergo cum lex doceat in uiis dei ambulandum, ut ambulanti in his bene in poſterũ ſit, & nunc fortè propheta oret uias iniuſticię à ſe amoueri, ſibiq; ut deus miſereatur ex lege, id orat quod lege concluſum eſt, ut in uiis dei ambulãs in beatitudine collocetur. Dehinc ſequitur: Viã ueritatis dilexi, iudicia tua nõ ſum oblitus.) Viã multi diligũt, ſed nõ omnes diligunt uiã ueritatis. Et quicunq; aut uoluptatũ, aut diuitiarum, aut honorũ uiã ineunt, ſed & qui hæreticorũ doctrinis uagi & incerti & impij differunt, in uia quidẽ ſunt, ſed non in uia ueritatis. Sed, ppheta ex ſpiritu eius loquit qui aſſumpto corpore dicturus poſtea erat: ego ſum uia, ueritas & uita. Et quia hoc iudiciũ eſt, ſecundũ quod in euãgelijs continet. Hoc em iudiciũ eſt, ut qui credit in me habeat uitã æternã. Merito propheta ait: Viã ueritatis dilexi, & iudicia tua nõ ſum oblitus. Nobis enim hæc ad cognitionẽ poſterius dicta ſunt, ſed propheta in his & uiuit & loquitur. Cohæret aũt ſibi doctrinę & cõfeſſionis propheticæ ſermo. Ait enim: Adhæſi teſtimoniis tuis domine, noli me confundere.) Quia ueterũ & anteriorum peccatorum ueniã teſtimoniis domini adhęrendo ſit meritus. Scit em uerbis dei dictũ eſſe: Ecce deleã ut nubẽ iniuſticias tuas, & tanq; nebulã peccata tua. Dominus potens eſt omnia ea quæ in nobis pudoris & confuſionis ſunt, amouere, ſi & nos dicere cum libertate poſſimus: Adhęſi teſtimoniis tuis. His enim adhęrentes, confuſione pudendorũ & anteriorum criminũ liberamur, ſed concludẽtur omnia ſuo ordine & ſuis rebus. Superius enim ait, Viã iniuſtitiæ amoue à me. deinde ſubiecit: Viã ueritatis dilexi. tertium id ſequitur: Adhæſi teſtimoniis tuis. nunc deinde ita finit:

In uia præceptorum tuorũ cucurri, cum dilataſti cor meũ.) Per gradus ad id uentum eſt uiæ iniquitatis amotæ, uiæ ueritatis dilectæ, teſtimoniorum indiuiſibili ſocietate, ut in uia mandatorum dei curreretur, ſed uia quæ ad uitã ducit, & anguſta, & tribulata eſt. Anguſta, quia diligenter & caute in ea ingrediendũ eſt: Tribulata, quia per multas tribulatiões & paſſiones aditur. Ergo inſolens propheta

exiſtimabitur

existimabitur, qui se tam hanc currere glorietur? Meminit autē inter innocentiæ studium & humilitatis confessionem sermonum suorum moderandam esse uirtutem. Idcirco postea quàm dixerat: In uia mandatorū tuorū cucurri, hoc addidit: cum dilatasti cor meum. Dilatatum est cor, quod per fidem capax doctrinę dei panditur. Et hoc de credentibus dictum est: Et inhabitabo & inambulabo in his. Cor igitur dilatatur, in quo sacramentū patris & filij residet, in quo capaci habitatione spiritus sanctus dilatatur Meminit & Salomon dicēs: Sapiētia in exitibus canitur, in plateis cū libertate agit. Verbi utriusq; huius latinitas nostra uel obscuritatem nobis affert, uel alterius intelligentiæ opinionē præbet. Nam quod nos in exitibus dicimus, Græcitas ex Hebręo ἐν ἐξόδοις trāstulit. Et exodus proprie est, ubi ex multis angustis uijs in unā patentē uiam coitur. Quod uero nos plateas nūcupamus, eodē nomine Gręcitas nuncupauit. Sed plateas† latitudines esse Gręcus sermo designat, & nos putamus has esse urbiū uias. Ergo sapientia, quæ Christus est, in uia illa in qua nobis ex multis egressus est, canitur. In latitudinibus autē cum libertate agit, in quibus nō solū habitare, sed etiā deambulaturā se esse promisit. Ergo uiam domini propheta libere currit, postea quàm dilatato corde esse cœpit. Non enim ante potuit uiam dei currere, q̄ ipse illa digna & ampla deo efficeretur habitatio.

† ἐν δὲ πλατείαις Imò latas

ה He.

EGem pone mihi domine &c. usq; ibi: in æquitate tua uiuifica me.) Inusitatā ac nouam deprecationē prophetæ in primo quintæ literæ uersu inuenimus. Ita enim cœpit: Legē statue mihi domine uiam iustificationum tuarum.) Sed rationem consequi uersus huius ex Latina interpretatione difficile est. Per conditionē enim communis sermonis nostri non ita absolute potuit uirtus uerbi Græci & Hebraici explicari. Græci nanq; ex Hebræo transtulerunt, νομοθέτησόν με κύριε, τὴν ὁδὸν τῶν δικαιωμάτων σου. Orat enim in hoc uersu, ut sibi lex statuatur iustificationū. & quod Græce est νομοθέτησον, ad eiusdem sensus intelligentiam Latinitas explicare non potuit. Propheta ergo orat, ut uiam iustificationū suarum legē sibi dominus constituat, id est, ut qua lege uiam iustificationum dei adeat & intelligat, sciat. Non enim uiæ tantum ait, sed iustificationū uiæ postulat legem. Et quę tandem iustificationis uia lex erit? Nam in communibus & terrenis uijs legem meminimus esse in spacijs mensuras, cum passuum mille interualla quædam legis uiæ signa statuuntur, cum mansionum requies disponitur, cum usque ad urbem refectione uiantium congrua rursum mansionum interualla dimensa sunt. Sed etiam tunc cum ex Aegypto populus per rubrū mare pedester transiuit, legem quandam uiæ suæ meminimus, et nō humani arbitrij iudicio sed diuini constitutā in columna ignis & nubis. Nam cum oporteret populū iter agere, columna ignis nocturno tēpore anteibat, die uero columna nubis. At cū placitū deo fuisset, diu in hisdem castris populum cōtineri, columna neq; ignis noctu prouehebatur, neq; nubis die anteibat. Legem itaq; hanc uiæ statuit, & si diligenter stationes eas, mansionesq; castrorū, & conditiones locorū quæ Exodo cōtinentur, retractemus, magna in ipsis cœlestis itineris mirabilia cernemus. Ob quod frequenter propheta orauit, dicens: Cōsiderabo mirabilia de lege tua. Sed non iam istis se uiæ legibus contineri propheta orat, non enim uię legem, sed uiam iustificationum popposcit. Scit esse uiam testimoniorum, cum dicit: In uia testimoniorum tuorum delectatus sum. Scit esse uiam præceptorum, cum ait: Viam præceptorum tuorum cucurri. Nouit etiam uiam legis, cum beati sunt qui ambulant in lege domini. Scit esse hanc uiam iustificationū, de qua nunc deprecatur: scit etiam esse uiam in prophetis, scit esse uiam in euangelijs, scit

etiam uiam in apoſtolis, de quibus ſæpe teſtatus eſt. Vult ergo per uiæ huius legem uſq; in perfectam illam uitæ uiam tendere. Plures enim ſunt hæreticorũ qui uiam legis probant, plures qui prophetarũ, multi qui euangeliorum, multi qui apoſtolorum. Scimus etiam quoſdam non omnibus his uĩjs eſſe contentos, ſed ſcriba doctus nouit diuitis patrisfamiliæ ſe exemplo de theſauris proferre uetera & noua. Hanc igitur iuſtificationum uiæ legem propheta deſiderat. Lex enim iuſtificationum quibuſdam religioſi cordis diſciplinis continetur, & intra fines nos conſtitutionis ſuæ quibus ſe uerteret, arctauit, ne excedentes eos ad opiniones hæreticæ intelligentiæ euagaremur. Non uult igitur ab ea lege excedere, quam cõſtitui ſibi orat. Sed in quam cauſam hanc legem orat inſtitui? Scilicet ut exquirat eam. Lex erat iuſtificationũ per Moſem ſcripta, & hanc propheta operibus exercebat. Non ergo hanc ſtatui ſibi orat, quæ iam ſtatuta erat, & ab eo religioſe agebatur, ſed eam quam optat inquirere. Quid ergo optat inquirere? Finem ſcilicet legis. Et quis erit finis legis? Apoſtolum audiamus: Finis enim legis Chriſtus eſt. Sed per has iuſtificationũ uias, quibus ſtatuta lex fuerit, finem legis optat exquirere: neq; ſolum exquirere, ſed ſemper exquirere. Ita enim ait: Et exquirã eam ſemper.) Officium exquirendi non ſuffecerat per uoluntatẽ, niſi etiam indefeſſa ab eo temporis continuatione gereretur. Da mihi intellectũ, & ſcrutabor legem tuã, & ſeruabo eam in toto corde meo.) In Prouerbijs Salomonis ſcriptum meminimus: Ignorando ſapientiam ſapienter interrogantibus ſapientia deputatur. Quo ſenſu id oſtendi uidetur, quòd qui nõ intelligat, & ſapienter interroget, ſapere credatur. Hoc itaq; eò proficit, quia propheta in lege manens, & ſecundum Apoſtolum Hebræus ex Hebræis octaua die circunciſus, & ſecundum genus ex tribu Iuda, & ſecundum gratiam corporeæ unctionis, & rex electus, & Chriſtus, & ſacramento dominicæ natiuitatis dignus, cuius filius Ieſus Chriſtus eſſet tanquã peregrinus legis, orat: Da mihi intellectũ, & ſcrutabor legẽ tuam, & ſeruabo eam in toto corde meo.) Nondum ergo ſeruat, nondum ſcrutatus eſt, nondum intelligit. Non ergo de ea lege loquitur, in qua natus eſt, eruditus eſt, operatus eſt propheta. Sciens itaq; primã partem eſſe prudentiæ, ut quis quod non intelligit, ſapienter interroget, & quod ignorat, intelligat, idcirco intellectũ ut accipiat rogat. Sciens uero adepto ſpiritu intelligendi, ſtudio opus eſſe ſcrutandi, ait: Et ſcrutabor legẽ tuam. Scrutationis aũt fructum huius rei cuſtodiam eſſe cognoſcens, dixit: Et ſeruabo eam. Intelligens uero perfectam cuſtodiæ diligentiã in toto eſſe cordis officio, conſummauit omnem ſermonis ſui ordinem, dicens: Da mihi intellectũ, & ſcrutabor legem tuam, & ſeruabo eam in toto corde meo. Sed quid tandẽ iſtud eſt quod intelligere optat, quod ſcrutaturum ſe & ſeruaturum toto corde promittit? Meminit nanq; non ocioſos dies Moſi libro in mundi huius operatione monſtrari. Scit non ſuperfluã eſſe diei ſeptimi requiem. Recordatur in menſis noui religionem ſacramentum feſtiuitatis cœleſtis tanquam in ſpeculo figurari. Nouit annum illum quo poſt ſex annorũ ſeruitutem liber Hebræus eſt, quo poſt multam operationem requieſcit, fructibus eius relictis proſelyto pauperi & beſtijs terrę, quo & debita uniuerſa Hebræis omnibus remittuntur. Quinquageſimi quoq; anni legem concupiſcit ſcrutari. Vult quæ ſit in primo menſe decimi diei uſq; in quartamdecimã, & deinde uſq; in uigeſimã primam religio, illam quoq; ſeptimi menſis cogitat ſolennitatem, cuius memoriale in tubis eſt. Decimi quoq; diei in eo placationẽ, & poſt quintam decimã in tabernaculis dierũ octo lætitiã. Quomodo ex his & prima & octaua ſit ſancta. Scit circunciſionem primã fuiſſe, ſcit & iteratam per Ieſum eſſe geſtam. Azyma ſancta deſiderat, litare paſcha concupiſcit, de quo in agni ipſius immolatione ſcriptũ eſt: Hoc eſt paſcha domini. Terram repromiſſionis, terrã fluentem lac & mel, ſcit nondum

Allegoriæ legis

uere à

uere à populo, qui ſecundo eſt circunciſus, obtentam. Ob hæc igitur intellectum orat: hæc intelligens ſcrutaturum ſe pollicetur: hæc ſcrutatus ſeruaturum ſe profeſſus eſt: hæc ſeruans in toto corde cuſtodiet. Poſt ſequitur: Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, quia ipſam uolui.) Et in hoc nunc uerſu ſermonis uirtus non proprie per conditionē translationis expreſſa eſt. Nam id quod noſtri ita dixere: Deduc me in ſemita, Græcitas ſic locuta eſt, ὁδήγησόν με, et id quod cū illis τρίβῳ dicitur, trita & frequentata diſcurſibus ſemita intelligitur. Nobiſcū aūt ſemita poteſt & eſſe ſemita, & eſſe non trita. Ergo quia Græcitas utruncꝫ eadem nuncupatione cōplexa eſt, nos quocꝫ ita ſentiamus, & ſemitā equidem ſciamus eſſe quæ trita eſt. Et obſeruandum eſt, quod hic non legis, ſed mandatorū ſemitam eſſe dicat. Via enim legis Moſi gradienda eſt, poſtcꝫ ipſa conſtituta eſt, quia in mandatis dei iam à ſeculi inſtitutione perrectū ſit. In hac enim ſemita & Abel cucurrit, & Seth inſtitit, & Enoch placuit, & Noë reſeruari meruit, & Melchiſedech & benedicere potuit, & decimas accepit, & Abraham amicus dei eſt, & ex Iuda expectatio gentium eſt, & Ioſeph in teſtimoniū poſitus eſt, Iob à lege liber de hoſte legis triumphat, & Hebræū Moſes uindicat, & Ieſus ſecundo Iſraël circuncidit, & Samuhel dignus in ungendo rege eligitur. Et nunc in hanc orat ſe hic & unctus, & rex, & propheta deduci. Scit enim imbecillam ſibi eſſe naturā, necꝫ ſe poſſe hanc ſemitam ſine duce aggredi. Dux enim eſt, cū dicitur: Retro poſt eum ambulabis, quoniam ipſe te deducet. Deducet autem, cum ait: Qui nō tulerit crucem ſuam, & ſequutus me fuerit, non eſt me dignus. Deducit etiam, cum prior omnem euangelicarū paſſionum ſemitam triuit. Si Apoſtoli docent, prior ille docuit. Cōſtituit enim ſapientia amicos dei & prophetas. Si iuſte nunc aliquid geritur à nobis, princeps iuſticiæ noſtræ eſt. Eſt enim ipſe iuſticia. Si ob fidem, ob terrorem flagellamur, flagellis ille dorſum ſuum præbuit. Si alapis ad iniuriam cædimur, has ille ſuſcepit. Si per contumeliam cōſpuimur, faciem ſuam ille nō auertit à ſputis. Dux in omnibus ille eſt, ſed dux eſt diligentibus legem, quam ſuperius ſe toto in corde cuſtoditurum propheta profeſſus eſt. Non enim hic ſecundum ſermonem Græcitatis, cum dicitur: Quia ipſam uolui, ad ſemitam mandatorum referri poteſt, quia Græcitas, ubi fœminino genere ſemita ſcripta eſt, id quod uellet, maſculino genere pronūciat. Lex enim à nobis fœminino genere nuncupatur, quæ Græce nomos dicta eſt, quod ab his genere maſculino enunciatur. Et cum illic fœminino genere ſemita nuncupetur, id quod uoluit ad id refertur, quod per maſculinum genus Græcitatis proprietate memoratum eſt. Sequitur nunc: Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in utilitatem.) Omnia propheta ad munus dei retulit, ſiue ut lex iuſtificationum ſibi ſtatuatur à domino, ſiue ut ſibi intellgētia præſtetur, ſiue ut deducatur in ſemita, ſiue ut cor eius in teſtimonia inclinetur, id eſt, in ea quæ ſub teſtibus ſcripta ſunt. Teſte enim cœlo & terra, lex tradita eſt. Sed fortè per hanc prophetæ religioſam modeſtiā quiſquā impie loqui ita audebit: Si, inquit, omnia à deo ſunt, humana ergo ignorantia caret culpa, cū nihil obtinere poſſit, niſi quod donatū à deo ſumpſerit. Et primū hoc impiæ eſt uoluntatis exiſtimare, idcirco ſe ea quæ ſunt credentium propria nō conſequi, quòd ſibi à deo indulta nō fuerint. Sed omnē occaſionem huius impię excuſationis propheta ſubmouit. Primū enim cum orat, cōuenies infirmitati ſuæ egit officiū, dehinc dei muneribus humanæ deuotionis ſtudia cōnexuit. Cum enim ait: Legē mihi ſtatue domine uiam prȩceptorū tuorum, quid ſecundum orationis noſtræ humilitatē dei eſſet oſtendit. Cum aūt ſubiecit: Et exquiram eam ſemper, officiū deuotionis ſuæ protulit. Et in cæteris quocꝫ utruncꝫ quodam cōplexu ſibi inuicem colligauit, cū deduci ſe in ſemita poſtulauit, & cum id ipſum uoluit. Prius enim quæ à deo ſunt, cum honore præpoſuit, & tunc quæ à

ἐν τῇ τρίβῳ

Liberum arbitrium

se cum cõfessione subiecit. Orat igitur ut deus tribuat. Est ergo à nobis cũ oramus exordium ut munus ab eo sit: dehinc quia de exordio nostro munus est eius, ex nostro rursum est, ut exquiratur & obtineatur & maneat. In eo aũt quod ita se habet: Inclina cor meum in testimonia tua, & nõ in utilitatẽ, quidam transtulerũt: Inclina

Imò nunc omnes interpretes habent auaritiam, nec πλεονεξίαε significat utilitatẽ. Ambrosius ostẽdit in nonnullis codicibus fuisse scriptum, utilitatem

cor meũ in testimonia tua, & nõ in auaritiã. Id enim quod in Hebræis codicibus continetur, ambigua in definitione utriusq; intelligẽtiæ positũ est. Sed nos, sicut oportet, sequimur Septuaginta interpretẽ religiosam & antiquã autoritatũ, ex iudicio tamen cæterorũ translatorum proprietatẽ intelligentiæ huius, quæ est difficilis, captãtes. Cum enim hi dixerint, in utilitatẽ, illi dixerint, in auariciã, per id ipsum quo modo utilitas hic nunc sit subiecta noscẽ. Nam seculi homines pecuniã, argentũ, aurum, & cætera opum instrumenta utilitatẽ uocant. Ergo cũ in dei testimonium inclinari cor suum, & non in utilitatẽ propheta orat, inclinatũ in dei testimoniũ cor ab his sine dubio refert, quæ humano iudicio existimantur utilia. Et quidem intelligentiæ nostræ sensum uersu eo qui cõsequitur, cõfirmat. Ait enim: Auerte oculos meos ne uideant uanitatẽ, & in uia tua uiuifica me.) Vanitatẽ eorum dicens, quæ ab hominibus existimãtur utilia. Et quærendũ est, quos oculos, & à qua uanitate oraret auerti. Orat aũt & animi & corporis oculos, eos scilicet, qui in theatralibus ludis captiui incubant, eos qui Circensium certaminibus seruiunt, eos qui uestium precia mirantur, eos quos auri splendor & gemmarũ uarietas occupat. Nisi fortè nõ magis equorum cursu astrorũ cursus est gratior, & obscœnis illis spectaculorũ turpium fabulis, nõ amœnius diuina illa humanæ spei eloquia cantant. Nisi fortè huic terrenorum metallorũ usui non magis æternitatis repositæ diuitiæ honor & gloria præferetur, & blandior mihi erit auri species, q̃ hominis, & terræ, & lucis, & cœli? Ab eorũ igitur uanitatibus auerti oculos, & hos corporis sui, & illos animę deprecatur, de quibus occæcatis beatus Apostolus docet, cũ ait: In uanitate sensus eorũ intenebrati, alienati à uita dei. Et auersorũ oculorum à uanitate quod præmiũ sit, longe requirendum est. Sequitur enim: Et in uia tua uiuifica me. Declinandi enim à uanitate sunt oculi, ut nobis in uia dei uita sit, nõ ea uita quæ nũc est, sed ea quæ in cœlis reposita est, & in Christo absconsa. Ita enim in omni hoc psalmo locutus est, tanq̃ uicturus sit, nõ modo uiuat. Erigendi igitur oculi sunt, quibus Christi potius gloria, quàm mũdi huius inania & uana cernantur. In uia enim dei referentes oculos à uanitate uiuemus. Dehinc sequitur: Statue in seruo tuo eloquium tuũ in timore tuo.) Nouit à plurimis propheta eloquia dei sine metu non suscipi. Plures enim auditas cœlestis eloquij scripturas tanq̃ fabulam rerum inanium negligunt, & dei uerba quæ præterire cœlo & terra prætereunte non possunt, magno cum periculo irreligiosæ temeritatis irrident. Nouit initium sapientiæ dei esse timorem, nouit in illa septiformis spiritus gratia timorẽ in postremo tanquã firmamentum eorum quæ superius sunt dicta numerari. Constitui ergo in se dei eloquia in timore dei precatur, quia scit ea nobis eloquia futura esse, quæ tanquã dei timebuntur, utilia. Dehinc adiecit: Circuncide opprobriũ meum quod suspicatus sum, quia iudicia tua iucunda.) Propheta in corpore positus loquitur, & nemi-

Imò multi nunc sunt

nem uiuentium scit sine peccato esse posse. Vnum meminit esse, qui peccatũ non fecit, nec; dolus inuentus est in ore eius. Ergo cũ circuncidi à se opprobriũ deprecatur, peccata circuncidi orat, quia peccatũ sequatur opprobriũ. Sed cum circunci di à se orat, non tanquã de admisso perpetratoq; cõfessus est, sed quia id per infirmitatem carnis suæ in se suspicatur habitare. Non enim ait: Circuncide opprobrium meum quod perpetraui, sed: Circuncide opprobriũ meum quod suspicatus sum, suspicationem opprobrij ex conscientia propriæ infirmitatis ostendens: In iudicijs enim multi ad opprobriũ resurgent. Quæ quia his iucunda sunt, in quibus peccati non

ti non manebit opprobriũ, ipſam illam quæ in ſe eſt ſuſpicationem opprobrij à ſe circuncidi orat, ut ſibi dei ſint iucunda iudicia. Ac ne de admiſſa peccati cõſcientia precatus eſſe exiſtimaretur, circunciſionẽ omnem, quam ſub ſingulis octonis uerſibus defert, hac libertate cõcluſit: Ecce concupiui præcepta tua, in æquitate tua uiuifica me. Superius orauit, ut in dei timore, dei in ſe ſtatuerentur eloquia, de hinc ut à ſe ſuſpicitio circunciderétur opprobrij, nunc concupiſcentiã ac deſiderium ſuum erga dei præcepta demonſtrat, & ut in æquitate dei uiuificetur, orat, ſciens propriũ diuinæ æquitatis eſſe munus, ut uificet eum, qui & præcepta dei ſeruauerit & deſiderauerit, cui & circunciſa opprobrij ſuſpicitione iucunda iudicia ſint, & in timore dei in ſe conſtituantur eloquia.

ו Vau.

ET ueniat ſuper me miſericordia tua domine, ſalutare tuũ ſecundum eloquiũ tuum.) Plures ſecundum Apoſtolum ſunt, qui ſapientiam ſeculi ſequentes, ſapientiã dei reprobauerũt. Ob quod ſtultam fecit deus ſeculi ſapientiam. Quid enim infidelibus ſtultius eſt, qui præter illum cõmunem irreligioſorum errorem etiam hoc adijciunt piaculi, ut diuinarũ ſcripturarum eloquia putent perfectæ doctrinę carere ratione? Et quia pro impietate ingenij ſui diuinorũ dictorũ capaces eſſe nõ poſſunt, ad contumeliam cœleſtiũ uerborũ pro excuſatione hebetudinis ſuę prorumpũt, dicẽtes, in his nihil rationabile, nihil eſſe perfectũ, uolentes ea quæ à ſe dicantur, ſola eſſe erudita, & doctrinæ ſuæ prudentia expolita, ſtulti, deo negãtes, quæ aſſumere ipſi ſibi audent. Nec mirum eſt, ſi irreligioſe de eis opinantur, quorũ pecuinæ hebetudinis modo intelligentiã non conſequunt. Verum q̃uis in eo ſermone quem ſuperius habuimus, hi qui ſapientiã dei ſequuntur, cognitã dictorũ cœleſtiũ perfectionem exiſtiment, nihilq; eorum eſſe, quod non conſummatũ, atq; omni ex parte perfectum ſit, tamen id quoq; etiã in his ſextæ literę uerſibus abſolutius licebit intelligi. Poſt ſuperiorẽ enim ſenſum ita loquitur: Et uenit ſuper me miſericordia tua domine, ſalutare tuum ſecundũ uerbũ tuum.) Miſericordiã itaq; primũ deprecatus eſt, dehinc ſalutare. Salus enim noſtra ex miſericordia dei eſt, & bonitatis ſuæ hoc munus in nobis eſt: & inde cœpit oratio, unde & ſalus inchoat deprecãtis. Dehinc ne ex incerta & ex inopinata ſpe precari propheta exiſtimaretur, primũ miſericordiam, dehinc ſalutare cõmemorat, tum tertio ſubiecit, ſecundũ uerbũ tuũ, ut hanc orandi fiduciã proficiſci ſecundũ uerbũ dei, id eſt, ſecundũ doctrinã legis oſtenderet. Poſt hunc itaq; perfectæ orationis ordinẽ id ſequitur: Et reſpondebo exprobrantibus mihi uerbũ, qua ſperaui in uerbis tuis.) Tenet ordinẽ ratio perfecta: Si, inquit, in me ueniet miſericordia tua, & ſalutare tuum ſecundũ uerbũ tuum, & ita fuero miſericordiã conſecutus, & à te cõſeruatus ut ſpopondiſti, cõſequens erit ut in his qui inſipientiã mihi, & errorem ſpei, & uerbum hoc quod in te ſpero exprobrant, reſpondeã. Quid itaq; aduerſus hanc prophetę reſponſionẽ exprobrare irreligioſa mens poterit? Miſericordia primũ oratur à deo, ſalus etiã expectatur à deo, & inde eam ſpopondiſſe per uerbum ſuum deus oſtenditur. Concluditur itaq; exprobrantiũ impietas ab his qui in dei uerbis ſperant, cum quando deus precatur, & miſericordiã & ſalutem ab eo credentiũ fides ſperat, & doctrina hæc ſpei noſtrę ſit, ut oratus miſereatur & ſaluet. Dehinc ſequitur: Et ne auferas de ore meo uerbum ueritatis uſquequaq; nimis, quia in iudicijs tuis ſperaui.) Accipiat humana inſolentia humilitatis modeſtiæq; doctrinã. Prius propheta concedi ſibi orat, q̃ ſe id mereri ut obtineat oſtẽdat. Omnia uult à bonitate dei in ſe inchoari, nec tamen cauſam fiduciæ ſuæ ſubtrahit. Ait enim: Et ne auferas de ore meo uerbũ ueritatis uſque-

tis uſquequaq; nimis.) In quo primum maieſtatem eius confitetur, qui ſemper o/
randus eſt, dehinc ſe non ex inani ſperare ſubiecit, dicens: Quia in iudicijs tuis ſpe
raui. Humanæ autem temeritatis eſt hic mos, prius ad obtinendum aliquid meri/
tum quàm mereatur ingerere, & eum à quo quid poſtulet, tanquã ex officij debito
cõuenire. Sed non ſufficit nobis, ut modeſtiæ tantum tenuerit propheta rationem:
collocationes etiam uerborũ uirtutesq; conoſcendæ ſunt cur ita dixerit: Et ne au/
feras de ore meo uerbum ueritatis uſquequaq; nimis: omne oris officiũ cordis ſen
ſui motibusq; famulatur. Et cur propheta ne ab ore ſibi uerbũ ueritatis auferatur
oret, uerſus iſtius conſequentia docent. Non enim metũ hunc prophetæ fuiſſe exi
ſtimandũ eſt, ut ſibi ueritatis uerbũ ex corde ac ore uereretur auferri. Scit autem
quędam eſſe peccata, quę ex ore uerbũ auferant ueritatis. Peccatori enim dixit de
us: Quare tu enarras iuſtitias meas? Non enim ait: Quare memor es iuſticiarum
mearum? Sed peccatorẽ monuit eum, qui in peccato manſiſſet, prædicationis offi/
cio abſtinere, uult enim liberum à crimine eſſe doctrinæ cœleſtis prædicatorẽ, uult
eloquia ſua à caſti corporis caſto ore tractari. Cauendũ igitur eſt, ne quando ex o/
re noſtro uerbi ueritatis auferatur eloquiũ. Hinc illud eſt quod Apoſtolus monet:
Noli negligere quod in te eſt chariſma, ne per negligentiã ac deſidiam indigni prę
dicatione uerbi dei ſimus. Sed propheta nõ audet in tãtum ſe à peccato liberũ effi/
ci uelle, ut non meminerit unum ſolum eſſe qui peccatũ nõ fecerit, & dolus in ore
eius nõ inuentus ſit. Et idcirco ſubiecit: uſq; quaq; nimis, per modeſtiã ſcilicet con/
feſſionis, & ut non auferatur à ſe uerbũ ueritatis orat, & per honorẽ eius qui unus
tantum ſine peccato eſt, ne uſq; quaq; nimis à ſe auferatur expoſtulat, quia ſe ho/
minem meminit, qui per naturæ infirmitatẽ ſine peccato eſſe nõ poſſit. Cuſtodi
am legẽ tuam ſemper in ſeculum & in ſeculũ ſeculi.) Nullum propheta uitæ ſuæ
finem pertimeſcit. Non enim cõcluditur fides ſua ſeculis, ſed ſe in infinitatẽ tempo
rum officio cuſtodiendę legis extendit. Scit & altare à Moſe in exẽplum eſſe ſupe
rioris altaris extructũ, ſcit & Aron ſacerdo[illegible] ad ſpeciẽ eſſe oſtenſi in monte ſacer/
dotis ornatũ. Moſi enim deus ait: Vade fac omnia ſecundũ exemplũ quod oſtendi
tibi in monte. Feſtinat ergo in leges illas æternorũ ſeculorũ. Nam cũ lex futuri um
bra ſit, neceſſe eſt corpus illud ueræ legis æternũ ſit. Diſtinxit aũt hoc officiũ ab in/
defeſſa illa perpetui officij iugitate, dicens: Et cuſtodiã legem tuam ſemper in ſecu
lum, & in ſeculũ ſeculi. Cum ait: ſemper in ſeculũ, nullum in hac tẽporis uita ſubre
pendę obliuionis tempus admiſit. Cum aũt adiecit, & in ſeculũ ſeculi, ſcit per hanc
umbrã legis ad myſteriũ ueræ & æternæ legis aſcendi. Ait enim: ſeculũ ſeculi tan/
quam tẽporis tempus, ſuccedente quadã uiciſſitudine huius ſeculi ſeculũ ſit futu/
rum. Nouit eſſe ſecundũ euangelicũ diuitem & pauperẽ Lazarũ, exemptæ à cor/
poræ animæ legem, per quam alia ab alia chao impenetrabili ſeparetur. Scit ſecun
dum apoſtolũ Paulum reſurrectionis quoq; eſſe legẽ, in qua differt ſtella ab ſtella
in claritate. Scit eſſe leges angelorũ, cũ alij aſſiſtentes deum indefeſſa uoce collau/
dant, alij ante conſpectum inuiſibilis nobis dei, tanquã lege officij proprioris aſſi/
ſtunt. Nouit & puſillorũ angelos faciem dei quotidie ex quadã lege cõſpicere. Scit
utiq; eſſe ęternas leges, & eas omnes ſe in illo ſeculi ſeculo cuſtoditorũ eſſe cõfidit,
quia ea quæ per umbrã ſunt conſtituta, in hoc nunc ſeculo ſemper obſeruet. Et in
grediebar in dilatatione, quia mandata tua perquiſiui.) Non eſt anguſtus prophe
ta, & ſuperius iam dixerat: In uia pręceptorũ tuorũ cucurri, cũ dilataſti cor meum.
Scit inter humanarũ tribulationũ paſſiones ſemper ad deum patulo ſe eſſe corde
oportere. Quod ipſum Apoſtolus docet, dicens: In omnibus tribulati, ſed nõ angu
ſtiati. Nouit hac ipſa amplitudine cordis de ſe idem Apoſtolus gloriari, cum ad
Corinthios ait: Non anguſtiamini in nobis, ſed anguſtiamini in uobis. Patet etiam

hic pro/

hic propheta, dicente deo: Et inhabitabo in his, & inambulabo in ipsis. Angusta igitur peccantium sunt corda, & hospitio deũ mens polluta non recipit. Patulum enim domicilíũ incõceptibili deo opus est, & idcirco in amplitudine propheta ambulat, quia in eo in se loquẽtis habitatio est. Causam uero amplitudinis suæ docet, dicens: Quia mandata tua perquisiui. Naturæ nostræ consuetudinẽ recordamur, quotiensc̃ũq; lectioni uacantes, mandata dei & præcepta scrutamur, in quantã amplitudinem intelligentiæ mentiũ nostrarum dilatantur angustiæ, & q̃ patulus nostræ humilitatis in desideria diuina sit sensus. Per peccatorũ autem nostrorũ conscientiam coarctatur nobis omnis animæ amplitudo, ac difficilia omnia & angusta sunt, cum diuini uerbi habitatione sumus indigni. Sed ambulans in latitudine propheta, uersari in officio digno adeptæ amplitudinis debet, & uersatur planè. Sequitur enim: Et loquebar de testimoníjs tuis in conspectu regum, & non confundebar.) Hoc officiũ dilatati cordis est, ut ex eo inhabitantia diuinæ doctrinæ uerba procedãt. Loquitur enim propheta cõstanter aduersus principes terræ, deum prædicans. Et quidẽ duplex significatio sensus huius est, quia secundũ dominica præcepta oporteat à nobis Christum corã regibus & potestatibus prædicari, neq; nos terrenarũ potestatũ fas est iure terreri, quo minus omni cõfusione reiecta cõstanti & publica fide deum qui negantes negaturus sit non negemus. Potest & sermo ad eos referri, de quibus & Apostolus ait: Iam sine nobis regnatis, & utinã regnetis, id est, tanc̃q; in conspectu sanctorũ, qui utic̃q; frequẽter reges terræ sunt nũcupati, propheta dei testimonia sit loquutus, neq; cõfusus per prædicationẽ suam doctrinę cœlestis institituta præbere. Geminam aũt lectio intelligentiã ex se præstat, ut quia utrunc̃q; ex testimoníj scripturarũ intelligi promptum est, aut utrunc̃q; significatum existimetur, aut quod magis uidebitur probabile eligatur. Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi uehementer.) Non solum igitur loqui nos in testimoníjs dei cõuenit, sed legis mandata omnia diuturna meditatione percensere. Neq; tantum meditatio utilis est, nisi lex ipsa, quæ in meditatione est, diligat̃. Neq; díligere communi dilectione sufficiet, nisi etiã uehementer id quod díligitur diligat̃. Atq; ideo hunc omnẽ perfectę rationis ordinẽ sermo propheticus percurrit, dicẽs: Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi ualde. Et erexi manus meas ad mãdata tua quæ dilexi.) Manus ad mãdata ea quę dilígebat erexit, nõ utic̃q; cõtumelíosas aut procaces, sed mandatis humilitatis seruientes, sed operibus míserícordię insistentes, & fidei præcepta peragẽtes. Operis uero officiũ semper oportet esse intentũ, & nulla interdũ negligẽtis ocíj dissimulatione cessare. In hoc quoq; se manere propheta testatur, dicens: Et exercebar in iustificationibus tuis.) Exercitatio assiduitatẽ operationis ostendit. Frequentẽ itaq; sibi esse & semper intentã prę̃ceptorũ obseruantiam docet ad illas, de quibus supra memorauimus, cœlestiũ iustificationũ efficiẽtias, nunc se in iustificationibus prę̃sentis & ex futuris adumbratæ legis exercens.

ז Zain.

MEmor esto uerbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.) Omnis dei sermo qui scripturis diuinis continetur, in spem bonorũ cœlestium uocat. Atq; ob id propheta in omnibus se dei præceptis mansisse confidens constanter ait: Memorare uerbum tuum seruo tuo. Nunquid promíssi sui deus immemor est? Absit istud, ut aliqua subrepere in æternam atq; defessam uirtutem humanarũ infirmitatum genera credantur. Sed propheta qui promissis dei credidit, qui desiderio cœlestium detentus est, qui contemptu præsentiũ futura sperauit, non ad memoriã uerbi sui deum admonet, sed ut uerbi sui in se seruo suo memor sit deprecatur, id est, ut dignus habea-

tur,in quo uerbi ſui memor eſſe dignetur,quo in uerbo ſpem dederit.Et ſpem non inanem eſſe oportet,neq; uerbis tantummodo prædicari,ſed rebus ipſis doceri. Et ſi quando incidant infirmitates,perſequutiones,damna, orbitates, cõtumeliæ,has præſentis ſeculi minas ac poteſtates ſpe æternorũ promiſſorum conſolemur. Sed iam ipſis omnibus propheta perfunctus eſt,dicens: Hæc me conſolata eſt in humilitate mea,quia eloquiũ tuum uiuificauit me.) Hæc ad ſpem refertur,quæ ſperare eum in deum fecit.Conſolata uero eſt eum in humilitate, id eſt,cum contemnitur,cum irridetur,cum iniurijs uexatur,cũ contumelijs inhoneſtatur,ſciens hanc ſibi tentatiõ præſentiũ eſſe militiam.Sed ſe inter hæc infirmitatis ſuæ bella ſpes à domino præſtita conſolatur,uiuificatur autem per eloquia dei.Scit in his excellentem eſſe in cœlis humilitatis ſuæ gloriam.Scit animã eloquijs dei refertam, tanquã pabulum aliquod uitæ in ſe æternæ cõtinere. Non mouetur in eloquijs dei uiuens inani ſuperbientiũ gloria. Nouit enim indigentiã ſuam eorũ eſſe opulentia ditiorem.Scit ieiunia ſua cœleſti atq; euangelica benedictione ſaturari. Scit humilitatem ſuam glorioſo eſſe honoris præmio munerandã,atq; ideo ſubiecit: Superbi inique agebant uſquequaq;,à lege autẽ tua nõ declinaui.) Inter nimias & conſummatas ſuperborũ iniquitates,ualde enim inique agebant,nullo propheta deflexu à lege dei declinat. Oportet eſſe eum memorem iudiciorũ dei.In omni enim uitæ noſtræ genere memoria nobis diuini iudicij inſerenda & cõtinenda eſt, ut cum aliquid agimus,reſidente in nobis iudicij memoria,uel nunquam potius abeunte, præceptis dei opera noſtra famulentur,beatus erit,quiſquis non ſine memoria diuini iudicij omnia geſſerit.Quod de ſe profitetur propheta,dicens: Memoratus ſum iudiciorum tuorum à ſeculo,& exhortatus ſum.) Hic nunc à ſeculo tantum, non etiam à ſeculo ſeculi, quia omnia in nos iudicia dei ex ſeculi huius ac mundi temporibus inſtituta ſunt. In his aũt ſe hortatus eſt,inter nos ſcilicet mundi turbines,& inter hæc paſſionum corporalium prælia ad tolerantiam ac uictoriam inſtantium malorum humilitatẽ ſuam iudiciorũ dei memoria adhortatus.Deinde ſequitur: Defectio animę tenuit me à peccatoribus derelinquentibus legẽ tuam.) Virtutes propriæ ſuæ prophetę huic ad ſpem uitæ æternæ nõ ſufficiũt,neq; quod ſpem in uerbo dei habuit,neq; quòd in ſpe eadem collocatus eſt,neq; quòd dei uiuificatur eloquio,neq; quòd nõ declinat à lege, neq; quòd ſe per memoriã iudiciorum dei adhortatur, quin etiam dolore humanæ impietatis fatigatur, & ob irreligioſas hominum iniquitates exanimis eſt. Sanctus enim quiſq; cum cæditur,non humilitatis ſuæ qui cæſus eſt, ſed inſolentiæ eius qui cædit,miſeretur,ut à uæſano filio pater,ut ab amente ægroto medicus contumeliam paſſus,dolorem non ex eo quod perpeſſus fuerit, ſentit, ſed ob id quòd ille quem ſanũ eſſe cuperet, iniuriam ſibi uęſanus intulerit. Membro autem uno aliquid patiente,ſecundũ Apoſtolum, cõpatiuntur & cætera membra.Defectio itaq; ſecundum hæc tenet prophetam ſuper peccatores derelinquentes dei legem,affectu miſerantis ſcilicet & dolentis, & tanquã membris ſuis pro parte ægrotis,iniquiorũ & irreligioſorũ periculo fatigatur.Manet autẽ ipſe quantũ ad ſe iuſtificationibus dei ſemper intentus,& in omni quacunq; ſede habitat,nequaq; ex ore eius religioſæ confeſſionis hymnus abſcedit.Ait enim: Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco incolatus mei.) Exemplo ſuo docet,ſuſcepta ſemel in aures pſalmorum cantica,in corde eſſe continenda,& ſemper ea officio oris iteranda.Non negligenter,ut ipſe prædicat,legit atq; audit, neq; irreligioſitatis noſtræ modo diuina eloquia, aut occupatis in aliud aut incurioſis oculis legit,aut mox obliuioſis auribus excipit,ſed cantabiles mihi, id eſt, ſine intermiſſione cantatæ. In omni autem cuiuſque generis loco nequaquam à ſe abeſſe pſallendi conſuetudinem docet, cum ait: In loco incolatus

mei.Non

mei. Non enim ait: In incolatu meo, ſed ita ait, in loco incolatus mei, in quacunq; ſcilicet ſede manſiſſet, intelligens ſe mundi huius eſſe peregrinum, dei tamen ſemper ſibi iuſtificationes eſſe cantabiles. Sed quàm cantabiles ſint iuſtificationes dei oſtendit, cum nullum omittat tempus, quo nō in illo cœleſtium ſacramentorū operetur. Ait enim: Memor fui nocte nominis tui domine, & cuſtodiam legem tuam.) Scit præcipue nocturno tēpore diuini eſſe à nobis nominis recordandum: ſcit tum maxime cuſtodiā dei legis à nobis eſſe retinendam, cū ſubrepunt animo impuræ cupiditates, cum uitiorum ſtimuli per recens aſſumptū cibum corpus exagitant, tum dei nomen recordandum eſt, tum cuſtodienda lex eius eſt, pudicitiam, continentiā, timorem dei ſtatuens. Nouit hoc præcipue tempore dominum orandum, deprecādum, promerendum, dicens in loco alio: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Non eſt periculoſo nocturnarū uigiliarū ocio animus relaxandus, ſed in orationibus, in deprecationibus, in cōfeſſionibus peccatorū occupandus eſt, ut cū maxime corporis uitijs opportunitas datur, tum præcipue eadem uitia diuinæ legis recordatione frangantur. Sequitur deinde: Hæc mihi facta eſt, quia iuſtificationes tuas exquiſiui.) Hæc ad memoriam refertur, per quam memor fuit noctibus nominis dei. Quod aūt ait: Mihi facta eſt, id eſt, nō ſubito recurrens, neq; temporarie aſſumpta, ſed ſemper in ſe manens, & intra ſe quodam fidei opere inſtituta, & ob id ei facta, quia iuſtificationes exquiſierit. Vtile igitur eſt, iuſtificationes dei ſine aliqua temporis intermiſſione ſcrutari, quia per exquiſitionem earum eius memoriam nos perpetem continemus in Chriſto Ieſu, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

ח Heth.

POrtio mea dominus dixi ut cuſtodiā legem tuam &c. uſq; ibi: Iuſtificationes tuas doce me.) Plures pſalmorum codices legentes & nos ita opinabamur uerſum qui octauę literę primus eſt, id eſt, hunc portio mea dominus, in ſuperioribus ſeptimæ literæ octo uerſibus contineri, quia ita in Latinis codicibus, atq; etiā in nonnullis Græcis ſcriptum continebatur, & ſanè abſolutior ſenſus uidebatur. Sed ſecundum Hebræos emendatū apud Græcos pſalmorum librū legentes, inuenimus hunc uerſum nō ſeptimæ literæ nouiſſimū eſſe, ſed octauæ primū. Itaq; ſecundum hanc cognitionem nos quoq; tractare de eo aggreſſi ſimus. Cœpit enim ita: Portio mea dominus dixi ut cuſtodiam legem tuam.) Rarus quiſq; eſt, cui iſta fiducia eſt, ut portionē ſuam eſſe deum audeat dicere. Renunciandū eſt ſeculo omnibusq; rebus eius, ut nobis deus portio ſit. Cæterū ſi nos ambitio detineat, ſi cura pecunię occupet, ſi illecebrę libidinum capiant, ſi negocia rerum familiariū demorentur, portio nobis dominus nō erit, ſeculariū curarum atq; uitiorū poſſeſſione detentis. Moſi cum iuſſum eſſet portiones incolatus diſtribuere duodecim gentibus Iſraël, ita de tribu Leuitica præceptū eſt: Filijs Leui nō erit portio neq; ſors in medio fratrum ſuorum, quia dominus deus eſt pars eorum. Et rurſum ſcriptū meminimus: Ego dominus pars eorum. Nullam ergo deo ſeruientibus lex data terrenam eſſe uoluit portionē, quia pars eorū deus eſſet. Meminit & euangelij prædicator ille Petrus, nullam ſibi eſſe portionem poſſeſſionis humanę, cum oranti alimoniā reſpondit: Aurum & argentum nō eſt mihi, quod aūt habeo hoc tibi do. Quid eſt iſtud Petre quod poſſides? Renunciaueras omnibus deo tuo, dicens: Ecce nos omnia dereliquimus, & ſecuti ſumus te, quid erit nobis? Et tibi ille reſponderat: Amen dico uobis, quòd uos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione ſedebitis ſuper duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Iſraël. Et exemplo ueſtro cęteris relinquentibus cuncta ſpoponderat, quòd

Nūc ſecus eſt

quod & centuplum acciperent, & dehinc uitam æternam poſſeſſuri eſſent. Quid eſt igitur iſtud Petre quod habes? Habes planè & non audeo dicere plus te centuplo obtinere: dico tamẽ te ſine multiplicatione calculi poſſidere. Dicis enim, quod habeo hoc tibi do, in nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula. O felix poſſeſſio, o perfecta dei portio. Non terrena largiris, ſed naturæ opus rependis, & uitioſi partus damna inſtauras. Claudũ natum ingredi iubes, & multę ætatis uirum inceſſu rudi incitas. Has opes tribuit, cui deus portio eſt. Nouit & Paulus diuitiæ ſuæ glorias, dicens: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce domini mei Ieſu Chriſti, per quẽ mihi mũdus crucifixus eſt, & ego mundo. Talis Apoſtolo gloria, talis eſt portio. Humanarum igitur hæreditatum modo portionem, quæ melior eſt, & quæ utilior eligamus. Si circa terrena patrimonia ſua in cohæredum diuiſione quis nititur ſortem cõmodioris portionis appetere, quanto propenſiore cura partem cœleſtis hæreditatis diligemus? Centuplum dominus promittit, & centuplũ non in æternum, ſed in præſens. Aeternorum autem bonorum immenſa & infinita retributio eſt. Cæterum ſub definitione centupli, præſentium menſura concluditur. Ego autem ambigo utrum hoc centuplum Petri exceſſerit portio. Certe ſecundũ domini præceptum ſperandum nunc in hoc ſeculo, relictis omnibus ſeculi rebus centuplum munus eſt. Etenim nobis deus portio eſt, qui ait: Et inhabitabo in his. Non ergo centupli præmium eſt, ut in hoc corpuſculo noſtro terreno deus habitet? Sed ad quid deus habitet? Ait & ipſe: Et ambulabo in his. Patens deo eſt fidelis pectoris & ampla poſſeſſio, ut inhabitet, & inambulet. Sed qui inhabitat, qui inambulat, quid tertium addidit? Et ego ero illorum deus. Ecce promiſſam nobis ab eo portionem, ut ſimus dei habitatio. Et dum in nobis ambulat, fit nobis ipſe poſſeſſio. ſi ſeculum relinquamus, ſi poſſeſſioni terrenæ labili renunciemus, ſi hæreditatem caducorũ reſpuamus, ſi uiuentes de ſeculo exeamus. Quæ enim merces eſt è mortuis corporibus & exeunte anima diſſolutis ſeculum reliquiſſe? Carendum eſt eo per contemptum eius, neſciendum eſt ignoratione uoluptatum ſuarum. Morien dum nobis in eo eſt, dum non ei uiuimus. Scit Paulus iam non ſe ſibi uiuere, dicens: Quod enim uiuo, iam non ego uiuo, uiuit autem in me Chriſtus. Propheta itaq; ſecundum Apoſtolum, non ſeculo uiuens, cõſtanter & liber ait: Portio mea domine. Tenuit hunc quem in ſuperioribus modum, cum ſe cuſtoditurum legem dei ſpopondit. Non enim de ea quam corporaliter agebat, loqui intelligitur, cum cuſtoditurum ſe potius quàm cuſtodire fateatur. Sequitur deinde: Deprecatus ſum faciem tuam in corde meo, miſerere mei ſecundum eloquiũ tuum.) Moſem deprecatũ eſſe meminimus, ut deum uideret. Et forte cognata preci eius prophetæ huius oratio exiſtimabitur. Sed dictum memini à deo: Nemo hominũ uidebit faciet meam & uiuet. Ergo quod negatum Moſi meminerat, id concedi ſibi poſtulat? Sed rurſum licet dicto euangelico anterior ſit, meminit tamen hanc fidei beatitudinem reſeruari, qua dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipſi deum uidebunt. Itaq; cum in lege ſciat dictum quod nemo faciẽ dei uideat, & uiuat: & ex euangelica beatitudine nõ ambigat omnes mundo corde deum eſſe uiſuros, perfectæ modeſtiæ tẽperamento cupiditatem deſiderij ſui elocutus eſt, dicẽs: Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo. Scit nunc impoſſibile ſibi eſſe, quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, ut uideat. Scit inuiſibilẽ eſſe carnalibus oculis gloriam dei. Meminit non dico ad angelorũ claritates hoc humanæ uiſionis lumen habere, ſed ipſam gloriam uultus Moſi humani corporis oculos non tuliſſe. Sed nũc ex deſideríjs humanis prophetę deſideria metiamur. Ad egreſſus regum quanta expectationis ſolicitudine currítur? Et quod uidentibus gaudium eſſe, cum ſe prębuerint cõtuendos? Quid illum cœleſtis ſpiritus capacẽ uirum

exiſtima-

exiſtimabimus uelle? Quanto deſiderij ardore cupere ut deum cernat, qui ipſam illam inuiſibilem maieſtatem per has angelorum claritates, & per hanc Moſi gloriam metiatur? Et ſciat etiam eos, qui digni ſunt conſpectu dei, gloriam ex conſpectu gloriæ eſſe ſumpturos, quòd eos uiſio tantum & dignatio contemplatæ maieſtatis illuminet? Quod ſanctus Apoſtolus ita intelligens loquitur: Nos, inquit, omnes reuelata facie gloriã dei ſpectantes in eandẽ ipſam transferetur imagine, à gloria in gloriã ſicut à domini ſpiritu. Et nunc quia id impoſſibile iſtis corporeis oculis ſciat eſſe, toto iſtud corde deſiderat. Et cui eſt portio deus conſidenter faciem eius deprecatur, quia quamuis nemo hominũ uideat faciẽ dei & uiuat, tamen deum omnes mundo corde uiſuri ſunt. Ergo miſericordiã hanc à deo poſtulat, ut ſibi uidendo faciem eius beatitudo contingat, & poſtulat nõ ſine ratione modoq; præſtandi. Ait enim: Miſerere mei ſecundum eloquiũ tuum.) Fidei modeſtæ uox eſt, miſericordiam dei non ſecundum peccatorũ ſuorum conſcientiam, ſed ſecundum eiuſdem dei eloquia deprecari. Scit deum etiam peccatoribus eſſe ignem conſumentem. Moſes enim ait: Deus noſter ignis conſumens eſt. Nouit eundem eſſe fidelibus lucem, de quo & alibi propheta ipſe dicit: Illuminans tu mirabiliter de montibus ſanctis. Diſcernit & hanc Apoſtolus bonitatis & ſeueritatis dei conſuetudinem, cum ait: Vide ergo bonitatem & ſeueritatem dei. In eos quidem qui ceciderunt ſeueritatẽ, in te uero bonitatem, & rurſum: Et niſi permaneas in bonitate, excideris. Illi uero ſi non permaneant in infidelitate, inſerentur. Bonitatem dei propheta expectat, cum ait: Miſerere mei. Scit enim neminem ſine peccato eſſe qui uiuat, & omnes in carne ſitos miſericordia dei egere. Officij autem ſui deuotionisq; non immemor eſt, cum ait: Secundum eloquiũ tuum. Eius ſcilicet eloquij quo & peccatoribus pœnam denunciat, & in ſe credentibus uitæ æternæ beatitudinem pollicetur. Dehinc ſequitur: Quia cogitaui uias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.) Ex his quæ propheta ſe gerere uel geſſiſſe cõmemorat, quid nos quoq; facere oporteat docet. Vias enim ſuas cogitat, & cogitatis his pedem in teſtimonia dei refert. Nihil egit, quod nõ antea cogitatione prẽuoluerit: nõ linguam in officium ſuum mouit, non pedem in aliquod quod acturus eſſet opus protulit: non manũ ad agendum aliquid exeruit, niſi antea ſuper his omnibus cogitaſſet, & tum operationem atq; effectum cogitatis rebus attulerit. Vidit igitur ante omnia uitæ ſuæ uias, & cum placentem ſibi ac probabilem reperit, tunc in eam pedem contulit: ſcilicet perſpectis omnibus humanæ operationis uijs, poſtquàm quid eſſet ſibi utile cogitauit, fidei ſuæ pedem in teſtimonia diuina detorſit. Cogitatio enim nihil poteſt ſubitum, nihil nouum, nihil inopinatum pertimeſcere, cum de conſilij ſententia omnia quæ accidere ſolent ſperantur, præfiniuntur, adeuntur. Et id conſequenti uerſu docetur. Poſtea enim quàm uias ſuas propheta cogitauerat, & pedem ad teſtimonia dei conuerterat, libere loquitur: Paratus ſum & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua.) Qui ad aliquid præparatur, longo uſu ad id in quo ei eſt meditatio præparatur, ne eum de propoſiti ſui ſententia negligentem & incautum uis aliqua repentinæ turbationis excutiat. Propheta itaq; nouit eſſe plurima ſeculi ſcandala, nouit inſidiantes eſſe humanæ naturæ aduerſantesq; uirtutes, ſcit periculoſe dulcem eſſe opinionẽ ambitionemq; gloriæ ſecularis, nouit occurſus laſciuientium fœminarũ eſſe continentiũ oculis captioſos, ſcit turpes corporũ cupiditates affectu blandæ uoluptatis irrepere, ſcit cætera uitiorũ genera illecebroſis aditibus ingruere: nouit etiã plurimis ſe irreligioſorũ odijs ſubiacere, & ob prædicationẽ dei pietatisq; doctrinam uarijs perſequentiũ contumelijs eſſe uexandum. Ne igitur turbari tot & tantis excidijs ingruentibus poſſet, contra omnia ſe hæc fidei excidia præparauit, dicens: Paratus ſum & nõ ſum turbatus ut

cuſtodiam

cuſtodiã mandata tua. Habet paratam beatus Apoſtolus huius prę parationis ſuę fiduciam, dicens: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, aut anguſtiæ? aut paſſio? aut fames? aut nuditas? aut periculũ? aut gladius? Sicut ſcriptũ eſt: Quia propter te mortificamur tota die, deputati ſumus tanq̃ oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus & uincimus, propter eũ qui dilexit nos. Et quia aduerſum horum tolerantiã, ne per hęc à charitate ſeparari poſſet, ſeſe prępараſſet, adiecit. Confido enim, quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; poteſtates, neq; præſentia, neq; futura, neq; uirtutes, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Nulla Apoſtolum rerum earum quæ accidere poſſunt genera, tali ſpe præparatũ firmatumq; perturbant, ſit ergo in nobis & fiducia hæc & uox, ut cum ſubrepant cupiditates, cum paſſiones ingruant, cũ pericula fatigent, cum ſupplicia crucient, dicere audeamus, paratus ſum & non ſum turbatus, ut cuſtodiã mandata tua. Dominus noſter unigenitus dei filius inter cætera præcepta diſcipulis ſuis mandat, dicens: Non turbetur cor ueſtrum, neq; trepidet. Aduerſum turbationem quæcunq; ex accidentibus erit longæ præparationis, opus eſt firmitate, ut robuſta fide atq; firmata, dei mandata cuſtodiat. In quem autem ſe profectum, quamue in cauſam propheta præparauerit, neq; turbatus ſit, quo minus cuſtodiret mandata dei, continuo ſubiecit, dicens: Funes peccatorum circumplexi ſunt me, & legem tuam nõ ſum oblitus.) Eſſe peccatorũ funes per Eſaiam docemur dicentem: Væ qui ligant peccata tanquã funem longum. Modo funis ex pluribus minimis creſcentis in multum, peccata ſemper tanquam longo fune tendentur. Sunt etiam hæc delictorum uincula quibus humanæ mentes illigantur, de quibus in Prouerbijs ſcriptũ eſt: Faſcijs peccatorum ſuorum unuſquiſq; cõſtringitur. Stringit enim nos atq; alligat, & his uitiorum funibus implicat diabolus, in omni uitæ noſtræ curſu laqueos prætendens. Quod autem liget, in euangelijs cognouimus; cum dicitur: Hanc autem filiam Abrahæ ligauit ſatanas annis decem & octo. Ligat igitur omni uitiorum genere, ebrietatis cõſuetudine, uoluptatum deſiderijs, infidelitatis piaculo. Sed inter hos funium laqueos nõ eſt admittẽda legis obliuio. Prępараtos enim nos eſſe conuenit, ut ab his laqueis, ſi quando circumligent, exuamur, ut legis dei omni tempore recordemur. Et recordatur planè propheta, dicens: Media nocte ſurgebam ad confitendũ tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.) Nõ uacat totis noctibus ſomno, nec ocioſus lecto continetur, ad confitendum deo non ſolum nocte, ſed etiam media nocte conſurgit. Meminit hoc eſſe tempus quo primitiæ Aegyptiorum meritiſſima impiæ obſtinationis clade percuſſæ ſunt. His ergo horis nõ laxatur in ſomnum, ne gladio Aegypti admiſceatur: hoc noctis tempore introeunte ſponſo ſapientes uirgines in nuptias cum lampadibus introibunt. Vigilat ergo ne cum ſtultis mereatur excludi. Hoc tempore pſallentibus Paulo & Silæ apoſtolis catenę & uincula reſoluuntur. Non dormit itaq; ne uinctus ſit, nec habet eum nocturni tẽporis ſomnus, nec ei obliuio officij ſui requie mediæ noctis obrepit: ſurgit enim ad confitendum deo. Confeſſio uero non ſemper ad peccata referenda eſt, uerum etiam in dei laudibus intellígenda eſt. Nunc ergo cõfitetur deo ſuper iudicia iuſtificationis eius, laudans ergo deum, quòd nihil niſi in iudiciorũ iuſtificatione decreuerit. Sequitur deinde: Particeps ego ſum omniũ timentiũ te, & cuſtodientium mandata tua.) Apoſtolũ dixiſſe meminimus: Participes Chriſti facti ſumus. Sed & in quadrageſimoquarto pſalmo quoſdam participes dei ſignificatos eſſe meminimus, cum dicitur. Vnxit te deus deus tuus oleo exultationis præ conſortibus tuis. Sunt ergo ſecundum Apoſtolum, & ſecundum prophetam plures domini noſtri Ieſu Chriſti participes. Et particeps eius erit quiſquis in uirtute perſiſtit. Ipſe

eſt enim

eſt enim ueritas. Et quiſquis in nouitate uitæ ambulabit, erit particeps eius, quia ipſe eſt reſurrectio. Ergo cum ſciat propheta plures dei eſſe participes, nunc per uerecundam ac modeſtã de ſe prędicationem, cum ſe, quia & ipſe Chriſtus & factus & dictus ſit, Chriſti meminerit eſſe participẽ: tamen omniũ timentiũ deum potius ſe cõfeſſus eſt eſſe participem. Eſt autem tunc timentiũ deum particeps, cum patientibus compatitur, cum plorantibus complorat, cum tanquam eiuſdem corporis membrũ in dolore membri alterius dolet. Hac igitur paſſionũ cõmunione timentium deum particeps fit. Cęterum quiſquis per inſolentiã ſuam credentem in Chriſto & redemptum à Chriſto dedignatur, exacerbat, inhonorat, non eſt ille timentium deum particeps, qui non ſit in compatiendis paſſionibus conſors. Non nudum autem hoc, nec ſolitariũ propheta poſuit, cum dicit: Particeps ſum ego omnium timentium te. Plures ſunt timentes deum, & tamen infideles, quos naturæ ſuæ conditio timori quidẽ dei ſubdidit, ſed uoluntatis ſuæ peruerſitas ab obſequijs dei auocat, atq; ob id nõ ſuffeciſſet prophetæ dixiſſe ita: Particeps ego ſum omnium timentium te, niſi addidiſſet: & cuſtodientium mandata tua. Timor enim fidei in ſola obediẽtia eſt, & metus religionis in obſequela eſt. Horum itaq; particeps eſt, qui timorem ſuum in mandatorum dei cuſtodia comprobabunt. Dehinc ſequitur:

Miſericordia tua domine plena eſt terra, iuſtificationes tuas doce me.) Terra miſericordia dei plena eſt, quæ contaminata, quæ corrupta, quæ irreligioſa, quæ infida, quæ perdita eſt. Et ſi quis forte audebit impio ore prophetam mendacij arguere, tanquam non in omnem terram dei miſericordiam putet eſſe diffuſam, dominum in euangelijs recolat dixiſſe: Eſtote boni ſicut pater ueſter, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Patiens enim & miſerator deus, dum mauult pœnitentiam peccatorum quàm mortem, dona ſua iuſtis iniuſtisq; largitur, unicuiq; per patientiam longæ æquanimitatis pœnitendi tempus impertiens. Et quia hanc bonitatem patientiæ dei perfectionemq; ſub illis iuſtificationibus legis corporaliter adumbratã meminit, ſemper ſibi propheta ſperandum ait: Iuſtificationes tuas doce me domine. Iuſtificationes omnes in lege legerat. Sed quia cœleſtes ſperabat, quæ in terrenis præformabantur, non eget doctore terreno. Doceri enim ſe ab eo orat, qui ait: Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur uobis. Aperiri ſibi & dari clauẽ à doctore legis dedignatur propheta, ſcientiæ cœleſtis expectans dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

ט Theth.

BOnitatem feciſti &c. uſq; ibi: Super milia auri & argenti.) Iam in exordio pſalmi cõmemorauimus, nihil aliud in eo, quàm doctrinam humanæ uitæ contineri, per quam ad cognitionẽ dei ipſis tanq; paruuli literarum elementis erudiremur. Ex perſona enim ſua nos propheta confirmat, qualiter in omni genere diuini officij uerſari nos oportet, & per diſciplinã adeptæ inſtitutionis, fidei ordinem teneremus: ut ipſo illo primo nonæ literæ uerſu docetur. Ita enim dicitur: Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine, ſecundum uerbum tuum. Et forte quidam exiſtimabũt, de ſecundis rebus prophetam locutum, deoq; gratiam ob ea quæ ſibi proſpere acciderint retuliſſe. Sed nouit etiam in aduerſis rebus gratiam deo eſſe referendã, ſcit in omni paſſione ac tribulatione eum, cuius iudicio hæc ingruunt, gratulationibus honorandum. Scit indiligentem eſſe medicum putribus uulnerum ſinibus parcentem. Meminit piam eſſe patrum in filios ſeueritatem, argui ſe per tentationes, ac probari per patientiam à deo optat, & in his quæ aduerſa exiſtimantur agit gratiam. Atq; hanc no-

ſtram intelligentiam, ut id prophetam oraſſe credamus, uerſus qui ſubiectus eſt docet, dicens: Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.) Quicquid ergo deus in ſeruum ſuum facit, bonum eſt: ſecundum enim uerbum ſuum facit. Et quicquid ſecundum uerbum eius eſt, non poteſt malum exiſtimari, quia qui ſolus bonus eſt, uoluntas ſit plena bonitatis. Verſus itaque, ut diximus, ſecundus prophetæ exponit affectum, cum orat dicens: Et bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Bonitatem ſuperius confeſſus eſt erga ſe factam, quomodo hanc quaſi ignorans doceri ſe precatur? Niſi quod tunc fuit ex fidei confeſſione gratulatio, cum quicquid illud fieret in ſe, id eſſe bonum credidit, nunc uero eſt per naturam humanam ignorantiæ cauſa, cum ut doceatur orat. Sed eam bonitatem uult diſcere, cui diſciplina ſit iuncta. Diſciplinam enim neceſſe eſt eſſe ſeueritatis officium peccata arguentis, & uitia corrigentis. Correctio uero uitiorum magnum affert in bonitatem profectum. Bona ergo eſt ſeueritatis diſciplina, ſed adhuc eam propheta ignorat. Non enim tantum bonitatem & diſciplinam, ſed etiam ſcientiam uult doceri, affectum in eo fidei ſuæ oſtendens, cum bonitatem & diſciplinam quam nondum ſciat, tamen bonam ſibi à deo eſſe fateatur. De ſcientia autem locis plurimis admonuimus, hanc & Apoſtolum, hanc & prophetam inter præcipua gratiarum ſpiritualium dona numerare. Ergo ut bonitatem & diſciplinam, ita & ſcientiam doceri orat. Et doceri ob id, quia mandatis dei credat, oſtendens non niſi fideles, atq; credentes ſcientiæ conſequi poſſe doctrinam. Manet autem etiam in tertio uerſu eiuſdem intelligentiæ ſenſus. Ait enim: Prius quàm humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum ego cuſtodiui.) Non prius tribulatio paſſionum ingruit, quàm delicta præcedant: neq; per paſſiones ante humiliamur, quàm per peccatorum iniquitatem digni paſſionibus ſimus. Docet itaq; propheta humiliationem ſuam emendationem eſſe delicti, atq; ob id bonum ſcit eſſe ſibi quicquid à deo eſt, qui pati meruit, quod pati cœpit. Et ſcit diſciplinam emendationem eſſe uitiorum. Prius ergo deliquit, ſecundo autem humiliatus eſt, & per humilitatis diſciplinam oportet eum ne delinquat doceri, & in eloquijs dei manere, quia iam ſit delinquens humiliatus, & in mandatis dei, ne ultra poſſit peccare, manſurus ſit. Bonus es domine, in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.) Scit iuſtificationes dei propheta bonas eſſe, quia bonus ſit qui eas ſtatuit: ſcit ſibi nihil niſi ex iuſtificatione dei accidere, quia profeſſus ſit prius ſe deliquiſſe, dehinc poſtea humiliatum eſſe. Et quia ſuperius oraſſet, ut bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doceretur, nunc orat, ut iuſtificationes dei in bonitate doceatur, quia iuſtificatio opus ſit rei iuſtæ quæ ſibi ignorabilis ſit: quia iuſtificationes, quæ in lege ſunt conſtitutæ, umbram in ſe iuſtificationum cœleſtium continerent. Deinde adiecit: Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum, ego autem in toto corde ſcrutabor mandata tua.) Patienter omnia & æquanimiter propheta tolerans, in opprobrium ſuperborum atq; iniquorum deductus eſt. Si quis enim obiurgationis trium regum in Iob recolat, intelliget quanto illudentium exacerbetur opprobrio. Nanq; cum irreligioſi, quiq; per paſſiones aliquas emendari dei ſeruos contuentur, exprobrare hæc ita ſolent: Vbi fides? ubi ſpes in deum? ubi auxiliantis uirtus? ubi boni dei miſericordia eſt? Contra quæ firmo animo fideliq; opus eſt, & in mandatis dei intento atq; occupato, ne multiplicatis tot in ſe ſuperborum iniquitatibus cedat, ſed ſemper dicat: Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine, ut ait illic paſſionum humanarum gloriоſus & beatus uictor: Dominus dedit, dominus abſtulit, ſit nomen domini benedictum. Deinde ſequitur: Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum, ego uero legem tuam meditatus ſum.) Cor ſuperborum ait ſicut lac coagulatum. Lac ſpecie & ſapore

ſapore blandiſſimum eſt,quod uitio aliquo corruptum coagulari ſolet, & ex natu
ræ ſuæ ſuauitate decedens inutili ſapore amaroq; corrumpitur. Ergo antea ini/
qui, cum in ſecundis rebus eſſe prophetam contuerentur,felicium rerum amici,
ſimplicitatis ſpecie blandientes tanquam lac fuerunt,at ubi eos ex humilitate ſan/
cti uiri ſuperbia & faſtidiū tenuit,ex lacte coagulati ſunt, & ex blandis ac ſuauiſſi
mis adulationibus, in uitioſi & aceſcentis ſaporis amaritudinem ſunt redacti. His
uero ſicut lac coagulatis,legem tamen dei propheta meditatus eſt. Meditatus au/
tem in id,ut diceret quod ſequenti uerſu continetur: Bonum mihi quòd humi/
liaſti me.) Iniquitas licet ſuperborum multiplicetur,& cor eorum ut lac coagule/
tur,ſcit humiliationē tamen ſuam ſibi propheta bonam eſſe:nouit ſecundum Apo
ſtolum uirtutē in infirmitatibus perfici. Bona omnis paſſio, bonæ omnes tribula/
tiones,per quas iuſtificationes dei cognoſcūtur,ut peccantes humilitate emendet,
ut delinquentes ſeueritate coërceat, ut ignorātes doctrina doceat.Idcirco enim bo
num ſibi quòd humiliatus eſt ait, quia per humiliationem iuſtificationes dei diſce
ret.Deliquit enim prius quàm humiliaretur:&humilitas ei bonū eſt,quia per eam
iuſtificatio dei diſcitur. Concluſit autem hoc modo: Bonum mihi lex oris tui
ſuper milia auri & argenti.) Non eſt ſimplex concluſionis iſtius ſermo. Suffece/
rat enim ad prophetæ gratulationem dixiſſe:Bonum mihi eſt lex tua.Sed cum ait,
lex oris tui,plus uoluit intelligi. Locutus eſt deus per Moſen legē, locutus eſt per
prophetas, ſed hæc lex dei eſt, non etiam lex oris dei. Os autem dei eſt ille qui &
uirtus dei eſt,qui ſapientia dei eſt,qui &brachium dei eſt,qui & imago dei eſt,de/
us ſcilicet & dominus noſter Ieſus Chriſtus,dicens: Beati pauperes ſpiritu,quoni/
am ipſorum eſt regnum cœlorum, dicens: Beati lugentes, quia ipſi conſolabun/
tur,dicens:Benedicite qui uos perſequuntur,& orate pro columniantibus ac per/
ſequentibus uos. Hanc legem oris dei bonum ſibi eſſe propheta confeſſus eſt. Et
bonum non comparationis & definitionis & modi numero, ſed ſuper milia auri
& argenti. Indefinitus hic ſermo eſt,cum dicitur milia:quia indefinite bona eſt lex
oris dei.Ex cōparatione enim rerum maxime in terris precioſarum,utilitatem bo/
norum eorum quæ à deo ſunt ſtatuta ſignificat.

ℸ Ioth.

MAnus tuæ fecerunt me &c.uſq; ibi:In iuſtificationibus tuis nō con/
fundar.) Commune iudicium eſt, inter omnia terrena dei opera ni
hil homine utilius,nihil eſſe ſpecioſius. Quia & ſi ſint aliqua pul/
chra & ornata, magnitudinem quidem eius, qui ea tam decora ge/
nuerit teſtantur, uerum ſpeciei & ornatus & conſtitutionis ſuæ fru
ctum ipſa non ſentiunt. Loquimur enim de his,quæ humano ſubiecta conſpectui
ſunt, ſcilicet de creatis in terra & mari & aëre, & quæ ſingulis quibuſq; generi/
bus naturisq; permixta ſunt. Pulchra hæc,ſed quod tandem in oceano, aut terra,
aut cœlo, aut aëre bonum quæ in his creata ſunt eo quòd talia creata ſunt conſe/
quentur? In homine autem quicquid eſt,ſibi proficit. Et hoc unum in terris ani/
mal rationale,intelligens,dijudicans, ſentiens conſtitutum eſt, horumq; omnium
generum quæ in eo ſunt nihil aliud aliquid proficit,quàm ut ipſe in cæteris alijs &
his in quibus eſt natus utatur. Vtatur autem ad cognoſcendum uenerandumq;
eum qui tantorum in ſe bonorum autor & parens ſit. Ex quo magnum illud atq;
mirabile Salomonis dictum eſſe intelligitur, quod tale eſt: Grande homo,& pre/
cioſum uir miſericors: uirum uero fidelem opus eſt inuenire. Quid enim tam diffi
cile eſt,quidue tam arduí operis eſt, quàm inuenire eum, qui meminerit ſecūdum
imaginem & ſimilitudinem dei ſe eſſe factum, qui diuinorum eloquiorum ſtudio

intentus,rationem animæ ſuæ corporiſq; cognouerit, & originem utriuſq; generis naturamq; perceperit: ad quem denicq; finem hæc inſtitutio ſua ortusq; contendat: atq; ob id magnum quiddam eſt homo. Hoc enim nomen,ubi rerum ſuperius cõmemoratarum cognitione neglecta in uitia deciderit, amittit,indignus ſcilicet iam iudicatus homo nuncupari: & qui ſecundum imaginẽ & ſimilitudinem dei factus ſit, ſecundum exprobrationes propheticas & euangelicas, aut ſerpens, aut progenies uiperarum, aut equus, aut mulus, aut uulpes ei nomen eſt, & proprietas ei nominis ſui ubi de innocentia exciderit aufertur. Verum qui ſtudioſa fide doctrinam dei & præcepta ſcrutatus ſit,& per innocentię ſtudium dignum ſe præſtare uelit:qui ſecundum imaginem & ſimilitudinem dei factus ſit, uti & ipſe prophetæ uoce poterit dicentis: Manus tuæ fecerunt me,& præparauerunt me: & in aliquibus codicibus ita ſcriptum deprehendimus: Manus tuæ fecerunt me, & finxerunt me, da mihi intellectum ut diſcam mandata tua. Et ſine dubio non otioſum eſſe exiſtimandum eſt, quod non ſatis erat prophetæ dixiſſe: Manus tuæ fecerunt me, niſi & adieciſſet finxerunt, uel præparauerunt. Sed honorem conditionis ſuæ in hoc ſignificare uoluit dignitatemq; primam, dicens: Manus tuæ fecerunt me. In creatione mundi omnia uerbo effecta eſſe accepimus, cũ dicitur: Fiat lux,cum dicitur,fiat firmamentũ,cum dicitur,& appareat arida,cum dicitur: Germinet terra herbam pabuli ſeminantẽ ſemen ſecundum ſuum genus,cum dicitur: Fiant luminaria in firmamento,cum dicitur: Eijciant aquæ reptilia animarum uiuarum. Ergo omne ex quo uel in quo mundi totius corpus creatum eſt,originem ſumit ex dicto, & ſubſiſtere in id quod eſt ex uerbo dei cœpit. Verum de homine ita deus locutus eſt: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Differt itaq; natura & origo hominis ab inſtitutione uniuerſæ creationis, & proprie de eo ante & tractatur & confirmatur ut fiat, cum cætera ſine quadam conſilij ſententia eſſe ſint iuſſa. Habet ergo primam hanc origo hominis dignitatem,quòd ei proprium fuit de ſe ante tractari. Verum & in hoc præſenti prophetico dicto ingens humanæ originis priuilegium continetur. Non enim manus domini pecora & aquatilia, & uolatilia fecerunt: nuſquam iſtud ſcripturæ tradidere. Egregium hoc itaq; & præclarum in homine eſt, quia à cæteris dignitate operationis excipitur. De confirmatione autem cœli ita in quodam loco legimus: Ego manu mea firmaui cœlum. Ergo exequatur operationi hominis iſtud elementum, cum id ipſum manu dei firmatum eſſe memoratur. Sed quanquam cœlum manu, homo tamen manibus. Præſtat ergo officio unius manus duarum operatio. Et id quod ad confirmationem cœli ſatis eſt,in hominis conditione non ſufficit. Intelligendum autem eſt cur manibus propheta ſe factum eſſe dicat,neque ſolum factum, ſed etiam figuratum, uel præparatum. Cæterorum omnium elementorum creatio, eo ipſo in tempore & inſtituta & affecta eſt,quo ſubſiſtere iubebatur. Neq; inchoationem eorum & perfectionem tempus aliquod decernit. Nam & conſummationem inchoatio in eo quod eſt cœpta præcepit. Homo uero cum externam & internam in ſe naturam diſſonantem aliam ab alia contineat, & ex duobus generibus in unum ſit animal rationis particeps conſtitutum, duplici eſt inſtitutus exordio. Primum enim dictum eſt: Faciamus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Dehinc ſecundo: Et accepit deus puluerem de terra,& finxit hominem. Primum opus non habet in ſe aſſumptæ aliunde alterius naturæ originẽ,incorporale eſt quicquid illud de conſilij ſententia inchoatur. Fit enim ad imaginem dei non dei imago, quia imago dei eſt primogenitus omnis creaturæ. Sed ad imaginem,id eſt,ſecundum imaginis & ſimilitudinis ſpeciem: diuinũ in eo & incorporale condendum. Quod ſecundum imaginẽ dei & ſimilitudinẽ cum fie-

bat,exem

bat,exemplum ſcilicet quoddam in nobis imaginis dei eſt,& ſimilitudinis inſtitutum.Eſt ergo in hac rationali & incorporali animæ noſtræ ſubſtantia primũ,quod ad imaginem dei ſit factum.Secundi uero operis efficientia,quanto differt ab inſtitutione primæ:deus terræ puluerem accepit.Iam ſumitur puluis,& terrena materies formatur in hominem uel præparatur, & ex alio in aliud opere ac ſtudio artificis expolitur.Primum ergo non accepit,ſed fecit ſecundum,nõ ut prius fecit accepit,ſed conformauit uel præparauit. Vtrunq; autem recte intelligi poteſt, quia utrunq; ſcriptum deprehendimus,ut formauerit in id quod eſt corporis, ſcilicet ſpeciem,uel præparauerit in id quod dicitur:Et inſpirauit in eum ſpiritum uitæ,& factus eſt homo in animam uiuentem.Inſpirationi ergo huic præparatus ſiue formatus eſt per quam natura animæ & corporis in uitæ perfectionem quodam inſpirati ſpiritus fœdere contineretur. Scit in ſe duplicem beatus Paulus eſſe naturam, cum ſecundum interiorem hominem delectatur in lege, & cum aliam in membris ſuis uidet legem,quæ ſe captiuũ ducat in legem peccati. Quod ergo fit ſecundum imaginem dei,ad animi pertinet dignitatem. Quod autem formatur ex terra,ſpeciei corporis naturæq; primordium eſt. Et quia uel locutus ad alterum deus intelligitur,cum dicitur: Faciamus hominem: uel triplex cognoſcitur hominis facti formatiq; perfectio, cum & fiat ad imaginem dei, & formetur è terra, & inſpiratione ſpiritus in uiuentem animam cõmoueatur. Idcirco manibus ſe factum & formatum, non manu tantum propheta teſtatur, quia in conſtitutione ſua & non ſolitari tantum, & eadem triplex fuiſſe docetur operatio. Et quia iſtud ſciat propheta ualde eſſe occultum atq; reconditum, quatenus ſcilicet manibus dei formatus ſit, tamen ut plenam atq; abſolutam intelligentiæ huius rationem conſequatur, ait: *Fort. ſolitarij tamen*

Da mihi intellectum,ut diſcam mandata tua.) Tanquam ignorans hæc loquitur, & tanquam nondum intelligentiam adeptus dari ſibi intelligentiam deprecatur.Et audent non dico eccleſiæ homines,ſed gentium ſophiſtæ quædam de naturæ humanæ inſtitutione uelle tractare.Audemus etiam gloriari rectę,ac perfectæ nos uitæ eſſe ſcientiam conſecutos. Sed doceri nos oportet prophetæ huius exemplo,ut uel diuinarum rerum ignorantiam confiteamur, uel ignotarum intelligentiam deprecemur. Optimum eſt autem cœleſtium mandatorũ ſcientiam à deo per precem poſtulare, & infirmitatem ingenij noſtri paupertatemq; cognoſcere. Primum enim,ſecundum Apoſtolum,munus eſt gratiarũ,ſapientiæ donum,ſequens ſcientiæ: & idcirco hunc ordinem etiam hic propheta ſeruat,dicens:Da mihi intellectum,ut diſcam mandata tua.Primum intelligentiã,poſt etiam ſcientiam deprecatus eſt. Sequitur deinde: Qui timent te,uidebunt me & lætabuntur, quia in uerba tua ſperaui.) Conſuetudo impiorum eſt, ut cõſpectis religioſis uiris triſtes ſint.Oderit enim neceſſe eſt ebrioſus ſobrium, continentẽ impudicus,iuſtum iniquus,& tanquam conſcientiæ onus præſentiam ſancti cuiuſq; non ſuſtinet. Contrà uero ad conſpectum uiri fidelis,religioſi omnes quibus timor dei eſt lætantur, ut uel ſolo corpore contemplationis uiſu gratulentur, modo auium herbarumq; quarundam quæ uiſæ tantũ & conſpectæ morbis aliquibus & infirmitatibus medentur. Vtilis ergo eſt præſentia ſancti timentibus deum, quia neceſſe eſt profectum aliquem ex contemplatione illius conſequantur.Sed propheta non hoc in ſe ſolum contuendum putat,quod publicis ac promiſcuis oculis ſubiectum eſt. Vult ille probitatem uitæ ſuæ conſpici, uult iuſtitiam ſuam & religionem & continentiam cerni. Non enim tantum timentes deum,quia tantum uident eum,lætabuntur,ſed quia uident eum in uerba dei ſperantem,& ſperantẽ non mediocriter,neq; confuſo humanæ opinionis errore,ſed dicentẽ cum libertate id quod conſequitur: *Imò de his maxime deſperamus*

Cognoui domine quia æquitas iudicia tua,& uere humiliaſti me.) In locis cæteris me-

teris meminimus,ita prophetam dicere ſolitum:Da mihi intellectum, & doce me, & obſeruabo præcepta tua:nunc autem tanquam de adeptis profitetur, dicens: Cognoui domine, quia æquitas iudicia tua. Sed hic non de iudicijs illis æternis, ſed de præſentibus ſermo eſt. Iudicia illa æterna ſecundum eundem prophetam, ſicut abyſſus multa: & ſecundum Apoſtolum:Iudicia dei ininueſtigabilia & inſcrutabilia. Scit autem in his iudicijs, quæ nunc ſunt,quicquid in ſe geratur, ex iudicio dei fieri omnes tribulationes, omnes preſſuras, omnia inſectationum odia, omnes perſecutionum infeſtationes ex iudicio in ſe dei adeſſe, ut per hæc probabilis,ut per hæc emendatus, & tanquam per ignem examinatus atq; purgatus ſit. Plus eſt autem neſcio quid in cognitione,quàm in fide operis,& idcirco non credidit,ſed cognouit,quia fides habet obedientiæ meritum,non habet autem cognitæ ueritatis fiduciam. Diſtinguit Apoſtolus plurimum inter cognitionem fidemq; differre, poſteriore loco eam inter gratiarum dona connumerans. Primum enim ſapientiam,ſequenter cognitionem,tertio fidem prædicauit,quia qui credit poteſt ignorare quod credit. Qui autem iam cognouit, non poteſt id quod cognouit adepta cognitione non credere. Ergo ambiguitatem hic non admittit propheta, qui ſciat iuſta eſſe dei iudicia,id eſt, humiliationis ſuæ & tribulationis & contemptus & iniuriæ & doloris. Ita enim ait: Cognoui domine quia æquitas iudicia tua, & uere humiliaſti me. Non ſine cauſa ſe ſcilicet eſſe tribulationibus ſubditum:non ſine cauſa paſſionibus permiſſum: non ſine cauſa per iniurias humiliatum, ſed ad humanorum uitiorum expianda peccata ex iuſtis ſe ac ueris dei iudicijs humiliationi eſſe ſubiectum, ſed quia in his paſſionibus ex æquitate diuini iudicij uerſetur: Fiat miſericordia tua, ut*exhortetur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo.) Exhortationem præſentium humiliationum ex miſericordia dei deprecatur,quia humana infirmitas ipſarum ſit tolerantia paſſionum,dicens: Fiat miſericordia tua ut exhortetur me. Sed meminit bonum ſibi eſſe humiliari, bonum ſibi eſſe paſſionibus ſubdi,& ea omnia à quibus uexatur,purgationē ſibi terrenorum eſſe uitiorum. Non enim ut humilitas ac tribulatio à ſe auferatur orat, ſed ut ſibi ex miſericordia dei adhortatio in tribulatione præſtetur. Optat ergo diuino præſidio in his corporis ſui infirmitatibus militare:optat longo certamine aduerſus mundi huius nequitias conſiſtere. Sed adhortationem ex miſericordia dei ſperat,ut tribulatus licet & afflictus,diuinę adhortationis auxilio firmetur. Scit & beatus Apoſtolus Paulus omni ipſe tentationū genere perfunctus, uti ſe diuinæ miſericordiæ adhortatione, dicens: Benedictus deus pater domini noſtri Ieſu Chriſti,pater miſericordiarum,& deus omnis exhortationis,qui exhortatur nos in omni tribulatione. Et adhortationē hanc ſcit ſibi propheta promiſſam à deo patre & domino miſerationum, qui per tentationes eum qui ſe credat examinet. atq; ideo ſubiecit: Secundum uerbum tuum ſeruo tuo,id eſt, ſecundum eam promiſſionē quia ſpopondit ſe tribulatos in paſſionibus nō relicturum. Dixit enim in euangelijs: Cum ergo tradent uos,nolite cogitare quomodo,aut quid loquamini: dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Non enim uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri qui loquitur in uobis. Et hoc quidem quantum ad præſens pertinet tempus,futuræ autem ſpei propheta nō immemor eſt dicens: Veniant mihi miſerationes tuę,& uiuā,quia lex tua meditatio mea eſt.) Naturæ corporalis infirmitas eget miſerationibus dei. Neq; enim beatæ illius uitæ æternitatē conſequi merito ſuo poterit, niſi miſerationibus eius, qui pater miſerationum eſt prouehatur. Scit ſe propheta nondum ea uiuere uita quæ uita ſit: nemo enim noſtrum hoc quod nunc uiuit uitam audebit exiſtimare. Nunc enim in corpore mortis ſumus, Paulo dicēte: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Et hoc ipſum eodem propheta teſtante

Fides obedientia non iudicium

Conſoletur

teſtante ita: Et in puluerem mortis deduxiſti me. Vera enim uita noſtra cum Chriſto abſconſa eſt in deo. Sed neque hæc nunc in qua agimus regio uiuentium eſt: ea autem eſt de qua hic idem propheta ait: Et complacebo deo in regione uiuorum. Atque ideo uiuam dixit, quia non in uſu iſtius uitæ uiuit, ſed in dei ſit miſeratione uicturus. Sed ſperat iſtud, quia lex dei meditatio eius eſt. Vacemus igitur diuinæ lectioni, uacemus præceptis dei, & opera legis uitæ noſtræ officijs exequamur. Quia propter meditationem legis ueniente in ſe domini miſeratione ſperat ſe propheta uicturum. Non eſt uero ſufficiens huic prophetæ, ut ſibi tantum ſolicitus ſit, ac ſolum ſui memor ſit. Oportet enim curam humani generis ſumere, & publicæ ſolicitudinis affectum ſubire, & orare pro his qui in peccatis & religioſitate uerſantur. Huius itaque affectus ſui ſolicitudinem conſequenti uerſu docet, dicens: Confundantur ſuperbi, quia iniuſte iniquitatem fecerunt ſuper me.) Non eſt hic maledicti oratio, neque retributionem iniuriæ ſibi illatæ precatur, & abſit ut propheta & euangelij prædicator rationem euangelicæ charitatis exceſſerit, domino dicēte: Diligite inimicos ueſtros, & orate pro calumniantibus ac perſequentibus uos: ratio non patitur ut uindictam in ſuperbos atque iniurioſos precetur. Sed quia à peccatis qui deſinit, in his erubeſcit, & qui uitia derelinquit neceſſe eſt in ea idcirco quia oderit derelinquat, orat propheta ut qui in ſe ſuperbi iniuſte fuerant, hi per cognitionem uitiorum ſuorum in his quæ gefſerint erubeſcant. Quàm diu enim quis peccat, in his quæ peccat non confunditur conſuetudine & uoluntate peccandi. Vbi uero peccare deſtiterit, finem peccandi habet expudore peccati. Ipſe autem exercetur in mādatis dei uiuendo iuſte, religioſe prædicando, iniurias non retribuendo, & tolerando patienter. Ob id enim multorum in ſe ſuperborum contradictiones iniquitatesque ſuſtinuit. Abſolute enim conſequenti uerſu id quod de confuſione ſuperborum tractamus, ſignificaſſe intelligitur. Sequitur enim: Conuertantur mihi qui timent te, & qui cognoſcunt teſtimonia tua.) Vult ergo eos qui deum timere cœperunt ad ſe propheta conuerti, ut per doctrinam ſuam in uicijs ſuis & criminibus erubeſcant. Cognitis ſcilicet teſtimonijs dei, de quibus multa iam diximus, & confuſi in ueteribus delictis ad inſtitutionem prophetæ doctrinamque ſe referant, quorum ex ſuperbia atque peccatis ad pietatem modeſtiamque conuerſio eſt. Concluſit autem uerecundiæ ſuæ more diciens: Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis ut nō confundar.) Exercetur in mandatis, meditatur in lege, iuſtitiam iudiciorum dei cognouit. Timentes deum conſpectu eius lætantur, manibus dei factus atque formatus eſt, & non audet dicere immaculatum cor ſibi eſſe: & audemus interdum præferre innocentiam noſtram, iactare uitiorum abſtinentiam, & puros nos à peccatis atque iniquitatibus gloriari? Sed ut fidem, ita & humilitatem ac modeſtiam diſcere à propheta nos conuenit orante, ut ſibi immaculatum cor fiat. Scit enim ex eo progredi ſecundum id quod dictum eſt: De corde enim exeūt cogitationes malę, cędes, laſciuiæ, fornicationes, furta, falſitates, blaſphemiæ, & horum ſimilia. Hoc igitur immaculatum fieri deprecatur, unde tot tantorumque uitiorum quaſi ex quodam fomite initia ſuggeruntur. Immaculatum autem hoc modo ſciens fieri, ſi in iuſtificationibus dei maneat: iuſtificationum autem hunc fructū eſſe intelligit, ne in his manens confundatur. Confuſio enim ex peccatorū cōſcientia eſt, & ex opprobrio delictorum. Vbi ergo confuſio nō erit, nec peccatum erit. Peccatū uero ubi non erit, in iuſtificationibus dei manebitur. Iuſtificationes autem dei immaculatum cor eſſe præſtabunt.

ב Caph.

DEfecit in ſalutare tuũ anima mea &c. uſq; ibi, & cuſtodiam teſtimonia oris tui.) Naturæ humanæ eſt, ut cũ id quod deſiderat nõ poteſt obtinere, per deſiderij iugẽ cupiditatẽ, animi defectione teneatur. Et hoc noſſe ex ipſis affectionis noſtræ motibus promptũ eſt, in quantã animi defectionem eorũ quæ deſideramus expectatione redigimur. Propheta itaq; cum omnis ad deũ expectatio eſt, cui omne in mãdatis eius deſideriũ eſt, loquit & dicit: Defecit in ſalutare tuũ anima mea, & in uerbũ tuũ ſpero.) Nõ habet alia, quæ deſideriũ ſuum occupent, & ſancti cupiditas non uacat ſeculi rebus. Defecit igitur in deſiderio ſalutaris, & defecit ob id, quia in uerbũ dei ſperat: finis enim legis Chriſtus Ieſus eſt. Et hic eſt de quo ſcripſerũt Moſes & prophetæ. Eſt aũt ſalutaris ipſo illo nomine quo Ieſus nũcupatur. Ieſus enim ſecundũ Hebraicam linguam, ſalutaris eſt, & idipſum angelus ad Ioſeph loquẽs docet, cũ dicit: Et uocabis nomẽ eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populũ ſuum à peccatis. Cauſa itaq; defectionis eſt deſiderium ſalutaris. Deſiderij aũt hinc origo eſt, quòd in uerbum dei ſperat. Salutaris enim noſter Ieſus eſt, qui & deſideratus & natus eſt, ſed defectionem animæ deſiderantis intelligendum eſt, quia ſequenter ait: Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando exhortaberis me?) Sequitur ergo defectionem animæ defectio oculorum. Sed ut de natura defectionis animæ tractauimus, uideamus qualis oculorum ſoleat eſſe defectio. Pone igitur in expectatione aut peregrinantis uiri coniugem, aut iam diu abſentis filij patrem, quẽ omni tempore exiſtimet reuerſurum. Nonne ei itineri, quo uenturum opinabitur ſemper intendet? Nonne intentio ac uiſus oculorum contuitionis ipſius expectatione deficiet? deſideria hæc in ſe prophetarum dominus teſtatur, cum dicit: Amẽ amen dico uobis, multi prophetæ & iuſti quæſierunt uidere quæ uos uidetis, & audire quæ auditis. Propheta itaq; & animo & oculis deficit. Sed hi modo oculi prophetæ licet deum uidere deſiderauerint, non ſunt tamen corporis oculi. Loquuntur enim, expectant, & mentis potius eſt contuitio iſta & loquela, nõ corporis. Dicunt enim, quando exhortaberis me? Scit ergo exhortationem hãc ſanctos quieſcentes in inferno deſiderare, ſcit teſtante Apoſtolo Petro, deſcendente in inferna domino, etiam his qui in carcere erant, & increduli quondam fuerant in diebus Noë exhortationem prædicatã fuiſſe. In hæc igitur dei eloquia oculis loquentibus deficit, non tam uiſu corporeo deũ ex eloquijs dei nunciatũ, quàm contemplatione animæ & mentis expectans. Dehinc ſequitur: Quia factus ſum ſicut uter in pruina, iuſtificationes tuas nõ ſum oblitus.) Noui generis hęc cauſa eſt, ut ideo iuſtificationes dei nõ oblitus ſit, quia factus ſit ſicut uter in pruina. Et ſi rẽ ſolis auribus metiamur, inanis & ridiculus prophetæ ſermo exiſtimabit. Sed meminit utrem pro humanis corporibus nuncupari, domino in euangelijs dicente: Nemo inquit, mittet uinum nouum in utres ueteres, & non ambigitur eũ in utribus corpora, in peccatis ſuis ueterna memoraſſe. Per cõtinentiæ autem ſtudium frigent fidelium corpora, & calore naturæ interioris extincto, utres erunt frigidi. Quæ cũ intrinſecus per naturã uitiorum efferuentiũ incaleſcãt, extrinſecus tamẽ continentiæ patientia tanq; pruinæ frigore obrigeſcũt. Ergo in hoc corporum frigore iuſtificationũ dei immemores eſſe nõ poſſumus. Qui ſquis autẽ per uitiorũ ardorẽ utere pleno caluerit, neq; per metũ dei religionemq; frigeſcat, neceſſe eſt iuſtificationũ dei obliuiſcatur. Quæ obliuiſci ſanctus nõ poterit, cũ uter in pruina modo obrigeſcens extrinſecus internarum cupiditatũ omniũ inſtigatione ſit frigidus. Dehinc ſequit: Quot ſunt dies ſerui tui, quãdo facies mihi de perſequentibus me iudicium?) Iudiciũ poſt conſummationẽ ſeculi, ppheta eſſe nõ ignorat, cum ait

cum ait: Propterea non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum. Quod ergo nunc orat de persequentibus se fieri iudicium, non illud utiq; quod in resurrectionis seculo meminit futurum, cum se paucorum nunc dierum secundum corporalem uitam sciat esse. Ita enim ait: Quot sunt dies serui tui. Cum dicit quot, scit esse non plures. Et superius dixerat, esse se tanquàm utrem in pruina. Ergo quia se paucorum dierum scit, fieri iudicium ab his qui se persequuntur desiderat, à diabolo scilicet ministrisq; eius. Sunt enim spirituales nequitiæ in cœlestibus, sed scit & diabolum in resurrectionis seculo iudicandum. Paucorum itaque dierum ipse cum sit, fieri hoc iudicium desiderat, scilicet ut consummate sanctus & perfecte deo placens conterat infra se diabolum, conterat aduersantes sibi inimicasq; uirtutes, & fidei suæ animæ subdat nequitias spirituales. Nondum igitur de naturæ suæ firmitate confidit, licet etiam ut uter frigeat, sed ut per misericordiam dei iudicium inimico suo sit deprecatur. Hanc potestatem iudicij dominus Apostolis suis dedit, dicens: Ecce dedi uobis potestatem calcare super serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici. Vocem hanc quidem nondum propheta domini in corpore manẽtis audiuit, sed dari sibi id potestatis orat, ut constituatur sibi in persequentes se tale iudicium. Tentatur enim undique, cũ ei per naturam corporis uitiorum ineſt cognata materies, eamque diabolus conatur ardore geminæ cupiditatis accendere, cum impijs irreligiosorum uocibus læditur, cum prophanas gentium contra deum disputationes & eloquia uçsana peritur, ideo in consequenti ait: Narrauerunt mihi iniqui exercitationes, sed non ita ut lex tua.) Quanti enim sunt qui quædam humanæ uitæ instituta docere se asserant, cum ad uirtutes seculi studia animæ nostræ deo rectius seruientia accendunt? Quanti etiam sunt qui cognitionẽ se habere diuinarum scripturarum mentientes, hæretica & peruersa dogmata prædicant? Sed sciens propheta perfectam humanæ doctrinæ eruditionem in dei lege esse ait: Narrauerunt mihi iniqui exercitationes, sed non ita ut lex tua. Iniqui enim sunt hæc prędicantes. Et ideo uox dei uetuit peccatorem eloquia sancta narrare, quia iniquitas doctrinæ cœlestis nõ recipit ueritatem. Peccatori enim dixit deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu autem reiecisti sermones meos retro. Et has igitur exercitationes propheta non fert, sciens nihil narrationi legis æquandum. Denique adiecit: Omnia iudicia tua ueritas, iniqui persecuti sunt me, adiuua me.) Iustum qui persequitur, necesse est ut inique persequatur, quia iniquitas iniustæ operationis effectus est. Scit & hanc Apostolus persecutionum iniquitatem, cum dicit: Omnes uolentes religiose uiuere in Christo, persecutionem patientur. Multę enim tribulationes iustorum sunt. Nunc sathanas infectatur, nunc ministeria eius impugnant, nunc falsorum fratrum simulatio ad nocendum arte fraudulentæ infectationis irrepit. Sed propheta qui uerita tem esse mandata dei meminerit, iniustæ iniquitatis persecutionem fideli animo sustinet. Et quia persecutionem fidei sciat esse documentũ, nõ orat eam à se remoueri, sed adiuuari se in ea postulat, & opẽ atq; auxiliũ misericordiæ dei precatur, euãgelici huius præcepti nõ ignarus: Qui non accipit crucẽ suam & sequitur me, nõ est me dignus. Veritas ergo est in præceptis dei. Veritas nihil falsum, nihil in certũ, nihil imperfectum habet: persecutio autẽ iusto intentata iniquitas est. Iniquitas enim prędicatorẽ necesse est oderit ueritatis. Sed auxiliũ à deo est ueritatis prædicatori. Graues enim meminit has esse persecutorũ molestias, & quia iusto utiles sint, non putat amouendas. Periculosa nanq; ociosæ fidei pax est, & faciles securis excubijs insidiæ sunt. Bellis aũt exercitatũ uirũ nõ cito doli capiẽt, & glorioso certamine opus est, ut corona uictoriæ deferat. Ob quod nõ orat sibi adimi

causam

cauſam certãdi,ſed tribui auxilium uincendi.Meminit autem non in leui ſe tentationum eſſe pugna.Sequitur enim: Paulominus cõſummauerunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.) Propè uſq; ad finem uitæ iniuſtæ perſecutiones prophetam redegerunt, illæ ſcilicet de quibus ſuperius diximus,ſpirituales nequitiæ in cœleſtibus, quæ nos ad corporalia uitia ingeſtis cupiditatum illecebris inſtigant. Pœnè igitur eſt propheta conſummatus in terram, id eſt, in corporum uitia & peccata deiectus:ut enim cõſummatio bonorum, ita & malorum eſt.Sed ingruentibus licet his pernicioſiſſimis inimicis ac perſequentibus ſe mandata dei non dereliquit, & infirmata licet naturæ ſuæ imbecillitate in præceptis dei permanet,hoc glorioſius in mandatis dei permanens,quod pœnæ naturę ſuæ infirmitas ſit ſubacta. Concludit deinde modeſtiæ & ſpei ſuæ more, dicens:

Secundum miſericordiam tuam uiuifica me, & cuſtodiã teſtimonia oris tui.) Viuificari ſe tanq; nondum uiuens precatur, & cuſtoditurum ſe teſtimonia oris dei,tanquàm nunc non cuſtodiat pollicetur.Sed cum uiuat in corpore,uitam ille non huius ſeculi concupiſcit,& cum teſtimonia dei in lege cuſtodiat,tamen teſtimonia oris dei cuſtoditurum ſe pollicetur, quæ euangelicis innouata præceptis non adulterio tantum,ſed etiam deſiderio adulterij abſtinentes ſola fidei ſanctificatione conſummant,per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui os & dextera & uirtus & ſapientia dei eſt,benedictus in ſecula ſeculorum,Amen.

ל Lamed.

IN æternum domine & reliqua.) Sermonem prophetæ non in humilibus ac peruulgatis demorari decet, ſed ſemper excelſa & deo digna tractare, atq; ita ut dum nos ad innocentis uitæ obſeruantiam imbuit,ingenij quoq; noſtri humilitatem ad intelligentiam diuinorum & inuiſibilium ſacramentorum extollat. Nec ſanè humana infirmitas in cœleſtem ſcientiam ſe ipſa proueheret, niſi dei donum ſcientiæ per doctrinam ſpiritus largiente ad cognitionem diuinæ & imperſpicabilis naturæ eruditur. Volens igitur propheta præſtare nos ac perficere deo dignos, & ſciens repoſitum humanæ ſpei eſſe ut in cœleſtem gloriam ſi diſciplinam cœleſtis obedientiæ conſectaretur accederet, ita cœpit: In ſeculum permanet uerbum tuum in cœlo.) In cœlo ait, quia ſcit in terris propter falſitatem hominum non manere.Et quomodo in cœlo maneat, ipſa ueluti corporalis contemplationis fide cernitur.Non eſt illic tranſgreſſio,non demutatio,non infirmitas,non ocium. Contueamur ſolis annuum curſum,& menſtruum lunæ recurſum, aſtrorum quoque aut ſtationes, aut conuerſiones, aut demutationes, nunquid non finibus ſuis & conſtitutis terminis ac decretis uiciſſitudinibus continentur? Nihil illic demutatur,nihil differtur,nihil negligitur, ſed in conſtitutionis ſuæ manet lege, & in indefeſſis obedientiæ miniſterijs perſeuerat. Sed ſeruauit hanc deſinendorum & præteritorum officiorum propheta rationem,dicens:In ſeculum domine uerbum tuum permanet in cœlo. Latini quidam interpretes ambigua id ſignificatione & minus propria tranſtulerunt. Nam quod apud illos eſt εἰς τὸν αἰῶνα νέμει, id nobiſcum eſt inæternum domine translatum. Accipi autem æternum ita poteſt, ut intelligatur nullo id quod æternum eſt fine deſinere. Seculum uero quod αἰὼν Græce eſt,intra ſpacium definiti temporis continetur.Non enim ait in ſeculum ſeculi, neque in ſecula ſeculorum, ſed in ſeculum uerbum tuum permanet. Scit poſt hoc ſeculum cœlum & terram præterire, domino dicente: Amen dico uobis cœlum & terra præterient, uerba autem mea non tranſient. Meminit etiam hoc ſeculum præteriturum eſſe, ut ſit cœlum nouum, & terra noua. Idcirco ait: In ſeculo domine permanet uerbum tuum in cœlo.)

Quia

Quia postq̃ hoc seculum transierit, in cœlo uerbum hoc obedientiæ cõstitutæ in creaturis, quæ reuelationem filiorum dei expectant, necesse sit permanere. Sed non idcirco nõ & in terris aliquando dei uerbum est, licet id tantum in cœlo propheta prædicet manere. Nemo enim nostrũ est, qui nõ interdum donũ spiritualis gratiæ sentiat, qui nõ aliquãdo in se habeat dei uerbũ, cum sobrius, cũ trãquillus, cum cõtinens est, cũ beneuolus est, cũ misericors est. In his enim cũ sumus, manet in nobis dei uerbũ, cum præceptis eius bonarũ rerũ obeditione famulamur. Sed subrepẽtibus turbidarũ affectionũ motibus cum subit pecuniæ cura, cũ æstus turpis lasciuæ cupiditatis accẽditur, cũ ira pectus cõmouetur, cũ ebrietas desiderat, iam nõ in nobis manet uerbũ dei. Est aũt in his qui secundũ Apostolum exuti ueterem hominẽ cũ peccatis suis, nouũ induerũt, qui cõmortui Christo & cõsepulti iam in nouitatẽ uitæ resurrexerunt, & collocati sunt in cœlestibus, qui terrestris imagine derelicta cœlestis imaginẽ portant. In his enim tanq̃ in cœlo uerbũ dei permanet, in quibus hoc uerbũ non offenditur, ira, ebrietate, odio, infidelitate, lasciuia. Nam & si aliquãdo manet in nobis, tamẽ à sancto habitationis suæ contumelias non fert, ut semper inesse permaneat. Si uero hæc cõmemorata uitia semper in nobis erunt, ne introire quidem polluta corporũ domicilia dignabitur. Adest autem unicuiq̃ proximũ, ut dictum est: stat enim ad ostiũ uerbum dei, & pulsat ostium animæ nostræ, & dicit: Ecce stans ante ostiũ pulso: si quis aperiet mihi ostiũ, ingrediar ad eũ. Vult ergo semper introire, sed à nobis ne introeat excluditur. Claudimus enim per hæc corporis uitia animæ nostræ aditũ, qui si cœperit emundatis omnibus patere, ilico introibit, modo solis, qui clausis fenestræ ualuis introire prohibetur, patẽtibus uero totus immittitur. Ipsi quidẽ semper ut illuminet promptũ est, sed lumen sibi domus ipsa obseratis aditibus excludit. Est enim uerbum dei sol iusticiæ adsistẽs unicuiq̃ ut introeat, nec moratur lucẽ suam apertis aditibus infundere. Manet igitur hoc uerbum dei in cœlis per indefessam cœlestium obedientiã. Quo exemplo in sanctis quoq̃, qui cœlestes secundũ cœlestis imaginem sunt, dei uerbũ manere credendum est. Sequitur dehinc: In generationem & generationẽ ueritas tua.) Duplicem hanc sensus nostri intelligentiã qua uerbũ dei manere ut in cœlo, ita & in sanctis hominibus existimamus, uersus hic qui cõsequitur confirmat. Non enim ait: in generationẽ generationis, aut à generationibus generationũ, sed in generationẽ & generationẽ ueritas tua. Vtrãq̃ generationẽ simplici significatione cõmemorat. Duas igitur generationes in duobus populis cognouimus, quorũ unus est legis & prophetarũ, alter est euangeliorum & Apostolorũ. Veritas ergo dei in solis his duabus generationibus manet. Sed cũ prior generatio ueritatẽ dei intra se haberet, nulla alia eum habuit. Erant enim plures generationes gentiũ atq̃ populorum. Et nunc cum hæc eadẽ generatio indigna extitit, in qua ueritas dei esset, hanc eandẽ dei ueritatem præter eam quæ euãgelijs credidit, nõ habet alia ulla generatio. Sequitur uero: Fundasti terram, & permanebit.) Cõuenerat ordini ut post cœlum, de hinc terra nuncuparetur, sed hoc quod medium est, id est, in generationẽ & generationem ueritas tua, ob eam causam interuenisse existimo, ut duplex illa de cœlo, in quo dei uerbũ manet, intelligẽtia cõfirmaretur. Nunc ergo tanq̃ integer ordo seruatus est, cũ post cœlũ in quo permanet dei uerbũ, fundata terra mansura est. Et quidẽ hoc etiã de hac terra forte dictũ intelligitur, quæ fũdata permanet, quam secundũ Salomonẽ deus p sapientiã fundauit, quę cũ fluidæ sit aquarũ naturę subiecta, & incõstanti innatet substrata elemẽto, ita tamẽ sapiẽtia & uirtute & spiritu dei fundata fuerit ut pmaneat. Sed mihi, pphẽticus sermo etiã de terra humani corporis uidet locutus, quę ita fundata sit, ut in ea tanq̃ in cœlo uerbũ dei maneat. Cœlũ em & terra

præteribit

præteribit. Et quomodo hæc terra fundata manſura eſt? niſi forte fundata in hoc ſeculo tantũ manſura ſit, id eſt, ſecundum ſeculi huius cõſtitutionem & ipſa manſura. Sed ſi permanſura eſt, quo uerbo ſignificatur imperpetuum manſura? Earũ neceſſe eſt generatio nõ terra fundata & manſura eſſe credenda eſt, quibus ob ueritatem in his dei manentem cœleſtis horum modo terrenorum corporum gloria præparatur. Et abſolutius id ita conſequenti uerſu poterit intelligi. Ait enim:

Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.) Dies iſte qui nunc eſt, non perſeuerat interuentu noctis exemptus. Aut ſi de huius diei temporibus locutus eſſet, mentionẽ etiam noctis fieri conuenerat, quæ pari ut dies, dei ordinatione perſiſtit. Sed quia dies lux eſt, & ſanctus quiſq; mundi iſtius lumen eſt, huius ergo luminis dies non ambigue ordinatione dei perſeuerare creditur, & perſeueraturus, quia omnia deo ſeruiant. Nunc enim non omnia deo ſeruiunt. Nunquid & peccatores deo ſeruiunt? Nunquid & hi ſeruiunt qui ſcamnello domini pedum ſubdendi ſunt? Dixit enim Dauid: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos ſcamnellũ pedum tuorum. Et ſecundum Apoſtolum. Oportet eum regnare donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus eius. Ergo tũc dies, id eſt, ſanctorum lumẽ permanebit, cum deo cœperint uniuerſa ſeruire. Et hæc quidem à nobis ſecundum propheticam atq; Apoſtolicam doctrinam commemorata ſunt. Vt quanq; in præſentibus dictis futurorũ bonorum ſignificari tempus intelligatur, in quo & cœlum nouum & terra noua & fœlix de mutandorum corporum gloria & æterna oblitis terrenorum uiciorum noctibus noſtri luminis dies ſpei & expectationi noſtrę præparantur, tamen ut magnificentiam dei omnes huius quoq; mundi creationes indemutabili officiorum ſuorum conſtitutione teſtentur, cum ita firmata, fundata, ſtatutaq; omnia ſint, ut perpetuis quibus manebunt cõſtitutorum ab exordio temporum curſibus perſeuerẽt, propheta perſeuerare ſe ut diem poſtulat, & in ſequẽtibus ſeruum ſe eſſe domini ſui meminit, dicens: Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tũc forte perijſſem in humilitate mea.) Frequẽter admonuimus humiliatiõe id ſignificari, cũ tentationibus anima ſubiecta eſt, & infirmitati ſuæ derelicta humilis efficit. Lex ergo ei meditatio eſt, & niſi meditatio ei fuiſſet, forſitan in humiliatiõe perijſſet. Non eſt ergo meditatio legis dei cũ tribulamur & anguſtiamur relinquẽda, ſed cũ uarijs corporũ infirmitatibus affligimur, cũ inter perſecutionũ bella uexamur, cõſtans in nobis debet legis eſſe meditatio. Vrant enim licet in excidiũ fidei ignes, lacerẽt quoq; ad periculum ſalutis noſtrę flagella, effodiant etiam ad eliciendã impietatis confeſſionem redempta à deo corpora ungulæ, dicti tamen prophetici meminiſſe debemus, ut cõſortes ipſius ſimus. Dicamus & nos patientes atq; uincentes, niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc forſitan perijſſem in humilitate mea. Et beatitudinem meditationis huius iam in exordio pſalmorum propheta meminit, dicens: Beatus uir qui non abijt in concilio impiorum, & in uia peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Sed in lege domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et uere beatus erit quiſquis in lege dei meditabitur, qua meditatione in ipſa quoque tribulatiooum humiliatione ſeruabitur. De hinc ſequitur: In ſeculum non obliuiſcar iuſtificationum tuarum, quia in ipſis uiuificaſti me.) Scit propheta, ſecundum Apoſtolum, finem legis eſſe Chriſtum, in qua iuſtificationum obſeruatio conſtituta eſt, ſcit & in euangelia credituris legem eſſe pædagogam, ſcit & iuſtum ex fide uiuere, ſcit & legem ſpiritualem eſſe, ſcit quòd qui ea quæ in lege ſunt fecerit uiuet, & idcirco ait: In ſeculum non obliuiſcar iuſtificationum tuarũ, quia in ipſis uiuificaſti me. Vt quanquàm fides euangelica finitis legis ſit operibus prædicanda, iuſtificatio

Scamnellum.

num legis tamen quæ ſibi uitæ initium ſit immemor non ſit, quia legis iuſtifica-
tio Euangelicæ iuſtificationis fideique pædagoga ſit. Conſtanter uero cum ſibi
nulla iuſtificationum dei ſubrepere poſſit obliuio, id quod conſequitur eſt profeſ-
ſus, dicens: Tuus ſum ego, ſalua me, quia iuſtificationes tuas exquiſiui.) Non
omnibus uox profeſſionis iſtius competit, ſed rarus quiſque eſt qui ſe dei audeat
dicere. Audebit ſanè ille qui dixit, Mihi uiuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Et
uiuo iam non ego, uiuit autem in me Chriſtus. Et qui huius fidei erunt ſimiles,
non imprudenter quod dei ſint confitebuntur. Vox iſta animæ ſemper deo in-
tentæ, opus iſtud eſt miſericordiæ indefeſſæ, continentiæ immobilis, ieiunij uſi-
tati, largitionis impœnitentis. Quomodo enim ſe dei eſſe profitebitur in libidi-
nem calens, in iram mobilis, in auaritiam ſolicitus, in ebrietatem ſitiens, in glori-
am ſeculi inanis? Horum potius erit iſte, non dei. In quo enim hæc paſſionum ui-
tia abundabunt, quomodo non eorum erit quibus ſeruiet? Plures gentium dij, ſed
unus ſolus deus ex quo omnia, & unus dominus noſter Ieſus per quē omnia. Con
ſtanter ergo propheta cui ſoli ſeruit, quod ſuus ſit confitetur. Et quia ſuus ſit, ut
ſaluetur orat. Suus autē per id eſt, quia iuſtificationes eius exquirat. Alijs quæren-
tibus gloriam mundi, alijs quærentibus agros, domos, pecuniam, ille iuſtitias dei
exquirit, & quod dei ſit gloriatur. Eſt autem in iſtiuſmodi pios ac religioſos uiros
ingens odium irreligioſorū. Et ſcit propheta, uel ſeculi hominibus, uel diabolo &
miniſtris eius, eum qui ſe dei profitetur, eſſe pertæſum. Hoc etiam cōſequenti uer
ſu docet, quo ait: Me expectauerunt peccatores ut perderēt me, teſtimonia tua
domine dilexi.) Diabolo uel miniſtris eius cura eſt pugnam & omnem gloriam
uiri fidelis auferre, & eum non ex portione dei ſinere eſſe, ſed damnationis ſuę cō
ſortium aſſumere. Longo itaq; ac diutino prælio cōtra fidem prophetę dimicatur.
Sed memor ille mandatorū dei, & teſtimonia eius intelligens, reſtitit atq; perman
ſit. Neq; aliter ſpem eorum qui perditionem ſuam expectabāt eluſit, quàm quòd
uitæ ſibi in teſtimonijs dei intellexit eſſe doctrinam. Arduum autem atq; difficile
eſt intelligere dei teſtimonia, & ultra præſentis cognitionis ſcientiam eorū intelli-
gentia procedit. De teſtimonijs uero iam in pſalmi exordio tractauimus. Per hæc
enim præſentia legis teſtimonia teſtimoniorum æternorū cognitio præſtatur. De
niq; id ipſum conſequens ſermo demonſtrat. Sequitur enim: Omnis conſum-
mationis uidi finem.) Frequenter admonuimus, non poſſe ſatisfactionem intelli *Audi oſor*
gentiæ ex Latinitatis translatione pręſtari. Alia enim uis dicti huius eſt ex Greco *Græcitatis*
enunciati: ita enim eſt: πάσης συντελείας εἶδον πέρας, id quod cum Græcis πέρας
nuncupatur, ultra finem eſt rerum ſtatutarum neq; aliquo ut deſinat continetur,
ſed omnem limitem ſub indefinita ſignificatione tranſcendit. Quod autem nobi-
ſcum ſcribitur in finem, fine eo qui ſignificatur exiſtimatur id unde agitur cōtine *τέλος*
ri. Sed propheta, qui non corporalia neq; terrena teſtimonia legis intelligit, ſecun
dum Græcam ſignificantiam ultra omnem conſummationē contuetur. Scit con-
ſummationem eſſe temporum legis, cum poſt plenitudinem temporū deus in cor
pore contuendus ſit, ſed ultra hanc conſummationem uidet. Videt enim Euange-
licæ ſpei tempus, ſed & huius quidē conſummatio nō ignota ei eſt. Vltra id enim
intelligentiæ ſuæ oculos extendit. Namq; & reſurrectionis conſummationem ui-
det. Scit enim & demutationis eſſe ordinem conſtitutū Apoſtolo dicente: Vnuſ-
quiſq; autem in ſuo ordine. Et rurſum: Omnes quidem reſurgent, ſed non omnes
commutabuntur. Nouit & dies regni domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo in regnū
dei patris prouehemur, & illa inexquiſita & ininueſtigabilia dei iudicia transfere
mur. Scit & tempus eſſe iudicij, & hoc ſcire ei ex amplitudine mandatorum dei li
cuit, quia ſe in immenſam cognitionis doctrinam diuinus ſermo diffuderit. Ait

enim: Latum mandatum tuũ uehementer.) Latum planè eſt, ſiue quòd in infi/nitum cognitionem humanę ignorantię extendit, ſiue quòd multa ſunt in quibus dei præceptis obtemperetur atq; placeatur, ſecundum diuiſiones & munera gra/tiarum. Nõ enim ab omnibus omnia expectantur, neq; uniuerſi uniuerſa ad ſum/mam placendi implere poſſunt. Alius ieiunio placet, alius ſimplicitate fidei pro/meretur, alius uitia eleemoſynis redimit, alius ſecuritate conſummat, ſicut alij cu/rationum conceſſa uirtus eſt, alij prophetiæ ſcientia contributa eſt, alij fidei firmi/tas data eſt, alij ſapientia & cognitio donata eſt. Latum igitur mandatum dei eſt, & in omnia ſpei noſtræ genera diffunditur, ut non difficile ſit ſi uoluntas adſit præ/cepto dei obtemperare: cum latum & diffuſum ſit ad placendum officioſæ religio/nis uirtute. Neq; ſolum latum, ſed uehementer latum, latitudinis infinitate hac ipſa ſuperlatiui adiectione monſtrata.

ב Mem.

QVomodo dilexi &c.) Vtile hoc nobis ac neceſſariũ prophetæ opus eſt, quo ad perfectam dei cognitionẽ atq; obedientiam edocemur, duabus rebus maxime infirmitati noſtræ congruis inſtituti, ut & deum qui ignoratus ſit nouerimus, & mandatis eius ſecundum uo/luntatem decreti ſui obtemperemus. Perfectum enim legis & pro/phetarum & Euangeliorum uirum in omni pſalmi iſtius corpore propheta confir/mat, uel ex ſua, uel alterius quem inſtituerat perſona, cui in fiducia ſit, hæc de ſe quæ ſubiecta ſunt prædicare. Eſt autem dignum contueri, qua uerborum diligen/tia, qua intelligentiæ abſolutione nos in ſingulis quibuſq; dictorũ generibus pro/pheta confirmet. Dicit enim in tertiædecimæ literæ uerſu: Quomodo dilexi le/gem tuam domine, tota die meditatio eſt mihi.) Promptum utiq; fuerat dixiſſe, quo feci legem tuam. Sed quia maius meritum eſt, amantem aliquid potius age/re, quàm timentem, idcirco ait dilexi legem tuam. Differt enim longe obſequium amoris à timoris officio, nec habet gratiam uoluntatis neceſſitatis operatio. Non omnia enim ad perfecti obſequij cõſummationem ſibi illa ſufficiunt, quæ quam/uis opus ſuum impleant, tamen quia coacta ſunt, merito plenæ gratiæ indigent. Vult igitur propheta opus ſuum dilectionis potius, quàm terroris eſſe, & ex cha/ritate obſequium ſuum, nõ ex metu ſuſcipi. Multi ieiunant, dum à nobis obiurga/ri timẽt. Multi aliquid in uſum indigentiũ præbent, dum exprobrari irreligioſam auaritię ſuę inutilẽ cupiditatẽ pertimeſcũt. Multi eccleſiam adeũt dũ argui abſen/tiam ſuam & negligentiam erubeſcunt. Sed nõ omnes id quod faciunt, & amant. In amorem ergo nõ poteſt incidere neceſſitas obſequelæ: quia nemo id quod dili/git nõ uult. In facto uero poteſt & nõ ſubeſſe dilectio, dum id efficitur, quod non effeciſſe aut terror aut pudor ſit. Sed propheta in nullo infirmus eſt. Quod amat facit, & quod facit indeficienter exercet. Legem enim quam diligit omni die & ſi/ne intermiſſione meditatur. Non ſubrepunt alia occupationum ſtudia, nõ interue/niunt diuerſi ſecularium curarũ æſtus, nec in eum incidit interiectu nouæ alicuius *cognitionis obliuio, ſemper idem eſt & in eodem eſt. Tantus ipſe in dilectæ ſibi legis meditatione eſt, quantus dies uniuerſus in tempore ſit. Et quia, ut ſuperius cõmemorauimus, legis & prophetarum atq; Euangeliorũ hominem in ſe prophe/ta demonſtrat, ait in conſequenti: Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quoniam in ſeculum mihi eſt.) Mandata dei prudentius propheta quàm inimici eius intelligit: ſed quid cõmune nobis & inimicis noſtris in præce/ptis eſt dei, qui nõ ſolum ne mediocriter quidem comperta habent, uerum nec ini/tium ſaltem cognoſcendi ſectantur? Et quid magnum ſi inimicis ſuis in mandatis dei propheta prudentior ſit? Quando eñ inanimantia ſaxa, aut metalla, aut ligna

Forte cogitationis

uenerantes

uenerantes consequi aliquid de uiuentis atq; æterni dei cognitione potuissent, ut his comparatis fieret propheta prudentior? Sed omnis hic impiorum error ipsum illud nomen cum lege & prophetis & Apostolis respuit, detrectat, horrescit. Sed habet alios propheta hic sanctus inimicos, quibus prudentius in mandatis dei est eruditus. Mandatum dei in prophetis & in lege hæretici habent, sed nullo eorum per imperitiam irreligiosæ uoluntatis utuntur. Mandatum legis Iudæi tanq; proprium & hereditarium sibi uendicant, sed spiritualis circuncisionis autorem non habentibus quid circuncisio in signo tantũ constituta iam proderit? Quid sabbati religio deum sabbati nescientibus opis afferet? Quid paschæ agnus, & liminũ sanguis, & azymorum festiuitas, agnum dei & azyma synceritatis & sanguinem salutis ignorantibus auxiliꝫ præstabit? Mandata exercent, sed efficientiam mandatorum & tempus ignorant. Legem legunt, sed eam legente & nesciente Iudæo Christianus intelligit. Inimicus planè hic prophetæ est, parricidales manus unigenito dei filio inferẽs, & saluatorẽ generis humani & uitæ æternę largitorẽ morte quantum in ipso est cõdemnans. Præ his ergo omnibus in dei mandato prudentior est. Atq; ut absolute hos inimicos significasse intelligeretur, id quod consequitur adiecit: Super omnes docentes me intellexi, quoniam testimonia tua meditatio mea est.) Didicisti ò Dauid à Mose legem, & Aaron tibi sacrificiorum omnium doctor est: Iesus iteratæ circuncisionis magister est. Samuël unguendo tibi sacramentum in te ipso & prophetæ & regis ostendit. Quid est istud quod loqui ausus es, quod super omnes te docentes intellexeris? Sed superior uersus super quos omnes docentes se intelligat, ostendit, id est, super inimicos. Et rursum hic qui nũc est uersus inferior qui inimici sint declarat, id est, omnes docentes. Claues enim cœlorum se habere profitentur, & doctores esse se legis gloriantur. Et cum omnia legis testimonia aduentũ domini nostri Iesu Christi testentur, super doctores suos propheta intelligit, qui unigenitum dei filium in carne uenturum testimonia eius meditans semper expectat. O felix discipuli intelligentia, ò doctorum miserabilis imperitia. Docentes nesciunt, & intelligunt qui docentur. Caret autem propheta uitio iactantię: intelligentiæ enim præstantiam unde adeptus esset ostendit. Nam superius ait, quod super inimicos suos prudentior à deo in mandatis eius esset effectus. Intelligentia enim omnis ex eo est, qui prudentiorem eum esse constituit. Super docentes se ergo intelligit. Et quia interdum ex naturæ diuersitate solet accidere, ut discipulus prudentior sit magistro, tamen hoc ipsum diligentiæ suæ & studij esse demonstrat. Ait enim: Super seniores intellexi, quia mandata tua exquisiui.) Et super docentes intelligit, & super seniores intelligit doctrinæ atque intelligentiæ suæ officiũ, cũ ipsa temporis antiquitate demonstrãs, id est, populi ante se anterioris significans ætatem. In quo utrunq; cõuenit, ut & antiquior sit, & se putet esse doctiorem. Sed super eum ille intelligit, qui & docetur & iuuior est. Intelligit uero, quia mandata dei exquisierit, quæ doctor dum se docere credit, ignorat. Consequens autem est, ut qui super seniores & doctores intelligit, fructum intelligentiæ suę reddat, scilicet ut & quę cognita & perfecta habere cœpit, exerceat, & uideamus an hoc ipsum in cõsequentibus sit. Ait enim: Ab omni uia mala prohibui pedes meos ut custodiam uerbum tuum.) Perfecta hæc & Euangelici uiri uox est, ab omni se malitię uia abstinere, & tot ubiq; occurrẽtibus erroris semitis, nulla earũ, per quã nequitia adeatur, incedere. Sed alius nescio quid in eo propheta significat, cũ dicit, prohibui pedes meos. Natura corporis nostri fert nos in omnem criminis cursum, & humanarũ cupiditatũ impetus in hanc nos uiam cogit. Sed qui super seniores & docentes intelligit, per intelligentiæ doctrinam se prohibuit, & exeuntem procurrentemq; reuocauit. Resistendũ ergo est & obnitendũ,

ut noſmetipſos ab omni uia mala primum arceamus, tum deinde ſi quis nos inſtinctus eò cœperit ferre, ut retrahamus. Et prius noſtra & ipſius poteſtate ſumus inhibendi, ut deinceps cuſtodiamus dei uerbum. Antea autẽ propria inhibitione opus eſt, ut poſſit dei uerbi eſſe cuſtodia. Necꝫ enim quiſquam uerbũ antè cuſtodiet, quàm prohibere ſe poterit. Prohibitio enim ea demũ eſt, ut id quod fiebat fieri arceatur: cuſtodia uero tum firma eſt, cum ſe quis à malis inhibens bona obſeruat ſine intermiſſione cuſtodiæ. Qualis autem cuſtodia uerbi dei eſſe debeat, ſequens uerſus docet. Sequitur enim: A iudicijs tuis nõ declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi.) Hæc eſt igitur uera cuſtodia nullam in partem à dei ſe iudicijs deflectere, necꝫ leui ſaltẽ declinare deceſſu, ſed intentum ſemper, & ſemper immobilem, in eo quo inſtitit permanere. Non declinat autẽ, quia legem ſibi deus ſtatuerit. Legem quidem Moſes ſtatuerat, ſed hic idem propheta in pſalmo altero orauerat, dicens: Domine conſtitue legislatorem ſuper eos, ſciant gentes quoniam homines ſunt. Ea enim lex quam Moſes ſcripſerat, pædagoga nobis in Chriſto fuit. Et idcirco ſuper docentes ſe & ſeniores intellexit, quia legem Euangelicam quę lege Moſi nõ continetur intelligit. Hæc ergo per deũ collata eſt, hæc omnẽ hominẽ in ſcientiam dei erudiuit. Et idcirco ad id quod dixerat: Conſtitue legislatorẽ ſuper eos, adiecit, ſciant gentes quoniam homines ſunt, id eſt, ex terra genitæ, & in cognitionem dei ex limo conformatæ. Quod enim antea per ignorationem legis Moſi præſciebant, nunc per prędicationem domini noſtri Ieſu Chriſti ſciunt: & ut originem ſuam, id eſt, corporis naturam in nouo latore legis agnoſcunt, ita & gloriam noui huius latoris expectant, in exordio ſui iam ad imaginem & ſimilitudinem dei cõſtitutæ. Et prædicationis huius Euangelicæ dulcedinem in conſequentibus propheta teſtatur. Ait enim: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.) Mel in ore nõ etiam in faucibus dulce eſt. Extra regionẽ enim oris corporalium ſaporũ nullus eſt ſenſus. Sed dei eloquia in faucibus dulcia ſunt, in animam ſcilicet defluentia & intima penetrantia, non in ore modo cibi placentia, ſed illic dulcia ubi cognitionis & prudentiæ & intelligentiæ ſenſus eſt. Et ideo eloquia in faucibus & in ore mel dulce eſt. Sed ut mel per ægritudinem æſtumꝫ febrium ea quæ acciderint oris amara mitificat, ita animę noſtrę amaritudines & triſtes cupiditatum inſalutarium febres infuſa dei eloquia mitificant, ſi modo nõ ore contineantur, ſed faucibus deuorentur. Sequitur deinde: A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem uiam iniquitatis.) Intelligentes nos faciũt præcepta, ſed præcepta re atꝫ opere expleta, id eſt, ut ea quæ his continentur in quantum poſſumus expleamus. Et licet à deo intelligentia perfecta ſit, tamẽ à nobis incipiendum eſt, ut poſſimus perfectam intelligentiam promereri. His enim qui nõ per ſe inchoant clauſa à deo omnia ſunt. Et id ipſum propheticus ſermo per Eſaiã docet dicentẽ: Ne dicas de mandatis meis quòd cognoueris ea, necꝫ cognouiſti, necꝫ credidiſti ea, neque ab initio aperui tibi aures. Cognoui enim quòd ſpernens ſpreueris, & quòd iniquus adhuc ex uentre uocandus eſſes. Ergo non indulgetur ſcientia nõ appetentibus eam. Et quia deus cordium ſcrutator eſt, his qui ſpreturi eam eſſent, obtuſæ aures ſunt, & hebes ſenſus eſt. Sed propheta à pręceptis dei intelligit, præcepta ſcilicet agens, intelligentiam conſecutus, intelligens uero omnẽ iniquitatis uiam odit. Humanæ enim naturæ omnes diuerſarũ affectionum adiacent motus, ut ſunt odij & amoris. Sed amor impendendus eſt in dilectionem bonorum, odium autẽ aſſumendum eſt ex offenſa malorum. Bonum ergo eſt modo utilis organi corpora noſtra in coaptatos & continentes modos temperare, ut nõ uitia diligamus, ut non uirtutes bonas oderimus, ut unicuicꝫ nos generi decenter atꝫ utiliter coaptemus: Propheta mandata dei diligit, & qui mandata dei diligit,

iniquitatis

iniquitatis uias odit. Vt enim perfectæ fidei & obsequelæ est obedientiam dilige/re, & id quod quis agit affectu charitatis explere, & necessitatem agendi amantis uoluntate præcurrere, ita & magnæ innocentiæ est, iniquitates non modo non agere, sed odisse, quia interdum nos ab his metus & terror auertat. Odium autem nobis earũ indiciũ ueræ, & perfectæ de his opinionis insinuat. Diligamus iustiti/am, modestiam, frugalitatẽ, misericordiã, & oderimus rixas & ebrietates, cædes, superbias, stupra, cum quibus necesse est & diabolum oderimus. Diligentes uero pacem, ueritatem, iustitiam, diligemus eum qui est pax, iustitia & ueritas, domi/num nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

ז Nun.

LVcerna pedibus meis &c.) Vita sensusq́ hominum in errore ac po tius nocte inscientiæ manet, dum carnali inserta cogitatione in pro/fundo ignorantiæ per grauitatem naturæ, cui admixta est, detine/tur. Quando enim per semetipsam causam & rationẽ originis suæ nouerit? quando siquis fructus uitæ suæ sit, quæ conditio spei? quæ promerendæ posteritatis uia? Neq́ enim quisquàm tam demens, aut inops sensu est, ut * in id cũ nullus esset, cum sine dubio meminerit ex bonitate dei profectum esse quod natus est: nec id in bonitatem eius malitiæ cadat, ut in nobis hoc suum quod nascimur munus interimat. Sed propheta cognitione rerum cœlestium di/gnus ut in luce scientiæ, munere dei & eloquio collocatus, ducem ad bene & inno center uiuendum eum sequitur, qui lux uera est, & qui omnem hominem lucifi/cat. Hanc ergo uitæ suæ ignorantiam quodam prælato lumine ad intelligentiam dirigit, dicens: Lucerna pedibus meis uerbũ tuum domine.) Scit se nisi in uer bo dei illuminatum has corporum tenebras, & hanc seculi noctem ferre non pos/se. Scit ubiq́ adesse lapides offensionum, laqueos funium, scrobes fouearum. Vt enim quis nocte egressus lucernam antefert, & quò pedem inferat contuetur, at/que ad singulos gressus natũ se esse existimet, ut rursum postquàm natus est nul/lus esset, lumine præeunte solicitus est: ita unusquisque nostrum manens in se uer bum dei in omnes operum processus tanquàm lucernam prætendit. Omnis ete/nim doctrina cœlestis dux nobis ad iter uitæ est, quæ lucernæ modo in hac nocte seculi præferenda est, cum aliquid aut agimus, aut cogitamus, aut loquimur, ut ea in omnem progressum cuiuscunq́ operationis utamur. Iubet dominus in Euan/gelijs hanc præceptorum suorum lucernam non ociosam, nec inutilem oculis di/cens: Nemo enim lucernam accendit, & ponit eam sub modio. Quæ enim lucer næ si modio tegatur utilitas est? Vsum suum tantum intra id quo operitur impen dit. Iubet igitur eam in candelabro, id est, in officij sui sede constitui. Itaq́ hanc do ctrinam, atq́ hoc uerbum dei intra nos receptum non ociosum, neq́ inutile tan/quam modio occulamus, sed lumen istud nobis ipsis primum, & rursus ex nobis omnibus gentibus præbeamus. Sequenti quoque istud mandatum dominus am/monuit dicens: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ uestræ ardentes. Iubet er/go nihil nos agere in obscuro, quia omnis in peccatis agens odit lumẽ, & diligit te nebras. Vult has lucernas nostras esse semper accensas, ne quando in nocte huius seculi relinquamur. Iudæis in tabernaculo testimonij lucerna accenditur, & hæc omnis festiuitatis suæ tempore ardet. Illi hoc quod agunt nesciunt, sed nos in his tabernaculorum nostrorum, id est, corporum testimonijs ardentes lucernas sem/per habeamus, & festiuitatem spei nostræ earum luce peragamus. Apostolos quo que, quos sal terræ, quos & lumen mundi dominus nuncupat, per hanc significa/tionem hos & lucernas esse ecclesiæ ostendit, dicens: Lucerna corporis tui est ocu/

Forte legendum, ut cum nullus esset, nam sine dubio meminerit &c.

lus tuus. Corporis ſcilicet eccleſiæ, quæ unũ corpus in Chriſto eſt, noſcq; inuicem membra eius ſumus. Primo enim unicuiq; noſtrum eſt dei uerbum oculus ſiue lucerna, deinde uir apoſtolicus toti corpori ſuo, id eſt, eccleſię lucerna eſt: neq; enim omne corpus, aut pes, aut oculus, aut manus eſt. Ergo ſi oculi totius corporis pars lucidiſſima, & ob id membris ſuis cæteris præſtans, erunt tenebræ, id eſt, ſi apoſtolorum lucernæ non ardebunt, lumine ipſo in tenebris ſito, quanta totius corporis nox manebit? Ioannes prædicator pœnitentiæ lucerna & Iudæis & gentibus fuit domino dicente: Ille erat lucerna ardens, & lucens, & uos uoluiſtis ad horam exultare in lumine eius. Habemus ergo doctrinæ lumen, exultemus in eo, non ad horam, ſed ſemper, neq; ad tempus, ſed inæternum. Beatæ uirgines illæ & utiles olei mercatrices, ſolæ in lampadum ſuarum lumine cum ſponſo thalamum ingreſſæ ſunt, cæteris negligentibus & dormientibus ab ingreſſu thalami excluſis. Ad omnem igitur animæ noſtræ pedem utamur dei uerbo ut lucerna, ſed lucerna ſemper ardente, ſemper in officium ſuum per noſtram prudentiam pręparata. Verbũ autem quod pedibus lucerna eſt, ipſum illud & ſemitis lumẽ eſt. Senſim enim & domeſtice ingredientibus lucerna opus eſt, peregrinum autem & publicum iter ingredientibus lumen potius neceſſarium eſt, ne latro inſidietur, ne ambiguę uię error occurrat. Per incrementa enim à minori ad maius acceditur. Vt ei cui uerbũ dei primum lucerna ſit pedibus, id ipſum uerbũ ei fiat lumen in ſemitis. Sed lucerna pedibus & lumẽ in ſemitis utilem profectum præſtare debent. Et uideamus an dignum aliquid propheta ſubiecerit. Ait enim: Iurauí & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.) Iam nõ in nocte ſeculi errat, nec pedem metuit offendere. Sacramentum enim omne firmatæ ſcientiæ res eſt, & iurandi religio ex ueritatis cognitione ſuſcipitur. Iurat ergo propheta, nec tantũ iurat, ſed & ſtatuit, quia ſacramenti uinculum hæc firmitas ſit ſtatutorum. Statuit ergo iurans cuſtodire iudicia iuſtitiæ dei. Et difficile eſt ſtatuta conuelli, & optimũ eſt ſtatuere iurata. Sed meminit nihil eſſe in dei iudicijs iniuſtũ. Si enim humana iudicia ea uere iudicia exiſtimantur, quæ ex arbitrio iuſti iudicij ſanciuntur, quomodo ambigendum ſit nihil eſſe in dei iudcijs iniuſtum? Amittimus liberos, iniuſtum hoc iudicium exiſtimamus. Nunquid iniuſte deus in Iob filios dedit diabolo poteſtatem? Damna noſtra tanquam inique accidentia dolemus. Nunquid egere ſolum illum perfectum uirum deus ſine iuſtitiæ ratione permiſit? Cruciamur doloribus, & contra deum impatientiæ noſtræ querelis increpamus. An ne incerto conſilio exeſus uermibus, ſanie defluens, perfoſſus ulcere fuit? Certe hæc omnia ad documentum fidei & ad præmium glorioſæ patientiæ profecerunt. Infirmitas noſtra efficit, ut malum eſſe id quod patimur exiſtimemus. Cæterũ dei ſemper uoluntas eſt, ut patientia paſſionum probemur, nos uero diuini iudicij iuſtitiam dum ſine documento fidei latere uolumus improbamus. Sed qui ſuperius & iurauerat & ſtatuerat, ut cuſtodiret iudicia iuſtitiæ dei, dignum aliquid ſacramento & conſtitutione ſua in obſeruandis debet præſtare iudicijs. Non enim leue eſt quod cuſtoditurum ſe ſtatuit iuratus. Et quid illud illud ſit, ſequẽs uerſus loquitur. Ait enim: Humiliatus ſum uſquequaq; domine, uiuifica me ſecundum uerbum tuum.) Vnigenitus dei filius naturæ noſtræ ex uirgine ſibi corpus aſſumens cum in ſeipſo ueram & perfectam humanæ prudentiæ formam præbuiſſet, quid à ſe diſci tanq; exemplo doctrinæ uoluerit noſcendum eſt. Ait enim: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego uos reficiam. Tollite iugum meum ſuper uos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus ueſtris: ipſe utiq; perfectus, & ſine peccato ſolus, & unus in cuius ore dolus non fuit, hoc præcipuum à ſe doctrinæ ſumi uoluit exemplum, manſuetudinis ſcilicet & humilitatis, per quæ

animabus

animabus requies inueniretur. Scit insolentem esse & incapacem rerum secundarum naturæ nostræ infirmitatem. Alij per opes insolescunt, nescientes de largitione opum dictum esse: Eleemosyna enim abscondit peccatũ. Et rursum: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet inæternum. Et deum ipsum his qui esurientem cibassent, sitientem potassent, peregrinum domo recepissent, nudum ueste texissent, infirmum uisitassent, clausum carcere consolati essent, dicturum: Venite benedicti patris mei, possidete præparatum uobis regnum à constitutione mundi. Alij gloria seculi tumẽt, nescientes hanc principalem benedictionẽ cœlestium fuisse sermonũ, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Alios nobilitas carnalis in fastigium erigit, non cogitantes illis qui in Christo renati sunt dictum esse, uos autem genus electum, regale sacerdotum, gens sancta. Aliæ sunt seculi leges, alia dei munera. Diabolus cum deum tentare ausus est, suũ esse seculũ gloriatur, dominus uero mori nos seculo iubet ut uiuamus ipsi. Cum domino opum contemptus, opulentia est. Cum domino terreni honoris despectus, cœlorum regnum est. Cum domino humilitas cordis, generosæ & regiæ natiuitatis ornatus est. Hoc igitur à se disci uoluit, quod uirtutum omnium maximũ est. Apostolus etiam ad humilitatem nos docens talibus adhortatur: Hoc enim sapite in uobis, quod est in Christo Iesu. Qui cum in forma dei esset non rapinam existimauit esse se æqualẽ deo, sed se exinaniuit formam serui accipiens, & habitu repertus ut homo, humiliauit se factus obediens usq; ad mortẽ, mortẽ aũt crucis. Habemus exemplum ab unigenito deo humilitatis, sed uideamus & præmiũ. Propter hoc enim eum deus exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus in gloria est dei patris. Hoc humilitatis fuit præmium, ut corpus assumptum in gloria dei patris maneret, ut in nomine eius genu cœlestia, & terrestria, & inferna curuarent. Manens enim in dei forma non ui aliqua sibi ac rapina, id quod erat præsumendum existimauit, scilicet ut deo esset æqualis. Erat enim in dei forma, nihilq; ei ex eius gloria deerat, in cuius forma manebat, sed formam serui per humilitatem accepit, & habitu ut homo repertus est, humilians se per obedientiam usque ad mortem, nec solum usque ad mortem, sed usque ad mortem crucis. Cœlum ex præcepto dei ipse formauit, mundum ex paterno iussu in hanc speciem tanti decoris ornauit, terram & quæ in ea sunt creauit. Sed nunquid ob illa meruit hominem assumptũ in æterni patris gloria collocare? Humiliatis hoc præmiũ est, humilitatis hæc merces est, ut quia manens antea in forma dei esset, in forma serui deinceps effectus & manens in forma dei, & effectus forma serui confessione cœlestium & terrestrium & infernorum esse in dei patris gloria nosceretur. Verens quoque idem Apostolus, ne quos ipsa illa diuinorum munerum gratia efficeret insolentes, ait: Vnicuique data est demonstratio spiritus ad utilitatem. In eo enim quod ait, ad utilitatem, docuit eo utiliter utendum, ne fortè quenquam spiritualium donorum confidentia efficeret insolentem, & dei gratia per insolentiæ uitium fieret ociosa. Ex persona autem sua ipse demonstrat, etiam hoc se à deo gratiæ consecutum, ne per confidentiam plurium in se gratiarum in aliquem tumorem superbiæ tolleretur, dicens: Et propter eminentiam reuelationum datus est mihi stimulus carnis angelus Sathanæ, qui me collaphizet ne extollar. Etiam hoc ille uas electionis & doctor gentium meruit, ne ultra humanæ infirmitatis naturam per spiritualium in se munerum confidentiam superbiret. Ezechiam regem scriptura laudat quòd fecerit rectum & bonum in conspectu dei, sed non usque in finem potuit hæc manere laudatio. Scriptum enim est in secundo Paralipomenũ libro: Et cecidit Ezechias

ab altitudine cordis ſui, ubi cor in altum erexerat, ubi in ſuperbiam ſe per confidentiam laudationis extulerat, præteritorum geſtorum gratiam per ſuperbiæ crimen amiſit. Propheta igitur ſacramento cõſtituens ut iuſta dei iudicia cuſtodiret, hoc primũ opus ſumpſit ut humilis fieret. Neq; ſolum humilis, ſed humilis ualde, per adiectionẽ hanc conſummatam in ſe humilitatis modeſtiam docens. Et erant cauſæ in eo plures ſuperbiendi. Præbebat inſolentiæ cauſas nobilitas ex Iuda, & in eo primum poteſtas benedictionis regiæ inchoata. Manſit enim aliquandiu ex Dauid tribu regiæ poteſtatis familia, ex qua ſecundũ carnẽ rex æternus emerſit. Erat etiam prudentiſſimus. Ait enim ipſe: Inuiſibilia & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Meruit etiam & propheta eſſe, cum dicitur: Aperiam in parabolis os meũ, eructabo abſconſa à conſtitutione mundi. Humanæ quoq; opulentiæ copijs abundauit. Ait enim ipſe: Ecce congregaui de paupertate mea auri talenta tot milia, & argenti alia, & æris & ferri quorum numerus non eſt. Hinc familiæ nobilitas, hinc regis poteſtas, hinc ſapientiæ fiducia, hinc prophetiæ meritum, hinc copiæ facultatum: non erexerunt tamen in ſuperbiam, neque in aliquem faſtigij tumorem extulerunt. Tuto ergo poſtulat, dicens, uiuifica me ſecundum uerbum tuum, id eſt, ut tanquàm nondum uiuens æternæ uitæ uitam ſecundum uerbum dei mereatur, quia eum humilitas modeſta intra diſciplinam & doctrinam prædicationis Euangelicæ contineret. Deinceps ſequitur: Voluntaria oris mei fac beneplacita domine, & iudicia tua doce me.) Digne exequitur propheta ſacramentum conſtitutionis ſuæ. Primum enim humilis ualde effectus eſt, ſequenter nunc orat ut uoluntaria oris ſui beneplaceant. Non contentus eſt iam præſcriptis legis contineri, neq; tantum neceſſitati obedientiæ ſubiacere. Lex præceperat malum pro malo eſſe reddendum. Dauid iſte cum Saul totis imperij ſui uiribus ſe perſequentem, frequenter captum & concluſum habuiſſet, non modo non peremit, ſed etiam cum honore dimiſit, dicens: Non inferam ſuper eum manum meam, quia Chriſtus domini eſt. Hunc etiam cum in bello peremptum comperiſſet, & fleuit, & uindicauit: filius quoq; eius Abſalon regnum occupat, exercitum contrahit, patrem bello parricidali perſequitur. Sed militibus Dauid dicit: Parcite puero Abſalon. Illi quidem ad reſiſtendum neceſſitas impoſita eſt ut regi, ſed pietas & bonitas affuit ad parcendum ut prophetę. Mortuum quoq; affectu paterno & dolore defleuit. Hæc enim uoluntaria, non legitima ſunt, & his obtemperare libertatis potius quàm neceſſitatis officium. Habet hanc Apoſtolus uoluntariæ doctrinæ & non legitimæ conſuetudinem, dicens: De uirginibus autem præceptum domini non habeo, conſilium autem do. Aut cum gloriam uiduitatis & continentiam laudat nõ inhibita poteſtate nubendi, ſed meritum cœlibatus prædicator ultra legem inſtituit, & ultra præceptum adhortatur, uoluntaria legitimis anteponens. Et rurſum ait: Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi? nunquid non habemus poteſtatem mulieres circunducendi, ſicut cæteri apoſtoli & fratres domini & Cephas? Aut ego ſolus & Barnabas nõ habemus poteſtatem hoc operandi? Sed non utimur hac poteſtate. Poteſtas in licito eſt, cum lex infidelitati noſtræ parcens præſcriptis nos grauibus non onerat. At uero uoluntatis profeſſio ex incremento fidei eſt, cum in his quæ moderata lex nobis eſt noſmetipſos uoluntariæ deuotionis ſtudio cõtinemus. Hęc igitur uoluntaria ut deo ſint placita propheta orat, quia illa quæ ex præſcripto legis gerantur, ipſa ſeruitij ſui neceſſitate peragunt. Cauſam autem ſemper prætendit deprecationis ſuę. Poſtea enim quàm uoluntaria oris ſui ut beneplacita eſſent orauit, adiecit: & iudicia tua doce me. Iudicia legis ait, & quantum in ſe eſt geſtis atque operibus exercet, ſed nondum ea intelligit. Scit enim eſſe legem ſpiritualem. Et illud quod ſub ſpecie

præſentium

præſentium operationum continetur noſſe feſtinat: ea enim quis neceſſe eſt doce ri poſtulet quæ ignorat. Totum autem ſe propheta ſecundum ſacramenti ſui con ſtitutionem deo dedit. Humiliatus eſt ualde, uoluntaria oris eius placentia ſunt: nunc eius anima in dei manibus ſemper eſt, & legis dei non obliuiſcitur, dicens:

Anima mea in manibus tuis ſemper, & legem tuam nõ ſum oblitus.) Totum quod uiuit deo uiuit. Omnis eius ſenſus & ſpiritus in deo eſt, nullum tempus ad mittitur, quo ſubrepere legis poſſit obliuio. In omnibus operibus & cogitationi bus deus cogitat. Lex in memoria eſt, in dei manibus ſemper anima uiuentis eſt. Scit quàm ſibi iſtud utile ſit, ſcit quàm neceſſariũ quotidie ſe manibus dei geſtis atq; operibus ſuis, & per indefeſſam memoriam legis inſerere. Ait enim: Poſue runt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis nõ errauí.) Scit in hac ſeculi ſylua plures laqueos extendi, plures uitæ ſuæ captiones parari. Sermo, cogitatio, opus noſtrum, ſemper adiacentes habent laqueos, cum interdũ occurrit cauſa irę, doloris affectio, querelæ neceſſitas, malæ cupiditatis occaſio. Hos diabolus, ange licę eius ab initio tranſgreſſores, & ab exordio peccatores laqueos ſemper exten dunt. Sed cuius in manibus dei anima eſt, & qui nunq; legis dei immemor eſt, is undiq; licet laqueis circuniectis, à præceptis tamen non aberrauit. Semper enim deum cogitans ab his euolat, ut in pſalmo alio loquitur: Sicut paſſer liberatus ex laqueo uenatorũ. Et dominus ipſe per prophetam ait: Liberate nos ex laqueo ue natorum, & à uerbo conturbationis. Non enim iniuſte tenduntur retia auibus. In cœleſtem ſcientiam homo eruditus eſt, quid tibi cum terrenis operibus & geſtis? Auis effectus es, cur non in naturæ tuæ elemento moraris? uolucres enim cœli nuncupantur. Non iniuſte ergo illis in poſſeſſione terrenæ habitationis inſidiæ ſunt. Seculo renunciaſti, quid tibi cum ſeculi rebus? Quid quereris captus in ſecu lo? quid quereris iniuriam laquei in regione non tua? Dic potius & utere ipſe tu uoce pſalmiſtæ dicentis iſta: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & uolabo & requieſcam? Natura auium eſt, ut nõ niſi cum uolent requieſcant, tu autẽ iam fa ctus es columba, uolando requieſcis, id eſt, in cœleſtem te ſedem & cognitionem à laqueis terrenis uolatu fidelis animæ efferendo. Dehinc ſequitur: Hæreditaui teſtimonia tua in ſeculum, quia exultatio cordis mei ſunt.) Hæres ſecundum hu manam conſuetudinem omnia eius obtinet cuius & hæres eſt. Sed humanas hæ reditates dedignatur propheta, qui teſtimonia dei hæreditauit, gratũ ipſi ſi dei fiat ipſe teſtis, quia exultatio cordis ſui ſit, ſi ſe dei inter perſecutionis bella teſtẽ. Sic & memínimus his teſtimoniis apoſtolos gratulatos, cũ exeuntes de conſeſſu per ſecutorum lętati ſunt propter dei nomen dignos ſe iniuriis iudicatos. Teſtimonia ergo eius exultatio eorum cordis fuit. Sed propheta ut apoſtoli licet inter multas perſecutiones hæc teſtimonia dei, id eſt, teſtandi de eo cum exultatione cordis tan quàm hæreditatem retineat, tamen etiam illa dei teſtimonnia hæreditate acquiſi ta habet, quæ ſub teſtibus dicta ſunt. Moſes legem ſub teſtibus dedit cœlo atque terra: Eſaias ſub teſtibus arguit cœlo atq; terra: Apoſtolus iam celſioribus teſti moniis ut prædicator Euangelicus uſus eſt, dicens: Teſtor uobis coram deo & Chriſto Ieſu & angelis eius. Hęc ergo teſtimonia ſub his ſcripta, & ſub his teſtata, & in his teſtata tanquam noui patrimonij hæres occupat, non ex parte, ſed in to tum. Ius enim hæreditatis ex ſolido eſt, etſi inter plures ſecundum humanam ſuc ceſſionem hæreditas diuidatur, tamen hæreditas ipſa nomen hæredis ex ſolido eſt. Ac ne, quod à multis dici ſępe ſolet, rationis aliquam habeat autoritatem, cum afferunt proprium dei munus eſſe, ut quis in dei rebus atq; operibus uerſetur, ex cuſantes infidelitatem ſuam quòd ceſſante erga ſe dei uoluntate maneant infide les, Eſt quidem in fide manendi à deo munus, ſed impediendi à nobis origo eſt.

Audi Chri ſtiane

Et

Et uoluntas noſtra hoc proprium ex ſe habere debet, ut uelit deus incipienti crementum dare, quia conſummationem per ſe infirmitas noſtra non obtinet, meritum tamen adipiſcendæ conſummationis eſt ex initio uoluntatis. Idcirco pſalmū ita propheta concluſit: Declina cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.) Cor ſuum ipſe declinat, & ex naturæ humanæ peccatis in obedientiam dei inflectit. Natura quidem & origo carnis ſuæ eum detinebat, ſed uoluntas & religio cor eius ex eo in quo manebat originis uitio ad iuſtificationum opera declinat. Et declinat in omni uitæ ſuæ tempore, non in deſinitione aliqua ſpacij, ſed in omni uitæ ſuæ ſeculo. Declinat autem propter retributionem, certus ſcilicet ea fidei meritis reſeruari, & in his retributionem eius eſſe quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit deus his, qui diligunt eum in Chriſto Ieſu, cui gloria eſt, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

ד Samech.

INiquos odio habui &c.) Præcepti euangelici doctrina eſt, ut inimicos diligamus, & non ſolū amantibus nos amorem, ſed etiam his qui nos oderunt debeamus. Ergo hæc prophetæ profeſſio aduerſari uidetur domínicis mandatis, ut cum amor nobis inimicorum imperetur, ille quòd iniquos oderit tanquam bonum opus præferat, dicens:

Iniquos odio habui.) Sed huius ipſius dicti ratio ex ipſis Euangelijs noſcenda eſt. Nam dominus qui inimicos diligi iuſſit, & maledicentes patrē aut matrē reos mortis eſſe conſtituit. Rurſum alio in loco præcepit, dicens: Si quis uenit ad me, & nō odit patrem ſuū, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc etiam & animam ſuam, nō poteſt meus eſſe diſcipulus. Ergo hæc uidentur ſibi eſſe contraria, ut cuius ex præcepto non ſolū odium in parentes, ſed maledictio tantum morte ſit digna, ipſe rurſum dicat neminem diſcipulum ſuum eſſe poſſe, niſi qui patrem, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, & animam ſuam oderit. Durus hic ſermo, & præceptum graue eſt, impietatis neceſſitatem ad conſummationem religionis imponere. Verū nihil adeo durum, nihil impium, nihil contrariū anterioribus præceptis iubetur. Iraſci autē chariſſima hæc nobis nomina pater ſcilicet aut mater, & uxor & filij non poſſunt, quòd eos præcipimur odiſſe, cum animam ipſam noſtram odiſſe iubeamur. Scit enim eſſe dominus plures tam inconſulti amoris, ut cum perſiſtere in martyrij gloria filios ſuos uideant, ut tempori cedant, rogent: ut ſententiam mutent, precentur: & pietatis impiæ erga eos utantur affectu: cum anus mater, & pater ſenex miſerabiles canos filijs in ipſo martyrij certamine cum inuidia prędurę uoluntatis eorū oſtendant. Hinc & uxor aſſit filiorum ambitioſa comitatu, oret ut potius ſibi illiſq; uiuat, hinc fratres ſorores blandis nominum ſuorum familiaritatibus deprecentur. Ipſa quoq; anima ille cebris iampridem capta uiuendi, tacitis quibuſdam cōſilijs ad cohibentiam deflectendæ uoluntatis irrepat. Hoc igitur in tempore odiſſe nos patrem, matrem, uxorem, filios, fratres, ſorores, & ipſam quoq; animam dominus præcepit. Nam hunc eundem ſermonem ita clauſit, poſt odium uniuerſorum, dicens: Et ſi quis nō portat crucem ſuam, & uenit poſt me, nō poterit meus diſcipulus eſſe. Ergo tūc odio habendi ſunt, cum portare nos martyrij crucem nolint, cum ſequi deum exemplo paſſionis dehortentur: honeſtum hoc odium & utile eſt, eos qui ab amore Chriſti abducere conantur odiſſe. Itaq; nunc propheta nihil contrarium Euangelicis præceptis quibus amare inimicos iubemur, locutus uidetur, dicens: iniquos odio habui. Non enim inimicos ſuos odit, ſed iniquos, id eſt, tranſgreſſores legis. Proprie iſtud uerbo Græcitas nuncupat, παρανόμους dicens, id eſt, extra legem agentes.

Contraria in ſpecie

Sed

Sed qui præteritores legis odit, non poteſt non id amare quod oderit eſſe neglectum, & ideo ait: Et legem tuam dilexi. Conuenit autem ut qui legem amat, eos oderit qui legis inimici ſunt. Dehinc ſequitur: Adiutor & ſuſceptor meus es tu, & in uerbũ tuum ſpero.) Magno nobis auxilio dei opus eſt in tanto atq; aſſiduo ſeculi iſtius prælio. Non enim nobis, ſecundũ Apoſtolum, pugna eſt aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates, & mundi potentes harum tenebrarũ, aduerſus ſpirituales nequitias in cœleſtibus. Hos ergo hoſtes habemus, aduerſus hos adiutor deus precandus eſt, ut nos in ſuſceptionem ſuam recipiat. Sed nõ tam timoris hæc precatio debet eſſe, q̃ meriti. Timor enim ex trepidatione cõditionis humanæ eſt, propheta autem in uerbo dei ſperat. Spes non res præſentes obtinet, ſed futuras. Sperat ergo quæ uerbo dei, id eſt, dictis propheticis continentur. Sperat autem uel retributiones fidei in uitam ſpiritualem, uel ipſum illum domini noſtri, qui dei uerbum eſt, aduentum expectat. Spes enim iſta meretur auxilium & adiutorium dei. Non aliter aut nos meremur, aut aliqui ante meruerũt, quàm uerbum dei deum naturæ noſtræ carnem uel habiturum ſperaſſe, uel quod habuerit credidiſſe. Sed propheta multa in ſe eſſe meminit, quæ ſpei ſuæ conentur obſiſtere. Et ideo ſubiecit: Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata dei mei.) Doctrinæ cœleſtis ratio admonet, ut dictum hoc referendũ ad perſonam hominum, in quibus inſit malignitas, exiſtimetur. Propheta enim qui gentes docet, qui uerbum dei prædicat, iubet ut à ſe uniuerſi maligni declinent, quia congregatio ſancta ad malitiæ operarios ſit indigna, & neſcit quẽ poſſit excipere. Omnibus enim per naturæ demutabilis uoluntatem adiacet, ipſiſq; apoſtolis uerbo licet iam fidei emundatis atque ſanctis, non obeſſe tamen miliciam per conditionem communis nobis originis docuit, dicens: Si ergo uos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs ueſtris. Noſtrum autem malos amare, & bonos ad bonitatem docere, ſecundũ eum, qui uniuerſos ad ſe potius inuitat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego uos reficiam. Sed ſcit propheta plures malignitates in occulto humani cordis eſſe. Secundum enim domini dictum, deintus exeunt cogitationes malæ, cædes, mœchiæ, fornicationes, furta, falſitates, blaſphemiæ. Hæc enim ſunt, quæ communem hominem faciunt. Huius igitur modi ut à ſe declinent aduerſantes fidei ſuæ poſtulat. Obſiſtunt enim innocentiæ ſtudijs, obſiſtunt doctrinæ ſpirituali, atque his per conſiliorum ſuorum aſſiduam familiaritatem ſe ingerentibus, non uacat animo dei mandata ſcrutari, quia maligni uiri præſentia multum eum qui mandata dei ſcrutari uelit, impediat. Et quia dei opus eſt miſeri cordia, ut in familiam eius recepti à dominatu malignorũ horum liberemur, propheta orat dicens: Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & uiuam, & nõ confundas me ab expectatione mea.) Propheta expectat, & ſperat: nihil præſens, nihil temporarium ſectatur. Plures autem ſunt qui hanc expectationem fidei noſtræ arguunt & irrident, dicentes: Quid ieiunia, quid continentia, quid caſtitas, quid iactura patrimoniorum utilitatis affert? ubi ſpes ueſtra eſt Chriſtiani? Mors æqualiter dominatur uniuerſorum, in omnium corporum naturas commune ius illi eſt. Quin etiam uniuerſis nos bonis ſeculi fruimur, & uitæ ueræ licentia utimur, & in quo tandem nobis ſpei noſtræ expectatione præſtatis? Non confundi ergo ſe in hac expectatione ſua propheta orat, ſed ut maneat confidens, & fructus ueræ illius uitæ quam expectat, accipiat. Scit enim ſe nondum uiuere, licet uiuat. Vita enim noſtra, ſecundum Apoſtolum, abſconſa cum Chriſto eſt. Et idcirco ait: Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & uiuam. Quia ueræ illius & indeficientis uitæ expectatione hac ſpe detinetur. Sperat enim æternitatem, ſperat regnum cœlorum, ſperat regnum dei, ſperat ſpirituales benedictiones in

cœleſtibus

cœleſtibus in Chriſto. In hac ſpe, in qua nõ confunditur, rogat ut ſuſcipiatur & ui uat. Dehinc ſequitur: Adiuua me & ſaluus ero, & meditabor in iuſtificationi bus tuis ſemper.) Superius dixerat adiutor & ſuſceptor meus, nunc autem no minum commemoratorum rem precatur, ut qui ſuſceptor eſt ſuſcipiat, & qui ad iutor eſt adiuuet. Non abeſſe à ſe adiutorium adiuuantis precatur, nõ orat ne ma lignantes non habeat, quia per paſſionum patientiam fides probatur: ſed ut aduer ſus eos adiuuetur orat, quia auxilium à domino ſemper orandum eſt. Sed quem admodum in ſuperiore ſuſceptus uiuet, ita & in hoc adiutus ſaluabitur. Adhuc enim ſibi obeunda mors eſt, adhuc inferi ſuſtinendi. Tunc ſaluabitur cum ex cor porea terrenaq; natura in ſpiritualem gloriam transformatus nullum aduerſantis inimici periculum metuat, uiuat inter electos angelos, ſit paradiſi incola, & abſor pta corruptione ex mortali immortalis exiſtat. Sed quomodo meditaturum ſe in iuſtificationibus dei dicit, & meditaturum ſemper? nunquid non meditatur, qui & in meditatione ſperauit? Poteſt quidem & præſens uitæ opus accipi, ut quouſ que in corpore ſit, ſemper iuſtificationes meditetur. Sed nihilominus & in futurũ ſermo procedit, ſcit in cœlo omnes angelos in meditatione iuſtificationũ dei eſſe. Nihil enim illic ocioſum, nihil iners eſt. Omnes uirtutes cœleſtes in opere mini ſterij ſui permanent. Et cum nobis tunc uita angelorum uiuendũ ſit, poteſt ſecun dum eos qui ſemper operantur, nobis quoq; æterna iuſtificationum eſſe medita tio. Dehinc ſequitur: Spreuiſti omnes diſcedentes à iuſtitijs tuis, quia iniqua co gitatio eorum.) Auxilium & ſuſceptionem ob hoc propheta orat, ne cum diſce dentibus à iuſtificationibus dei & ipſe ſpernatur. Sed hic ſeruata ea ratio eſt, ut non dictũ ſit, ſpreuiſti omnes peccatores, ſed ſpreuiſti omnes diſcedentes. Si enim peccatores ſperneret, omnes utiq; ſperneret, quia ſine peccato nemo ſit. Sed ſper nit diſcedentes à ſe, quos apoſtatas uocant. Necq; enim intereſt an in iuſtificationi bus dei quis aliquando fuerit. Spernẽdus enim eſt à deo quiſquis diſceſſerit, quia manentis meritum conſeruat conſummatio ſpernendi. Differt uero à peccatore diſceſſio, quia peccatori uenia per pœnitentiam reſeruatur, diſceſſio uero cum ip ſa pœnitentiæ diſceſſione ſe damnat, quæ hinc oritur, cum uoluntas eorum qui diſceſſuri ſunt eſt iniqua. Dehinc ſequitur: Prẽuaricantes reputaui omnes pec catores terræ, ideo dilexi iuſtitias tuas ſemper.) Prophetæ ſermo longe ſe, & ultra communem ſenſum tendit. Nos enim præuaricatores eos exiſtimamus, qui ſuſce ptam fidem, & cognitionem dei adeptam relinquũt, aliud pollicitos, & aliud nunc agentes. Sed hic præuaricatores exiſtimantur omnes peccatores terræ, nullus ex cipitur, generaliter ad omnes prẽuaricationis nomen refertur. Lex enim ueluti na turalis eſt, iniuriam nemini inferre, nihil alienũ præcipere, fraude ac periurio ab ſtinere, alieno coniugio non inſidiari. Nouit & hanc naturæ Apoſtolus legem, di cens: Cum enim nationes quæ legem non habent naturaliter ſecundum legem fa ciunt, tales homines legem non habentes ſibiipſi ſunt lex, qui oſtendunt opus le gis ſcriptum in cordibus ſuis. Ergo præuaricatores exiſtimantur, qui quod à natu ra legis accipiunt, derelinquunt. Furem quis deprehenſum, aut adulterum, aut ho micidam arguit lege naturæ. Sed ſi in his ipſe uerſetur, præuaricator eſt legis. No uit etiam cum ait: Peccatores terræ alios eſſe, & cœli peccatores. Audiamus enim Euangelicæ prædicationis prodigum filium proditum atq; mortuum, de peccato

Peccare in cœlo quid

ſuo patri confitentem: Peccaui, inquit, pater in cœlo & coram te. Quiſquis cœle ſtis doctrinæ & ſpiritalis gratiæ particeps factus in peccato demoratur, non terræ peccator eſt ille, ſed cœli. Omnes enim credentes in ſe dominus noſter Ieſus Chri ſtus excitauit, & collocauit in cœleſtibus, ex quibus qui decidit, tanq; cœli pecca tor arguitur. Cum igitur propheta terrę peccatores prẽuaricatores eſſe exiſtimet,

quia

quia naturæ legem peccando transgressi sunt, ob hoc ipse testimonia dei diligit: quia cum preuaricatio sit decidere ex lege naturę, tamen iam sine uenia sit ex cœlesti lege discessio. Concludit autem ita: Confige de timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.) Nouæ & inusitatæ preces prophetæ sunt, ut à timore dei carnes suæ configantur, sed meminit compatiendum & commoriendum esse cum Christo his, qui conregnare cum eo uelint. Et minore istud dicti uirtute Latinitatis translatio eloquuta est. Quod enim nobiscum est confige, illic καθήλωσον id significat, ut clauis se configat. Moriendum ergo nobis est, & omnia carnis nostræ uitia configenda cruce domini sunt. Morimur enim secundum Apostolum cum Christo, & consepelimur in baptismo. Et hoc propheta quanquam in sua uoluntate habeat, tamen ut per misericordiam dei consequatur expostulat. Configi enim ex timore dei carnes suas orat, quia iudicia dei metuat. Timet enim æterni iudicij sententiã, timet non cum Christo configi, & cõmori, & cõsepeliri, nouum se hominẽ, nisi uetere conuitijs & concupiscentijs exuto, intelligens nõ futurum.

ע Ain.

FEci iudicium & iustitiã &c.) Et in psalmi exordio, & deinceps frequenter meminimus, per hæc singularum literarum quædam quasi elementa discendi doctrina nos pietatis, continentiæ, intelligentiæ, fidei & timoris instituit, & ut rudem infantiam ad loquendi scientiam, quam & agendi doctrina consequitur, ipsis humanæ uocis initijs eruditi, quod ex consequentibus sextædecimæ literæ octo uersibus intelligi licet. Propheta enim ex persona sua uniuersos docet, quid uelle, quid agere, quid profiteri unũquenq; pro cõscientia infirmitatis ac naturæ suæ utile sit, quid etiam metui, quid caueri, quid emundari oporteat. Beatus idem propheta, qui per misericordiam dei ipse sibi & prospector & emundator & iudex est. Certe dignitati eius decentissimum est, ut qui spiritu dei loquitur, ea quæ humanæ, & salutis, & æternitatis sunt, eloquatur. Ait enim ita: Feci iudicium & iustitiam, non tradas me nocentibus me.) Feci placentia deo opera, & quia fecit, ne nocentibus se tradatur orat. Opus merendi antefertur, & dehinc meriti præmium postulatur. Fit enim primum quod placeat, & tum dignatio eius, cui per opus placetur orat. At nos nec operamur, nec placemus, quin etiam impijs & irreligiosis rebus offendimus, & quia tales non placemus, irascimur. Sed dignum est cõtueri, qualia sint quæ propheta faciens, ne nocentibus se tradatur orat, & omnia quæcunq; quis timens deum fecerit, utilia ei atq; pulchra sunt. Pudicitiã quis colens, glorioſum ac timens sordem corporis sui carni lumen inuexit. Contemptũ uero pecuniæ assumens, liberum se à terrenis dominationibus præseruauit. Frugalitatem autem & parsimoniam diligens, nobilitatem animæ cœlestis captiuam ebrietati non dereliquit. Sed hæc quamuis magna atq; præclara sint, tamen quia prophetæ propria, eiq; tantummodo utilia sunt, non referuntur ad meritum. Sed quid fecit, ut nõ tradi se nocentibus deprecetur? Iudicium & iusticiam scilicet. Nihil inconsultum, nihil iniustum agens, sed primum faciẽs iudicium. Omnia nanq; ratione, modo, & ueritate pertractans, ut id quod in alterũ agat, perpensum antea atq; perspectum iam de consilij sententia exequatur. Non permittit autem consilio tantum suo iudicij sententiã, sed facit cum iudicio iustitiam. Iudicantis autem cum consilio hoc opus maximum est, ut quod iudicat iustum sit. Iustitia etenim est amicitiæ concordia, unanimitatis uinculum, fundamentum pacis, diuinæ atq; humanæ rationis operatio. Hoc itaq; propheta fecit, in quibus cum opus suum sit, tamen & eorum quibus iudicium & iusticiam fecit, utilitas est. Postulat uero ne nocentibus se tradatur. Omnis enim in quo peccati uoluntas est, deo uacuus est: & ubi deus

non erit,illic diaboli locus eſt, qui inſidians atq; obſidens, ubi adeundi opportunitatem habuerit,tanquam uacuam domum occupat, quæ ei deo eam deſerente ſit tradita. Et propheta quidem,qui ex perſona omnium loquebatur, ne à deo tradatur orat. Cæterum Apoſtolus habet iam id in ſe fiduciæ,ut peccatores diabolo tradat ipſe,cum ad Corinthios de eo qui fornicationes omnes ſupergreſſus,uxorem patris ſui acceperat,ſcribit:Ego autem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui tanquam præſens eum qui hoc fecit, congregatis uobis & meo ſpiritu cum uirtute domini Ieſu, tradere iſtiuſmodi ſatanæ in interitum carnis,ut ſpiritus ſaluus ſit in die domini. Sed licet Apoſtolus tradat,ſcit tamen ſe in uirtute Chriſti,& in ſuo ſpiritu traditurũ. Sed & in alia epiſtola ait de Phygello & Hermogene: Quos tradidi,inquit,ſatanæ,ut diſcant non blaſphemare. Qui enim ab eccleſiæ corpore reſpuuntur,quæ Chriſti eſt corpus, tanquam peregrini & alieni à dei corpore,dominatui diaboli traduntur. Sed propheta ne nocentibus ſe tradatur orat. Adſunt enim inimicæ infeſtæq; uirtutes, quæ fidei propoſitum conturbent,quæ timorem dei obliterent, quæ in terrenas cupiditates & deſideria ſolicitent,quæ infirmam corporis naturam quibuſdam blandimentorum aculeis in uitia commoueant. Nouit & Apoſtolus hanc multitudinem dominantiũ uirtutum dicens:In quibus & uos aliquando ambulaſtis, ſecundũ principem poteſtatis aeris ſpiritus, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ. Fecit ergo propheta iudicium & iuſtitiam,& ne tradatur ſe nocentibus rogat. Et hoc modo nocentibus cum in peccatum impellunt,cum in gloriam inflant,cum in iram accendunt, cum in odium exacerbant,cum ad laſciuiam illiciunt,cum ad auaritiam prouocant, ſed cum per hæc nocere properent,obtinere tamen eos qui innocentes ſunt,niſi ſibi per ſeceſſionem dei traditi fuerint,non ualebunt. Dehinc ſequitur: Excipe me ſeruũ tuum in bonum, non calumnientur me ſuperbi.) Proficit in ſpes ſuas propheta, & celſiorem iam deprecationis ſuæ gradum ſcandit. Qui enim orauerat ne tradatur nocentibus ſe,iam ut in proprietatem ſerui excipiatur rogat, beatum illum in ſe dei dominatum cum bona ſuſceptione ſua deprecans,& non ob leuem cauſam ut in bonum ſuſcipiatur orat, ſcilicet ne ſuperbi calumnientur. Et qui ſunt ſuperbi? Nempe illi, quorum principem loquentem Eſaias introducit ita: Dixit enim, uirtute faciam,& ſapientia intellectus,auferam fines gentium, & uirtutẽ eorum, & commouebo ciuitates inhabitabiles, & omnẽ orbem terræ apprehendam manu mea ut pullos,& tanquam confracta oua auferam. Hæc ſuperbientis uox eſt, diaboli ſcilicet,qui deo ac domino noſtro Ieſu Chriſto oſtenſa terrenorum imperiorum gloria dicere auſus eſt:Omnia hæc tibi dabo,ſi procidens adoraueris me. Non eſſe autem hunc ſolitarium, ſed plures ei adeſſe ſpiritualium nequitiarũ miniſtros,per eum docemur qui ait: Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternũ, quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius. Ab horum igitur ſe ſuperborum calumnia eſſe liberum rogat. Calumniantur enim, quia cum ipſi peccati incentiua ſuppeditent,calumniam nobis ante deum peccati,quod per eos geſſerimus,intendunt. Cauſam nanq; peccati ad crimen inijciunt, & criminis inuidiam per calumniam exacerbant, ſcriptura in Apocalypſi calumniatorem eum eſſe teſtante. Verum etiam nũc ſe extendit propheta in celſiorem profectum, dicens: Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquiũ iuſtitiæ tuæ.) Oculi deficiũt,cum intentus in aliquam expectationem uiſus laborat. Propheta itaq; animæ ſuæ oculos in dei ſalutare defixit,& de ſalutari quid intelligi oporteret,ſæpe tractauimus, eum ſcilicet eſſe Ieſum, qui ſaluum faciet populum ſuum à peccatis. Alijs igitur oculos in deſideria ſecularia occupantibus,& in uoluntates rerum præſentiũ tendentibus, propheta in dei ſalutare defixus eſt. Et ne per corporales oculos eum

deficere

deſicere ſub hac contemplandi intentione exiſtimaremus, non ſolum in dei ſalutare deficiunt, ſed etiam in eloquium iuſtitiæ. Iuſta itaq; eſſe dei eloquia confitetur. Scit eſſe quædam, quæ cum imperitis atq; impijs iniuſti eloquij habeant opinionem. Cum Pharaonis cor ad contumaciam obduratur, & pertinacia ei irreligioſæ uoluntatis affigitur, cum ex duabus adhuc in utero gentibus minori maior ſit ſeruitura, & neutro quicquam boni promerente, ſeruitus alteri imponitur, dominatus alteri donatur: cum Adam de paradiſo ne arborem uitæ contingat expellitur: quæ homines diuinæ uirtutis & bonitatis & iuſticiæ incapaces, dum intelligere non poſſunt, iniuſta eſſe conſtituunt. Sed prophetæ huius in iſtiuſmodi eloquium iuſte oculi deficiunt, quia ſciat nihil iniuſtum eſſe in his dictis dei, ſed omnia aduentu ſalutaris dei hæc eloquia & cõſummanda & intelligenda eſſe iuſtitiæ. Procedit autem per hanc intentam uſq; ad defectionem oculorũ expectationem, ut aliquid ultra precari audeat. Confeſſus itaq; eloquiũ iuſtitiæ, hæc ſubdidit: Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me.) Inſolens fortè uox exiſtimaretur, quæ diceret: Fac cum ſeruo tuo. Quod enim dicitur, fac, tanquam ex fiducia aliqua præſumptio eſt uſurpata poſcendi. Sed nõ impudenter id diceret, qui iudicium & iuſtitiam feciſſet, qui ſe excipi in ſeruum deprecatus eſſet, cuius oculi in ſalutare dei & in eloquium iuſtitiæ defeciſſent. Sed ne in his quidem propheta inſolens eſt. Nam in eo ipſo quod dixit, fac, adiecit, cum ſeruo tuo. Et quia ſeruitus noſtra ad id ipſum, ut in ſeruitutis fide maneat, miſericordia domini indiget, ſuperaddidit: ſecundum miſericordiam tuam, quia miſeratione eius opus eſt, ut in hac ſeruitutis noſtræ profeſſione maneamus. Imbecilla enim eſt per ſe aliquid obtinẽdi humana infirmitas, & hoc tantum naturæ ſuæ officium eſt, ut aggregare ſe in familiam dei & uelit & cœperit. Diuinæ uero miſericordiæ eſt, ut uolentes adiuuet, incipientes confirmet, adeuntes recipiat: ex nobis autem initium eſt ut illa perficiat. Sed quid tandem ut faciat cum ſeruo ſuo ſecundum miſericordiam ſuam poſtulat? Nempe ut iuſtificationibus quas Moſes conſtituere præceptus eſt, magnũ neſcio quid, & incomprehenſibile humanæ intelligentiæ contineri. Scire optat quis iſte ſit, ut frequenter diximus, coemptus Hebræus puer, ſex tantũ annis ſeruiturus. Legit hæc quidem, ſed non ſtatim quod legit & intelligit. Scire uult quæ illa ſeruitus ſit, quę ſeptimi anni libertas, quid ſit auris forata ex ſubula, ſi liber eſſe nolit, quę illa mulier Hebręa, quid illud, ut ſine muliere ingrediatur ipſe: quid deinde ſecunda iuſtificatio, quid tertia, quid ſequentes habeant futurorum ſacramentorum præformationes. Non eſt humani ingenij hæc cõſequi poſſe: cœleſti opus eſt magiſtro, & plurimis fidei noſtrę meritis neceſſarium eſt ut doceri iſta mereamur. Scire autem nos cõuenit, in omnibus prophetæ uerbis nihil humile eſſe, nihil cõmune cum cæteris, ſed proprium uel ſibi ipſi, uel ſuis ſimilibus enunciari. Latet autem ſub familiaribus uerbis maxima conſcientiæ & fidei profeſſio, ut nunc in eo quod loquitur, intelligimus. Ait enim: Seruus tuus ego ſum, da mihi intellectum ut ſciam teſtimonia tua.) Nemo noſtrum eſt, qui non uel in orationis ſuæ prece, uel in communium ſermonum conſuetudine ſeruum ſe eſſe dei fateatur. Et quid magnũ propheta fecit, ſeruũ ſe profitendo, quod nullus auſus ſit denegare? Sed profeſſio cæterorum fallax eſt, quæ cum habeat conſcientiæ neceſſitatem, non habet tamen confeſſionis ueritatem. Proprium hoc prophetæ eſt, ut ſe ſeruũ dei profiteatur, in omni uitæ genere famulatu cõditionis ſuæ fungens, ſiue ambulans, ſiue uigilans, ſiue dormiens, in cibo etiam atq; ieiunijs deo aut eſuriat aut ſaturus ſit, & nullo in tempore à ſeruitutis ſuæ officijs abſiſtat. Hic libere dicit: Seruus tuus ſum ego. At uero qui ſtupris dormit, latrocinijs uigilat, quæſtibus peregrinatur, luxui requieſcit, ſi

dicat,ſeruus tuus ſum,profitetur quidem quod eſt,ſed quod non eſt agit. Prophe ta autem quamuis conditionem ſui officij etiam ipſo famulatu ſuo confiteatur,ta men infirmitatis ſuæ memor eſt. Dari enim intellectum ſibi rogat. Eſt enim intel/ lectus in quodam theſauro repoſitus ſpiritualium gratiarũ, quem interdum ſub falſæ opinionis errore imprudentium mentibus diabolus inſinuat. Sed à deo in/ telligentiam propheta poſtulat,ne ſibi inanis intelligentia ſubrepat,qualis genti/ um,qualis Iudæorum,qualis hæreticorũ,& poſtulat ob id,ut teſtimonia dei ſciat, quæ ſub teſtibus tradita ſunt,quę ſub teſtibus neglecta & uiolata eſſe exprobran tur,quæ in aduentum eius ob quem teſtandũ dicta ſunt,neglecta & faſtidita uin/ dicabuntur.Et horum quidem teſtimoniorum tempus non ignorat propheta, di/ cens:Tempus faciendi domine diſſipauerunt legem tuam. Lex populo ſub teſti/ bus data eſt,quæ cum diſſipata & abiecta à Iudæis eſt, tunc fuit tempus domino, ea quæ continebantur lege faciendi. Pollicitus enim in lege eſt, ut ſalutem genti/ bus daret, ut ipſe ſibi hominis corpus, quo ſecundum imaginem & ſimilitudi/ nem dei factus eſt,aſſumeret, ut diſſipata lege,fidei gratiam donaret. Temporis huius meminit per Eſaiam prophetam,dicens: Tempore accepto exaudiui te,& in die ſalutis auxiliatus ſum tibi. Apoſtolus uero dicti huius interpres hęc ſcribit: Ecce nũc uenit acceptum tempus, ecce dies ſalutis, id eſt, diſſipata lege, tempus euangelicæ prædicationis aduenit. Sed illis legem diſſipantibus, aliud opus pro/ phetæ eſt.Et quod ſit,ex ſubiectis docemur.Ait enim: Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.) Quod ait,ideo,ad id retulit quod dixerat: Tempus faciendi domine,quia ſciret tempus faciendi domino eſſe, cum legẽ diſſipaſſent. Ideo autẽ mandata dilexit,quia in his tempus faciendi domino contineretur.Lex enim omnis aduentum domini teſtata eſt, ipſo dicente: Si creditis Moſi,creditis utiq; mihi.De me enim ille ſcripſit.Mandata igitur ob id propheta dilexit,quia in his aduentum dominicę corporationis intelligit.In eo autem quod diligit,plus ne ſcio quid ſignificat.Facere autem aliquid,minus eſt quàm diligere,quia plerunq; id quod agimus,neceſſitatis eſt.Dilectio uero eadẽ perfecta eſt, quæ maxima eſt, & quæ nulli comparatione ſimilium coæquatur. Diligit autem mãdata dei ſuper aurum & topazion. Humanus error precioſius nihil auro & gemmis opinatur, & hæc ſunt quæ hominum cupiditates dominatui precij ſui & honoris ſubdide/ runt.Auro uiris honeſtas pudicitiæ uenalis eſt.Per gemmas uero humani corpo/ ris præſtantior,ut putant,ſpecies ad naturæ contumeliam expolitur. Et idcirco ni hil habet ſexus utercq; precioſius,dum uiri poſſe omnia auro uolunt,mulieres ue/ ro per gemmas fieri ſe exiſtimant pulchriores. Præſtat autem ut cæteris metallis aurum, ita & alijs lapidibus topazius. Eſt enim ipſe rariſſimus & ſpecioſiſſimus omnium & maximus.In Thebaidis uero loco,cui alabaſtra nomẽ eſt,reperiri ſo/ let.Hunc etiam ferunt ſeculariũ geſtorum literæ in topazio inſula ab incolis eius, id eſt,Troglodytis Arabis inuentũ,ad matrem regis Aegypti Ptolemęi, ſub quo ſcripturæ legis ex Hebræo in Græcum translatæ ſunt,munere fuiſſe delatũ. Con/ tinet autem ipſe in ſe ſolus cæterarum gemmarum optimarũ precioſiſſimarumq; ſpeciem, & in uno illo diuerſiſſimorũ colorum permixtio continetur.Super hunc igitur topazion, & ſuper aurum mandata dei propheta dilexit, non terrenis, ſed cœleſtibus ſe deſiderijs ſignificans detineri.Contempta autem ſecularium opum cupiditate,omnem à ſe occaſionẽ peruerſæ & prauæ uoluntatis recidit. Diligens enim ſuper aurũ & topazion mandata dei,dehinc ait:Propter hoc ad omnia man data tua dirigebar,omnem uiam iniquã odio habui.Non deflectitur,nõ detorque tur per terrenas cupiditates,ſed ad omnia dei mandata dirigitur.Non obuia occu pant. Vidit aurum,ſcit hoc terræ limũ eſſe;uidit gemmas,meminit eſſe aut mon/

tium

tium aut maris calculos: uidit illicem ad lasciuiam uultum, scit tanquam auibus cœli ex his sibi laqueis euadendum. Resistit ergo coalitis sibi naturæ suæ uitijs, & omnem uiam iniquitatis odit. Ideo itaque ad mandata omnia dirigitur, quia ea super terrena desideria diligit. Et dirigitur ne particeps eorũ fiat quibus dicitur: Natio praua & peruersa. Et omnem uiam iniquitatis odit, ut sit in eo qui est uia, domino scilicet nostro, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

ה Phe

Mirabilia testimonia tua domine &c.) Natura humani sensus ea est, ut ea mirabilia habeat, quæ ante compererit. Ex compertis enim iudicium admirationis existit. Cæterum nemo poterit ignorata mirari. Hæc idcirco antea cõmemorata sunt, ut diligentius dicti prophetici ratio quęreretur. Contra opinionem enim generalis sensus hęc dixisse existimatur: Mirabilia testimonia tua domine, ideo perscrutata est ea anima mea.) Nam cum prius secundum humanam cõsuetudinem oporteat perscrutari & reperire, et reperta mirari, testimonia domini ante mirabilia sunt, & ob id perscrutatione sunt digna. Dicti autem huius perfecti & pulcherrimi ea ratio est: Testimonia etenim dei, id est, ea quæ sub testibus scripta sunt, etiã si per obseruantiam legis humanam infirmitatem ad cognitionem & famulatum dei imbuant: quippe ubi castitas, pietas, pudicitia, ueritas, innocentia, frugalitas & religio mandatur, & per quasdam religionum consuetudines, historiarumq; diuersitates diuini honoris officium præcipitur: in quibus cum admiratio magna sit, pro peccatis oblata hostia, & datum pro redemptione animæ munus, & agnus in sacramento paschæ occisus, tamen in his plus de futurorum spe atq; doctrina admirationis continetur. Hæc itaq; huic prophetæ admirabilia sunt: sed quia præsentes admirationes futurorum atque æternorum bonorum exemplaribus admirabilia sunt, perscrutatur ea. Non inquirit tantummodo in quo est rerum absc̃onditarum diligens exquisitio, sed perscrutatur etiam, per adiectionẽ scilicet diligẽtioris exquisitionis, laborem suum in perscrutatione demonstrans. Necq; tantũmodo perscrutatur, sed perscrutatur ex anima, ad uoluntatis officium animæ intentione sociata. Sequitur deinde: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intelligentiam dat paruulis.) Et is quoq; sermo fortè uidetur à naturæ nostræ consuetudine esse diuersus. Cum enim ante intelligendũ sit, & sic lumine intelligentiæ utendum, quia noctem ignorantiæ intelligentiæ adeptæ lumen expellat, propheta tamen dicit declarationem uerborum dei prius illuminare, & post illuminationem intelligentiam præstare. Sed quæ sint dei uerba, ante discendum est, & tunc illuminationis, & postea intelligentiæ ratio præstanda est. Verba dei sunt, quæcunq; prophetæ loquuti sunt. Cum enim Moses uerbis suis populo Hebræo legis obseruantiam nunciauerit, tamen in libro eiusdem legis ita scriptum est: Et dixit dominus ad Mosen: Dic filijs Israel. Vsus igitur est his legislator uerbis, quibus ei ut uteretur præceptum est. Ergo uerba dei sunt, quæ per officium licet humani oris audita sunt. Sed & magnus ille propheta ipso iudicio domini nostri Iesu Christi bene loquutus, cum dixisset: Audi cœlum, & auribus percipe terra, ait, quoniam dominus loquutus est. Et post aliqua quæ querelis maximis increpabantur, dixit: Os enim domini loquutum est hæc. Hæc ergo omnia dei uerba sunt, sed declaratio sermonum maxime necessaria est. Sunt enim sub uelamine opinionis alterius prædicata, sunt secundum Apostolum allegorumena, sunt comparatiuis significationibus amphibola. Testis est dominus hæc eadem per Esaiam ita dicta esse, Iudæis infidelibus exprobrans & dicens: Auditu audietis, & non intelligetis. Signata enim omnia sunt, & per solam spiritualem doctrinã resignanda. Hæc enim

ad Danielem deſideriorum uirum dicta ſunt: Vade Daniel, quia clauſi ſunt ſigna tiq; ſermones. Ait etiam Eſaias: Dabitur liber iſte in manus hominis ſcientis literas, & dicetur ei: Lege hæc, & reſpondebit: Non poſſum legere, ſignatū eſt enim. Sed declaratio uerborum myſticorum per euangelia præſtatur, ubi legis abſcondita & occulta prophetica domino in corpore manente pandūtur, ex quibus primum fides diſcitur. Ibi enim ea quæ à prophetis dicta ſunt, per eum rebus & operibus explentur, cum uirgo parit, cum dominus uerbū eſt, & uerbum caro ſit, & habitat in nobis, cum muti loquuntur, cum ſurdi audiunt, cum claudi incedunt, cum leproſi emundantur, cum cæci uident, cum dæmoniaci curantur, cum mortui reſurgunt: declaratio hæc uerborum dei noſtræ hanc naturæ obſcuritatem fidei luce illuminat. Nunc enim intelligimus reſurrectionis gloriam, iudicij poteſtatem, æternitatis honorem. Intelligimus hæc paruuli, uel ad innocētiam renati, uel per ignorantiam imperiti. Hæc declaratio uerborum dei, & intelligentia paruulis præſtita huius temporis & ætatis eſt, ut dominus in euāgelio demonſtrat, dicens: Confiteor tibi domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & intelligentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ecce declarationis & illuminationis & intelligentiæ tempus: abſconſa enim huc uſq; ſunt. In his diebus hæc declarantur, & declarata illuminant, & illuminata intelligentiam paruulis ſubminiſtrant. Fiunt per hanc intelligentiam ſancti ſpiritus iam capaces. Denicq; id ipſum ſequens ſermo ſubiecit, dicens: Os meum aperui & attraxi ſpiritum, quia mandata tua concupiſcebam.) Non de hoc utiq; humani corporis ore dixit, quod per labia concluditur ac patet. Nam ſpiritum officio narium magis quàm oris haurimus. Laboriſius autem auditu auris in animam transfunditur, abſolutus uero per naturalem curſum famulatu atq; officio narium commeat. Sed hos ſcriptura non labiorum tantum, ſed & cordis ſolita eſt nuncupare. Corde enim per fidem patente, & per deſiderium ad hauriendum hiante intelligentia doctrinæ cœleſtis accipitur. Non animæ hoc, ſed cordis officium eſt. Apoſtolus enim ait: Animalis enim homo nō percipit quæ ſunt ſpiritus. Stultitia enim eſt ei. Et idem doctor gentium ait: Lex enim non in tabulis lapideis ſcripta, ſed in tabulis cordis carnalibus. Hoc ergo os ſuum propheta pandens attraxit ſpiritum. Non enim ultro ingruit, expetendus eſt, attrahendus eſt, & infantium modo tanquam lac innocens hauriendum. Ideo autem propheta os aperuit, quia meminerit ſibi in pſalmo altero dictum: Dilata os tuum, & adimplebo illud. Et in lege ſcriptum ſit: Deſcribe hęc in latitudine cordis tui. Corde enim dei prædicatio, non ore ſuſcipitur. Et ſecundum euangelicam prædicationem, uerbum dei ex corde malus abripit, quod ultra mel & fauum iuſtum in ore delectat. Vt enim per os in alimoniā corporis cibos ſumimus, ita per cor ad uiuificandam animam eſcas doctrinæ cœleſtis accipimus, quæ niſi amplificato & patente corde attracta quodam modo fuerint, non abibunt. Sequitur deinde: Reſpice in me, & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.) Ad id quod dixerat, reſpice in me, mox addidit, & miſerere mei. Scit ēm dominum etiam in ultionem impiorū pœnamq; reſpicere. Reſpexit enim, ut ſcriptum eſt, ſuper caſtra Aegyptiorum, & colligauit axes curruum eorum. Et rurſum: Reſpexit dominus ſuper Sodomam & Gomorram. Reſpexit uero non ſolum ad pœnam, ſed etiam ad terrorem, cum dicitur: Aſpicies in terram, & facies eam tremere. Propheta ergo non ſolitariū hoc orat, ut in ſe deus reſpiciat, ſed cum miſeratione reſpiciat: neq; cum miſeratione tantum, ſed ſecundum iudicium diligentium nomen eius. Eſt quidē ex bonitate dei miſericordia, ſed promerenda eſt hæc à nobis ſtudio innocēti, ut in nos reſpiciat, qualiter reſpexit in Abraham, qualiter in Iſaac, qualiter in Iacob, qualiter in Ioſeph, qualiter in Iob, qualiter in Moſen. Scit

ſen. Scit enim ad hæc miſericordiæ ſuæ opera deum ſolere reſpicere, cum dicitur: Deus de cœlo reſpexit in terram, ut audiret gemitum uinculatorũ, & ſolueret filios interemptorum. Et rurſum: Reſpexit ſuper filios pauperũ, & non ſpreuit deprecationem eorum. Secundum ergo hoc iudicium timentium deum orat ut deus ſuper ſe reſpiciat & miſereatur, ut ſi ieiunantem uidet, ſi miſerantem cõtuetur, ſi pium ac religioſum in omni opere conſpicit, tunc ſecundum iudiciũ eorum qui diligunt nomen ſuum, ipſe quoq; dei miſeratione ſit dignus. Dehinc ſequitur:

Greſſus meos dirige ſecundũ eloquium tuũ, ac ne dominetur mei omnis iniuſtitia.) Incedit quidẽ propheta ex uoluntate ſua iuſtitiæ greſſibus, ſed ſcit undiq; ſibi iniuſtitię dominationes imminere. Superius orauerat, ut in ſe deus reſpiceret, ac miſereretur ſecundũ eos qui diligũt nomen ſuum. Miſericordiæ autem quam orat, hunc fructum eſſe ſentit, ut greſſus ſui dirigantur, non ſecundũ ſeculi uias, non ſecundũ humanam gloriam, non ſecundum corporis uoluptates, ſed ſecundum eloquium dei. Si nihil impedimenti uſquam occurreret, ſi aduerſantes ſibi non undiq; adeſſent, ſuis ipſe uiribus in ea quæ agere uellet confirmaretur. Sed ubi inſidiæ ſunt, ubi bellũ eſt, opus eſt potioris auxilio, ut nõ in ſe dominetur omnis iniuſtitia. Non ut à ſe abſit, ſed ne dominetur ſui orat. Scit per tentationes ad gloriam perueniri. Meminit Abraham & peregrinationis iniuria, & amittendæ uxoris metu, & per immolandi filij dolorem fuiſſe tentatum. Scit Iob omni tentationum eſſe militia perfectũ. Recolit Ioſeph cum à fratribus uenditur, cum à domini ſui cõiuge ad adulteriũ compellitur, cum carcere pœnæ reſeruatur, gloriam maximæ fidei per hæc iniuſtitiæ tentamenta meruiſſe. Dominationem iniuſtitiæ propheta metuit, tentationem uero eius nõ recuſat. Dirigendos autẽ eſſe à domino greſſus ſuos ſecundũ eloquia ſua meminit, ne iniquitas qua tentatur, poteſtatem poſſit habere dominandi. Poſt quæ id cõſequitur: Redime me à calumnijs hominum, ut cuſtodiam præcepta tua.) Humana tentatio grauis non eſt, Apoſtolo dicente: Tentatio autem non apprehendat uos, niſi humana. Sed calumnia grauis eſt. Calumnia autem eſt, uel cum bono operi facinoris mali nomen adſcribitur, uel cum ſpecie blandiente internæ malitiæ uirus occulitur. Neq; enim eius directæ maleuolentiæ opus eſt, ſed fallax & ſubdolum, & ſub ſpecie bonæ uoluntatis malitiæ operatione deſæuiens. Et difficile eſt cauere à talibus, qui ſub nomine fratrum inimici ſunt, ſub nomine amicorum hoſtes ſunt, ſub filiorũ ſpecie parricidæ ſunt, ſub ſpecie unanimitatis coniugum ineuitabile malum ſunt. Abel iuſtum Cain ſceleſtus per familiaritatem fratris occidit. Noen deo probatũ Cham filius eius irriſit. Eſau Iacob exulem eſſe paterna domo fecit: ualidiſſimum prælia torem diaboli Iob, ſola uxor eius tentauit inflectere. Hunc ipſum ſanctum prophetam quoties calumniæ hominũ fefellerunt? Quoties Sauli proditus eſt? Quoties quibus in locis ageret, nunciatũ eſt? Vbiq; ei calumniantiũ inſidiæ affuerũt. Nouit hæc dominus, domeſticę calumniæ ſcandala grauiſſimũ ſolere fidei excidium afferre, dicens: Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, & ſi pes dexter, aut manus ſcandalizat te, erue & abcide abs te. Nõ de membris corporũ hic locutus eſt, cum ſcandala nec pes, nec manus poſſit afferre, ſed de cõiunctiſſimis nobis ac maxime neceſſarijs mẽbris, quia omnes unũ corpus ſumus in Chriſto. Hæc iubet, ne domeſticis calũnijs ac ſcandalis penes nos manentibus aliqua nobis uitiorũ labes adhæreat. Ergo propheta ſi ab his redemptus eſſet, cuſtoditurum ſe præcepta dei pollicetur, quia iſtæ domeſticorum omnium calumniæ impedimentum fidei frequenter afferrẽt. Dehinc ſequitur: Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas.) Vultus domini quidem eſt ſuper faciẽtes mala, ut expugnet de terra memoriam eorum. Sed ſicut deus reſpicit ad pœnam,

respicit & ad misericordiam, ita & uultũ suum ad utrunq; deflectit. Sed hanc faciem domini ad illuminationem suã propheta orat. Ex maiestate enim & uultu uidentis nos dei lumen accipit, & deflexus in nos misericordiæ suę uultus ad gratiam spiritualis uirtutis irradiat. Vel certe cum iudicij dies aderit, cum uisibilis nobis in gloria paternæ maiestatis assistet, tũc nos faciei suæ lumine illuminabit. Vt enim quędã metalla atq; gemmę naturæ suæ fulgorẽ in ea quę sibi proxima sunt, refundũt, & æmulantẽ speciem ex intima sui specie præstant, & ut Moses ex contemplatione gloriæ dei lumen accepit, ita ut honorẽ gloriæ suæ populus sustinere nõ posset, sic & propheta seruũ dei se illuminari precatur, & iustificationes dei dõceri, ut à se nõ ex parte, neq; per legis umbrã, sed facie ad faciem, & spirituali contemplatione cernatur. Dehinc sequitur: Exitus aquarum transierũt oculi mei, quia nõ custodierũt legem tuam.) Conscius peccatorũ ueterum, ut historia ipsa docetur, licet toto corde se direxerit, tamen quia & peccati sui dolorẽ ante re ipsa iam scripserit, tunc cum Nathan propheta arguente crimen suũ recognouit & fleuit, nunc quoq; nõ desinit ueræ pœnitẽtiæ lachrymis facti ueteris crimen abluere, dicens: Exitus aquarũ transierũt oculi mei, fontes scilicet lachrymarum suarum, fontes fluminũ esse transgressos.) Hæc enim pœnitentiæ uox est, lachrymis orare, lachrymis ingemiscere, & per hanc cõfidentiam dicere: Lauabo per singulas noctes lectũ meum, & lachrymis meis stratũ meum rigabo. Hęc uenia peccati est, fonte fletuum flere, & largo lachrymarũ imbre madefieri. Sed secundũ rationem temporis & fidei etiã immobilis firmitatẽ, dicti quoq; sui temperauit modũ. De pręterito enim dixit: Quia nõ seruauerunt legẽ tuã. Confessio quidẽ criminis semper in tempore est, quia oporteat peccati pœnitentiã nõ desinere. Finis enim peccati interioris est temporis, quia uera peccati confessio est, sine intermissione temporis pœnitere. Peccati uero pœnitẽtia est, ab eo quod pœnitendũ intellexeris destitisse. Atq; ob id propheta nec cõfiteri peccatũ desinit, & peccatũ ex pręterito confitetur.

Zade



IVstus es domine.) Indefessa & perseueranti fide necessariũ est, ut immobilis in nobis & inconcussa confessio sit, ne uel aliqua temporum iniuria, aut persecutionum dolore commoti, deuotionis studium relaxemus, sed quando morbi uexabunt, passiones & cruciatus corporum desæuient, damna defatigabunt, luctus & orbitates affligent, semper utemur hac qua nũc propheta usus est uoce, dicens: Iustus es domine, & rectum iudicium tuum. Mandasti iustitiam, testimonia tua & ueritatem tuam ualde.) Meminerimus enim primum, qui uniuersorũ dominus est, iustum esse, & iudicia eius recta esse. Quur enim in suos iniquus sit? Quur in eos quos ipse genuit, iniustus sit? Bonitatis suæ immensitas non sinit istud de eo existimare. Genuit nos non ad iniuriam, genuit nos non ad originis nostræ naturæ dolorem. Si quid est quod patimur, ex iudicio bonitatis suæ accidit. Vinci diabolũ patientiæ nostræ uirtutibus delectatur, & probari nos per luctus & dolores & damna desiderat, ut nihil in seruos suos seculi potestas sibi esse iuris & dominationis intelligat. Quæcunq; uis sit, iusta & testata & uera sunt cum augmento adiectionis. Valde enim uera sunt. Et quia rarũ est horum obseruãtem esse, & difficile est inconcussam fidem inter has seculi procellas & inter humanorũ uitiorum naufragia dirigere: quia si quid aduersi accidit, prona in deũ querela est. Deum enim inter damna sua auarus accusat, deo cum inuidia fletuũ suorũ orbatus irascitur, deo iniustitiã qui ad confessionis gloriam persecutionibus probatur exprobrat. Vniuersorum stultissima hæc querela est, cum iniustitiæ deum per impatientiã impij doloris accusant, & idcirco propheta subiecit dicens: Tabescere me fecit zelus

tuus

tuus,quia obliti ſunt uerborũ tuorum inimici mei.) Dei zelo ad omnia uitia noſtra & crimina exanimatur propheta. Habet hanc etiam natura humana conſuetudinem,ut ſi quando eorum quos diligimus,uoluntati aduerſari aliquos uideri/mus,zelo eius cui non paretur,utamur. Quantus autem nobis dolor eſt,cum unum ex dei populo effici uidemus ſeculi miniſtrum, & operatoriũ diaboli,& uas mortis,& materiam gehennæ? Zelo ergo dei iraſcitur, quiſquis Chriſtianum ieiunij die luxuriantem conuiuijs uiderit. Zelo dei iraſcitur, qui inſolentem in fratres miniſtroſq; conſpexerit. Zelo dei iraſcitur, quiſquis diuerſari in ſtupris ſanctificatum iam in Chriſto corpus arguerit. Zeli huius & apoſtolos meminiſſe accepimus,cum dominus templum ingreſſus, flagello è funibus omnes uendentes & ementes cœpit eijcere,& eius zeli de quo ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me. Efficimus enim nos interdum templum dei, aut domũ negociationis, aut ſpeluncam latronum. Templum enim dei ſecundũ Apoſtolum corpora ſunt, quæ in Chriſto ſanctificata ſunt. Et hæc eadem corpora cum cogitamus atq; agimus ſtupra,cædes,furta,falſitates,rapinas,ſpeluncã latronum cõſtituimus. Cum autem ſeculi negocijs,& negociationum commercijs laboramus, tunc domũ dei domũ negociationis efficimus,ut quę orationis ſedes eſſe debebat, fiat uel latibulum latrocinantium,uel domus negociationum. Hoc ergo zelo dominus ut iſtiuſmodi homines de templo eijciat,commouetur. Vſi ſunt & hoc zelo probabiles & accepti deo uiri. Nam & Phinees ob hunc zelum meruit iudicium plebis æternæ. Cum enim fornicati eſſent filij Iſrael,& dei zelo incitatus in pœnam eorũ fuiſſet,tunc ait dominus: Phinees filius Eleazar filij Aaron requieſcere fecit animationem animæ meæ,quia zelauit zelum meum. Sanctus ille & in cœleſtem habitationem raptus in corpore Helias propheta ait: Zelans zelaui, quia dereliquerunt te filij Iſrael,& prophetas tuos occiderũt,& ego derelictus ſum ſolus. Tenet itaq; & hunc prophetam zelus iſte: uidet enim irreligioſas damni querelas,impios luctuum fletus,prophanã legis dei obliuionem,& idcirco hæc agentes,inimici eius ſunt. Nullum enim religioſis uiris cum talibus eſſe ius amicitiæ poteſt, quando declinandi deteſtandiq; ſint odio irreligioſorum. Nam id ipſum pſalmo altero docetur,cum dicitur: Odientes te domine odiui,& ſuper inimicos tuos tabeſcebam. Perfecto odio oderam illos. Abrahæ quoq; dominus dixit: Qui te maledixerit, maledictus erit, & inimicus ero inimicis tuis, & aduerſantibus tibi aduerſabor. Si Abrahæ inimici deo inimici ſunt,quales nobis oportet,quos deo uidemus inimicos? Cauſam deinde affert quur eos oderit,qui uerborum dei fuerint obliti, non enim ſunt inania,non terrena,non leuia. Ait enim: Ignitum eloquiũ tuum ualde,& ſeruus tuus dilexit illud.) Non explicat proprietatem uerbi huius Latinitatis translatio. Quod enim nobiſcum ignitum, id Græce πεπυρωμένον ſcribitur. πεπυρωμένον autem id ſignificat,quod tanq; conflatum igne purgatum ſit. Quæcunq; metalla igne conflantur, fecem in ſe alienam atq; inutilem non continent. Totum quicquid in his reſidet, uerum & perfectum & omni uitiorũ contagione purgatũ eſt, ut eloquium dei æternorũ in ſe bonorũ continens fidem. Hinc illud eſt quod in euangelio dominus ait: Iota unũ aut apex nõ prętеribit ex lege,donec hæc omnia fiant. Vera eñ omnia ſunt,& neq; ocioſe,neq; inutiliter cõſtituta dei uerba, ſed extra omnem ambiguitatẽ ſuperfluæ inanitatis ignita. Et ignita uehementer, ne quid illic eſſe quod nõ perfectũ ac propriũ ſit exiſtimetur. Hæc itaq; dilígit ſeruus eius. Non ſolũ hæc agit,ſed etiam diligit,quia operatio nõ obedientię ſolũ,ſed plerunq; terroris eſt. Cæterũ dilectio nõ niſi ex deuota mentis uoluntate proficiſcitur. Dehinc ait: Adoleſcentior ſum ego & cõtemptus, iuſtificationes tuas nõ ſum oblitus.) Ex perſona quidẽ ſua propheta hæc loquit̃, ſed cõpetenter

& noſtri

& noſtri temporis populo: & quatenus id Dauid de ſe dixiſſe credatur, abſolute oſtẽditur. Samuel enim propheta uenire ad Ieſſe domũ à deo miſſus eſt, ut unum ex filijs eius in regem ungeret. Quò cum ueniſſet, adeſſe omnes filios Ieſſe iubet. Vidit deinde natu maiorem, ſpecie pulchrum, habitu & proceritate eminentem. Sed reſpõſo ita mouetur: Ne inſpexeris pulchritudinem eius ac magnitudinem, quia non ita uidet homo ut deus. Homo enim in facie uidet, deus autem in corde. Adeſt ſecundus, adeſt tertius, adſunt & omnes, quos tunc Ieſſe præſentes habebat, ſed nullus de præſentibus extitit qui placeret. Verum quia propheta Samuel ſciret nõ mendacem eum, qui ſe adeſſe iuſſiſſet, & ex ijs qui præſentes erant intelligeret nullum à deo eſſe electum, Ieſſe ait: Nũquid eſt tibi adhuc filius? Qui reſpondit. Eſt mihi modicus, quẽ dereliqui in paſtorali. Ergo electus à ſpiritu ſancto, & unctus in regem, & ex iuniore atq; contempto gloriam & prophetæ & regis accepit. Ad populũ uero, qui & iunior eſt, & ante contemptus eſt, hęc ita pertinent. Erat enim in uicijs ſeculi, erat in agreſti ac ruſtica & ruinoſi terreni corporis domo. Sed hic iuſtificationũ dei non obliuiſcitur, hic reprobato populo ſeniore iunior in hæreditatẽ familiæ eligitur. Emit enim Iacob primogenita Eſau, quæ ſibi tanquam moriturus inutilia exiſtimauit. Scit has populus iunior natiuitatis ſuæ primitias æternas nec morte intercipi poſſe. Has igitur nõ obliuiſcitur, quas ſenior & deſperauit & uendidit. Denicq; id ipſum ſequenti uerſu docet: Iuſtitię tuæ in æternum, & lex tua ueritas.) Has iuſtitias non cogitauit populus ex Aegypto progreſſus, cui mare aruit, cui columna nubis de die, nocte autem columna ignis famulata eſt, cui manna matutinum cœlum ſubminiſtrauit, cui uigintiſeptem regna ceſſerunt, cui Iordanis ſtetit aridus, cui muri Hiericho ad ſonitum exercitus, & arcæ teſtamenti circuitum conciderẽ. Has iuſticias ſcit populus qui eſt iunior æternas. Has quia æternas ſciret, emit fide: has quia moriturum ſe crederet ſenior, diſtraxit infidelitate. Populo enim iuniori lex ueritas eſt. Nam uere abeo circũciſio cordis per Ieſum iteratur ad uitam, uere per mare huius ſeculi tranſit in promiſſam ſibi terram, uere cœleſte manna ſumit æternum, uere in Iordane lætatur renatus, uere paſcha agni ſanguine liberãdus immolat, uere in azymis ſyncerítatis epulatur, fermentoq; malitię purgatur. Iam non legis ei umbra, ſed ueritas eſt. Scit autem ob hanc ueritatis confeſſionem multis ſe perſecutionibus hic iunior urgeri. Hinc enim ſunt in toto orbe terrarũ beata fidelium confeſſorum & ſancta martyria. Hinc plures patrimonijs expoliati, exilijs diſperſi, uincti, cęſi, uſti, necati, ſed fideli ſemper mandatorũ meditatione, omnia quæcunq; ingruerunt confirmante fidei uirtute uicerunt. Et ideo ait: Tribulatio & anguſtia inuenerunt me, mandata autẽ tua meditatio mea eſt.) Vrgeãt licet pugnæ, intententur exilia, proſcriptiones adhibeantur, mortes nõ dico inferantur, ſed cum pœnarũ ingenijs innouentur, uox tamen ea eſſe ſemper fidelis uiri debet: Tribulatio & anguſtia inuenerunt me, mandata autẽ tua meditatio mea eſt. Non ui occupante, non obliuione temporis ſubrepente, meditationẽ à nobis mandatorum abeſſe conuenit. Dehinc ait: Aequitas teſtimonia tua in æternum. Intellectũ da mihi eorum & uiuificer.) Non contentus eſt, dei teſtimonia in præſens tantũ æqua exiſtimare & expectare. Aequitatem eorũ in æternum ſperat, & per ſuperiores tribulationes & anguſtias obtinere ea quæ æterna ſunt nititur. Nihil æternũ eſſe diues ille euãgelicus exiſtimans, beatitudinẽ præſentem ſuã pœnali morte mutauit. Aeterna autem dei teſtimonia Lazarus pauper expectans, & Abrahæ ſinu continetur, & miſeriam uitæ laborioſæ beatæ quietis honore demutat. Horũ intelligentiam propheta orat, donum ſcilicet inter multa dona, præcipuũ ſpiritualiũ gratiarũ, & per eã ſe uiuificari deprecatur. Sicut enim nũc in præſens teſtimonia dei & mãdata

meditatur

meditatur, ita expectat æterna: & ſicut uiuit corporis uita, ita per intellectũ quem à deo acceperit, ut æterna gloria uiuat, expoſtulat.

ב Caph

CLamaui in toto corde, exaudi me domine &c.) Inter multa euangelicæ doctrinæ præcepta ſilentium à nobis orandi dominus exegit, ut taciti, & ex ſecreto cordis precemur, neq; in eo uocis potius eſſet officium quàm mentis, deo orationis noſtræ ſecreta (quia ſecretorum inſpector eſt) audiente. Ergo contrarium euangelicis inſtitutis uidetur hoc quod ait propheta dicens: Clamaui ex toto corde meo, exaudi me domine. Iuſtificationes tuas requiram.) Sed ſcit propheta clamorem potius cordis oportere eſſe, non uocis, & idcirco de corde clamat. Non hic elatæ uocis ſonus eſt, neq; corporalis auditio, ſed clamor fidei, clamor mentis, uſq; ad thronum dei non uocis, ſed fidei ſpiritu efferendus. Ille enim ad deum toto corde clamat, qui magna poſtulat, qui cœleſtia precatur, qui æterna ſperat, qui innocentis timoris uiuit officijs. Sic & in huius mũdi exordio iuſtus Abel etiam peremptus magna loquitur & clamat. Scriptũ eſt enim: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me. Non humilis ſanctorum querela eſt, nec depreſſa fidelium oratio eſt. Altum eſt quod poſtulat, excelſum eſt quod ſpectat, clamore perſonum eſt quod precatur. Vrgebat Pharao infeſtis dei populum manibus, mare rubrum fugæ obſiſtebat. Concluſus undiq; Iſrael iam ad mortem urgebatur, hoſte proximo, mari obuio. Inter hæc nullam Moſi ad deum uocem fuiſſe ſcriptura teſtatur. Stabat mœſtus, ſtabat tacens, ſed ſecreto cordis ſui perſonans, & orationis ſuæ fide clamans. Vox enim iſtud diuina teſtatur, dicẽs: Dixit autẽ dominus ad Moſen, Quid proclamas ad me? Silebat uir ille, ſed oratio fidei eius clamor ad deum. Nouit & Apoſtolus, hunc in uiris fidelibus ſpiritus eſſe clamorẽ, cum dicit: Spiritus enim in cordibus noſtris clamat, abba pater. Penetrat hic ſilentij clamor uſque ad aures dei, ſed aures non clamorem, ſed fidem audientes, fidem quæ non terrenas opes poſcat, non gloriam inanem caducamq; deſideret, non quæ moritura corporis gaudia precetur. Exiguis quidem epiſtolas ſuas Apoſtolus literis ſcribit, & communis hæc ei elementorum atq; apicum forma eſt, ſed nouit ingẽtes has eſſe literas ſuas dicens: Ecce qualibus uobis literis ſcripſi mea manu, magnitudinẽ ſenſuum præceptorum utilitatem literis talibus comprehendens. Clamat igitur propheta ex toto corde. Et quia ex corde clamat, ut audiatur orat, & auditus hæc poſtulat, ut iuſtificationes dei exquirat. Scit has eſſe occultas & latentes & umbra legis oductas. Has optat inquirere, ad quas multis opus ſit magnisq; rebus. Clamore cordis, exauditionis merito, inquiſitionis officio. Sed qui clamauit ut audiretur, & inquireret iuſtificationes dei, nũc clamat ut ſaluus fiat, & cuſtodiet teſtimonia dei. Quantæ autem modeſtiæ ordinem tenuit, nõ ſtatim clamorem ſuum ſperare auſus eſt proficere in ſalutẽ. Prius fuit ut auditione dignus eſſet, prius fuit ut iuſtificatiões inquireret. Merẽda fuit auditio, adhibẽda inquiſitio, & ſalus poſt iſta ſperanda. Nos uero ſalutẽ tanq; debitũ poſtulamus, & ueluti deo ſit hãc eandẽ præſtare neceſſe, primis ab eo precibus oramus, atq; utinã cordis clamore loqueremur. Labia tantũ noſtra ſenſu peregrinãte quod neſciũt murmurãt, & officiũ corporis mens in res alias occupata nõ ſequitur. Propheta uero cũ poſt tot præcedẽtes preces antea ut ſaluus eſſet oraſſet, ſalutis ipſius ſtipendiũ docet, dicens: Et cuſtodiam mandata tua. Hæc fidei noſtræ milicia eſt, cuſtodire mandata, & ſecreto fideliſſimo hunc theſaurũ depoſiti & cõmendati nobis præcepti reſeruare. Qui uero clamauit, & teſtimonia dei, id eſt, ſub teſtibus cœlo ac terra & angelis ſcripta cuſtoditurum ſe profeſſus eſt, addidit adhuc & meritum obtinendæ ſalutis dicens:

πρὸς τοὺς ad Galatas cap. ult.

Præueni

Græce est *ἐπήλπιζα, id est, superspe/raui, ut uide/tur, errore li/brariorum de prauatum, in codice quo u/sus est Hilari/us, quũ nec a/pud Hebræos sit.*

Præueni in maturitate & clamaui, in uerba tua*semper speraui.) Num expe/ctauit infirmam à uitijs senectutem: Neque de feruescentibus longo usu luxuriæ æstibus frigidæ ætatis tempus elegit, sed maturitatẽ omnem fide & religione præ uenit, uincens per continentiam lasciuientes annos, & senectus maturitatem mo/destæ & castæ adolescẽtiæ tranquillitate præueniens. Et prophetæ clamor est spe rantis in dei uerba non aliquando, sed semper. Finis enim nullus est spei nostræ, sed in cœlestes res semper extenditur, & in ęterna dei promissa procedit. Nullum tempus uacuum habet, nullum ociosum. Deniq; id sequitur: Et præuenerunt oculi mei diluculo, ut meditarer eloquia tua.) Qui in maturitate clamorem præ uenerat, nunc ipsos dies meditationibus præuenit: uigilat ille diluculo, non expe/ctat ut grauatos somno oculos lux infusa proturbet. Vigilat ille, & ipsum redeun tem lucis ortum orationibus operitur, nunc prophetarum dictis occupatus, nunc psalmorum hymnis intentus, nunc patriarcharum & sanctorum gestis negocio/sus, omne eloquium dei in omni tempore & assiduitate meditatus. Dehinc sequi/tur: Vocem meam exaudi secundum misericordiam tuam domine, secundum iudicium tuum uiuifica me.) Discamus modestiam ex dictis prophetæ tot supe rioribus, clamore cordis, iustificationum inquisitione, custodia testimoniorũ dei, & cõtinentia iuuentutis, & antelucanæ meditationis uigilijs, & per hæc omnem in misericordia dei spem reponentes. Postremo audiri uocem suam secundũ mi/sericordiam rogat, & misericordiam secundum iudicium dei postulat. Nos si se/mel ieiunamus, satisfecisse nos arbitramur. Si aliquid ex horreo domesticarum fa cultatum inopi damus, impleuisse nos iustitiã credimus, ieiunãtes ut aut placea/mus hominibus, aut corpora cibis fessa releuemus, & inter ipsa ieiunia, stupra, in iurias, odia cogitantes, donantes autem exiguum nescio quid, dum pulsantem so res nostras inopem non sustinemus, aut dum bonitatis famam inani & ociosa ho minum opinione sectamur, & deberi nobis ut audiamur existimamus. Sed tot ũ de deo propheta sperat, totum ex misericordia eius expectat. In operibus quidem bonitatis totius ipse perfectus est, sed satis esse hoc sibi non putat ad salutem, nisi secundum miserationes dei & iudicia misericordiam consequatur. Nunquam au tem ociosus est, nunquã non infestantes insectantesq; proximi sunt, uita eius om nis secundũ scripturæ fidem in insidijs fuit. Sed & quisquis nũc placere deo uult, displiceat impijs necesse est. Et ideo ait: Appropiauerunt persequentes me ini/quitati, à lege autem tua longe facti sunt.) Hæc quidem de se cuius infestata fuit undiq; uita dixisse creditur. Sed qui in psalmo hoc humanæ doctrinæ ordinem te net, ad eruditionem nostram omnia temperauit, ut cognosceremus eos qui pro/ximi iniuriæ fidelium fierent, à dei lege longe abesse. Quãta enim fit in sanctis in/iuriæ accessio, tanta fit ex lege dei decessio. Cauendum autem est, ne quando nos aduersum fratres ira commoueat, ne quando inuidia stimulet, ne quando æmula tio iritet, ut aliquid in eos irreligiosum ac fastidiosum agamus, quia iniuriæ cum assistimus, tum à lege dei desistimus. Dehinc sequitur: Prope es domine, & om nia mandata tua ueritas.) Alio in loco legimus: Deus appropiãs ego sum, & non deus de longe, dicit dominus. Non corporalibus locis deus continetur, neq; fini/bus aut spacijs diuinę uirtutis immensitas coarctatur. Adest ubiq;, & totus ubiq; est, non pro parte usquam est, sed in omnibus omnis est. Beatus Apostolus Athe/niensibus philosophiæ inanitate ridiculis, pro concione respondens ait: Non lon/ge à nobis manentem quærimus deũ, in ipso enim uiuimus, mouemur & sumus. Et spiritus dei secũdum prophetam repleuit orbem terrarum. Et rursum: Nonne cœlũ & terrã ego impleo, dicit dominus: Nihil à deo uacat, nihil indiget. Vbiq; est modo animę incorporalis, quæ in mẽbris omnibus diffusa, à singulis quibusq; partibus

Ieiunium inutile

Non ex meri/tis salus

Vt aĩa in mẽ/bris, ita deus ubiq;

partibus non abeſt,etiam ſi priuata quædam ei regia in toto corpore ſedes eſt, tamen in medullis, digitis, artubus infunditur. Iam ſi corruptis aliquibus corporis membris reciſione erit neceſſe, cum uſum ſuum eadem membra uitijs emortua non habebunt, id quod putre caducumq; carnis eſt ſine detrimento animæ recidi tur. Ipſa enim corporis noſtri anima ſanis & integris admixta membris eſt, & cũ eadem fuerint putrida & recidenda non ſequitur. Hęc quidem ſuperflue diuinæ naturæ ad comparationem ſimilitudinis cõferuntur,quia incomparabile eſt quicquid æternum eſt: nec recipit configuratæ ueritatis ſpeciem ininitiabilis diuinitatis exceptio. Sed intelligentiæ noſtræ iſtiuſmodi coaptatur exemplar, ut per id ſecundum cœleſtium dictorum autoritatem incorporalem & immenſum deum circunſcripto huic & corporali mundo intelligeremus admixtum,uitioſis uero & per opera ſua mortuis non ineſſe. Quin etiam adhuc cum diuinarum atq; inuiſibilium rerum intellectus ex contemplatione corporalium rerum naturiſq; ſectamur, ſolem uidemus in quadam cœli parte prout ei curſus eſt, demorantem, & certe ubique protenditur,ubique adeſt, & quantus per omnia eſt, ita ubicunque eſt, tantus infunditur: ſed ſi in clauſas domorum feneſtras incidet,lumen quidem illius præſto eſt,ſed ipſa ſibi lucem eius quæ obſerata ſunt denegabunt. In omnibus igitur uitæ noſtræ operibus circunſpecti & ad deum patentes eſſe debemus. Primum ut liberis, & per innocentiam patulis cordibus noſtris lumẽ ſuum digne tur infundere. Deinde uti nos in diuinitatis ſuæ ſinu agere credamus, neque eum abeſſe cum iraſcimur,cum cædimus,cum contemnimus, cum maledicimus, cum inebriamur,cum libidinamur,cum diuina & humana negligimus,maiore contumelia eius intra quem hæc agimus peccantes. Sed ad id etiam illud accedit, quia mandata ſua ueritas eſt. Nihil illic anceps, nihil dubium, totum ueritatis abſolutione perfectum eſt, quæ hoc maiore periculo negliguntur, quo magis ueritatis præcepta ſunt conſtituta. Quatenus autem id propheta cognouerit, ſubdidit dicens: In initijs cognoui de teſtimonijs tuis, quia in æternum fundaſti ea.) Hęc licet propheta de ſe dicat,legem dei ab exordio ipſe cognoſcens,uniuerſæ ætati tamen congruunt,quæ ab inſtitutione mundi doctrinis dei ſit erudita. Qui enim ſtatutam Adæ uoluntatis legem meminit, qui ipſam illam Euæ creationem didicerit, qui maledictionem ſerpentis audierit,qui clauſum uitæ lignũ Cherubin flammeo gladio & conuertibili legerit, qui occiſi Abel clamantem ſanguinem ſcierit, qui pœnæ & in Cham & in Lamech numerum reputet, qui translatũ Enoch,qui reſeruatum Noẽ, qui benedictionem Sem & Iaphet, & maledictionem Caim, Abraham electum,Iſaac promiſſum, Iacob prælatum, Ioſeph uenditum, ſanctificatum Iudam,Moſen nutritum, eruditum,& poſt ingentia latæ legis ſacramenta in uerbo dei mortuum,& Ieſum diuiſorem promiſſæ terræ,& autorem iteratę circunciſionis intelliget,profecto uti prophetę uoce poterit:In principio cognoui de teſtimonijs tuis, quia in æternum fundaſti ea.In omnium enim ſuperius memoratorum uirorum uita atq; geſtis æternorum bonorum ſpes continetur, & per eos ad doctrinam Euangelicæ prædicationis imbuimur,ſed quæ fundata ſunt,in ædificationem futuræ domus pręparantur. Aedificamur enim ſecundũ beatum Paulum ſuper fundamentum prophetarum & Apoſtolorũ, in quibus teſtimonia dei fundata ſunt inæternũ,ubi extruitur cœleſtis illa & regia ciuitas ſancta Hieruſalem, quæ domus angelorum frequentia, & electorum primitiuorum eſt,cuius fundamenta ſunt uiui lapides pręcioſæq; gemmæ in Chriſto uiuentes,reſurgentes,regnantes,qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

¶ Res.

VIde humilitatem meam,& eripe me &c.) Multa quidem nobis atque magna ſanctus propheta fidei confeſſionisq; ſuæ toto in pſalmo propoſuit exempla,per quæ formam ſeipſum cæteris credendi, agendi,intelligendi,ignorandi,ſperandi,prædicandi cõſtituit,Euangelicum uirum perfecta legis obſeruatione cõſummans, & quanq; omnia quę uel diuinę uoluntati placita,uel humanę ſpei propoſita ſunt aut agat, aut teſtetur, aut ſperet, meminit tamen in quo obſeruantiæ genere mandatorum omniũ caput & ſumma conſiſtat,ſcitq; quid à domino ſuo etiam ipſis quibus cõmittendæ claues cœlorum erant Apoſtolis quæreretur. Namq; cum inter ſe opinionibus ac ſtudijs diſſiderent, ſibiq; ſingulis principatum humana contentione præſumerent, dum præſtantiorem ſe cæteris unuſquiſq; eſſe aut optat aut poſcit, dominus meriti huius ac nominis præmium unde petendum eſſet oſtendens ait: Qui uult eſſe ex uobis maior,fiat omnium minimus. Omnis enim qui ſe humilia uerit exaltabitur, & qui ſe exaltauerit humiliabitur. In humilitate ſcilicet docuit omnia fidei nomina & præmia contineri. Vtiliſſimum itaq; eſt obedientes diuinis præceptis omnem intra ſe ipſos humanæ inſolentiæ ac petulantiæ inanitatem fractam protritamq; cohibere,ſeſeq; & magnificentia & miſeratione reputata intra humilitatis modeſtiam cõtinere. Ob quod hic noſter ſanctus & rex & prophe ta deo ac domino ſuo ſecundum carnem in ſeminis ſui originem deputatus, inter has ſeculi infeſtationes ac ſpiritualiũ nequitiarũ pugnas ſola ac tali ad deum precationis ſuæ ambitione proclamat: Vide humilitatem meam & eripe me, quia legem tuam non ſum oblitus.) Non regni opes, non ſpiritum prophetiæ,nõ alia aliqua humanæ iactantiæ nomina conſpici in ſe, ſed humilitatem precatur. Non enim aduerſum inſectantes ſe armis belli reſiſtit, nec humanæ indignationis impatiens rapit ad ultionem ſuam & potentiæ tempus & regni.Sed ſciens hanc diuinæ uoluntatis eſſe ſententiam: Mihi uindictam, & ego retribuam dicit dominus, non obliuiſcitur legis dei in humilitate retinenda,ſed eripi ſe ob id quia ſit humilis deprecatur,memoriam legis dei in humilitatis conſeruatione eſſe declarans. Reſeruans itaq; omnia iudicio diuino, & eripi ſe ob humilitatis meritum depoſcens, qui in nullo aduerſum dei conſtitutiones,aduerſum odia humana,aduerſum preſentium moleſtiarum patientiam moueretur,nihilq; in hoc nunc ſeculo ſibi de his iudicandum eſſe decerneret,conſequenter hæc addidit: Iudica iudicium meum & redime me,propter eloquium tuũ uiuifica me.) Magnæ & ſecurę conſcientię uox eſt,iudicij ſui iudicium poſtulare. Vt ad id quod ſtatutum à ſe ſibiq; complacitum eſt, etiam diuinæ ſententiæ examen exoptet. Non hic ut alios aut ſeipſum dijudicans corrupti ſenſus opinione deflectitur, neq; à ueri iudicio,ira,aut gratia, aut odio, aut amore decidit, non ignarus huius Euangelici mandati: Quo enim iudicio iudicaueritis,iudicabitur de uobis.Sed ne ille quidem iudicij ſui iudicium pertimeſcit,qui ait:Ego autem non iudicaui quicquam ſcire me,niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum. In hac igitur iudicij ſui ſecuritate propheta tempus redemptionis expectans, redimi ſe & propter eloquia dei uiuificari precatur. Venundati ſub peccato,per redemptionem & iuſtificationem in ſanguine domini liberamur. Hoc legislatio, hoc omnes ſpiritus prophetiæ, hoc patriarcharum ſpes, hoc angelorũ uoces, hoc toto in ſeculi tempore diuini eloquij ſermo teſtatus eſt, ob quod redimi ac uiuificari ſe deprecatur. Sed hæc eadem eloquia dei ut pijs ſpebus uitam redemptionemq; denunciant,ita impijs non relinquunt. Nam expectationem prophetæ hæc de peccatoribus mox ſequuntur: Longe eſt à peccatoribus ſalus, quoniam iuſtificationes tuas non exquiſierunt.) Non habet ueniam

ignoratio

ignoratio uoluntatis: quia ſub ſcientiæ facultate neſcire, repudiatę magis quàm nō repertæ ſcientiæ eſt reatus. Ob id enim longe à peccatoribus ſalus, quia nō exquiſierint iuſtificationes dei. Nam utiq; nō ob aliud conſignatæ literis manent, quàm ut ad uniuerſorum ſcientiam notionemq; defluerent. Sed ſciens propheta cum à peccatoribus nō exquirentibus iudicia dei ſalus longe ſit, iuxta tamen dominum eſſe his qui recto ſunt corde, ſecundum etiam illud Apoſtoli: Vos qui eratis longe, facti eſtis propè, ne & ab ipſo ſalus longe ſit, cognitionem iuſtificationum dei expetit, non ignorans quantum in his ſacramentum noſtræ ſalutis expreſſum ſit per quaſdam præfigurationum æternorum in rebus præſentibus notiones. In Hebræo ſcilicet ſex tantum annis ſeruiente, & poſt hoc idem ſexennij tempus & terra omnis in otiū relinquenda & fructibus etiam beſtijs deputandis. In lubilei quo *Iubileum*
que anni, id eſt, quinquageſimi lege, per quam & laxatis pactionibus debitorū, & agris omnibus ad dominorum ſi qui fortè ueniſſent iura redeuntibus, noua & cœleſtis rerum omniū & remiſſio & reformatio prænunciatur. Et quia ab his qui nō iſta exquiſierint, ſalus longe eſt, totus in exquirendis his propheta detentus, & diuinæ atq; æternæ miſericordiæ iuſtificationes in ſpeculo contemplans ſubiecit:

Miſerationes tuæ multæ domine ualde, ſecundum iudicia tua uiuifica me.)

Valde itaq; multæ ſunt miſerationes dei. Modum enim humanæ opinionis excedunt, ſed confidentem in his prophetam ac ſe uiuificandum in dei iudicijs ſperantem, multorum extrinſecus odia & inſectationes fatigant. Verum miſericordiarū eius (quarum ſecundum eundem prophetam non eſt numerus) nō immemor à teſtimonijs eius nō declinauit. Sequitur enim: Multi qui perſequuntur me & tribulant me, de teſtimonijs tuis non declinaui.) Non pellitur, nō mouetur, & cum multi perſequantur, ne declinat quidem. Sed qui in mandatis dei permanet, ut ab inſectantibus impelli deflectiq; non poſſit, habet quod ſe graui dolore perturbet, ſe etiam uſq; ad tabem liqueſcentis quodam modo animæ diſſoluat, cum ſe à teſtimonijs dei non declinante alij à dei timore deſciſcunt, & ſuſceptam legis fidem pactionemq; corrumpunt. Hos habet æſtus, has tantū defatigationes ſentit propheta, cum dicit: Vidi non ſeruantes pactū, & tabeſcebam, quia eloquia tua nō cuſtodierunt.) Cōſignati teſtamenti Iſraël hæres nuncupatus eſt, & audita de monte domini uoce reſpondit: Omnia quęcunq; dixit deus & audiemus & faciemus. At uero ubi deos alienos adorauit, ubi omnium ſe ſcelerū uitijs contaminauit, pactum & auditę nuncupationis & profeſſę obſeruationis amiſit. Eloquia enim dei non cuſtodierunt, quæ ſe eſſe facturos auditurosq; reſponderant. Nec noua prophetæ huius ſuper præuaricatione populi uox tabeſcit: quippe cum & dominum ipſum ad impietatem Hieruſalem illachrymaſſe noſcamus, & ex doctrina eadem ſuper impœnitentes Apoſtolus fleat, & inſuper ipſe ſiquis ſcandalizetur uratur. Sed qui dolet ſuper non ſeruantes pactum atq; tabeſcit, mandatorum in ſe dei nō refugit examen. Dicit enim: Vide quoniam mandata tua dilexi, domine in tua miſericordia uiuifica me.) Parum prophetę eſt, per metum explere mandata, ſed ea magis diligit, quia extra neceſſitatem timoris ſit dilectionis operatio. Et quanquam amor legis potior quàm metus ſit, non tamen ita ſui fidens eſt, ut nō magis uiuificari ſe per miſericordiam dei deprecetur. Non nunc ſe ille uiuere putat, ſed uitam exempto hoc mortali corpore & abſorpto in gloriam immortalitatis expectat. Scit ſibi hoc iam in exordio creationis ſuæ promiſſum, cum à deo dicitur: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinē noſtram. Hoc ſuper homine principium uocis eſt dei, cū ad imaginem interminatæ æternitatis originis noſtræ exordium conderetur. Certus ergo ſe uita illa atque imagine dei eſſe uicturum, ait:

Principium uerborū tuorum ueritas, in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.)

Verba dei cœlo & terra prætereunte non tranſeunt. Quæcunq; de labijs eius eſ/ fuſa ſunt,non irrita ſunt, æternæ ſunt iuſtificationes,& æterna iuſtitia eſt. Princi/ pium ergo uerborum dei ueritas eſt, neq; de ſe,id eſt, de hominis creatione ullum alium anteriorem dei ſcit eſſe ſermonem, ut ſecundum imaginem ac ſimilitudinẽ fieret. Hæc itaq; indemutandæ ueritatis eſt conſtitutio,ſic in principio uerborum dei ueritas eſt, ut nouus homo regeneratus in Chriſto uiuat, deinceps ſecundum æterni dei,id eſt, cœleſtis Adæ imaginem iam æternus.

Ψ Sin.

PRincipes perſecuti ſunt me gratis &c.) Grauia quidem propheta Dauid, & regis Saul & principum populi odia & inſectationes ſu/ ſtinuit, quia piæ cõſcientiæ conſtantiam ferre impietas profeſſa nõ potuit.Sed conformans Euangelicum deo atq; apoſtolicum uirum non ignarus eſt Euangelici ſermonis,quo ait: Tradent enim uos & flagellabunt in Synagogis,& ſtabitis ante reges & poteſtates in teſtimonium illis & gentibus.quin etiam conſtantiam prędicationis inſinuans,& confeſſionis glo/ riam docens,antea eos fuerat adhortatus: Omnis qui confitetur me coram homi/ nibus, & ego confitebor eum coram patre meo qui eſt in cœlis: qui autem nega/ uerit me coram hominibus,& ego negabo eum coram patre meo qui eſt in cœlis. Siue igitur dedicatus ex lege,ſiue etiam in Euangelij gloriam pręparatus,qui ne/ que Saul populoq; eius cauſam inſectandi ſe reliquiſſet, & per multa principum & gentium odia ſciret cœlorum regnũ ſeculo nunciandum,cõfidenter hæc deo lo quitur: Principes perſecuti ſunt me gratis,& à uerbis tuis formidauit cor meũ.) Metuit enim negari ſe,ſi negaret. Sed cum beatæ huius inſectationis præmia non ignoret,domino dicente: Beati eſtis cum uos perſequentur, & dicent omne malũ aduerſus uos propter iuſtitiam, gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra co/ pioſa eſt in cœlo.Poſt principum odia formidinem uerborum dei ita conſequenti bus temperauit: Lætabor ego ſuper eloquia tua,ſicut qui inuenit ſpolia multa.) Fuit ergo formidinis ne perſecutionibus principũ aut indigne ſubderetur, aut ce/ deret:quia & cauſam odiorum præbuiſſe non ſancti eſt, & dei gratiam metu ſecu li amiſiſſe ſine uenia ſit, ſed ſpolia inueniſſe uictoris eſt. Certe ea ex ſe præbuiſſe iam uicti eſt.Cum his itaq; inſectationibus propheta non frangitur, & odia prin/ cipum fide uincit,refert quædam impietatis ſpolia de uictis. Scit enim ſecundum Euangelium ligatum eſſe in domo ſua fortem, & armis ſuæ poteſtatis exutum,di ripienda iam de ſe fidelibus ſpolia præbuiſſe. Lætatur ergo nunc in eloquijs dei, tanquam qui multa ſpolia inueniat,cum fracta impiorum poteſtate & uictor fide permanens omnibus eos armis ſeu impietatis ſeu crudelitatis exuerit. Sed huius lætitiæ affectus nõ ineſt,niſi & in diuinæ legis dilectione, & in execratione iniqui tatis. Quia neq; defugere quiſquam niſi quod odit optabit, neq; niſi quod diligit obtinere nitetur.Lætatus ergo tanquam ſuper ſpolia multa,ſubiecit: Iniquitatẽ odio habui & abominatus ſum, legem autẽ tuam dilexi.) Iniquitatem ergo odit, & diligit dei legẽ.Sed diligens dei legẽ,nõ in his tantũ quæ per obedientiam legis explentur intentus eſt, ad aliquid aũt ſe aliud neceſſe eſt per opus legis extendat. Et quo pręterea in officio ſit audiamus: Septies in die laudẽ dixi tibi ſuper iudi cia iuſtitię tuę.) Sanctus propheta primũ,quod ait,diligit,opus ſcilicet legis:quia uitiorũ omniũ & uſus recidit, & uoluntas. Sed poſtea iudicia iuſtitiæ dei laudat. Allegoriæ Hæc enim,ut ſæpe admonuimus,plus ſignificant quàm agunt,dum geſta ipſa no tionem nobis æternæ diſpoſitionis inſinuant,ut ſabbati requies,ut Hebręus puer, ut terra ociatur,ut annus quinquageſimus ſub imagine ſacramentorum non par/ ui eſſe momenti intelliguntur.Hoc ergo in die ſepties laudatur. Ac non ambiguũ eſt,

eſt,cur laudis hic numerus ſit.Hæc enim eadem uel in die, uel in puero,uel in terra,uel in anno atq; annis,ſub ſanctificatione huius numeri continentur, cum uſq; ad illam quinquageſimę æternam requiem,quod eſt ſabbata ſabbatorũ,ſeptenus numerus expleatur. Multa de numeri huius ſanctificatione ſunt cognita, ut ipſa dierũ conſtitutio, ut angelorum throno dei adſtantium electio,ut ſpiritualium poteſtatum & requieſcentium gratiarum in domino plenitudo. Certe iudicia iuſtitię dei hoc in numero laudari à propheta conuenit,per quem & in quo earundem iuſtificationum uirtus & conſtitutio continetur.Non alius autem nunc prædicationis propheticæ ordo eſt quàm fidei. Nam & tolerantia perſecutionum, & formido uerborum, & lætitia eloquij,& odium iniquitatis,& amor legis,& laudatio iuſtitiæ,& omne omnino ſi quod aliud in lege mandatum eſt,in huius tantũ præcepti obſeruatione concluditur:Diliges proximum tuum tanquàm teipſum.Hoc holocauſtis, hoc ſacrificijs omnibus maius eſt, unum atq; idem ſibi meminiſſe cũ alio corpus eſſe, qui Chriſti eſt,& ut corpus ſuũ,id eſt,ut ſeipſum amare qui proximus ſit.Sequitur enim: Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.) Apoſtolus non quæ ſua ſunt,ſed quæ aliorum cogitans carne ſe abſtenturum in ſeculo,ne fratrem ſcandalizet,profeſſus eſt.Adeo perfectæ charitatis & pacis tenuit affectum,ut ab ipſo uitæ communis uſu dum modo cauſam offenſionis abſcideret temperaret.Pax ergo retinenda eſt,& non quid unicuiq;, ſed quid uniuerſitati congruat expendendum eſt. Quia ſecundum Euangelium,utilius ſit,in uitam non ueniſſe,quàm ſcandalum minimis intuliſſe. In his itaq; pacis charitatiſq; præceptis manens propheta Euangelicæ ſpei deſiderio detentus eſt. Scit enim in quo uel quis finis ſit teſtis, cum ait: Expectabam ſalutare tuum domine,& mandata tua feci.) Salutaris Ieſus eſt. Hæc enunciatio ex Hebræo nominis. Hoc ad Ioſeph angelus eſt locutus. Hoc Simeon exinde in pace remittendus agnouit.Hoc reddita nobis per eum ſalus edocet. In eo autem mandata dei ſe profitetur feciſſe, quòd ſalutare domini expectet,declarans omnia legis mandata aduentu dei unigeniti cõtineri. Teſtimonia quoq; dei cuſtodiuit,uehementerq; dilexit,dicens: Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua,& dilexit ea uehementer. Cuſtodiui mandata tua & teſtimonia tua, quia omnes uiæ meæ in conſpectu tuo.) Agens propheta ſub iudice & ſcrutatore cordium deo, in cuſtodia mandatorum teſtimoniorumq; dei permanet, non uias ſeculi, neq; uias uitiorum & impietatis incedit.Nam quodcunq; uitę ſuę iter egerit,à deo tam probabile tamq; innocens agit, ut conſpectu dei dignũ ſit, deo ipſas cogitationes cordiũ motuſq; noſcente. Et neq; cõſpectu eius qui mũdo ſit corde cõdigno.Fidelis enim in cœlo teſtis hęc λέπτα dixit dominus noſter Ieſus Chriſtus,qui eſt benedictus in ſecula ſeculorũ.Amen.

ת Tau.

Appropiet oratio mea in conſpectu tuo domine &c.) Finem ſumit ſecundum literam pſalmus. Nam omnibus in his quæ ſancto uiro erant propria iuxta Hebraicorum elementorum ordinem comprehenſis,nunc propheta ut oratio eius deo ſit proxima deprecatur:

Appropiet oratio mea in conſpectu tuo domine, ſecundum eloquium tuum domine da mihi intellectum.) Multa ſunt quæ toto pſalmo orauit ad dominum, ſed quia eloquia dei plurimum in ſe obſcuritatis per rerum cœleſtium ſacramenta complexa ſunt, nunc maxime ut intellectu huius eloquij dei ſit dignus precatur. Ac primum ordinem modeſtæ ſpei ſuæ tenuit, cum proximam fieri conſpectui dei orationem ſuam popoſcit. Sequens iam per gradum altioris profectus poſtulatio eius iteratur, cum ait: Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo domine, ſecundum eloquium tuum eripe me.) Appropinquantis oriationis

ad conſpectum dei hic fuit ordo, ut cum cœpiſſet eſſe proxima, introiret, & iam eloquio dei intellecto eripi ſe ſecundum id ipſum eloquium dei precaretur. Non enim primum ibi eſt intellectus, ubi ſalus eſt, ſed intelligentia adepta ſalus eſt obtinenda. Et quia hæc eadem per ſpiritum prophetiæ uel ſub futurarum rerum umbra, uel ſub quadam ueri tanquam de ſpeculo imagine antelata, uel ſub diuinorũ uerborum occulta profundaq; ratione ſpiritu prophetiæ magis quàm intelligentiæ humanæ ſenſus proferebantur, adiecit: Eructauerunt labia mea hymnum, cum docueris me iuſtificationes tuas. Pronunciabit lingua mea eloquia tua, quia omnia mandata tua æquitas.) Omne prophetiæ eloquium ſuper eructandi ſignificatione meminimus oſtendi, cum dicitur: Eructauit cor meum uerbum bonum. Vel illud: Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. Vel illud: Dies diei eructat uerbum. Omnis autem ſermo hominum ex ſenſu cogitationis initur ac motu, ubi ad aliquid enunciandum mota mens noſtra id quod in affectum ſibi incidérit per uerba declarat. At uero ubi extra humanæ mentis inſtinctum non ad animæ ſententiam lingua famulatur, ſed per ineuntem ſpiritũ officio oris noſtri diuini ſenſus ſermo diffunditur, illuc eructatum uidetur eſſe quod dicitur, cum nõ ante cogitatione motuq; percepto ad id quod pulſa ſit mens loquatur. Sed ignorante ſenſu ſpiritus uocem in uerba diſtinguat. Nunc autem quamuis eructauerint labia hymnum, tamen poſt doctrinam iuſtificationum dei pronunciauit lingua quod loquitur, ut rerum dictarum cum ſit percepta cognitio, tum cognitionis ipſius declaratio conſequatur. Non ſunt autem ita mandata dei ab æquitate diuerſa, ut non deo dignum ſit eorum primum intelligentiam tribuere prophetandi: tum deinde ad conſcientiæ publicæ notionem, prædicationis confeſſione clareſcere. Quòd ſi extra bonitatem dei ſit, aut occultare quod uoluerit pronunciari, aut aliud aliquid niſi cum æquitate mandare. Aequitatis autẽ mandatorũ dei ea ſumma eſt, ut in omnibus ſint ſalutaria, ut hoc quod in hanc uitam uenimus, cum profectu æternitatis ineamus. Nam naſci ad mortem, nõ uitæ eſt cauſa, ſed mortis: & huius ſpei ſuæ fiduciam mox propheta ſubiecit dicens: Fiat manus tua ut ſaluum me faciat, quoniam mandata tua elegi.) Alijs gloriam ſeculi eligentibus, alijs uenerationem elementorum ac dæmonum capeſſentibus, alijs terrenas opes expetentibus, ſanctus iſte mandata dei elegit. Elegit autem non naturali neceſſitate, ſed uoluntate pietatis. Quia unicuiq; ad id quod uolet, uia eſt propoſita uiuendi, & appetendi atq; agendi permiſſa libertas. Et ob id uniuſcuiuſque aut pœna aut præmijs afficietur electio. Sed mandatorũ domini quis eſſet fons oſtendit, dicens:

Liberum arbitrium

Concupiui ſalutare tuũ domine, & lex tua meditatio mea eſt.) Totum ſe iſte in aduentum Ieſu, id eſt, ſaluatoris extendit. Et illud quod Apoſtolorum beatitudini uidere fuit proprium, deſiderijs impatientibus concupiſcit. Hoc tamen ipſum, quod in lege ait, meditationem futuræ ſpei eſſe ſignificans, quia non ad præſentiũ effectum, ſed ad futurorũ profectum omnis intelligitur ſuſcipi ſolere meditatio. Ac meditationis iſtius quod præmium eſſet oſtendit: Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.) Viuere ſe in hac uita non reputat, quippe qui dixerit: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Scit ſe ſub peccati origine, & ſub peccati lege eſſe natum: meditationem autem legis dei ob id elegit, ut uiuat. Animam ſuam ſuperiore pſalmo ad uitæ iſtius gaudia adhortatus eſt, cum ait: Conuertere anima mea in requiem tuam, quoniam dominus benefecit mihi. Quia eripuit animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu. Placebo domino in regione uiuorum. Has laudes deo referre feſtinat, iudicijs dei abſorpta terrenæ corruptionis infirmitate, ad æternitatis adiutus profectum: ob id utiq;, quia elegit mandata, & concupiuit

ſalutare

ſalutare domini. Et quia meditatio eius in lege dei ſemper eſt, digno autem omni Euangelici ſacramenti fine concluſit, dicens: Errauí ſicut ouis quæ perijt, uiuiſi ca ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.) Referri enim ſe errabun/dam ac perditam ouem paſtoris ſui humeris feſtinat, ut per ſalutare ſuum æter/numq; paſtorem in cœlo angelis æterna gaudia præbeat ſe recepta. Filius enim hominis uenit ſaluare quod perierat, miſſus ad oues perditas domus Iſraël, domi/nus Ieſus Ieſus Chriſtus, qui eſt benedictus in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

In canticum graduum Commentarius. Præfatio

PSalmorum tituli, ut in plurimis oſtendimus, habent proprias ſuas ſi gnificationes, rationem & argumenta ſcriptorum, quæ ſubiacent breuiſſime continentes, uſque quodam doctrinæ iudicio in in/telligentiæ ſemitam dirigentes, de quibus nunc non neceſſe eſt ali/quid tractare. Tum enim id fieri oportet, cum pſalmus unuſquiſq; tractabitur. Cum enim ſibi inuicem autoritatem præſtent & pſalmus & titulus, debilis erit ſermo ſi de aliquo eorum abſq; altero differatur. Nunc uero canticum graduum attingimus, quorum & continua & æqualis inſcriptio eſt: atq; ideo ſig/nificatione conueniente titulorum ſub unius expoſitionis negocio uniuerſorum reperietur ratio eſſe monſtrata. In pleriſq; pſalmis multa ſecundum hiſtoriæ ordi/nem in ſuperſcriptionibus eorum eſſe edita legimus: ut cum fugit Dauid à facie filij ſui Abſalon: cum mutauit uultum ſuum coram Abimelech: cum propter Ber/ſabeę ab Nathan monetur, & in reliquis ſicubi geſtorum ueritas ipſis pſalmorum titulis continetur. Sed meminiſſe nos oportet, hos eoſdem pſalmos nō idcirco om nes corporaliter intelligendos, quia his corporalium negociorum ſignificatio an/tefertur: quin potius oportet nos ſpiritualem intelligentiam ſub hac quadam ge/ſtarum rerum commemoratione ſectari: de quo non eſt nunc temporis dicere: ſed ſimplicitati legentium conſulentes, legentem fuit congruum cōmonere. Ergo ne ſecundum prædictos ex pluribus titulos, hi quoq; graduum pſalmi aliquid de hi/ſtoria contineant, uidendum eſt. In Eſaiæ enim libro, orante Ezechia ſignū ei poſi tum prorogatæ ſalutis in gradibus eſt. Erant autem in domo eius gradus decem, quos ſol ultra temporis ſui curſum lumine ſuo accedente cōſcendit, rurſumq; die mortis ſui lumine decedente deſcendit. Sed nulla ad ſpalmos hiſtoriæ ſimilitudo eſt, cum graduū nec numerus quidem ipſe conueniat. Hoc tamen quod Ezechiæ datum eſt ſignum, manifeſte oſtendit dei lumen his quibus ob negociorum ſecu/larium merita, futuræ uitæ beatitudo impertietur accedere: illis uero quibus ſit ne gata decedere. Eſſe autē in templo gradus quindecim hiſtoria nobis locuta eſt, di/ſpoſitosq; ordines conſiſtentiū, quibus quędam quaſi dignitas in antecedentibus obtineretur: ut leuitę primū conſiſterent, poſt Iſraëlitę, tum proſelyti, & deinceps alij. Sed quid de pſalmis antea ſcriptis, ex hiſtoria poſteriore præſumimus, cum ſi quid ex ea ſuſcipiendū ſit ſuſcipi ita debeat, ut pſalmi hiſtoriā ſubſequantur, niſi tamen aliquid ſit ad futuram hiſtoriam prophetatū. Sed contuentes ipſam illam templi atq; altaris ædificationē, umbram eſſe incorrupti templi & ſancti ſpeciem altaris, his quę in eodē corporaliter prefigurata ſunt intelligeremus, niſi autoritas preſumitur ex pſalmis. Pſalmi enim nō ſui tantū temporis res enunciant, neq; in eas ſolū ætates cōueniūt quibus ſcripti ſunt, ſed uniuerſis qui in uitā uenerint dei ſermo conſulit, uniuerſę ętati ipſe aptiſſimus ad profectū. Erat namq; illa ſacerdo tij lex, quā ſecundū legis obſeruantiam in Euangelio Lucas ſub Ioannis Baptiſtæ natiuitate diligenter expoſuit, neminem in ſancta ſanctorum aſcendere, niſi qui eſſet princeps ſacerdotum: eundemq; toto in anno uno tantum die, quę omnia in

Allegoria nō excludit ſen/ſum hiſtoricū

ſimilitudinem antea geſta in uno domino noſtro expleta eſſe,& fides noſtra & ip ſe dominus nobis in Euangelio autor eſt, dicens: Non ueni ſoluere legem, ſed ad implere. Apoſtolus quoq; omnem conſummationem legis in domino Ieſu Chri ſto eſſe teſtatur,dicens:Finis enim legis Chriſtus eſt. Sed & hic idem Dauid pro pheta æternum eum ſacerdotem docet,dicens:Tu es ſacerdos in æternum ſecun dum ordinem Melchiſedech. Hic enim princeps ſacerdotũ ingreſſus cœlos ſedẽs ad dexteram dei,orans ad patrem,ut ubi ille eſſet nos quoq; eſſemus, qui & exci tauit & collocauit nos in cœleſtibus: ille iam per prophetã monuerat quibus mo dis,quibusq; uitæ operationibus aſcendi poſſet ad ſeſe.Sed per Eſaiam ita ait:La uamini: mundi eſtote: auferte nequitias ab animis ueſtris è conſpectu oculorum meorum.Deſinite à malicijs ueſtris:diſcite bonum facere:exquirite iudicium,eri pite iniuriam accipientem:iudicate pupillo:& iuſtificate uiduam,& uenite diſpu temus, dicit dominus omnipotens. Hi ſunt igitur gradus perfecti illius æternicq; templi, quos princeps ſacerdotum facta per ſanguinem ſuum peccatorum noſtro rum propiciatione tranſcendit: modo terreni ex lege ſacerdotis ſeu gradibus in ſanctorũ ſancta ſcandentis, ſeu litationis hoſtiã pro populo offerentis.Ac de quin decim gradibus quidem ex ſuperſcriptione cantici iam in exordio pſalmorũ, tum cũ ſermo de numeris & de ſuperſcriptionibus incidit, aliqua tractauimus:ex duo bus ſcilicet numeris hebdomadæ & ogdoadæ, quorũ unus ob ſabbatum legis ſit, alius ob accedentem ad ſabbatum octauam, quæ & prima eſt Euangeliorum: ſic hunc numerum conuenire, per quem eorum canticum quaſi legis & Euangelio rum gradibus ad cœleſtia nos & æterna conſcendimus, congnoſcentes collocan dos nos cum ſummo ſacerdote in cœleſtibus, ſi tamen ſecundũ Paulũ cõuerſatio noſtra in cœlis ſit.Hos gradus canticorum quæramus,per quos aſcendere ad loca quæ ſunt ſanctorum ſancta poſſimus. Arduus enim uſq; in ea, & anguſti itineris aſcenſus eſt. Gradus quindecim fuiſſe ſcimus in templo: pſalmos quoq; graduũ quindecim legimus.Numeroſus eſt hic deſideratæ ſedis illius aſcenſus.Forte eñ, ut in templo paulatim,& per gradus ſingulos aſcendebatur ad ſancta: ita per ſin gulos pſalmorum profectus docebimur his gradibus,qui cantantur aſcenſis, poſ ſe nos in excelſis & ſanctis & æternis collocari.Plures autem ſunt, qui in his pſal mis ſolam captiuitatem populi, qui in Babylonia ſeptuaginta annis detentus eſt, exiſtimant prophetatum, ſed & reditum populi eiuſdem cum reſtauratione ciui tatis amiſſæ,quibus nunc nõ calumniamur. Neq; enim ambigitur,prophetam ea quæ impietati huius populi imminerẽt ſcire potuiſſe. Sed quam captiuitatem po puli,& cuius ciuitatis ędificationem propheta commemoret,ipſi pſalmi nobis au tores erunt, qui ita cœpti ſunt.

Canticum graduum. Pſal. CXIX

AD te domine cum tribularer clamaui,& exaudiſti me.) Propheticus ſermo licet cõmuni uſu humani ſermonis utatur, tamen nõ eandem, quæ cõmuni ſenſui adiacet ſignificantiam continet. Nam quamuis prout poſſumus intellígere rerum cœleſtium enunciationem tempe ret,uirtutem tamen ſignificantiæ ſuæ moderata licet uerborũ electio ne ſeruauit. Cœpit enim ita: Ad te domine cũ tribularer clamaui, & exaudiſti me.) De conſuetudine enim forte & pro humani ſenſus affectione clamor hic ad deũ prophetę exiſtimabitur,ut promiſcuus hic dolor ſit,ob quem etiam cum uoci feratione deum precetur,quia multos aut periculi metus mortisq; terror,aut dam ni anxietas, aut pecuniæ dolor,aut orbitatis telum dolorumq; uulnera ad deũ uo cem efferre compellũt:quanq; omnia quæ eorum quæ accidant,bonis ſpebus ap tiſſima

tiſſima ſint. Apoſtolus diſſolui, & cum Chriſto eſſe ſibi melius teſtatur: curam pecuniæ radicem totius maliciæ cõdemnat, & flendos potius uiuos Euangelia dixerunt. Et quid contra hæc fidei noſtræ propoſito firmato loci aduerſus nos ſeculo relinquetur, cum Chriſti conſortium mors acquirat, inopia pecuniæ præſtet inopiam, peccatorũ noſtrorum abſceſſio ſpei cõmunis ſit accelerata properatio? Sed ſi iſtæ nõ ſunt, quæ ergo erunt tribulationes ob quas clametur ad deum? Sunt plane & maximæ, trahentes nos in profundũ peccati. Propheta enim hominem gradibus ad æterna ſcandentem ex perſona ſua formans, à quibus maxime malis cauere debeat docet. His namq; quæ conſiliorum autoritatibus, & hortationum impulſibus, & blanditiarum illecebris, nos in infernũ demergunt, cum alius nos hortatur ad honores, alius ocio, ſomno, gula, luxu ad præſentẽ uitam detinet: alius ad falſarum religionũ ſuperſtitionẽ deducit: alius hortatur ad ſchiſmata, alius ad hæreſim ſolicitat, de quibus ſcriptum eſt: Subuertunt mores bonos colloquia mala. Aduerſus hæc omnia animi noſtri imbecilla natura eſt. Circumcurſant enim undique, ac uarijs nos blandimentorũ ſuorũ aculeis compungũt. Ac prima illa ſpes uitæ eſt, ut irrumpentibus illis in ſenſum noſtrum tanquam ui, fraude, dominatu, è media tribulatione clamemus ad deum, ut conuerſio noſtra ad eum conflictantibus calamitatibus totis clamoris uiribus audiatur. Iam autem ipſe clamor ad eum noſtra erit requies, & ipſa cõuerſio deprecandi maxima pars ac ſpes eſt ſalutis. Et idcirco ait: Ad te domine cum tribularer clamaui, & exaudiſti me.) Ipſe enim ſolitus eſt precantibus dicere: Ecce adſum. Et quia adeſt, de his quæ conſequentur rogandus eſt. Domine libera animã meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.) Hæc enim ſola tribulatio iuſtis periculoſa eſt, malæ adhortationis ſocietas, & peſtiferi cõſilij cõſuetudo, à qua animus refrenandus eſt, & aures obſtruendæ ſunt. Diſtinxit autẽ labia iniqua, & linguam doloſam. Et quidem iniquitas inuerecunda eſt, palàm audet, palàm molitur, palàm perficit. Ii ſunt qui abnegantes deũ, nullum humanis rebus aſſerunt reliquũ eſſe in regione dei profectum, ſed ſolum hoc ſibi bonũ eſſe, quod luxui & corpori uiuãt, adimentes deo curam, prouidentiam, arbitriũ, poteſtatẽ. Horũ ergo labia ſunt iniqua, doloſę aũt linguę, opus fallax eſt, cũ per ſimulationẽ noxiam ſub religionis lumine euertat religionẽ, & per uitę ſpeciem deducat in mortem. Hæreticorũ quoq; iſta mendacia ſunt, prophetarũ dictis & Euangeliorũ uirtutibus, & Apoſtolorũ præſcriptionibus mendacio occultatis aliter omnia tradere & docere, quàm ſcripta ſunt. Ab his igitur per uim miſericordiam orantes, & inter illorũ tribulationes clamantes ad deũ exaudiemur. Sequit:

Quid detur tibi, aut quid apponat tibi ad linguam doloſam?) Bene ad id quod dictum eſt: Ad te domine cum tribularer clamaui, & exaudiſti me. Domine libera animam meam à labijs iniquis & à lingua doloſa, ſubijcitur: Quid tibi detur, aut quid apponat tibi ad linguam doloſam? ut per prophetam impleatur, quod à domino dictũ eſt: Ecce adſum tibi. Tanquam in ipſo puncto imprecationis hæc domini uox refertur: Et quid detur tibi, & quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Frequenter autẽ interrogantis domini perſonam legimus & in nouo & ueteri teſtamento, ut ad Adam: Vbi es Adã? ut ad Cain: Vbi eſt frater tuus? ut ad turbas cũ mulier fimbriam attigiſſet: Quis me tetigit? ut ad diſcipulos: Quem dicunt homines filium hominis? uos autem quem me dicitis? Non ille doceri uult, qui ſcrutans corda & renes deus eſt, & cogitationum noſtrarũ inſpector eſt, ſed per confeſſionem interrogatorum aut peccatis ueniam, aut fidei honorem redditurus interrogat. Denicq; Adam confeſſus, uenię reſeruatus, & glorificatus in Chriſto eſt. Cain negans maledicto diaboli adæquatus eſt. Eſt enim à principio iam deſignatus homicida. Confeſſa mulier fide ſanata eſt; reſpondens fidem Petrus

claues

claues cœli ſortitus eſt. Atq; ita omne ſpei noſtræ præmium in confeſſione conſiſtit, ut ea quæ conſequi poſſe nos credidimus, conſecuturos eſſe teſtemur. Et idcirco quædam à propheta interrogationis eſt facta conuerſio, ſed fidei digna conſecuta reſponſio eſt. Ad id enim quod quæſitum eſt: Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Id eſt, quid tibi aduerſus falſitatem huius præſidij afferatur? Reſponſum eſt: Sagittæ potentis acutæ, cũ carbonibus deſolatorijs.) Solæ enim domini potentes ſunt & acutæ ſagittæ, quæ linguam doloſam ualeant configere, habentes in ſe uirtutem perurendæ fraudulentiæ atq; uaſtandæ, de quibus in ſeptimo pſalmo ait: Sagittas ſuas ardentibus effecit, quæ ſibi utræq; conueniunt. Dei enim uerbum omnem nequitiam configit, & omnem ſenſum petulantiæ conuulnerat, & ipſum illum uehementiſſimum mortis aculeum compungit. Namq; peccator cum audiat, deum æternum, deum mundi conditorem, deum iudicem, ſeſeq; hominem intelligat deo debere quòd natus ſit, quanto doctrinæ dei telo conſcientia eius errorq; ferietur, cum ſe igni inextinguibili ſeparatum, ut paleas à tritico, & deſolatum bonorum fructuum conſortio cognoſcat urendum? Cuius doctrinæ per Apoſtolos reuerendæ, in pſalmo altero meminit dicens: Sagittæ paruulorũ factæ ſunt plagæ eorũ. Has potentis ſagittas, hos carbones deſolationis dari ſibi fidelis quiſq; orat, & ad linguam doloſam expectat apponi emendandis his qui tribulant, uel doctrinæ telo, uel metu pœnæ. Sed & beatus Iob hoſtem ſuum quo confixus fuerat ignorans, cruciatus corporis ſui & dolores ſagittas domini eſſe dixit, dicens: Sagittæ enim domini in corpore meo ſunt, quarũ indignatio ebibit ut ſanguinem ſpiritum meum. Et forte has quoq; ultricum pœnarum ſagittas aduerſus labia iniqua & linguam doloſam imprecetur propheta, quibus confixa cum lingua doloſa, uniuerſa labia doloſa perurantur. Quanquam ſint plures qui ſpiritualiter ſuſcepta à fidelibus cœleſtis doctrinæ præcepta ſagittas uelint exiſtimari, & carbones deſolationum peccatorum emendationem: atq; ita accipiendum putent carbones deſolationis, quia dominus dixerit: Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo ſi iam accenſus eſt? Non eſt autem dubium, peccatorum eum ablutionem & remiſſionem attuliſſe, in qua ignem iam accenſum eſſe dixerit, quia per eum uitiorum omnium fiat ſordiumq; purgatio. Accommodatur autẽ ad hoc illud quod dictum ad Eſaiam eſt, cum per forcipem carbone comprehenſo labia eius cõtacta ſunt: Ecce abſtuli peccata tua, & iniquitates tuas purgaui. Sagittam autẽ ipſum deum nuncupatum in eodem Eſaia meminimus, hoc modo: Et poſuit me tanquam ſagittam electam, & in pharetra ſua abſcondit me, & ait: Grande tibi eſt hoc, uocari te puerum meum. Eſſe itaq; intelligimus etiam hanc utilem ſagittam & potentem, confixis uitiorum noſtrorum aculeis, ſalubri nos uulnere utilíq; penetrantẽ. De qua ſagitta ſponſa illa in Canticis dixerit: Uulnerata dilectionis ego ſum. Sint ergo hæ ſagittæ utrunque in modum expectatæ, uel in pœna conſcientiæ iniquos ac doloſos configentes, uel in dilectorũ ſibi corporibus peccata & uitia uulnerantes. Sitq; uel deuaſtans carbo, uel purgans, dum modo abnegantes deum per pœnam abſumat, purget autem ad perfectam innocentiam confitentes. Sed quæ ad ſuperiora dicta ſequens prophetę reſponſio eſt:

Ita Græci legunt

Heu me, quòd incolatus meus prolongatus eſt.) Bona non poſſunt uideri uere bona à nobis iudicari, niſi expectentur. Nam quomodo fidem iudicij noſtri, niſi eorum de quibus bene iudicauerimus, efficientia præſtabimus? Bonam pudicitiam exiſtimamus. Quis ergo opinionis noſtræ fructus, niſi in ipſa pudicitiæ appetitione conſiſtet? Bona innocentia, ſed niſi feſtinantes atq; exercentes eam, uere ita ſentire non intelligeremur. Mentium enim iudicia uerbis ſignificanda ſunt, ſed rebus explenda. Conuenit igitur prophetam expectantem poſt ſagittas domi

ni, &

ni, & illos carbones deſolationis beati illius regni, & æterni temporis gloriam, id quod expectat deſiderare. Et deſiderat planè, neq; ſolũ deſiderat, ſed moras odit, & ipſam illam non potiundi iam deſideriȝ tanti dolet dilationem, dicens: Heu me quod incolatus meus prolongatus eſt. Querelam iſtiuſmodi à plurimis ſanctis frequenter audiuimus, de tarditate ſpei ſuæ, & moroſa corporũ diſſolutione deflentium. Dominus in Euangelijs ſuis docuit accelerationem regni cœleſtis orandũ: impatientem enim charitatem eſſe eorũ, qui amant conuenit: atq; ideo dici oportet, quod ut dicamus à domino præcipimur: Adueniat regnum tuum, fiat uoluntas tua. Paulus beatus in habitatione corporis ſui congemiſcit, per incolatũ carnis peregrinari ſe à deo conquerens, ex quo contra peregrinandum in carne ſcit ſibi eſſe, ut ei cum deo incolatus ſit. Sed tamen melius ei eſſet diſſolui, & cum Chriſto eſſe. & Eccleſiaſtes ait: Et laudaui omnes qui mortui ſunt ſuper omnes qui uiuũt uſq; nunc, libera ſcilicet per diſſolutionem corporis anima, onere atq; conſortio, atq; etiam infirmis huius atq; periculoſæ carnis exuta. In hoc igitur nimium ſibi prolixo in corpore incolatu cõgemiſcit propheta, feſtinans peregrinari à terrenis & incolere cœleſtia, ut derelictis corruptibilibus atq; præſentibus cõſequatur inuiſibilia & æterna. Iob ſanctus & teſtimonio dei dignus, nõ ſolum corporis iſtius incolatu cõgemiſcit, ſed ipſam illam natiuitatis ſuæ diem maledicit, dicens: Pereat dies ille in quo natus ſum, & nox in qua dixerũt: Ecce maſculus natus eſt. & Hieremias ſimiliter: Maledicta dies in qua genitus ſum, maledictus nuncians patri meo, & dicens: quia natus eſt tibi maſculus. Atqui idem à domino audierat: Priusquàm te formarẽ in utero noui te, & priuſq; exires de uentre ſanctificaui te. Quid ergo? maledicit ne cœpiſſe ſe qui ante quàm eſſet, & deo cognitus eſt, & ſanctificatus à deo eſt? Abſit iſtud. Non enim hoc in ſe quod ſanctificatus eſt odit, ſed ea quæ in ſanctificationem conſecuta ſunt maledicit, profectũ ſcilicet per incrementa corporis in has moleſtias corporei incolatus. Formatus enim intra matris uulua, & per uirtutem creatoris ſui in ſubſtantiam animæ ad dei imaginem figuratus, nõ conceptus, nec figurationis ſuæ ortũ, ſed eum qui ex incremento acceſſit profectũ æditi corporis cõgemiſcit, in quo ſibi in malis ſeculi & infirmitatibus carnis, uitijſq; uiuendũ ſit. Iam tamen conformato in utero, & in uulua ſanctificato, ſpecie in ſe originis cœleſtis ęterna nõ ambiguum quin ex dei ſignificatione poſt legem mortis huius eſſet manſurus æternus. Sed prophetæ huius non multũ longe alius affectus eſt quàm Iob atq; Hieremiæ. non enim incolatum, ſed prolongatum incolatum ſuum queritur. Nam poſt prolixi huius incolatus ſui querelam conſequitur ad id quod ait: Heu me quòd incolatus meus prolongatus eſt, & habitaui cum habitantibus Cedar.) Cedar gens eſt Iſmaëlitarum deſerta incolens, cuius fines uſq; ad Medos & Perſas proferuntur. Cedar enim Iſmahel filius fuit, Geneſi teſtante. Primitiuus, inquit, Iſmahel Nabaioth & Cedar, hi ſunt nunc Saraceni nuncupati. Qui ergo pſalmos iſtos terreno ingenio intelligendos putãt, id uolunt ex perſona populi captiui prophetam conqueſtum fuiſſe, quòd in habitaculis Cedar longus ei fuerit incolatus. Sed uirtutem uerbi non intelligentes, nec prophetæ ſpiritum ſentientes, autoritatem nominis ad confirmationem ſtultæ opinionis aſſumunt, pſalmo omnino nihil quod captiuitati populi congruat continente. Cedar enim ſecundum Hebraicam linguam id eſt, quod nobiſcum pronunciatur obſcuratio. In hoc enim obſcuro tenebroſoq; corporum habitaculo inuiſibilis illa animarum noſtrarum confirmatio continetur, habetq; hunc contagioſi incolatus ſui carcerem cœleſtis naturæ captiua generoſitas. Meminit huius tabernaculi ſponſa illa in Canticis canticorum, dicens: Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar. Ex tabernaculi huius obſcuritate confeſſa

Cedar quid

confeſſa eſt ſe nigram,ſed non abnuens quia Chriſti ſponſa ſit, ſe eſſe formoſam. Omnis enim ſe ſpondens Chriſto,in ſpe iam conſiſtit æterna.In his nos illumina/ri tabernaculis dominus præcepit,dicens:Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si autem lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, tenebræ ipſæ quantæ ſunt? Et rurſum: Vos filij eſtis lucis,non filij tenebrarum. Seruauit autem hanc rationem prophe/ta,ut cum habitantibus Cedar habitauerit,non in habitationibus.Licet enim ſan/cti in carne uiuant,tamen ſi habeant arma militiæ non carnalia, ſed fortia deo,co/habitabunt tabernaculis Cedar,non inhabitabunt. Peregrinantes enim à corpore ut dei accolæ audient ab Apoſtolo: Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus dei habitat in uobis. Sic ergo habitauit ut cohabitaret habitanti/bus,oſtendens in eo quem doleat incolatu ſe eſſe peregrinum, & quia iniquorum conſortium, & cohabitationes habitantium in obſcuritatibus odiſſet, quanquam de futuro iam queſtus eſſet, adhuc etiam de præterito ait: Multum incola fuit anima mea.) In multis ſcilicet tribulationibus labiorum iniquorũ & linguæ do/loſæ,ob quas ad deum proclamauit. Sed cuiuſmodi incolatus ſibi fuerit oſtendit, dicens: Cum odientibus pacem eram pacificus.) Hoc proprium & dignũ pro phetæ eſt,ſimultates & motus naturæ alienæ uoluntatis ſuæ pace cohibere,& in/ſidias quaſq; animorum ac turbulentas affectiones omni placabilitatis modeſtia continere. Et hæc dominus docuit, pacificans ipſe in ſemet, quæ in cœlis & terra ſunt,orare pro perſequentibus,neminẽ odiſſe,amare inimicos. Et Apoſtolus mo/
Pax net:Si poſſibile eſt in uobis, cum omnibus hominibus pacem habeatis. Et domi/nus hanc ueluti præceptorum ſummam cõſignat: Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis.Hęc igitur conſeruabit corda noſtra in Chriſto:hæc nos pa triarchis adæquabit:hęc etiam eos qui pacem oderunt,per pacem obſequentes in pace retinebit. Sed prophetæ reſtat & aliud officiũ, doctrinam ſcilicet dei uniuer/ſis conſtanter ingerere,& uerbum uitæ æternæ iugiter prędicare.Non immemor quoq; huius fuit miniſterij.Nam ait: Cum loquebar illis impugnabant me gra tis.) Erat quidem pacificus cum pacis inimicis,ſed prædicationem pacis ipſius oderant pacis inimici,& ad doctrinam dei commouebantur,quos per modeſtiam prophetæ ſilentium eius in pace cohibebat: atq; ita cum inimicis pacis propheta pacificus eſt,& prædicare pacem propheta nõ deſinit,ſed pacis prædicatorem ini mici pacis impugnant.

Canticum graduum. Pſal. cxx

SEcundum hunc pſalmum cantici graduum, aliqui referendum eſſe ad perſonam domini & ſaluatoris noſtri exiſtimant, aptantes maxi/me ei dictum hoc:Per diem ſol non uret te,neq; luna per noctem.Im pletam enim hanc prophetiam eo tempore putant quo in paſſione domini ſole obſcurato nox interceſſit.Sed iudiciorum nihil decerpi/mus.Neq; enim ſenſum intelligentiæ huius arguimus,uniuſcuiuſq; arbitrio relin quentes,quid ex his,quæ aut legerint,aut intellexerint,ſequi magis uelint.Nos ta men nõ potuimus ſermonem noſtrum niſi his quæ intelligebamus aptare. Le/uaui oculos meos in montes.) Humanæ mentis natura eſt, ut ſi cogitatione ali/quid contemplemur,talem ſe nobis unaquęq; ſpecies exhibeat,qualem eam & co gitando formemus.Quoquò enim mentis noſtræ oculos intenderimus, id ipſum in quo defixi ſunt referunt ad ſenſum. Et ut planius intelligi id quod dictum eſt poſſit,afferemus exemplum. Si quis hyemis die uer cogitauerit, & ornatum eius lumine mentis inſpexerit, obliterata hyeme in qua ſit atq; algeat, totũ ei in ſenſu ſuo uer cum habitu ſuo ornatuq; conſiſtet,adeo mentis oculi oculis corporis præ

ſtant,

ſtant, ut ineunte in nos obliuione præſentium totos nos obtineat quídam quaſi animo præſumptus uſus abſentiũ. Hoc igitur quò ſpectet mox uidebimus. Leuat in montes propheta oculos. Quoſnam oculos? Nempe de quibus ſcriptũ eſt: Reuela oculos meos, & cõſiderabo mirabilia de lege tua. Et rurſum: Præceptũ domini lucidum illuminans oculos. Nunquid non iſti oculi noſtri corporali lumine ad contemplandũ accenſi ſunt? Nunquid nõ naturã uidendi ſortiti ſunt? Quæ illuminatio & reuelatio erit neceſſaria? Deinde quæ uiſuri mirabilia in lege? Niſi forte in caſis feſta frondiũ, in templo pecudum ſanguinẽ, in paſcha agni uictimã, in ſumma religione ſabbati ocium, & ut puto fieri hæc ab his qui ſpectatores aderant uidebãtur. Nõ ergo ad id reuelandi ſunt oculi quod cernebat, ſed ad id quod intelligi optabatur in lege. Mentis ergo oculos propheta eleuauit in mõtes. Quoſnam mõtes? Nõ utiq; in hos lucis atq; aris profanatos, & cõuenientibus impios, neq; in illos ſyluis horridos, ſaxis nudos, præruptis inuios, niuibus cõcretos. Quid enim in his aut admirationis aut ſpei ſitũ eſt? Sed mõtes accipimus ꝓpheticos libros ex terra in altũ eleuatos, per quos ſit in ſuperiora cõſcenſus, & gradus in æterna. Poterimus aũt & mõtes exiſtimare angelica miniſteria, & cœlorũ uirtutes, & poteſtates, quarũ miniſterio nobis in ſublimia præſtatur aſcenſus. Si enim ſecundum Danielẽ dominus ipſe mõs magnus eſt, nõ ambigendũ eſt, montes eos nuncupari, qui præcepti eius & uoluntatis, & cõmunicandæ in nos beatitudinis ſunt miniſtri. In hos igitur montes propheta oculos cordis eleuãs, horumq; intra ſe omnium monita, miniſteria, officia, dona cõtemplans, & in his intelligentię ſuę lumẽ intendens, reddidit ſenſui ſuo contemplatæ ſpeciei integrã perfectamq; naturam, & totũ id quod cogitatione uiderat, mente continuit, ſciens unde ei uenturũ eſſet auxilium dicens: Vnde ueniet auxilium mihi.) Statimq; ſibi beata confeſſiõe reſpõdit: Auxiliũ meũ à domino, qui fecit cœlũ & terrã.) Ad montes quidem oculi eleuantur, quia per eos eſt doctrinæ miniſteriũ profectus acceſſus. Sed cum confitendum ſit unde ueniat auxilium, auxiliũ meum à domino eſt, qui fecit cœlum & terrã. Hæc felix fides eſt, hæc uera confeſſio, hæc ſpes æternæ & cœleſtis benedictionis digna muneribus. Denicq; quia omnis prophetia in ſpiritu eſt, ſtatim beatã hanc eius confeſſionẽ ad perſonã prophetæ, ſancti ſpiritus cõſecuta benedictio eſt: Non det in commotionẽ pedem tuum, neq; dormitet qui cuſtodit te.) Senſus ipſe ſignificat conuerſionẽ factam eſſe perſonæ. Ad eũ qui ſuperius locutus eſt, ſermo cõuerſus eſt: Non det in commotionẽ. Quis? Nempe qui fecit cœlum & terram. Pedem tuum. Cuius? quærimus. Nanq; eius qui leuauit oculos in montes, & qui confeſſus eſt, quod auxiliũ eſſet à domino. Sed & illud: non det, optantis & benedicentis affectus eſt. Et quis optauit? Ille utiq; optauit, qui in nobis eſt, præter deum alius aduocatus, de quo ait: Et alium aduocatũ mitto uobis, qui & loquitur in prophetis. Quid ergo aduocatus hic loquitur? Confeſſorẽ utiq; huius fidei & ſpei benedicit: Non det in cõmotionem pedem tuũ, neq; dormitet qui cuſtodit te. Sed utraq; hæc indigna deo ſunt, ut & cõmotioni tradat & dormitet, & poſt cuſtodiæ uigiliã ex quadam laboris continuatione requieſcat. Sed antequàm id attingamus, quid in pede ſignificationis ſit, tractandũ eſt. Pes eſt pars corporis, omne corpus in res efficiendas agendasq; circumferens. Et quia ſcriptura per corporalia ſpiritualia docet, & inuiſibilia per uiſibilia demõſtrat, ſub pedis nomine motus mentis noſtræ inceſſusq; ſignificatur, ut in hoc eodem propheta: Mei aũt paulominus moti ſunt, pedes utiq; hi ſemper carnales mouentur in corpore. Aut quomodo periculi res eſt, quòd penè ſint moti, quorum ut ſemper moueantur proprium officium eſt? Sed & in euangelijs dominus pedes alios ſignificans, dextrum ſcãdalizantem iuſſit abſcindi, dicens: Et ſi pes tuus dexter ſcanda-

lizat te,abſcinde eum. Nunquid ſi in pede dextro ſcandalum eſt, minus ſcandalizabit ſiniſter? Aut quid illa pars corporis poteſt tentationis afferre, cũ ipſa abſq; aliquo appetitionis affectu ſolum in ſe habeat miniſterium neceſſarię ſeruitutis? Ergo ut oculi mentis,ita & pedes intelligendi ſunt,habentes in ſe & intelligentię uiſum & uoluntatis motionem. Non eſt autem intelligendum,quòd ideo iſta benedictio ſit,nõ det in commotionem pedem tuum, tanquàm aliquos deus tradat in uitia,uel aliter in quæ pedibus corruptæ mẽtis inuehimur. Non ille nos tradit, ſed cum ab eo abſcedimus conſequitur. Nam cum pedibus corruptæ mentis inuehimur,non ille nos tradit,ſed cum ab eo per peccata deſciſcimus,& cum in peccatoribus ipſe non habitet,diſceſſionem noſtram ab eo conſequitur: & abſceſſio eius à nobis,quia nos ab eo per peccata diſcedimus:diſcedẽte eo à nobis in omnes delictorum foueas incidimus, & per ampliſſimam mortis uiam currimus, dominatui dæmonum ſubditi,quibus nos dei à nobis abſceſſio derelinquit. Et deſolatio eius idcirco traditio eſt,quia peccatores obtinere diabolus niſi deo ab his diſcedente non poterit. Cæterum nobis penes eum manentibus, uel eo in nobis manente peruigil cuſtodia eſt,& indefeſſa munitio. Verum ſi per teporem fidei dormiamus,nunquid dormit & ipſe nobiſcum? Nequaquàm. Non enim in æterna uirtute ſomnus aut requies eſt,cuius angeli & nomine & natura uigilantes ſunt: hæc enim ſunt terrenis corporibus neceſſaria: ſed quia ſecundum fidem noſtram, aut uigilantem,aut dormientem, dei auxilium nobiſcum aut uigilabit, aut dormiet,idcirco dominus frequenter & uigilans ſignificatur & dormiens. Quo exemplo illud in hoc eodem propheta dictum eſt: Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo ſubuerteris. Nunquid deus non ſemper ſanctus eſt, ut etiam aliquando peruerſus ſit? Non utique. Non enim quicquam niſi bonum in eo & æternum eſt: ſed quia ſecundum uniuſcuiuſque mores ac ſtudium unicuique deus adiacet,idcirco peruerſis auerſus,& ſanctus in ſanctis eſt. Atq; ut oſtẽderet ex noſtra potius ad fidẽ dormitatione ſomnũ eſſe cuſtodiæ, neq; in naturã cuſtodiæ cœleſtis ſomni requiẽ cõuenire,quia indefeſſa ſit & ęterna,ſtatim cõnexuit: Ecce nõ dormitabit, neq; dormiet q cuſtodit Iſraël.) Imprecatus ſuperius ne dormitaret, nunc neq; dormitare neq; dormire ait, dormitationẽ ſuperius ex noſtra ab eo diſceſſione ſignificans: nunc autem neque dormitare,neque dormire,quia ſit æternitas indefeſſa demonſtrans. Sed quis hic eſt,qui neque dormit, neq; dormitat? Ille ſcilicet qui cuſtodit Iſraël. Liber Geneſis exponit eum eſſe qui deum uiderit. Iacob autem patriarcha poſt luctam, quam cum deo habuerat, hoc nomen accepit: ultra humanam naturam deum contuens fidei ſuæ oculis dignus hoc nomine eſt. Deum autem adeo uidit,ut benedici ſe ab eo precaretur. Meminit & Paulus eſſe nunc in plebe gentium,id eſt,in populo eccleſię,Iſraël,dicens: Pax ſuper eum & ſuper Iſraël dei,ne forte nomen hoc antiquæ tantum illius plebis fuiſſe exiſtimaretur. Ergo & ſi ille non dormit,qui cuſtodit Iſraël, & proprium nomen Iſraël eſt,deum uidentis,ille neceſſe eſt cuſtodiatur, qui eleuatis ad montes oculis uidit & dixit: Auxilium meum à domino,qui fecit cœlum & terram. Impenditur ergo fidei huic cœleſtis cuſtodia,& æternæ uigilię munitionem confeſſio iſta ſortitur, quæ perfecte ſectanda, obtinenda,retinenda eſt, nunquam cuſtodia eius in nos quem ſic confitebimur, dormiente. Ac ne alicuius alterius inſomnis cuſtodiam demonſtrari exiſtimaremus, ſubijcitur: Dominus cuſtodiet te.) Ille utique, qui fecit cœlum & terram. Dehinc cuſtodiæ ipſius ratio diſtincta eſt. Dominus protectio tua ſuper manum dexteræ tuæ.) Iam & ſuperius diximus, per ea quæ corporalia ſunt ſignificari incorporalia. Infirmitas enim intelligentiæ noſtræ conſequi inuiſibilia non poteſt,niſi per uiſibilium comparationẽ,ut nunc id quod

Iſrael uidens deum:ſic omnes,cum magis ſonet fortis deo.

dicitur

dicitur, ſenſum noſtrum niſi per nomen manus & dexteræ non adit. Quanꝯ hic contra naturæ intelligentiã manus dexteræ poſita ſit. Sic enim dicitur: Dominus protectio tua ſuper manum dexteræ tuæ. Abſoluta res eſſet ſi ita dictum eſſet: Super manum dexteram tuã. At uero cũ ita dicatur: Super manum dexteræ tuæ, ſignificari uidetur dextera habẽs manum & dexterã & ſiniſtram. Hoc nõ recipit, nec natura hominis, nec ſenſus. Verum ſemper ſcriptura dexterã partẽ optimam atꝯ utiliſſimã demõſtrat. Et quidem euangelia per eos quí à dextera & à ſiniſtra ſunt, ſignificantiam intelligentiæ utriuſꝯ monſtrabunt. Manum uero effectum omnis operis accipimus. Vnde illud etiam ab hoc eodem propheta ſic dictũ eſt: Libera me de ore leonis, & de manu canis unicam meam. Neꝯ enim in hoc animali oblatrans & rabidum pars huius corporis conueniebat, ſed ab operibus ſe maliciæ liberari deprecatur. Ergo qui aduerſantes nobis dæmonum uirtutes, optima & ualidiſſima fidei noſtræ opera debilitare & conuulnerare contendunt, idcirco ſuper manum dexteræ cuſtodia dei uigilatura promittitur, ut illibata in nobis bonæ uoluntatis opera perſeuerent, quibus manentibus æterni illius & beati temporis regno abſterſa omni infirmitate corporea mancipemur. Nam id nobis in eo quod ſequitur prophetia pollicetur, dicens: Per diẽ ſol non uret te, neꝯ luna per noctem. Elementorum horum natura hãc in ſe efficientiam habet, ut unũquodꝯ eorum in ſuo tempore humanorum corporum uires per demutationem imbecillæ in nobis ſubſtantiæ infirmet, ut ſol calore, luna frigore adurat: fitꝯ per anni curſum talis eorundem conuerſio, ut hyberno tempore ſol non adurat luna adurente, ſed ſoluat, luna auertente ſe ſole urat: rurſumꝯ æſtiuis menſibus ſol urat, & luna diſſoluat. Quí itaꝯ hæc putant corporaliter intelligẽda, quæro quid aſſerãt prophetã ei qui in mõtes oculos ſuos eleuauerit polliceri in eo, quod dicit: Per diẽ ſol nõ uret te, neꝯ luna per noctẽ?) Non enim manente natura corporis noſtri, natura quoꝯ elementorum demutabilis fiet, ut non naturæ ſuæ in naturam noſtram conſuetudine perſeuerent. Aut nunquid quiſquam audebit hanc ſibi in hoc ſeculo firmitatem corporis ſperare? ne aduri nocte ac die poſſit beato patriarcha Iacob peruſtum ſe noctis frigore & calore diei conquerente, cum dicit: Et fui diei peruſtus calore, & gelu noctis? Sed propheta nunc, uel ſpiritus per prophetã nouit illam beatitudinem temporum, in qua à nobis omnis demutatio corporeæ infirmitatis abſcedet, in qua non frigus, non calor, non nox & demutatio, ſed æterna dies & beata temperies ſit, iuſticiæ in nos ſole dominante. Cuius temporis requiem iam in deſerto dominus præformans populo ſuo diurnum calorem eis columna nubis, & nocturnum frigus ac tenebras columna ignis temperabat. In hac igitur æterna temporum & beata temperie quiſquis domini cuſtodiã promeuerit permanebit, ne natura corporis gelu lunæ, & calore ſolis uratur, ſed ſeculi huius malis & iniurijs liberatus, in æternis & beatis & temperatis quieſcens, glorificati corporis ſui ſumat ſolidam indemutabilemꝯ naturam. Sequitur deinde: Dominus cuſtodiat te ab omni malo.) Et à quibus malis cuſtodiet dominus? Non opinor ab his quæ putantur: hæc enim ſunt infirmitati noſtræ & corpori debita, mori, infirmari, egere: quæ ſi mala eſſent, & Abel uiueret, nec Iob cruciatus eſſet, nec Petrus pecunia quæ in eleemoſynam poſcebatur eguiſſet. Ergo fidelem animam ab omni malo dominus cuſtodit, id eſt, ne eam diaboli tinea corrumpat, ne fur obrepat, ne canis oblatret, ne lupus laceret, ne urſus deſæuiat, ne pardus inſiliat, ne tigris aduolet, ne leo uaſtet. Hæc enim nunc ſunt diaboli miniſteria, hæc omnia eius in tempore ſeculi huius officia ſunt, uicijs conſumere, blandimentis ſubrepere, obtrectationibus lacerare, ambitione inſilire, laſciuijs allicere, & tota uirtutis ſuæ poteſtate uaſtare. Ab hoc igitur omni malo dei expectanda cuſtodia

Atqui nunc etiam Græci dextram legunt, non dextræ.

eſt. Et quia in animam maxime ſæuiat, nam debitum nobis eſt, ut aduerſus eum pugnemus in corpore, non eſt enim niſi ex cõcertatione uictoria, idcirco ſub ſequitur: Cuſtodiat animam tuam dominus.) Ne quid tot tantiſq; malis ſuperius memoratis in eam ſit poteſtatis. Tenuit autem propheticus ſermo ordinem ſuum, dicens: Dominus cuſtodiet introitũ tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & uſq; in ſeculum.) Non enim temporis huius & ſeculi eſt iſta cuſtodia, nõ aduri ſole atq; luna & ab omni malo conſeruari, ſed futuri boni expectatio eſt, cum exeuntes de corpore ad introitum illum regni cœleſtis per cuſtodiã domini fideles omnes reſeruabuntur in ſinu ſcilicet interim Abrahæ collocati, quod adire impios interiectum chaos inhibet, quouſq; introeundi rurſum in regnum cœlorum tempus adueniat. Cuſtodit ergo dominus exitũ, dum de corpore exeuntes ſecreti ab impijs interiecto chao quieſcunt. Cuſtodit & introitum, dum nos in æternum illud & beatum regnum introducit. Ipſe eſt enim qui ait: Ego ſum ianua & nemo uadit ad patrem niſi per me, id eſt, dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Canticum graduum PSAL. CXXI.

QVi ſpei cœleſtis deſiderio detinetur, nihil obſcuritatis in pſalmo habebit. Ex ſuo enim ſenſu intelligentiam propheticæ magniloquentiæ conſequetur. Nanq; cum ſe meminerit ſcriptum dei cohæredẽ, & conſortem æternorum bonorum, & ſimilem angelis ex reſurrectione renouandum, & corruptione depoſita in gloriam dei ac domini noſtri Ieſu Chriſti corporis conformandum, futurumq; incolam cœleſtis ciuitatis uiuis lapidibus extructæ, de qua ſcriptum eſt in euangelio, cum dominus iurare per cœlum inhibuiſſet, adiecit dicens: neq; per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt regis magni: non utiq; eam ſignificans quæ prophetas occidit & lapidauit, ſed eam cuius beatus apoſtolus Paulus ita meminit. Vos eſtis ciues ſanctorum & domeſtici dei ſuperædificati ſuper fundamentũ apoſtolorum & prophetarũ: cumq; legerit ea quæ nunc ſunt ex parte eſſe, nosq; per ſpeculum interim & in ænigmate uidere, perfecto autem ueniente, ea quæ nunc pro parte ſunt deſtruenda, & facie ad faciem tanq; corporali uiſu ea quæ nobis nunc ſunt intuiſibilia contemplaturos, ubi non ægritudo, non mors, non mœſticia, nõ terror ſit. Hæc enim ſi quis ad nunciata ab angelis, preformata in lege, expoſita à prophetis, à domino exemplis repræſentata, prædicata ab apoſtolis ipſe ſibi hæc eadem per fidem poſſibilia cognouerit, proclamabit neceſſe eſt, exemplo prophetæ: Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi.) Sed quæ ſunt illa quę dicta ſunt, ex quibus lætitia ſuſcepta eſt? Nempe id quod ſequitur: In domum domini ibimus.) Hinc gaudetur, hinc exultatur, quia hæc quæ dicta ſunt, quod eundũ in domũ domini ſit. Domus domini quæ ſit pſalmo altero docuit, dicens: Quoniã elegit dominus Sion, præelegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Non utiq; ut diximus hanc terrenam & caducam & pœnas luentem impietatis ſuæ, ſed illã liberã & cœleſtẽ Hieruſalẽ, quæ eadẽ & Sion eſt, per cuius incolatum, quia domus dei eſt, nos quoq; ciues ſanctorũ & domeſtici dei ſumus. Hinc ergo lætitia eſt, quod dictũ ſit in domum domini nos ituros. Sed qui iſta dixerint, ne forte ignorent, ne ue à domo eadẽ, in quam nos ituros nuncient peregrinentur, ſed dicant: Stantes erant pedes noſtri in atrijs Hieruſalem.) Non in certa nunciant, non incognita pollicẽtur, hanc domum deſiderabilem & dilectam à multis agnouimus. Nam dicit ſcriptura: Vnam petij à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini omnes dies uitæ meæ. Vt uideam delectationes domini, & uiſitem templum eius. Et rurſum: Domine dilexi decorem domus tuę, & locum

& locum habitationis gloriæ tuæ. Hæc domus deſiderabilis, hic auditus lætabilis, fundamento duodecim uiuarum gemmarum eſſe uiuos lapides extructos, excíſos primũ ad opus ædificationis à Moſe in lege, à prophetis in paſſionibus ſuis, à domino in corpore, ab apoſtolis in martyríjs, ab ſancto ſpiritu in uirtutibus. Hi ædificatores, hæc ædificia, hæc ciuitas. Hinc ſtãtes pedes in eius atríjs, ſcilicet quibus oblatę ſunt claues domus huius. Dictũ eſt enim: Vobis dabo claues regni cœlorum, ſpeciẽ domus ignorantibus nunciantes beati pedes, & à propheta merito laudati, quàm pulchri pedes euangelizantiũ pacẽ. Ac ne conuenire quicq; horũ in eam Hieruſalẽ quæ terrena fuit exiſtimaretur, id conſecutũ eſt: Hieruſalem quæ ædificatur ut ciuitas.) Non ciuitas, ſed ut ciuitas: quia illa terrenæ ciuitatis ædificatio, & templi extructio, & tabernaculi inſtitutio, ſpeciẽ illius æternę & cœleſtis ciuitatis præfigurabãt. Et quia in omne tempus & uſq; ad ſeculi conſummationem, & per omnium generationũ ætatẽ ædificatio cœleſtis huius ciuitatis explenda eſt, ideo eã ædificari ſine temporis definitione ſignificat, dicens: ædificaẽ ut ciuitas: donec ut Apoſtolus ait, intret plenitudo gentiũ, & tunc reliquiæ Iſraël ſaluæ fiãt. Sed quia unũ eccleſiæ corpus eſt, nõ quadam corporũ confuſione permixtum, neq; ſingulis in indiſcretũ aceruum, & informẽ cumulum unitis, ſed per fidei unitatẽ, per charitatis ſocietatẽ, per operum uoluntatisq; concordiam, per ſacramẽti unum in omnibus donũ unum omnes ſumus, in quod nos hortatur Paulus dicens: Obſecro uos fratres, utidipſum ſapiatis omnes, eandem charitatẽ exercentes. Et cum fuerit, ut ſcriptum eſt: Erat autẽ omnium qui credebãt cor & anima una: tunc erimus ciuitas dei, tunc ſancta Hieruſalẽ, quia Hieruſalem ædificaẽ ut ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Diſſidentes aũt à cœtu ſanctorũ & ſe ab eccleſiæ corpore peccatis pręcipitãtibus ſeparantes, participationem ſanctæ iſtius domus nõ habent, quia participatio huius ciuitatis in id ipſum eſt. Ex cõſortio enim perfectæ ciuitatis unanimes nõ poſſunt participationẽ in diuerſo habere, ſed in id ipſum. Omnes igitur qui unũ erunt, in ea erunt. Et teſtis eſt pſalmus. Ait nanq;: Illuc aſcenderũt tribus, tribus.) Non una, ſed plures. Sed fortè ſine ulla exceptione ab uniuerſis ædificãda uidebitur ciuitas, quod in tribubus cognominatis nulla fiat exceptio, eritq; populis deũ neſcientibus in hanc domũ cõmunis ingreſſus. Sed intelligi illud ſcriptura nõ patitur, adíjciens ad id quod dixerat:

Illuc aſcenderunt tribus, tribus domini teſtimoniũ Iſraël.) Sunt enim qui nõ ſunt domini, quibus dictũ eſt: Vos de diabolo eſtis. Et rurſum. Abite à me maledicti in præparatum ignem diabolo & angelis eius: Tribus ergo quæ erunt domini aſcendent. Sed fortè ſibi Iſraël hoc eſſe debitũ uendicabit, id eſt, qui ſecundũ literam, & nõ ſecundũ ſpiritũ, qui carnalis, & nõ cœleſtis, qui crucifigẽs dominũ, nõ qui adorans eſt, ſed qui ab hac ſpe repulſus eſt. Illuc enim aſcenderũt tribus, tribus domini teſtimoniũ Iſraël. Nõ tribus Iſraël in teſtimonium gentiũ, ſed tribus domini in teſtimoniũ Iſraël. Tribus enim domini ſumus, & in domum dei Iacob introibimus, & annũciabit nobis uiã ſuam & ambulabimus in ea. Tribus enim domini dixerũt. Venite aſcendamus ad montẽ domini, & in domũ dei Iacob, & annũciabit nobis uiam ſuã, & ambulabimus in ea. Ex Sion enim prodiet lex, & uerbũ domini ex Hieruſalẽ. Ex Hieruſalẽ enim exiens uerbũ domini uenit ad gentes. Hæ introëunt in ſanctã ciuitatẽ in teſtimoniũ Iſraël. In quod tandẽ teſtimoniũ? Ad confitendũ, inquit, nomini domini.) Tribus enim domini nomẽ domini cõfitentur. Hoc aũt eſt teſtimoniũ, Ille Iſraël à domino Pharaone uindicatus, in mari ablutus, in deſerto angelorũ cibo paſtus, in lege eruditus, in ꝓphetis obiurgatus, in natiuitate à domino per conſortiũ corporis ſuſceptus, in cruce ſi crederet ſaluatus, in reſurrectiõe ſi cõfiteretur glorificatus, nihil horũ ſuum credidit, nihil horũ

manere ſuũ uoluit. Habẽs manna, cucumeres Aegypti deſiderauit. Legẽ autem à deo expectãs uitulum adorauit. Prophetas audiens occidit. Virginis partum prophetatum ſibi infamauit. Deum in carne nõ credidit. Peccati remiſſorem falſi peccati reum arguit, emit ad mortem, in crucẽ ſuſtulit. Teſtes reſurrectionis ad ſilentium corrupit: Apoſtolos morte interfecit. In hoc ſceleris ſui teſtimoniũ tribus domini aſcendunt. Illi promiſſum eſt, hæ obtinent. Illius teſtamentum, ſed harum hęreditas eſt. Hunc eius cruciatum, deum ſuum tribus cõfitentur. In hoc itaq; teſtimonio agnoſcit Iſraël quem compunxit, & ab acceſſu eius inhibetur, quem ſurrexiſſe non credidit. Hunc archangeli adorant, huic omnes uirtutes cœleſtes miniſtrant, hic tribus ſuas conformes gloriæ corporis ſui præſtat. Cõfitentur ergo nomen domini, quia deus eſt, quia filius unigenitus ingeniti eſt. In hoc itaq; teſtimonium Iſraël in domum domini tribus domini cõſcendunt, confitentes nomẽ domini. Sed confeſſio iſta iudicium eſt. Iudicatur enim per eos quibus dictũ eſt: Sedebitis ſuper duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Iſraël. Non ſolum hi iudicabunt, ſed & regina auſtri condemnabit, & Niniuitæ cõdemnabunt, quia hi pœnitentiam propter Ionæ prædicationem egerunt, & illa ex ultimis terræ partibus uenit audire ſapientiam Salomonis. In quibus eccleſiæ præfiguratio eſt, quia peregrina & incognita, & pœnitentiæ credidit, & ſapientiam deſiderauit audire. Hæc igitur ſedes iudicij erit, ubi in teſtimonium Iſraël tribus domini aſcendẽt ad nomẽ domini confitendum, in eccleſiam uticq; ſanctorum lapidum ciuitatẽ, quæ domus domini eſt. Ait enim: Quia illic ſederũt ſedes in iudicio, ſedes ſup domũ Dauid.) Dauid nunc quoq; ſicut in cæteris locis domini nomen ex corpore eſt. Scriptura enim ubicunq; mentionem aſſumendi corporis facit, Dauid eum ſolita eſt nuncupare, nomen ei ex parente carnis aſſumens. Non eſt autem ex eo perturbatio intelligentiæ ſuſcipienda, quod quædam ex præterito prophetæ locuti ſunt. Iam enim de hoc eodẽ in plurimis locis rationẽ & frequenter edidimus. Deo nanq; cõplectenti in ſe omnia futura pro factis ſunt. Et eius tam fidelis præſcientia eſt, ut quę nondũ geſta ſunt tamẽ ab eo iã perfecta & pro præteritis habeant & geſtis. Denicq; ſtatim res ſe futuri tẽporis loqui ꝓpheta demonſtrat. Nam cum tancq; de prẽterito cõmemoraſſet aſcendiſſe illic tribus domini, & ſediſſe ſuper ſedes domus Dauid, nunc iã uelut publicæ doctrinę & admonitionis affectu, cõmonuit in futurum, dicens: Rogate quæ ad pacẽ ſunt Hieruſalem.) Vt præſcientiam fidei in his quæ geſta dixiſſet, oſtenderet, conſeruaret uero temporum ordinem in gerendis. Extructio itaq; eius in pace eſt, & participatio in idipſum eſt, & unius mẽtis & fidei & charitatis domus illa eſt. Diſcenda eſt ergo doctrina pacis. Nũc enim rogate non orãdi, ſed interrogãdi ſecundum proprietatẽ græcitatis eſt ſermo. Sed pacẽ diſcere in uoluntate eſt audientiũ. Cum enim de pace eius interrogauerit, tunc letabunt dici ſibi in domũ domini ibimus. Necq; enim interrogatę pacis fructus exiguus eſt, quia id ſequitur: Et abundãtia diligentibus.) Perfectos fructus dilectio pacis expectat, & abundantẽ felicium prouẽtuum copiã ſperat. Quod ipſum benedictio in Iacob ad ſpem fidelium præformata ſignificat, benedictus enim ita eſt fratris benedictionibus occupatis. Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni quẽ benedixit dominus, ager plenus & fertilis, reddẽs centeſimũ fructum. Hinc æternis copijs abundabit. Et nunc quidem interim beatis fructibus abũdamus, quos nobis in ſpẽ fructuũ æternorũ eccleſiæ ſacramentũ & pacis unitas ſubminiſtrat. Hoc autẽ ſacramentũ ſpei cõmunis corporaliũ & cõmuniũ rerũ nominibus oſtenſum eſt, quod ſciẽtes intelligẽt. Nãq; abundãtiæ huius & copiæ idẽ propheta pſalmo altero meminit, dicẽs: Dediſti lætitiã in corde meo à tẽpore frumẽti & uini & olei ſui multiplicati ſunt in idipſum. Hæc igit abundãtia eſt in idipſum. Per hãc enim pacis & ſacramentorũ abundantiã beata illa pax & indefi-

Pax eccleſiæ. Ἐρωτήσατε.

ciens

ciens & ęterna bonorũ cœlestiũ abundãtia pręparat̃. Dehinc sequit̃: Fiat pax in uirtute tua & abundantia in turribus grauibus tuis.) Pax atq; uirtus domus huius cõnexa sibi sunt. Posse enim aliqd nisi ex pace nõ poterit, quia participatio eius in idipsum est: in idipsum autem esse pax sola consequitur. Perfecta uero ac pacata uirtus eorum est, qui cõgregantur in idipsum, & idcirco ait: Fiat pax in uirtutibus tuis. Ciuitatẽ aũt necesse est diuerso ędificiorũ genere cõsistere. Nõ enim omnis est murus porta. Rursus neq; omnis plateæ porticus, tabernę, neq; domus, forũ, templa, palatiũ, sed & differẽtibus inter se domorũ magnificentijs differunt quęq; cohabitantium dignitates. In omni uero genere ciuitatis nihil neq; firmius, neq; utilius, neq; celsius turribus est. Solita uero scriptura est grauia pro firmis & immobilibus nuncupare, sicuti ait: In populo graui laudabo te. Nũc quoq; cũ de pace uirtutis memorasset, abundantiã beatitudinis perfectæ & æternæ ciuitatis huius principibus tanq̃ firmissimis & grauissimis deputauit, dicens: Et abundantia in turribus tuis grauibus. Superius dixerat: Et abundãtia diligentibus te. Non ergo omniũ est abundantia, sed diligentiũ deum. Inde adiecit, fiat pax in uirtute tua. Pax enim ecclesiæ & unitas uirtutẽ nobis firmitatẽq; præstat. Vnde illud apostoli: Et pax dei quæ exuperat omnẽ sensum prudẽtiæ custodiat corda uestra in Christo Iesu. Nunc quoq; hanc abundantiã quam diligentibus spoponderat propriam esse grauium turrium cõmemorat, eos graues turres significãs esse quicũq; diligerent: per quod intelligendum est abundantiã hanc nõ promiscuam esse, nec totius admodũ ciuitatis, sed eorum tantũ fidelium & sanctorũ uirorum qui cęteræ ciuitatis huius ædificationi tanq̃ turrium firmitatẽ præstiterint. Sequitur deinde prophetæ magnus affectus, & in omnẽ hominem credentẽ sollicitudo piæ ammonitionis. Ait enim: Propter fratres meos & ꝓximos meos loquebar pacẽ de te, propter domũ domini mei quæsiui bona tibi.) Multitudinem in fratribus suis proximisq; huius significat ciuitatis ꝓpter quos pacẽ de ea locutus est, ut audientes se ipsos in ædificium cõsummandæ huius ciuitatis aptarent. Sed qui pacẽ propter fratres & propinquos suos de ea loquit̃, ciuitati eidẽ propter domum dei bona quęrit, dicẽs: Propter domũ domini mei quęsiui bona tibi. Ciuitati ergo bona propter domũ domini quæsita sunt. Discernens enim gloriã domus dei à ciuitatis uniuersitate, quia necesse est ornatũ domus regiæ ædificationi ciuitatis totius anteferri, quæsiuit eidem ciuitati bona. Primum enim fratres & propinqui eius per prædicationem pacis facti sunt domini ciuitas. Secundo uero ciuitas ipsa iam ex propinquis eius & fratribus constituta, audiens dignitatẽ domus dei domum dei ipsa se præparauit. Ac sic ciuitati huic quæsita sunt bona, dum ex ciuitate domini in domum dei proficit, secundum illud apostoli. Vos estis templũ dei, & spiritus domini habitat in uobis: fidelis enim est qui ait, pater pro his te rogo, ut omnes unum simus, ego in illis, & tu in me, dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Εμπυργο βάρεσίσου.

Populi prima ratio.

Canticum graduum PSAL. CXXII.

EFficitur rebus quod titulo præscriptũ est: gradibus enim cãtici tanq̃ de humilibus ad excelsa cõscenditur. Nanq; in primo cantico graduũ ad dominũ de tribulatione clamatũ est. Postea leuati oculi in mõtes sunt, & quæsitũ unde ueniret auxiliũ. Dehinc quia leuãti oculos, & unde auxiliũ ueniat quærẽti adest doctrinæ propheticę institutio, in his quæ sibi sunt dicta lętatus est. Nũc uero quia usq; ad id quod doctrina instituebat accessum est, de quodã quasi ꝓfectus sui gradu cantat propheta: Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlo.) Incrementis cõpetentibus contẽplandi dei usus tanq̃ post multã cæcitatẽ per modica & dimẽsa admissę sibi lucis interualla cõsuetudini totius luminis pręparat̃. Deus enim qui primũ in tribulatione inuocatus est, quæsi-

tus à prophetis, eosq; prophetiæ lętificauit auditus, & nũc iam oculis mentis per fidei fiduciã cõtemplãdus eſt, habitãs in cœlo. Sed cœlũ hoc quod uiſibus noſtris per materiẽ ſui ſubiacet, quod tanq; fumus ſolidatũ, firmamenti & naturã & nomen aceepit, præteribit & nõ erit, ſedes aũt domini manet inæternũ. Neceſſe eſt uero ut habitatio habitatore ſuo digna ſit, & ſi corruptibili loco id quod infinitum & incorruptibile eſt cõcludamus, & ſi deũ in cœlo hoc habitare credimus. Quæramus ergo quæ habitatio dei ſit. Nẽpe eius qui dixit: Pater enim in me, & ego in patre. Et rurſum: Ego & pater unum ſumus. Et de quo dictũ eſt, deus erat in Chriſto mundũ reconciliãs ſibi, digno & ſufficiẽte filio, in quo pater per eandẽ naturę habitet uirtutẽ. Pater aũt filium quẽ ex ſe genuit, nõ ſeparat à ſe differentia diuinitatis. Sed nõ nunc de inſeparabili uirtute patris & filij ſermo eſt. Deus enim ex deo genitus nõ abeſt per naturã ab eo ex quo genitus cõfitendus eſt, & deus innaſcibilis unigenitũ deum gignẽs manet in illo quẽ genuit proprietate generandi. Omnis aũt ſpes in eo noſtra eſt, ut unigenitũ deũ nouerimus. Nam de innaſcibili deo nemo tam amens eſt, qui cœlũ cõtuens deũ eſſe nõ ſentiat. In hoc ergo cœlo deus inhabitat digno maieſtatis ſuæ & diuinitatis habitaculo. Sed eſt & alia conplacita deo & electa habitatio, eorũ ſcilicet, de quibus dictũ eſt. Habitabo in his & deambulabo in ipſis, & ipſi mihi erunt in populũ, & ego illis in deũ. De quibus & Apoſtolus ait: Vos eſtis templũ dei, & ſpiritus dei habitat in uobis. Idem quoq; Apoſtolus ait: Qualis de limo, tales & de limo. Et qualis cœleſtis tales & cœleſtes. Cœleſtis ergo eſt ſecũdus Adã, & idcirco cœleſtis, quia uerbũ caro factũ eſt, ex ſpiritu ſcilicet & deo homo natus eſt. In hoc ergo uerbo nõ inani ſono uocis, ſed in deo uerbo, neq; in diſſidẽti à ſe diuerſaq; ſubſtãtia, ſed in dei uerbo tanq; in cœlo habitat. In eo ſcilicet utiq;, quod ex ſe ac ſuũ eſt manens per eũ, in eis quoq; qui cœleſtes ſunt habitans, ſicut ipſe ad patrẽ ait: Vt omnes unũ ſint, ſicut ego in illis, & tu in me. Ergo ſi qui in Adã limus fuimus, nũc cœleſtes ſumus in Chriſto, & Chriſtus habitator eſt noſtri per habitantẽ Chriſtũ in nobis, etiã ille quoq; habitator eſt noſtri, cui eſt habitãs in nobis Chriſtus habitatio. Et quia ſecundũ corporalem intelligentiã ille nobis ſubeſt ſenſus, ut cœlũ quod ultra firmamenti huius naturã eſt deus inhabitare exiſtimetur: nõ excludimus publicã illam de ſede dei opinionẽ, ut ei cœlũ cœli thronus ſit, ſed illam dignã deo habitationẽ in cœleſti Adam ſuo ſignificatã eſſe credentes. Etiã hoc ergo cœlũ habitare deus noſcẽdus eſt, per eũ quoq; inhabitãs quos in eo cõſtituit eſſe cœleſtes. Oportet aũt eos qui ad dominũ oculos mentis erexerint nõ retorquere eos atq; deflectere. Quia ut in euangeliis dictũ eſt, nemo retro reſpiciens & aratrũ tenens aptus eſt regno cœlorum. Relinquẽtes enim templa, aras, cupiditates, laſciuias, & omne uitiorũ profundum cõuenit indefeſſo obtutu inuictoq; perſiſtere. Si enim gentes errore ſuo cæcæ indemutabili pertinacia falſis religionibus detinentur, ita ut reflecti à ſuperſtitionibus ſuis ueri ratione non poſſint, diuerſis diis ut uocant perſeuerãte ſtulticia ſeruientes, & ſi anima peccantium capta uitiorum illecebris deuotiſſime ſeruit tanquàm imperanti ſibi corpori: quanto nos magis conuenit deum conditorem cœli & terræ cognoſcentes, qui ut potens fuerit ex terra inanima animare hominem, ita & potens ſit hominẽ, qui iam animatus occiderit, in æternitatis conſortium excitare, ſine deflexu aliquo ac deuia religione uenerari, neq; quoquàm intentæ fidei pertinaciam deflectere? Et docet propheta hos mentis ſuæ oculos indemutabili ad deum eſſe ſemper obtutu, dicens: Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorũ. Et ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad dominum deum noſtrum donec miſereatur nobis.) Exempli comparationẽ propheta poſuit, ut ſicut in manibus dominorum oculi ſeruorum

ſunt

ſunt,ita ad deũ fidei ſuæ oculi intenti ſint: quia fidelis ſeruus ad omnem obedientiam uolũtatis dominicę ſollicitus ſit,indeflexosq; oculos ſemper intendat. Sed ſi de ſeruis ac dominis corporalibus ſermo eſſet, dictũ ita fuerat, oculos ſeruorũ in oculis uel in lingua,uel in cõſpectu eſſe dominorũ. Aut nutu enim his iubẽt aut ore. Sed manus pro operibus frequẽter ſcriptura ſignificat. Sunt aũt qui neq; hominũ,neq; dei ſerui ſunt,ſed ſerui ſunt peccati,domino dicente: Omnis qui facit peccatũ,ſeruus eſt peccati. Hi ergo ſerui harũ ſpiritualiũ nequitiarũ in cœleſtibus in opera eorũ tanq; in manus dominorũ ſuorũ oculis mentis ſuæ ſemper intenti ſunt,uiciorũ in id deſiderio atq; admiratione defixi. Sunt aũt hęc diabolica,id eſt, deorum gentiliũ opera, quæ ſignificãtur in manibus,uenter,ociũ,luxus,libido,ſuperbia,auaritia,ambitio. In hæc ergo uoluptatum quarum dominatui ſubiacent opera ſpectantes ſenſus ſui oculis intendunt, quibus dij plures ſunt & numeroſi domini,prout uniuſcuiuſq; ſtudium & natura autorẽ ſibi religionis elegerit. Nobis autem unus deus eſt,non tamen per unionem dei domini noſtri Ieſu Chriſti ei quod deus eſt abnegantes, ſed ſequentes legẽ & prophetas & euãgelia & apoſtolos diuinitatis unitatẽ in innaſcibili deo & unigenito deo ſecundũ proprietatẽ atq; naturã cum fide & ueritate profitemur. Nuſq; enim genere plurali,nec deos, neq; dominos ſermo propheticus nũcupauit,ſed unũquenq; ſuo ordine. Geneſis nãq; ait: Et pluit ſulphur & ignẽ dominus à domino. Et propheta: Vnxit te deus, deus tuus. Et rurſũ: Dixit dominus domino meo. Et euãgelia: Et uerbũ erat apud deũ,& deus erat uerbũ. Et Apoſtolus: Vnus deus ex quo omnia, & unus dominus Ieſus per quẽ omnia,& nos in ipſum. Et rurſum: Ex quibus Chriſtus qui eſt ſuper omnia benedictus. Hoc ergo propter dominũ dictum eſt, ut intelligeremus per id quod unus innaſcibilis deus eſt, non adimi unigenito deo poſſe quod deus eſt. Deus enim uterq; unus eſt, nõ quod unus diuiſus in duos ſit, aut uterq; ipſe ſit,ut nuncupatio ſola fecerit patrẽ & filiũ,non natura gignendi, ſed idcirco deus unus quia neq; duo innaſcibiles,neq; unigeniti duo,ſed unus ex uno,& ambo unum,nõ diſſimili ſcilicet aut differenti à ſe ſubſtãtia diuinitatis in utroq;. Sequit deinde: Et ſicut oculi ancillæ in manibus dominę ſuæ.) Tenuit uero eundem propheta ordinẽ, ut in cõparationis exemplũ ancillæ quoq; oculos in manus dominæ eſſe cõmemoraret intẽtos,ut in operũ potius efficiẽtias hæc deſideria ſeruorum doceret intenta. Sed cũ plures ſerui pluriũ dominorũ ſint poſiti in exemplũ, quærendũ cur ancilla una unius cõmemorata ſit dominę. Plures enim ſerui ut ſuperius diximus,plurimorũ ſunt dominorũ. Nũc ergo una ancilla & una domina, quia natura una eſt animæ humanæ, ſicuti & terrenæ carnis una natura eſt. Et quia nũc de peccatoribus qui peccati ſerui ſunt,ſermo eſt,hæc ancilla anima carni dominæ ſuæ dedita eſt,& per corporaliũ uiciorũ blãdimenta ſubiecta eſt, habetq; inferioris ſui per illecebrarũ fomẽta dominatũ fructus operũ eius inſpiciẽs. Ergo ut hos ſeruos & hanc ancillã indemutabiles uitia ſua detinẽt, ut in his quadã religioſæ ſtultitiæ ſuæ intentione perſiſtãt: ita fidẽ eſſe oportere, quæ nõ temporaria ac mobilis ſit,neq; emiſſis tẽtationibus defatigẽt,ſed uſq; ad cõſummationẽ miſericordiæ dei immobilis & indemutata pmaneat. Et idcirco ppheta pertinaciã ſuę ſpei uſq; ad finẽ accipiẽdæ miſericordiæ demõſtrat, dicẽs: Ita oculi noſtri ad dominũ deũ noſtrũ donec miſereat nobis.) Nõ deſinit,nõ abſiſtit,tradat licet ad tentationẽ fidei miſericordiã ſuã dominus, quia fides conſtantẽ præſtare debet fiduciæ ſuæ expectationẽ,ut deſperatio omnis diffidẽtiæ confeſſio ſit. Sed propheta nõ incertus eſt miſericordiæ dei. Nã oculi eius in eũ, quoaduſq; miſereatur intẽti ſunt. Intenti aũt adeo,ut intentioni eorum oratio geminata ſubiecta ſit. Ait enim poſt hæc: Miſerere nobis domine,miſerere nobis.) Et intentus eſt,& intentus

orat

orat,ea ſcilicet perſeuerãtia,quia uiciorũ ſerui in dominantibus ſibi uicijs demorant illa certiſſima bonorũ æternorum ſpe,& perfectæ in ſe miſericordiæ fiducia perſeuerat.Sequit uero,ut ſæpenumero cognouimus, hanc fideliũ ſpẽ grauis inimicorum obtrectatio & moleſta malignorũ inſectatio. Iuſtitiã enim à nobis prædicari iniquus odit.Pudicitiam ſi laudamus,impudicus offenditur.Execratur in nobis ieiunia ebrietas. At uero cum ad liberalitatem cohortamur, inſipientiam noſtram auarus accuſat.Cum Chriſtum deum prædicamus crucifixum,religionem Iudæus & omnis ex gentibus perſecutor exprobrat. Cum iudicium dei expectamus,offenduntur ſeculi reges,& deum arbitrum uitæ ab unoquoque actæ recuſant.Cum reſurrectionem annunciamus, mortua cum uicijs ſuis infideliũ corpora contradicunt,fidem quoq; noſtram à lege & prophetis & euangelijs & apoſtolis ſuſceptam omnes hæreticocum falſitates coarguunt. Cædimur, maledicimur, fugamur,necamur ferro,flammis,profundo,deſæuitur in noſtram uerecundiam, deſæuitur in corpora,dolor nobis eſt ex iniurijs noſtris.Et quia iniuriæ noſtræ his qui eas inferunt mors eſt,dolor nobis ex miſeratione pereuntium eſt. Ideoq; poſt geminam precationem qua dixerat,miſerere nobis domine miſerere nobis, adiecit: Quia multum repleti ſumus aſpernatione, quia multum repleta eſt anima noſtra.) Deo ſolo aduerſum hæc opitulari potente,ut ab aſpernatione atque contemptu eximat uſque in finem miſericordiæ in ſe ſemper intentum. Et quia donec ſibi deus miſereatur intentus eſt,idcirco gemina oratione miſericordiam dei ſibi precatur.Quia ſit ipſe atque anima ſua repleta aſpernatione,miſericordia dei ut diximus,tantum potente in multa aſpernatione miſereri,neque ſolum in id potente,ſed potente etiam introuerſum omnia retorquere, & quandam uiciſſitudinem præſtare patienti.Teſtis nobis eſt & pauper in Abrahæ ſinu quieſcens,& dies peruſtus in pœna.Illo enim poſito in aggeſtu diuitiarum, ad ianuam eius fame tabidus pauper,ulcerum ſanie defluens ſederat,canibus uulnera diſſoluta lingentibus.Sed hæc erat militia corporis,hæc aduerſum ſeculum pugna:interius tamen anima eius per fidẽ inuulnerabilis, & ad omne telũ uoluptatis ac uicia inuicta,& idcirco ab angelis poſt carnis diſſolutionem beata in Abrahę ſinum fertur. Ille uero cui omnis erat ueſtitus in purpura,cui totius ciuitatis nobilitas graui dominatu ſubdita famulabatur,cui aëris,terræ,maris copiæ in uſum conuiuij congerebãtur, uni uentri eius officijs elementorum omnium ſeruientibus,qui huic pauperi ianuam clauſerat,micas de menſa excidentes negauerat, & tanquàm contumeliam ſuam occurſum eius exprobrauerat, excedens hoc quo male uſus erat corpore, impenetrabili à ſanctis chao ſeparatur,omni pœnarum miniſterio excipitur,dolet, uexatur, uritur, erorari ſe ac refrigerari minimo digito requieſcentis in ſinu Abrahę pauperis deprecatur.Cui Abraham reſpondit:Fili recordare,quia recepiſti bona in uita tua,& Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem hic conſolatur, tu uero cruciaris.Fit alterna conuerſio,& demutatur lætitia in mœrorem,& mœror in gaudium.Et uideamus an idipſum quod euangelium expoſuit,nunc quoq; propheta ſignificet.Ait nanque: Opprobrium abundantibus,& aſpernatio ſuperbis.) Poſt ſuperbas quas commemorauimus inſectationes regum, gentium, Iudæorum,hæreticorum, atq; etiam ſæpe noſtrorum,facta hic quoq; eſt euangelica conuerſio,ut abundantibus ſit opprobrium,& ſuperbis aſpernatio.Superbia in cõtemptum,& copia mutatur in inopiam.Rurſumq; inopia in copiam, & contemptus demutatur in ſuperbiam, propheta utrumque iſtud per uerba eadẽ monſtrante,cũ dicit: Opprobrium abundantibus, & aſpernatio ſuperbis. Siue quòd modo opprobriũ ferãt qui poſtea in regno dei abundabunt, quòd & nũc in aſpernatione ſint,qui poſtea per fidei confidentiã ſuperbiãt: ſiue quòd iudicij tempore

opprobrium

opprobrium & aſpernatio in eos qui nunc in ſeculo abundẽt ac ſuperbiant reuer tantur. Paulus in infirmitatibus & in anguſtijs ſuis gloriatur, iudicem quoq; eligi potentium ex contemptibilibus eccleſiæ præcepit. Mutuam ſibi legem ille & Pe trus inſtituunt, ut meminiſſent egenorũ, eorumq; curam facerent ſolicite. Mini morũ angeli deum quotidie uident, humilis exaltabitur, & optimũ ſacrificiũ deo eſt cor contritũ & humiliatũ. Nõ ergo abijciamus humilẽ, non cõtemnamus pau perem, non trãſeamus indigentẽ, ne profundo ab chao ſeparemur, ne refrigerare nos minimo digito ſuo dedignetur, quia opprobriũ abundãtibus, et aſpernatio ſu perbis ſit. Demutabilis eſt iſta conuerſio, & digna in bonos ac malos uiciſſitudo, quam in euangelijs oſtendit, dicens: Beati lugentes, quoniam ipſi cõſolabuntur. Et rurſum: Vę uobis qui ridetis, quoniam flebitis, ait dominus noſter Ieſus Chri ſtus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Canticum graduum PSAL. CXXIII.

ATtulit magnum nobis compendium pſalmus anterior. Ab eo enim in hunc ſcanditur. Oculi nanq; mentis noſtræ intenti in deum fuerũt uſq; ad miſericordiæ finem, multis undiq; aſpernationibus & oppro brijs circũſtantibus. Poſt quę miſericordiam cõſecutos, & de oppro brio in abundantiam, & de aſpernatione in ſuperbiã collocatos, quid agere ac loqui nos oporteat propheta demonſtrat, dicens: Niſi quòd dominus erat in nobis dicat nunc Iſraël, niſi quòd dominus erat in nobis. Cũ exurgerent ho mines in nos, fortè uiuos deglutiſſent nos.) Et quidem ſermo ipſe talis eſt, ut in telligatur prophetę eſſe inſtruẽtis quid dici à cæteris oporteat. Primum enim res ipſa dicta eſt, dehinc qualiter ſit dicenda mõſtratur. Et hic fuit ordo, ut quid agen dum, dehinc quatenus agendũ eſſet oſtenderetur. Niſi quòd dominus erat in no bis dicat nunc Iſraël. Dictũ eſt ergo quid dici ab Iſraël oporteret de Iſraël. Iſraël fre quenter admonuimus eum exiſtimandũ eſſe, qui deum mentis oculis contempla tus ſit. Nunc ergo ſecundum propheticam doctrinã cognito quid dicere debeat Iſraël loquitur, niſi quòd dominus erat in nobis. Cum inſurgerẽt homines in nos, fortè uiuos deglutiſſent nos. Hoc ergo Iſraël ille exemplum accipiens à propheta dicit, quia audiuit, niſi quòd dominus erat in nobis, dicat nunc Iſraël. Non eſt aũt leue mandatum illud, quod neceſſe fuit præeunte quodam prophetæ præconio demonſtrari. In his nanque rebus quæ difficiles ſunt, deſideratur exemplum. Om nis enim natura hominum inſolens ad res ſecũdas eſt, & imbecillitatis ſuæ imme mor inconſulte in proſperis iactans eſt, quod ab homine doctrina dei erudito ab eſſe oportet. Quis enim relictus eſt nobis gloriandi locus, recordantibus omnia ex deo eſſe? Si nos nobis uitam inſeruimus, debemus & nobis corporum ſpeciẽ: ſi ipſi pluuias æſtusq; moderãtes, ex noſtro eſſe prouentus fructuum gloriemur: ſi nõ in omnibus opus eſt dei miſericordia, etiã omnia nobis tanq; ex noſtro ſint uendicemus. Nũquid fortis fortẽ ſe gloriabitur, quem corporis ægritudo efficiet infirmum? Nunquid diues in opibus gloriabitur, cui hæc omnia fortè fur, prædo, tyrannus abripiet? Nunquid nobilitas gloriabitur, effecta nonnunq; indigna & miſerabilis ſeruitus? Nunquid ſapiens gloriabitur, incertus quid in momento ſibi accidat? Sed ſi quid horum ſine moleſtiæ alicuius interpellatione utimur, delecta mur, efferimur. Et ſi ex aliqua triſticia in gaudiũ reuertamur, huius ipſius uix ad epti gaudij incapaces ultra ſenſũ humanæ imbecillitatis extollimur, immemores dicti huius: Nõ glorietur ſapiẽs in ſapiẽtia ſua, neq; fortis in fortitudine ſua, neq; di ues in diuicijs ſuis, ſed in eo glorietur, qui gloriat intelligere ſe & cognoſcere quo niam ego ſum dominus. Ergo nos de cõſuetudinis noſtrę uitio inſolẽtes quodam preſcripto cõfeſſionis, ppheta formauit, & ad honorẽ deo reddendũ, & in eo glo

riandum

riandū exemplo ammonitionis edocuit, dicens: Niſi quòd dominus erat in nobis dicat nūc Iſraël. Audiſtis igitur à propheta quę dicere nos oportet, dicamus & nos niſi quòd dominus erat in nobis. Cum exurgerent homines in nos, fortè uiuos deglutiſſent nos.) Perpeſſi nanq; hominum inſectationes, regum impias conſtitutiones, conciliatorum illecebroſas adhortationes: cum in fide maneamus, cum in timore dei reſideamus, cum in ſpe bonorum æternorum immoremur, adiuti dei miſericordia ſcientes fidelem eum, qui dixit: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi. Ad hunc habitantem in nobis gaudia noſtra referamus, huic ſi quid in nobis eſt debeamus, à Paulo beato docti, nihil noſtrum exiſtimandum, dicēte: Quid autem habes, quod nō accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? A ſancto uero Iacob patriarcha modeſtiam referendæ gratiæ cognoſcentes, cum dicit: Deus qui nutriuit me à iuuentute mea, & angelus eruens me ex omnibus malis. Nō eſt aūt in uſu hominū, ut uiuos alios uorent, neque uſq; ad carnes glutiendas odia procedunt. Sed neq; nunc de eruto à morte corpore gaudium eſt, ſed de anima à peccato conſeruata, atq; à peccatorum conſortio liberata. Idcirco ait, forſitan uiuos deglutiendos fuiſſe, ſcilicet in corpore adhuc poſitos, à morte peruaſos, atq; à peccato comeſtos. Hæc uiuorum mors eſt, uiuere luxui, ſomno, ſacrilegijs, adulterijs, cædibus. Deo ergo gratiæ agendæ ſunt manenti in nobis, quòd per fidem eius doctrinamq; uiuentes non deglutimur ab iſtis. Fit ergo hic in gratulatione ordo, qui eſt in iniquitatibus. Nanq; ab inſurgentibus primum aduerſus nos deglutiti non erimus: ſed ne poſtea quidem iraſcentibus eorum animis ab aqua domino protegente abſorbemur. Ait enim: In eo, cum iraſceretur animus eorum aduerſus nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos.) Sed quid hoc eſt? animi hominū iraſcuntur, & aqua nos abſorbet? Nunquid ad motus mentium incitatarum ultrices aquæ aſſiſtunt, aut animales ſunt ut abſorbeant? Enecari aqua qui demerſi ſunt poſſunt: abſorbere autem id quod inanimale eſt non poteſt: quærendum ergo nobis eſt, quid hic intelligi oporteat. Et meminiſſe eorum locorum neceſſarium eſt, in quibus aquæ facta ſit mentio. Et quidem in exordio libri Geneſis ita ſcriptum eſt: Et ſpiritus dei ferebatur ſuper aquas. Et rurſum: Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Et iterū: Dixit deus: Fiat firmamentū in medio aquæ, & ſit diuidens inter aquam quę eſt ſub firmamēto, & inter aquā quæ eſt ſuper firmamentū. Et rurſum: Aqua quę ſup cœlos eſt, laudet nomen domini. Et rurſū: Viderūt te aquę deus, uiderūt & timuerūt. Ergo quia lex ſpiritalis eſt, & fides hiſtorię nō periclitat, ſi rebus effectis ineſſe connexā ſibi extrinſecus ſignificantiā exiſtimemus, uidemus & aquas eſſe ſuper quas ſit ſpiritus dei, & aquas eſſe quæ ſuper cœlos ſint, eſſe & quæ in terris ſint, & aquas eſſe quæ laudēt, & aquas eſſe quę timeāt. Per quas recte ſignificari nationes intelligemus, in qbus ſint ſpirituales, ſint tenebroſæ, ſint cœleſtes, ſint terreſtres, ſint glorioſum aduentū domini laudaturæ, ſint & timētes. Hæ ergo ſunt trepidę, terrenæ, tenebroſæ, abſorbere nos uolētes animis cōcitatis in ira, & toto diabolici furoris impetu cōmotis, tanq; maximę hyemis tēpeſtates torrentibus, & p præceps ruētibus. Atq; ita in ordine cōfeſſionis noſtræ ad dominū adiecit propheta: Torrentē pertrāſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquā immenſam.) Ecce diaboli & ſuorum irruentes impetus, & ex turbidis motibus concitatos furentesq; procurſus, tempeſtates temporarię torrentes. Sed hæc intolerabilis aqua animam non tranſit, in qua deus habitat. Intolerabilis autem eſt deo uacuis. His autem in quibus deus eſt, torrens repentinus eſt, poſt paululum uero ad tranſeundi facultatem aridus & exhauſtus. Atque ut nullus hic de aquis ſenſus eſſet, conſequitur: Benedictus dominus, qui non dedit

nos in

nos in captionem dentibus eorum.) Et qui ſunt torrentium dentes? Sunt plane ad laniandum apprehendendumq; uehementes,ira,cupiditas,laſciuia,odium,gula,auaritia.Hi ſunt dentes mali & tenaces. Per hæc enim in nos captos laniatosq; dominantur,dum uitiorum ſuorum aut miniſtros aut conſortes eſſe nos faciunt. quibus nō carnes noſtræ,ſed animæ,niſi deus in nobis eſſet,manderētur. Ait ēm:

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo uenantium.) Laqueos qui uenantur occultæ & fallentes prætendunt,aut abſconſos uallibus,aut herbis contectos, aut cibis obliteratos,nubibus concolores. Et hæc quidē ad beſtias atq; aues cæteras,nobis uero aduerſus animam hæc parantur. Eſt enim nobis laqueus ocium,pecunia,ambitio,laſciuia. Hæc prætenduntur,hæc blandiuntur,hæc fallunt: ſed ab his omnibus uoluntas noſtra eſt refrenanda. Omnibus enim hi laquei prætenti ſunt,ſicut ſcriptum eſt: Non enim iniuſte in terram prætenduntur retia auibus:perfecta enim gloria eſt,ab his laqueis qui prætēſi ſunt euolare. Deniq; pſalmus ita dicit:Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo uenatorū. Non utiq; uenantium,ſed eorū quibus in uenatione tenſi ſunt laquei. Non enim cum quis in laqueum inciderit,tunc fiet peccator:ſed cum omnibus tendantur, ille tantum qui iam ſit peccator in laqueo eſt,ſicut ſcriptū eſt: Oculus meretricis,laqueus eſt peccatoris.Ergo à peccatis omnibus abſtinendum eſt, ne incidamus in laqueum. Spirituales enim ſumus,& euolamus ut paſſeres.Paſſer auis domeſtica, & ædificiorum incola,non momentanea, non temporaria, ſed ſine demutatione ulla aut temporis obſeruatione conſiſtens.Nos ergo ſine uiciſſitudine temporum eccleſiam incolentes,abſtineamus à peccatis,ut à laqueis euolemus. Laqueus enim per deum in nos habitantem conteritur, quia ita ſequitur: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Adiutorium noſtrū in nomine domini, qui fecit cœlum & terram.) Hoc adiutorio laqueus conteritur, hoc adiutorio liberamur in nomine domini,qui fecit cœlū & terram,quod eſt ſcilicet ſuper omne nomen,in quo omne genu flectitur,cœleſtium,terreſtriū & infernorū, & omnis lingua cōfitebitur, quia dñs Ieſus in gloria eſt dei patris,qui eſt benedictus in ſecula ſeculorū. Amē.

Canticum graduum. Pſalmus CXXIIII

QVi confidunt in domino ſicut mons Sion.) Faciunt nobis plerique obſcuritatem, uolentes ſcripturas propheticas ſolo aurium iudicio æſtimare,& non aliud in his intelligere, quàm quod ſub ſingulis rerum quarumcunq; uocabulis audiatur. Quod cum uolunt, neq; nobis quod intelligamus relinquunt,neq; prophetas nō dico cœleſtia, ſed ne terrena quidem rationabiliter dixiſſe conſtituunt. Quid enim aut à nobis congrue tractabitur,aut ab illis recte dictum exiſtimabitur, cum aquas laudātes, uidentes,timentes & plaudentes manibus audiemus, niſi ex autoribus ſcripturarum earundē ſub aquarū nomine aliud ſignificari quod alterius ſit generis monſtremus? Id ſcilicet quod ſit uiuum ac ſentiens, & ad rei uniuſcuiuſq; iudiciū ſuo ſe motu ſenſuq; ſemper mouens, quod eſſe homo intelligitur laudans,uidens,timens,plaudens,iudicans.Nec enim humanæ affectionis genera in aquis eſſe ſermo pheticus ædidit,quorum quia in aquas natura non conuenit,nec propheta de aquis dixerit,nec nos de aquis dictum intelligamus. Hæc propter ea quæ in præſenti pſalmo ſunt retractari conuenit,quæ talia ſunt: Qui confidunt in domino ſicut mons Sion,non commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem,montes in circuitu eius.) Nomen montis Sion,& habitatio in Hieruſalem,& montes circum eam,ſi nullam interioris intelligentiæ habent cauſam, inanis eſt pſalmus, & mēdax propheta,in quo ſpiritus ſanctus loquutus eſſe credat. Eſt enim mons

Sion ciuitati Hieruſalem imminens, eſt eadem ciuitas, circa quã extrinſecus plures ſunt montes. Qui ergo confidit in domino, quem profectum habebit, ut ſit ſicuti mons Sion? Ex rationabili homine fieri ſaxum, arborem, ceſpitem, & de natura animali in naturã inanimalem referri? Iam uero quomodo fidelis hic ſermo ſit, non commouendum eum in æternum, qui habitat in Hieruſalem? Nunqud Hieruſalem ipſa ſanctificationẽ habitãtibus afferebat, ut habitatio eius firmitas eſſet æterna, cum illic ſacrilegia, cædes prophetarum, iudicium mortis in deum, fuga apoſtolorum, crucis ſcandalum ſit? Habitantes autem in ea quoties captiui, quoties peremptí? Ad ultimum urbs ipſa funditus diruta eſt, & qui uaſtationi eius reſidui erant, iam capti atq; diſperſi ſunt, propheta hoc impietatis eius excidium ita antea nunciante: Terra ueſtra deſerta, ciuitates ueſtræ igni crematæ, regionẽ ueſtram in conſpectu ueſtro exteri comedent, & deſolata & ſubuerſa à populis extraneis derelinquetur filia Sion, ut tabernaculũ in uinea, & ſicut caſa cuſtodiaria in cucumerario. Iam ergo inanis eſt ſermo, inanis eſt prophetia quæ addiderit:

Montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi ſui ex hoc nunc & uſq; in ſeculum.) Hieruſalem euerſa eſt, populi eius extincti ſunt, reliquiæ eius diſſipatæ ſunt, hodie in ea non habitat non ſacerdos, non propheta, non princeps, ſed ipſa obtrita, deſerta, ſine fructu eſt. Et quomodo habitator eius non commouebitur in æternum? & dominus in circuitu populi eius ex hoc uſq; in ſeculum? Ergo non poteſt de ea prophetatum uideri, à qua prophetiæ ueritas diſſidebit. Sequens igitur eſt, ut quæramus in quos dictorum ratio conueniat. Et quidem primum animaduertendum eſt, non alterius montis q̃ Sion factam mentionem. Legimus enim montem eſſe domini & Choreb, uſq; ad quem primum Moſes cum multa obiſſet, acceſſit. Eſſe & montem domini Sina, in quo populo lex ſcripta ſit. Eſt & Sion mons ſupereminens Hieruſalem, ſed quia in hunc montem prophetię nullus eſt fructus, uidendum eſt quid in monte intelligi oporteat, & habemus optimum intelligentiæ ducem Eſaiam. Nam cum ſuperius montem domini excelſum ſignificaſſet, ad quem gentes uenturæ eſſent ait: Propter hoc ſic dicit dominus. Ecce mitto in fundamenta Sion lapidem præclarũ, electum, angularem, precioſum in fundamenta eius, & qui credit in eum, non confundetur. Et non ambiguum eſt Apoſtolum fundamentum Chriſti ſignificaſſe, per quod beata illa dominici corporis eccleſia, cuius fundamentũ eſt Chriſtus, ſignificari uidet in montem, quam idem Apoſtolus & Hieruſalem nuncupat, dicens: Quæ nunc eſt Hieruſalem, & ſeruit cum filijs ſuis. Ea autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Habemus ergo montẽ Sion domini, habemus & ciuitatem dei Hieruſalem. Et nominis Sion interpretatio eſt ſpeculatio. Sic ergo montẽ domini in Daniele accipimus ex monte in lapidem, & rurſum ex lapide in montem: exinaniuit enim ſe in forma dei conſtitutus, & formam ſerui accepit, & per paſſionem ſuam mũdo cum ſuperſtitionibus ſuis terroribuſq; proſtrato, in gloria dei patris eſt, & deus ſuper omnia eſt propter infirmitatem carnis ex monte in lapidem exinanitus, propter gloriam paſſionis ex lapide rurſum effectus in montem, mons ſupereminens & excelſus, in quo ipſi noſmetipſos per aſſumptionem carnis noſtræ corporisq; ſpeculamur. In eo enim ſumus reſurrectio in reſurrectione noſtri, in eo nobis eſt corporis contemplatione ſpeculatio. Eſt enim Sion mons. Loquitur interpretationẽ hanc Hebraica lingua, qua dictũ eſt, mons Sion mons ſpeculationis eſt. Loquatur & Paulus & dicat: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Vnde & ſaluatorem noſtrum expectamus dominum Ieſum Chriſtum, qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, conformatũ corpori gloriæ ſuæ. Dicat & rurſum: Et cum eſſemus mortui peccatis, uiuificauit nos ſimul cum Chriſto, &

coexcitauit

coexcitauit & collocauit in cœleſtibus. Dicat & euangelium: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios dei fieri. Dicat ergo nunc & prophe/ta: Qui confidunt in domino ſicut mons Sion, non cõmouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem. Sequamur Apoſtolum, ſequamur euangelium, ſequamur prophetam. Confidamus in domino, ut conformes corporis gloriæ dei ſimus. Ha bitemus nunc eccleſiam cœleſtem Hieruſalem, ut non moueamur in ęternum. In hac enim habitãtes, habitabimus & in illa, quia hęc illius forma eſt. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Et nunc uidemus per ſpeculũ in ænigma te, tunc autem facie ad faciem. Sed & hæc cœleſtis, & illa cœleſtis, & hæc Hieru/ſalem, illa quidem eccleſia angelorum multitudine frequentium. Sed eſt eccleſia primitiuorum, & eſt eccleſia ſpirituum in domino fundatorum. Fundandi ergo ſumus in ſpiritu, & in hac habitantibus ſtandum eſt, nõ diſcurrendum, ſicuti Mo/ſi dictum eſt: Tu autem hic mecum ſta. Non ſimus procurſibus uagi, neq; uijs in/certi, neq; inanis doctrinæ uento euolantes. In æternum enim manendũ eſt, ſi ſi/ne commotione ſteterimus. Sed neq; deſunt ſtare uolẽtibus ſanctorum cuſtodiæ, neq; angelorum munitiones. Dicitur enim: Montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi ſui ex hoc nunc & uſq; in ſeculum. Hos ergo ſecundum ſuperi/ora exempla montes eſſe exiſtimabimus, humilitatem terræ excedẽtes, firmos & excelſos & immobiles. Cum enim & montem ſignificari eccleſiam, id eſt, domi/num in corpore legimus, & inuenimus mõtes dei exultare atq; lætari (Scriptum eſt enim: Montes exultauerunt ut arietes) quomodo poſſumus montes non eos ſignificatos eſſe intelligere, qui ſuper terrenam naturam glorioſi iam in dei rebus exultant? Ac ne leue præſidium in apoſtolis, uel patriarchis ac prophetis, uel poti us in angelis, qui eccleſiam quadã cuſtodia circumſepiant, crederemus, adiectum eſt: Et dominus in circuitu populi ſui ex hoc nunc & uſq; in ſeculũ. Sed fortè apo ſtolorum uel angelorum cuſtodia ſufficiẽs exiſtimetur: uerum id quidem eſt, ſed & Moſen audiamus. Nanq; cum ei dominus dixiſſet: Ecce angelus meus antece det te, & ille reſpondit: Niſi tu mecum ambulaturus es, ne me expellas hinc. Bo/num quidem præſidium angeli, ſed melius domini. Multis anima noſtra laqueis appetitur, multis aduerſus nos armis dimicatur. Non terra, nõ maria, non aer à fi/dei noſtræ periculo uacant. Rapiũt oculos noſtros raræ incogniti maris gemmæ, occupat animũ terræ aurum, totis nos mortis noſtræ illecebris ſpirituales nequi/tiæ & aeris huius uirtutes circumuolant, per uitæ præſentis moleſtias, per alienæ uoluntatis mores atq; laſciuiã inſidiantes ut iraſcamur, ut oderimus, ut amemus, undiq; expectamur & appetimur. Sciens ergo dominus nõ aduerſus carnem & ſanguinem nobis pugnam eſſe, ſed aduerſus mundi huius potentes & nequitias ſpirituales, ait euangelia conſummans: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſeculi. Adeſt enim, & cum fideliter inuocatur, per na/turam ſuam præſens eſt. Spiritus nanq; eſt omnia penetrans & continens. Non enim ſecundum nos corporalis eſt, ut cum alicubi adſit, abſit aliunde, ſed uirtute præſenti, & ſe quacunq; eſt porrigenti. Cum replente omnia eius ſpiritu in om/nibus ſit, tamen ei qui in eum credit adſiſtit. Nam & tribus uel duobus in nomi/ne ſuo congregatis erit præſens, & in circuitu omnis populi ſui ex hoc & uſq; in æternum. Sed quid ſibi uult, eſſe eum in circuitu populi ſui ex hoc & uſq; in ſecu lum? Quia non relinquet uirgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, ut non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.) In uirga poteſtatem intelligi con/uenit, inſigne enim poteſtatis eſt. Virgam accepit Moſes, qua poſſet omnia. Fu/it & uirga Aaron, ſed fuit & uirga Pharaonis, fuit & uirga Nabuchodonoſor. Er/go in circuitu nos dominus cuſtodit, ne ſuper ſortem noſtram peccatorum uirga

derelinquatur. Veniunt quidem tribulationes, ſed non permanebũt: ueniunt perſecutiones, ſed nõ perſiſtent. Multi redigere libertatem fidei noſtræ in captiuitatem uolunt, ſed confeſſioni noſtræ quam in Chriſto habemus, nemo dominatur. Non enim ſuper ſortem noſtram peccatoris uirga derelinquitur. Dominus nanq; in circuitu populi ſui eſt in æternum, ne uicti & fatigati uirgæ imperio ad iniquitatem extẽdamus manus noſtras. Sed uirga cum inciderit, auferetur: & peccator cum incubuerit, non derelinquetur. Breue eſt quicquid patiemur ab aduerſarijs dei: & habet uictoriæ præmium, licet non habeat prælij longi laborem. Dominus adeſt, etiam ſi uis aliqua cõpellit. Abſtineamus manus noſtras ab iniquitatibus. Non extendamus opera noſtra in peccata, quia domino in circuitu nobis conſtituto, uirga peccatoris nõ derelinquetur ut maneat. Poſtq; cõuerſio fit prophetæ, retributionem à domino ei qui ab iniquitate manus abſtinuerit imprecantis.

Bene fac domine bonis & rectis corde.) Probitatem & facti & uoluntatis in utroq; ſignificans. Multis enim uel propter hominũ fauorem, uel propter periculum & metum facti opus bonum eſt. Verum niſi ex uoluntate boni ſimus, etiam ſi hominibus boni uidebimur, tamen deo boni non ſumus: quia perfecta bonitas in recti cordis conſiſtit affectu. Retributio autem ut bonis adeſt, ita & malis non abeſt. Nam ſequitur: Declinantes autẽ ad obligationes adducet dominus cum operantibus iniquitatem.) Et hic quoq; duplicis ſignificãtiæ ſermo eſt, declinantium ad obligationes, & operantiũ iniquitates. Qui declinant, ex alio in aliud declinant, id eſt, ex bonis operibus recti cordis in obligationes. Et quas eſſe obligationes exiſtimabimus? Eas nempe, quas ſolui monuit propheta, dicens: Non tale ieiunium elegit dominus, ſed ſolue omne uinculũ, nodum iniquitatis diſſolue, obligationes uehementium commutationum. Si quis ergo ſe à præceptis dei declinans, his obligationibus colligauerit, adducetur cum operantibus iniquitatem, in eandem ſcilicet ſententię pœnam tranſgreſſor & iniquus futurus. Qui enim operatur iniquitatem, ab obſeruatione legis alienus eſt: qui autem declinat ex lege, legem in qua manſit ante, tranſgreditur. Non declinandum igitur ad obligationes eſt, neq; libertas noſtra eſt nexibus ſeculi & mundialium negociorum uinculis inſerenda. Nouit beatus Paulus hãc libertatis ſolutionem, qui dicit: Solutus es ab uxore, noli quærere ligationem. Et hoc non de criminoſo uinculo neceſſariæ ligationis ſenſit. Cæterum ſunt alia uincula, quæ fidem noſtram impediunt & obligant, ſibiq; connectunt: maxime augendæ pecuniæ labor, & negociandi inſyncerus profectus. Hæc enim ita obligant peccatis, ſacramẽtis, commercijs, ut ſibi nos captos ſeruosq; detineant. Ab his ergo mens, uoluntas, ſtudium ſoluendum eſt, quia declinantes ad obligationes unà adducentur cum operantibus iniquitatem. Erit autem Iſrael pacificus, non derelicta ſuper ſe uirga peccatoris, ſed in fide perfecta, ac ſpe æterna manens, audiet pro portione ſibi dici: Pax ſuper Iſrael. Ille eſt enim pax noſtra, qui fecit utraque unum, dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Solœciſmus

εἰς τὰς πραγγελιὰς

Canticum graduum. Pſalmus CXXV

IN conuertendo dominus captiuitatẽ Sion &c.) Niſi eſſent in pſalmis quædam tales prophetiæ, ut in res atq; homines eorum temporum, quibus ſcripta ſunt, non conuenirent, profecto audirent multi nihil in pſalmis ſpiritaliter dictum exiſtimare, putarentq; nos quaſdam cõmentitias aſſertiones, & ementitas interpretationes inquirere, quibus uideremur altius neſcio quid ac profundius cæterorum ſenſu intelexiſſe, perinde quaſi nos ſenſui noſtro ea quæ ſcripta ſunt, coaptemus, & nõ magis

ex his

ex his quæ ſcripta ſunt, ſenſum legentis & ſolicitæ intelligẽtiæ cõſequamur. Scri ptura enim legis manet, atq; eſt anterioribus q̃ adeſſet dominus in carne tempo ribus, cõſummata à prophetis, adita à Iudeis, pertractata à regibus, ſuſcepta à gen tibus, ſed intellecta & probata à Chriſtianis. Hoc fortè inſolẽs exiſtimetur. Planè inſolens eſt, ſi nobis hanc gloriã præſumimus, ſi tantũ infirmitati noſtræ licere uo lumus, ut tantis temporibus abſtruſa, tantis humani generis obſcura ætatibus, in quibus intelligẽdis fruſtra reges laborauerint, ipſi doctores & magiſtri legis erra uerint, nos ſtulti ſeculo, & purgamenta mundi, & deliramenta ſapientibus, de eo rum intelligentia gloriemur. Sed tamen intelligimus, quia nõ mendax eſt qui di cit: Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur uobis. Et ſcri ptum eſt: Quia qui dixit, quoniã oportebat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in le ge Moſi, & prophetis, & in pſalmis de me: tũc aperuit illis ſenſum, ut intelligerẽt ſcripturas, & dixit illis: Quoniam ſic ſcriptũ eſt, Chriſtũ pati, & reſurgere ex mor tuis tertia die, & prædicare in nomine eius pœnitentiã & remiſſionem peccato rum in omnes gentes. Nõ ergo ex nobis eſt quod intelligimus, ſed ex eo, qui quæ innoſcibilia erant fecit intelligi. Itaq; ab eo ſperanda intelligẽtia eſt, qui & pulſan tibus aperiet, & quærentibus demonſtrabit, & petentibus nõ negabit. Nam quo modo intelligi poterit hic pſalmus, cum à rerum geſtarũ hiſtoria diſſonet? Nuſq; enim captiuitas populi huius, quæ uſq; ad Dauid tempora ſcribitur, ſed longe po ſtea q̃ Salomon filius eius regnũ obtinuit, ſeruiuit captus Iſrael Aſſyriis, dehinc Iuda Babyloniis. Quomodo ergo Dauid in eodẽ pſalmo tanq̃ captus orat? Aut quomodo auerſa à ſe captiuitate lętatur? dicens: In cõuertendo dominus capti uitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati. Tunc repletũ eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. Tunc dicẽt inter gentes, magnificauit dominus facere cum illis.) Quanq̃ autẽ religioſum ſit, exiſtimare futuræ captiuitatis demutatio nem ſecundũ prophetiæ ſcientiã prænunciatã fuiſſe, & ea quæ indubitate eſſent gerenda per fidem gerendorũ commemoraſſe pro geſtis, tamen dictorum uerbo rumq; uirtus eius reditus gratulationẽ, qui poſt captiuitatem Babylonię indultus eſt, nunc nos intelligere nõ patitur: cum præſertim eundem reditũ grauior poſtea ſit cõſecuta captiuitas, & indignũ ſit propheta, tanq̃ ignorantẽ, amoto omni cap tiuitatis opprobrio gratulari, cum indemutabili rurſus opprobrio captiuitas itera ta ſucceſſerit. Eſt autẽ nunc omnis in pſalmo, ſicuti ſingularũ rerum expoſitione monſtrabimus, ex captiuitate uitiorũ in libertatem cognitionis dei redeuntis ani mæ gratulatio. Et quidẽ grauis eſt captiuitas corporalis, quæ iure libertatis amiſ ſo, uictorũ dominatui ſubditur, & ſeruiũt tum quidem corpora, ſed nequaq̃ capi tur fidelis animæ libertas. Teſtes ſunt mihi tres pueri inter flammas cantantes: te ſtis Daniel in fame leonũ, prophetę prandio ſaturatus: teſtis Eleazar inter iura do minorum, patriis ſuis legibus liber: teſtes cum matre ſua martyres ſeptẽ, deo gra tias inter nouã mortis tormẽta referentes. At uero quanto infelicior eſt animæ ca ptiuitas? Si auaritia cœperit, per corpus latrocinatur ac graſſatur: ſi libido uicerit, cõmunicat cum corporis ſeruitute: ſi luxus, ira, odium, temeritas, ebrietas, inuidia ſubegerit, his imperãtibus ſibi dominis, & anima, & corpus in cõmune famulan tur, atq; ita captiuitatẽ animæ & corporis ſequitur captiuitas. Cæterũ conditio nem corporis religioſæ animæ generoſitas deſpicit. Officiũ quidem durũ, tamen homini non omnino miſerabile, quia ſeruitur à ſeruis. At uero animæ captiuitas q̃ infelix eſt? Auarus cariturus ſemetipſo, carere timet pecunia, negocioſus, tri ſtis, anxius, ſine requie ulla, damni metu ſemper detinetur: honeſtatis immemor eſt, amicitiarũ inobſeruans, humanitatis fugax, religionẽ neſcit, bonitatẽ omnino odit. At uero cui libido domina eſt, in quo cœno dedecoris uolutatur? Pendet ad

occaſiones adulteriorum,anxius circa laſciuiæ ſuæ feruorem, oculis, mente,corpore totus in ſcortis eſt. Videns quotidie atq; audiens humanas in adulteros leges,adulteriũ in ipſo foro cogitat:quod agit timet,& quod timet nõ fugit. Quid uero infelicius ebrietatis dominatu? Ventri ultra capacitatẽ infundere, ſenſui rationem adimere,non loqui,non meminiſſe,non ſtare, & mortem quandã naturæ incolumi imperare? q̃ dedecoroſus autem eſt furentiũ motus, temeritatis impetus,odiorum ſtimulus,liuoris anxietas? Quanta ergo perturbatio eorũ eſt,quanta calamitas, qui ſupra memoratis malis ſeruiunt? Verũ ſi cognita ſapientiæ doctrina, & dei prædicatione,& remiſſione uniuerſorũ horum peccatorum & reſurrectione corporum,& æternitatis conſortio, & regno cœleſti à dominatibus ſuperioribus de auaritia ad munificentiã tranſeamus, de libidinibus ad continentiam migremus, de ebrietate ad ieiunia reuertamur,de furoris temeritate, odio,liuore ad placabilitatem,rationem,miſericordiã,benignitatem euolemus, diſcentes hæc omnia à lege & prophetis & euãgelijs,& apoſtolis,& cantãtes ex lege:Dominus conterens bella,dominus nomen eſt illi,cognoſcentes à propheta:Ego ſum qui feci cœlum & terram ex nihilo, credentes ab euangelio: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum,& deus erat uerbũ,pronunciantes ab Apoſtolo:Qui eſt imago dei inuiſibilis, primogenitus uniuerſæ creaturæ, quia in ipſo condita ſunt omnia in cœlis & in terra. Et cum gentes conuerſionem noſtram ex uitijs in uirtutes,ex ignorantia dei in cõfeſſionem eius effectam admirabuntur,tunc pſalmi prophetiã nobis intelligi poſſe teſtabimur, dicentes: Dum auertit dominus captiuitatẽ Sion,facti ſumus ſicut cõſolati. Tunc repletũ eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. Tunc dicent inter gentes, magnificauit dominus facere cum illis.) Auertit enim dominus captiuitatem noſtrã per remiſſionem peccatorum. A dominatu enim uitiorum animam liberauit, anteriora delicta nõ reputans,& nos in uitam nouam renouans,& in nouum hominem reformans,conſtituens nos in corpore carnis ſuæ. Ipſe eſt enim eccleſia per ſacramentum corporis ſui in ſe uniuerſam eam continens. Non erat Sion anteq̃ liberaretur, ſed Sion eſt quæ liberata eſt. Nomen cum libertate cõuenit. Neq̃ enim manentis,ſed auerſæ captiuitatis hoc nomen eſt. Quod uero ait,facti ſumus tanquã cõſolati, meminit & Apoſtolus interim tanquam conſolatũ eſſe ſe,dicens:Miſer ego homo,quis me liberabit de corpore mortis huius? Et qui nunc pro parte ſcit,& pro parte prophetat,& qui ſcit repoſitã nobis eſſe Hieruſalẽ in cœlo, & cum dicit,diſſolui melius eſſe,& cum Chriſto manere. Sumus nunc quidẽ conſolati, quia dominus ait: Mittet uobis pater & aliũ cõſolatorem. Cum dicit aliũ,ſupereſſe ſe docet. Superest enim:Expectat nanq̃ omnis creatura reuelationem filiorũ dei. Reuelatio illa, cõſummata conſolatio eſt. Cęterũ nunc tanq̃ conſolatione ipſa interim nõ carentes,licet ſit cõſummationis ſuę nobis reſidua perfectio. Repletur enim gaudio os noſtrũ,& lingua noſtra exultatione. Non enim ſufficientia ſunt ad reddẽdas deo laudes linguæ noſtræ atq; oris officia. Mutauimus crimina in innocentiam,uitia in uirtutes,ignorantiã in cognitionem,interitũ in immortalitatẽ. Et hoc à dei gratia faciente,pœnitendorũ finem,& nouorum bonorũ initia reddẽte. Quod enim optabilius nobis eſt tempus? quo adulterabamus, an quo maluiſſemus uirgines fuiſſe? Quo ebrij eramus, an quo ieiunijs lætamur? Quo pecuniæ ſeruiebamus, an quo pecunię noſtrę benignitatis eſt uſus? Quo dęmonia adorabamus,an quo pecunijs imperamus? Quo placere ſeculo geſtiebamus,an quo ſeculũ uincimus? Quo deum neſciebamus,an quo hæredes deo præparamur? Hanc ſpei noſtræ fidem gentes contemplantes,dicunt:Magnificauit dominus facere cum illis. Hanc in uirtutes uitiorum demutationem cõtuentes, dei in nos magnificentiam admirantur

Solœciſmus

rantur. Id ipſum etiam ex ſenſu adeptæ huius beatitudinis nos quoq; confitemur in oris gaudio, & linguæ exultatione: Magnificauit dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes. Lętamur enim de profundo ac miſerabili cœno nunc ablutos nos fuiſſe, & nouos ex omnibus uitæ anterioris uitijs cõſtitiſſe. Et quia propheta futuræ ſpei gaudia loquebatur, licet ſecundum ſcripturæ conſuetudinẽ tanquam de præteritis gratularetur, tamen per conſequentẽ precem non ſui tẽporis res has eſſe declarat, dicens: Conuerte domine captiuitatẽ noſtram.) Si fuit tanquam conſolatus cũ auerſa eſt captiuitas, quomodo nunc ut ea à ſe auertatur orat? Sed in ſuperioribus propheticæ ſcientiæ fuit ſermo futurorũ gaudia tanquã de præterito nunciantis, nunc autem de auertendis communis oratio, cui ſe propheta tanquam & ipſe captus admiſcet, tanquã adhuc in hiſdem ſe eſſe cognoſcat. Scriptũ eſt enim: Iuſtus in principio ſermonis ſui ipſe ſibi accuſator eſt. Et rurſum: Confitere primũ peccata tua, ut iuſtificeris. Et: Beati qui lugent, quia ipſe conſolabuntur. Scit quidem propheta ſe liberũ, ſed tanquam captus deo ſubditus eſt, ſiue per propriæ cõfeſſionis diſciplinã: quia ubi peccati confeſſio eſt, ibi & iuſtificatio à deo eſt, quod in publicano & phariſæo dominus teſtatus eſt, cum Phariſæus iuſtum ſe gloriatus eſt, publicanus uero pro peccatis oraſſet. Ait enim: Amẽ dico uobis, quoniã magis iuſtificatus eſt publicanus quàm Phariſæus. Siue ergo ob id propheta cõuerti captiuitatem cõmunem precatur, ſeu quòd populum omnem à peccatis captum ſciebat, & ſicut, cum Apoſtolo, membro uni corpus omne compatitur, ita & populo & captiuo à peccatis propheta concaptus eſt, ſed tamen orare pro captiuitate ſua bonum ſibi eſſe demonſtrat, dicens: Qui ſeminat in lachrymis, in gaudio metet. Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. Venientes autem uenient in exultatione portãtes manipulos ſuos.) Quis hic ad Iudæos ſermo eſt, ut eorũ in hoc pſalmo uideat prophetata captiuitas? Quę uero ad cõmunem humani generis conſuetudinem ratio eſt? Quis enim unquam ſerens fleuit? Aut nunquid huius lamentabilis ſationis Iudæis uſus ex lege eſt? Nequaquam igitur iſtud ſcriptum uſquã aut geſtum eſt, ſed eſt prophetia ſuperioribus dictis cõnexa. Duas autem eſſe ſationes ſanctus Apoſtolus docuit, carnis & ſpiritus, demonſtratis & enumeratis ſeminibus ſationis utriuſq;, cũ caro adulteria, uenefícia, comeſſationes, ebrietatẽ, auariciam, idololatriã, & cætera his ſimilia ſereret: ſpiritus uero pacem, gaudium, continentiã, charitatem, ſobrietatem, manſuetudinẽ, & quæ ſunt his conſequentia ſeminaret, & fata ſua unoquoq; meſſuro. Cum igitur optimum deo ſacrificiũ ſit cor contribulatum, & beati ſint lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur, & unuſquiſq; quę ſeuerit metet, operũ ſuorum fructus in iudiciũ tanquam manipulos laturus, ſeminandum nobis eſt cum cõfeſſione peccatorũ, cum luctu corporalis infirmitatis, cum lamẽtatione ac dolore cõſcientiæ noſtræ, quod nequaq; poſſimus digne dei præcepta ſecundum propoſitũ uoluntatis explere. Tũc quæ in lachrymis ſeuerimus, metemus in gaudio: eũteſq; flentes, cum exultatione ueniemus, repleti fructibus noſtris, & manipulis elaboratę à nobis meſſis onerati, conſolati per Chriſtum, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Canticum graduum. Pſalmus CXXVI

NIſi dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, inuanum uigilauit qui cuſtodiet &c.) Ratio & temporum & prophetiæ intentam adhiberi ad præſentem pſalmum cognitionis poſtulat diligentiam, ne fortè nos ad inanem intelligentiam abſoluta quædam uerborũ ſpecies & ipſe ille geſtorum corporaliũ ordo ſolicitet, maxime cum plures interiores

cauſas doctrinæ propheticæ neſcientes,ſenſu Iudaico præteritorũ temporum prophetiam contineri in his graduũ canticis opinentur, ut ea captiuitas Hieruſalem prænunciata ſit,quæ ſub Hieremiæ diebus acciderit,& eiuſdem rurſus depulſæ captiuitatis gratulationem profiteatur, ſitq; eorum quæ pſalmis his enunciantur, aut ſeruitutis dolor,aut reditus lætitia. Non improbamus hunc ſenſum, neq; eorum intelligentiam coarguimus. Dignum eſt enim, ut miſerabilem populi caſum,& impietatis eius debitam pœnam,& poſt longæ ſeruitutis ſufficientẽ peccatis grauibus ſatisfactionem,& miſericordem in eos indulto reditu uoluntatẽ,ſecundum prophetiæ ſcientiam prophetæ ſpiritus præloquatur. Verum cum captiuitatis illius reditum grauior ſit & irremiſſa captiuitas conſecuta, & ædificationem ciuitatis receptæ miſerabilis maneat & non demutanda uaſtatio,ſciantq; & ſpiritalis reditus gloriam Iſrael reliquo reſeruari,& cœleſtis ac ſanctæ Hieruſalem ædificationem uſq; ad beati ac dominici regni tempora comparari, maximeq; cum ſpes illorum dierum atq; res omnium horum pſalmorum uirtutes & genera teſtentur, non intelligo cur tantum de caducis ac demutabilibus malis, ac nõ etiam de æternis eſſe uelint prophetiæ dolorem,& temporalium magis gaudiorum, & eorum quæ grauiſſime poſtea demutaturæ eſſent calamitates,potius quàm indemutabilium & æternorum intelligant demonſtratã eſſe lætitiam:cum magnificentia prophetica magis dignum ſit beata & æterna & cœleſtia prędicaſſe. Quanquam igitur pſalmi ſuperiores captiuitatem non corporalem tantum & terrenam, ſed ſicuti libertatem non caducam,non præſentem,non ſecularem in ſe demonſtrati ſunt continere,tamen etiam hic quoq; pſalmus nihil in ſe terrenum,nihil humile,nihil præteritis temporibus conueniens intelligitur eſſe complexus,ſed ſecundum propheticam & apoſtolicam atq; euangelicam autoritatem eas ſpes omnes prænunciare, in quas ſe patriarcharum deſiderium, ſanctorum expectatio,apoſtolorum fides,martyrum confeſſio, & omnium credentium curſus extendit,id eſt, in ſancta tempora:in æternæ ciuitatis incolatum atq; cœtum,in regni dominici beatitudinem, in ſpiritualis libertatis nouam gloriam, in conſortium diuinæ æternitatis & regni. Atq; ut id abſolutius intelligatur, ipſas uerborũ uirtutes proprietatesq; tractemus. Niſi dominus ædificauerit ſibi domum, in uanum laborauerũt qui ædificant eam. Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem,in uanum uigilauerũt qui cuſtodiunt eam. In uanum eſt uobis ante lucem ſurgere.) Volunt plures ſanctum Salomonem ædificationi ciuitatis & templi ſtudentem in eo ipſo molitionis ſuæ tempore euerſionem ciuitatis & templi quod condiderit prophetaſſe, quia & titulus antelatus autorem eum pſalmi huius eſſe demõſtret. Magnis enim uiribus & totis ſui regni opibus magnum aliquid & deo dignum efficere tentabat. Nam uſq; ad centum quinquaginta milia uirorum,ſicuti ſcriptum eſt, in diuerſos ædificationis uſus ac miniſteria occupabantur. Et quanquam inſtituta à ſe conſuetudine perfectis omnibus maxima cuſtodia ciuitatis & templi ſolicitudo eſſet adhibenda,tamen cum ignoraret inanem tanti laboris operationẽ futuram, ciuitatem eandem à Babyloniis ob peccata populi diruendã,iſta dixiſſe:Niſi dominus ædificauerit ſibi domum,incaſſum laborauerunt ædificantes eam. Putant autem prophetiam hanc conſummatam in ea tempora fuiſſe, quibus poſt captiuitatem populi Dario rege reditum impertiente,& ædificata rurſum per Zorobabel & Ioſedech ciuitas fuit. Quorũ inopẽ ſenſum ipſa illa poſſet cõſummatio ædificationis arguere Nam per Aggeũ prophetã ita ad hos eoſdẽ inſtauratores Hieruſalẽ dominus eſt loquutus: Adhuc ego ſemel & ego mouebo cœlũ & terram,& mare & aridam,& ſubuertam ſedes regum. Pſalmi ergo uirtus nõ in tempora tantum Salomonis,ſed etiã in Aggei intelligẽda eſt cõuenire. Aedificationis enim utriuſq;

labor

labor inanis est. Aedificata nanq; per Zorobabel ciuitas, solum hodie ex se cõflagrationis suæ cinerem, & deformium ruinarum præbet fœditatem. Et has sedes regum, quas se ædificatores ad regni æterni gloriam instaurare arbitrabantur, uastatio iterata subuertit, sede adhuc etiam cæterorum subuertenda regnorum. Bene autẽ inania humani operis propheta esse opera prophetauit. Scit inutiles esse humanarum custodiarum uigilias, scit incassum esse consurgentium matutinas solicitudines. Ciuitas & à se instituta, & ab alijs restituta, iam nulla est. Non profecit ædificatio uel prima, uel consequens. Et recte ille ipse euertendæ ciuitatis propheta est, qui autor fuerat extruendæ. A deo ergo domus est ædificanda, quæ maneat: quia nisi quæ à domino ædificata sit, non manebit. A deo ciuitas custodienda ne pereat: quia nisi à deo custodita sit ciuitas, diruetur. Et primum quæ domus dei sit, intelligamus, ut per id cognoscamus, quatenus ab eo ædificanda mansura sit. Domus est habitantis habitatio. Sermo enim diuinus secundum intelligentiæ nostræ consuetudinem naturamq; se temperat, communibus rerum uocabulis ad significationem doctrinæ suæ & institutiones aptatis. Nobis enim, non sibi loquitur, atq; ideo nostris utitur in loquẽdo. Conuentus quidem ecclesiarum siue templi, quos ad secretam sacramentorum religionem ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra uel domum dei solita est nuncupare, uel templum: scriptura quoq; uel prophetica, uel apostolica ad demonstrationem locorum his est usa nominibus, uerum non hanc quæ à nobis ac nobiscum ita nuncupatur, domum dei esse ex ipsius dictis docemur. Ait enim: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum mihi ædificabitis, aut quis locus requietionis meæ? Nónne hæc omnia fecit manus mea? Non concluditur ergo ædificiorum domibus infinitus deus, nec locis in aliquo continetur uirtus immensa, quæ omnia fecit, Apostolo id ipsum ita testante: Deus qui fecit mundũ, & omnia quæ in eo sunt, hic cũ sit cœli & terræ dominus, non manufactis templis habitat. Nulla ergo deo requies est, & nulla habitatio. Et fortè nequaquã creditur esse qui nusquam est? Audiamus ergo ipsum de requie sua & habitatiõe testantẽ. Ait enim:

Hæc requies mea in secula seculorum, hic habitabo, quoniam elegi eam.) Elegit autem Sion, sed nunquid eam, de qua præsens prophetiæ huius querela est, ni si dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt qui ædificant eam? Sion in qua templum fuerat, euersa est. Et ubi sedes ęterna domini? ubi requies sempiterna? Quod habitabile ei templum? Nempe illud, de quo dictum est: Vos estis templum dei, & spiritus dei habitat in uobis. Hęc domus & hoc templum dei est, doctrinis & uirtutibus dei plenum, & sanctitate cordis diuini capax incolatus, de quo idem hic propheta ita testatus est: Sanctum templum tuum mirabile in æquitate. Sanctitas, æquitas, continentia humana deo templum est. Domus ergo hæc ædificanda per deum est. Humanis enim operibus extructa non permanet, nec doctrinis seculi instituta consistit, nec inani labore solicitudinis nostræ custodietur. Extruenda aliter est, custodienda aliter est: non super terram, non super fluxam & dilabentem arenam initianda, sed fundamentum eius super prophetas & Apostolos collocandum. Lapidibus uiuis augenda est, angulari lapide continenda, & mutuæ connexionis augmentis in uirum consummatum, & in mensuram Christi corporis extruenda, specie quoque ac decore gratiarum spiritualium adornanda. Hæc ita à deo, id est, doctrinis eius ædificanda, non concidet. Huius domus ædificationem nunc Israel captiuus post plenitudinem gentium consequetur. Hæc domus in domos plures diuersis fidelium ædificationibus in unoquoque nostrum ad ornatum & amplitudinem beatæ illius ciuitatis excrescet, cuius ciuitatis iam diu dominus uigil custos est: cum Abraham peregrinum tuetur:

cum

cum immolandum Iſaac reſeruat: cum Iacob ſeruientem ditat: cum Aegypto Ioſeph uenditum præficit: cum Moſen aduerſus Pharaonem confirmat: cum ducem bellis Ieſum deligit: cum Dauid omnibus periculis liberat: cum Salomonem dono ſapientiæ munerat: cum prophetis adeſt: cum Heliam rapit: cum Heliſæum eligit: cum Danielem paſcit: cum in camino pueros irrorat: cum tribus quartus adſiſtit: cum gignendo ſe ex uirgine Ioſeph per angelum inſtruit: Mariam confirmat, Ioannem præmittit, Apoſtolos eligit, patrem precatur, dicens: Pater ſancte ſerua eos, cum eſſem cum his, cuſtodiebam eos in nomine tuo: cum denique ipſe ille poſt paſſionem æternæ in nos cuſtodię ſuæ uigilias pollicetur, dicens: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Hæc ciuitatis illius beatæ atq; ſanctæ æterna cuſtodia eſt, quæ ex multis in unum conuenientibus, & in unoquoque noſtrum deo ciuitas eſt. Eſt enim hæc ſancti corporis & fidelis animæ ei placita poſſeſſio. Quam domum ædificandam ipſe in Euangelio teſtatur, dicens: Amen dico uobis, non conſummabitis ciuitates Iſrael, donec ueniat filius hominis. Et huius quidem temporis & ædificationis beatus Apoſtolus meminit, dicens: Cum autem intrauerit plenitudo gentium, tum quod reliquum eſt Iſrael ſaluabitur. Hæ igitur ciuitates, id eſt, ſancti huius corporis atque animæ deo placitus incolatus & cœtus hunc unum habent perfectæ huius beatitudinis & ædificationis artificem. Aedificanda ergo per deum hæc ciuitas eſt, ut in augmentum conſummationis ſuæ creſcat. Non enim iam ædificatio cœpta perfecta eſt, ſed per ædificationem perfectionis conſummatio comparatur. Cæterum in ædificandis his domibus corporum & animarum ciuitatibus humanæ artes uacant. Inanes enim ſunt omnes philoſophorum uigiliæ, & ocioſæ ſolicitudines, & fruſtratum in inueſtigandis naturæ ſecretis, & perſcrutandis mundi laboribus ſtudium. Sed lapſuram cito domum operatio talis ædificat. Inanis quoque erit matutina eorum reſurrectio, quæ quanquam omnibus, quæ in lucem uenerint, ſit conſtituta corporibus, tamen ea quæ non fuerint ędificata per deum, nequaquam eam quæ in domino ex mortuis reſurgente iam cœpta eſt, matutinæ reſurrectionis gloriam conſequentur. Ac ne aliquam pſalmus opinionem intelligentiæ in ſe terrenæ, & corporalis admitteret perfectionis iſtius tempus, & ædificandorum ſignificationem ipſo dictorum ſuorũ ordine docet. Nam humanis ædificationibus, & terrenis cuſtodijs, & matutinis eorum ſurrectionibus improbatis, ait: Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas domini filij merces fructus uentris.) Nullus eſt relictus in his dictis ambigendi locus, intelligentiæ tantum fides neceſſaria eſt. Rem enim uerba eloquuntur. Nam prophetiæ ueritatem geſta deinceps conſummant, cognitionem uero geſtorum doctrina euangelica atque apoſtolica ſubminiſtrat. Ciuitas ergo à deo eſt ædificanda quæ manet, quia humana ædificatio infirma ſit & caduca. Ac ne lapides, cæmenta, ligna ciuitatem hanc eſſe exiſtimaremus, quæ hæc eſſet, & quando eſſet perfecta ciuitas docet, dicens: Surgite poſtquam ſederitis. Seſſio quieſcentium requies eſt, à qua ſurgere iubentur, qui ad perfectam hanc ciuitatem ſunt comparandi. Et qui tandem ſunt iſti qui ſurgere poſtquam ſederint iubentur? Nempe qui manducant panem doloris. Panem doloris manducat quiſquis ſe hominem in uitijs natum ac uiuere meminit. Cum enim uoluntas noſtra per dei metum & ſpem æternorum ad perfecta innocentiæ opera contendat, & contrà naturalis quædam conſuetudo uitiorum in ipſis illis, è quibus emergere nititur immoretur, uitæ dolorem per infirmitatem deſtitutæ uoluntatis accipimus, ſecundum dictum prophetæ: Qui apponit ſcientiam, apponit dolorem. Cum enim ueritatis cognitio

uoluntatem

uoluntatem noſtram ad profectum cõſequendæ utilitatis inſtiget,& naturæ conſuetudo uoluntatem ſcientem ſe proficere oportere detineat: profectus ſcientiæ, profectus doloris eſt, cum in tantum ſe per naturam doleat detineri, in quantum naturam ſibi per cognitionem intellígat relinquendam. Huic ergo dolor uitæ eſt, huic panis doloris eſt, cuius uitæ & doloris hic idem propheta meminit, dicens: Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis lachrymarum in menſura. Tendendum eſt autem ſemper non etiam deſinendum, neq; idcirco ad perfectum non contendendum, quia doleamus id quò tenditur non poſſe cõtingi. Sed in ipſa contendendi pertinacia dolendum eſt, nos contingere non poſſe quò tendimus. Doloris huius dominus meminit, dicens: Beati lugẽtes, quoniam ipſi conſolabuntur: beatitudinem conſolationis, ob luctum & dolorem non adeptæ conſummationis impertiens. Propheticam autem uirtutem ipſe ille diſpoſitus in tempora uerborum ordo ſeruauit, dicens: Surgite poſtquàm ſederitis. Quorum alterum in præſens eſt, id eſt, ſurgite, ne fide tanquã de incertis & dubijs ambigeret, cum ueluti præſentem efficientiam ueritas propheticæ ammonitionis afferret,& uiuis nobis fiduciam ſpei non cunctantis inſereret. Tempus autem huius quod præſens eſt mandati diſtulit in futurum in eo, quod ait: Cum ſederitis. In non ambigendis ergo mandatis præſentis eſt ueritas, in conſequendis autem expectandi temporis diſpenſatio reſeruatur. Vt autem quando ſibi ſurgendum eſſet, cum ſederint ſciant, temporis ipſius demõſtrata eſt plenitudo. Cum dederit, inquit, dilectis ſuis ſomnum. Mortem ſanctorum deus frequentiſſime ſomnum nuncupat, ut ad hunc eundem Dauid: Cum obdormieris & requieueris cum patribus tuis, tunc excitabo de ſemine tuo, qui mihi erit in filium, & ego ero ei in patrem. Et dominus de Lazaro: Lazarus dormit. Et Apoſtolus de reſurrecturis ait: Quia nos qui uiuimus non præueniemus eos qui dormierunt. Plenitudine itaque gentium poſt ſomnum mortis recepta, & Iſrael reliquo ſaluato, tunc poſt hanc ſeſſionem atq; ſomnum reſurrectionis eſt tempus. Et quia dum temporum plenitudo cõcluditur, gentium quoq; crediturarum, ſecundum Apoſtolum conſummabitur plenitudo, idcirco ait: Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, hoc ſurgẽdi ſedentiũ, quod & dandi dilectis ſomni tempus eſſe demonſtrans, id eſt, omni plenitudine iam recepta. Qui autem ſint dormientes dilecti, & ſeſſuri reſurgentes cõtinuo cum quadam ſignificatione rei præſentis oſtendit, dicens: Ecce hæreditas domini. Sancti ſcilicet dormientes, & reſurrecturi ſedentes hæreditas domini eſt. Non ille carnalis Iacob, neq; terrenus Iſrael factus ex diuiſione gentium, portio & funiculus hæreditatis, ſecundum Moſen dicentem: Cum diuiſiſſet excelſus gentes ſecundum numerum electorum dei, & facta eſt portio domini Iacob funiculus hæreditatis Iſrael. Et quia iam hic Iſrael ob impietatem ſuam eſſe non meretur dici hęreditas, quæ hæreditas eſſet oſtendit, dicens: Ecce hæreditas domini filij merces fructus uentris. Ea ergo in filijs hæreditas domini eſt, quam ex mercede fructus uentris acceperit. Non enim inanis hic fructus eſt, quo cum ex uirginali uentre manens antea deus naſcitur. Nam merces eius hæreditas eſt, & hęreditas filij ſunt. Quotquot, inquit, eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios dei fieri. Et rurſum: Filioli mei, adhuc puſillum ſum uobiſcum. Hi ergo filij hæreditas eſt, & hæc hæreditas merces fructus uentris. Eſt ergo dominus fructus uentris, quem ex ſe in uitæ noſtræ fructum pariens uirgo progenuit. Et hæc eius merces eſt, qui ex uirgine naſcendo fructum uentris eſſe ſe uoluit, ut ei gentes quas in filios per fidem generaret hæreditas ſit. Quòd autem quia fructus uentris effectus ſit hanc mercedem hæreditatis acceperit, pſalmus alius teſtatur, dicens: Poſce à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & poſſeſſionem tuã terminos terræ. Teſtatur & Apoſtolus:

Qui

Qui cum in forma dei eſſet conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqua-
lem deo,ſed ſe exinaniuit,formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum fa-
ctus,& habitu repertus ut homo,humiliauit ſe, factus obediens uſq; ad mortem,
mortem autem crucis. Propter quod exaltauit illum deus, & donauit illi nomen
quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur,cœleſtium,
terreſtrium & infernorum,& omnis lingua cõfiteatur, quia dominus Ieſus in glo
ria eſt dei patris.Hæc ergo merces fructus uentris eſt,quæ donat in nomine, quæ
defertur in honore,quæ præſtatur in gloria. Et hanc habet retributionem ab im-
mortali eius natura humanæ infirmitatis ſuſcepta natiuitas, ut quia fructus uen-
tris factus ipſe eſt,merces quoq; eius gentiũ fiat hæreditas, & hæreditas ipſa ſint
filij.Dehinc ſequitur: Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.) Sa
gittarum hic uſus eſt,ut emiſſæ celeri uolatu ferantur,& ad deſtinata quæq; inde-
flexa linea dirigantur.Eſſe autẽ ſagittas quibus dominus utatur, ita legimus cum
ait: Miſit ſagittas ſuas,& diſſipauit eos.In Eſaia quoq; ita ſcriptũ eſt, quod etiam
de ipſo domino dictum eſſe poſſit intelligi: Et poſuit me tanq; ſagittam electam,
& in pharetra ſua abſcondit me,& dixit mihi:Magnum tibi eſt uocari te puerum
meũ. Sunt ergo iſtiuſmodi dei ſagittæ uolatu citæ, iactu fideles: quas, quantum
ratio ſpiritualis demonſtrat, ſignificari doctrinas propheticas atq; apoſtolicas, in
quibus dei uerbum eſt,oportet intelligi ubiq; miſſas, compungentes,arguentes,
uolantes:quanquam in plurimis locis meminerimus, eſſe & mortiferas & letales
ſagittas,de quibus ſcriptum eſt:Sagittas ſuas arſuris operatus eſt: uerum hic non
de ultricibus ſagittis dici aliquid intelligi poteſt, quia nunc ſicut ſagittæ in manu
potentis,ita filij excuſſorum.Pharao in mari rubro in interitum ob crimen impie-
tatis excuſſus eſt:excuſſum quoq; apoſtolicis pedibus puluerem ſcimus ſententi
am eſſe maledicti. Et quia ſiue prophetæ ipſi qui excuſſorum, id eſt,peccatorum
& maledictorum filij,tanquã uolantes & fideles ſagittæ doctrinæ cœleſtis emiſſi
ſunt:uel Apoſtoli eccleſiæq; doctores de excuſſis per impietatem ſuam in male-
dictum gentibus crediderint, idcirco ait: Tanquam ſagittæ in manu potentis,ita
filij excuſſorũ,orbem terræ uolatu peragrantes,infidelia corda doctrinæ telo uul-
nerantes,& peccatorum omnium incentiua ſalutari iaculo pungentes. Atq; ut id
ex his dictum intelligi poſſet,quos deus de excuſſorum ad doctrinam ſalutis mo-
do emitteret ſagittarum,id cõſecutum in dictis eſt: Beatus uir qui impleuit de-
ſiderium ſuum,ex ipſis non confundentur, cum loquẽtur inimicis ſuis in porta.)
Beatus ergo ille eſt, qui ex ipſis deſiderium ſuũ potuerit implere,id eſt, uel de ſa-
gittis, uel de filijs excuſſorũ deſiderabilibus ſe ſcilicet doctrinæ uerbis replere, &
de ſperatis fructibus futurorum bonorũ expectatiſq; ſatiare. Atq; ut hos ex dei
doctrina ædificatores eſſe illius, quam ſuperius memorauit, ciuitatis oſtenderet,
idcirco ita concluſit:Ex ipſis non cõfundentur,cum loquẽtur inimicis ſuis in por-
ta.Quod ait ex ipſis,ſiue ad beatum uirum pertinet,qui deſiderium ſuum imple-
uit ex ipſis:uel ipſis filijs excuſſorum erit proprium,quia ex ipſis non confundan
tur,cum in porta inimicis ſuis loquantur.Neq; ambiguũ eſt qui in porta loquen-
tur ædificatæ per prædicationem ſuã à domino ciuitatis. Meminimus autẽ pſal-
mo altero dictum:Qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem omnes lauda-
tiones tuas in portis filiæ Sion.Et hic quidem plures portę ſunt,in quibus prophe
ta à portis mortis exaltatus omnes dei laudes prędicat.Sed ſcimus unam eſſe por
tam regiam,dominicam,cœleſtem,de qua dictum eſt:Hęc porta domini,iuſti in-
trabunt per eam. Et cum non confundantur hi excuſſorum filij in porta inimicis
ſuis loquẽtes,neceſſe eſt ut his inimicis ſuis loquentes non cõfundantur,qui cum
iuſtis non merebuntur intrare,exprobrantes illis impietatem in deum,inobedien-
tiam

tiam in prædicantes, infidelitatem in æterna promissa, odia in innocentes, & in ipsa ecclesiæ membra sæuitiam, ipsi confidentes, & nulla fidei suæ ac religionis ambiguitate trepidantes, sed hos inimicos suos ab eius aditu ingressuq; prohibẽtes, qui ait: Nemo uadit ad patrem nisi per me, id est, per dominum nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Canticum graduum. Psal. CXXVII.

BEati omnes qui timent dominum, qui ambulant in uijs eius. & reliqua.) Quotiescunq; de timore domini in scripturis est sermo, animaduertendum est, nunquam eum solitariũ relinqui tanquam sufficientẽ nobis ad cõsummationẽ fidei, sed subijci multa, aut anteferri, ex quibus timoris domini ratio & perfectio intelligatur. Vt cognoscimus ex eo quod per Salomonem in Prouerbijs dictum est: Si enim sapientiam inuoces, & intellectui des uocem tuam, & exquiras eam tanquã argentum, & tanquam thesauros inuestiges eam, tunc intelliges timorem domini. Videmus enim quantis usq; ad timorem domini gradibus peruentum sit. Ante enim inuocanda sapientia est, & omne legendi officium intellectui est deputandum, & exquirenda ac perueſtiganda est sapientia, & tunc timor domini est intelligendus. Et quantum ad communem humanæ opinionis pertinet sensum, non ita de timore sentitur. Timor est enim humanæ imbecillitatis trepidatio, metuentis id perpeti, quod sibi nolit accidere. Existit autem & commouetur in nobis de reatus conscientia, de iure potioris, de impetu fortioris, de ægritudinis casu, de feræ occursu, & de omnis mali passione. Hic ergo timor non docetur, sed ex naturæ infirmitate occurrit. Neq; quid timendum sit discimus, sed terrorem suum ipsa illa nobis injiciunt quæ timentur. At uero de timore domini ita scriptum est: Venite filij, audite me, timorem domini docebo uos. Discendus ergo dei timor est, quia docetur. Non enim in terrore, sed in ratione doctrinæ est. Neq; ex trepidatione naturæ, sed præceptorum obseruãtia, & operibus uitæ innocentis, & cognitione ueritatis ineundus est. Nam si idcirco deus timendus est, quia plura fulminibus arserint, tonitruo prostrata sint, terræ nunc motu conciderint, nunc hiatu recepta sint, nullum fidei meritum in timore est, qui ex terrore accidentium commouetur. Nobis autem timor domini omnis in amore est, motumq; eius dilectio perfecta consummat. Dilectionis autem nostræ in eum hoc propriũ officium est, parêre monitis, statutis obtemperare, pollicitis cõfidere. Audiamus ergo scripturã dicentem: Et nunc Israël quid dominus deus tuus postulat à te, nisi ut timeas dominum deum tuum, & ambules in omnibus uijs eius, & diligas eum, & custodias mandata eius ex toto corde tuo & ex tota anima tua, ut bene sit tibi? Quibus dictis conuenientia & congrua propheta in exordio psalmi locutus est, dicens: Beati omnes qui timent dominum, qui ambulant in uijs eius.) Ostendens nõ ex trepidatione nostra, quia hæc timoris autor est in terris, neq; ex terrore eius, qui terribilis sit, beatos esse qui timeant, sed ex eo quòd in uijs dei incedant. Timor enim, ut diximus, nõ in metu, sed in obedientia est, & timoris testimonium est obsequela. Cæterum si quis timeat neq; pareat, erit quidem timens ex trepidatione naturæ, sed non erit beatus ex timoris officijs. Multæ sunt autẽ uiæ domini, cum ipse tamen uia sit. Sed cum de se loquitur, uiam se ipse nuncupat, & rationem cur se uiam nuncupasset ostendit, dicens: Nemo enim potest ad patrem uenire nisi per me. Verum cum de prophetis ac scriptis eorum quibus ad Christum pergitur sermo est, tunc uiæ plures sunt in unam uiam undique congruentes, quod utrunq; per Hieremiam prophetam significatum est dicentem: State in uijs domini, & interrogate semitas dei æternales, & uide-

 te quæ

dete quæ eſt uia bona,& ambulate in ea. Multæ itaq; uiæ interrogandæ ſunt & in multis inſiſtendum eſt, ut unam quæ bona eſt inueniamus, per multorum ſcilicet doctrinam unam uiam uitæ æternę reperturi. Viæ enim in lege, uiæ in prophetis, uiæ in euangelijs, uiæ in Apoſtolis ſunt: uiæ quoq; in diuerſis præceptorum operibus ſunt in quibus per timorem dei ambulantes, beati ſunt quibus dicitur: Labores fructuum tuorum manducabis.) Sermo ad plures cœptus ad unum refertur docens, nos omnes qui in Chriſto crediderimus unum eſſe, Apoſtolo ita confirmante: Omnes enim uos unum eſtis in Chriſto Ieſu. Siue ergo ad unum ſiue ad plures loquitur, in uno erit id ſignificantiæ, quod in pluribus. Eſt enim contuendum propheticum hunc ſermonem ab uſu communis opinionis diſcrepare. In hac enim uitæ conuerſatione, qui manducant laborum fructus ſuorum manducant ex prouentibus elaborati operis ſumentes. At uero propheta ait: Labores fructuum manducandos. Non conſequitur ſenſus humanus dicti huius intelligentiam. Ex laboribus enim fructus eſt, non ex fructibus labor. Deinde labor miniſterium corporis eſt, fructus uero merces laboris. Miniſterium autem corporis incorporale eſt, licet corpore ſit. Nihil uero edere, niſi quod corporale eſt, poſſumus. Sed propheta nihil de terrenis & præſentibus tractat. De beatitudine enim timentium dominum, & in uijs eius ambulantium ei ſermo eſt. Qui enim in uijs domini ambulabunt, illi labores fructuum ſuorum manducabunt. Non enim hic manducatio corporalis eſt, quia neque id quod manducandum eſt corporale ſit, ſed habemus hic cibum ſpiritualem, animam noſtram in uita alentem, bona ſcilicet opera caſtitatis, miſericordiæ, patientiæ, pœnitentiæ, tranquillitatis, in quibus nobis contra corporum noſtrorum uitia laborandum eſt. Horum laborum fructus in æternitate eſt, ſed labor hic æternorum fructuum ante comedendus eſt: eoq; in uita hac corporali anima noſtra alenda eſt, per cibum horum laborum obtinentes panem uiuum, panem cœleſtem, ab eo qui dixit: Ego ſum panis uiuus de cœlo. Quem qui indigne ſecundum mandatum Apoſtoli acceperit, iudicium ſibi adquirit. Hi ſunt ergo labores fructuum manducandi, eorum ſcilicet fructuum, qui in cœlis metentur. Nunc dum in terra ſumus opera ſumenda ſunt. Hæc enim nunc animum ſaturant, hæc in cœlum ſuis fructibus proſequuntur. Denicq; ſequenti uerſu utriuſque huius temporis beatitudinem propheta demonſtrat, dicens: Beatus es & bene tibi erit.) Quorum alterum in præſens obtinetur quod beatus es, quod uero bene tibi erit repoſitum eſt in futurum, quo iterum labor futurorum fructuum manducabitur. Vxor tua ſicut uitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui ſicut nouella oliuarū in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur omnis homo qui timet dominum.) Multis forte ſermo iſte in preſentis benedictionis gaudium aptus uidebitur, ut ex miſericordia domini ſuppetat pacifica & utilis in domo coniugis ſalus, & dulciſſimus circa conuiuium cœtus filiorum. Sed ſi hæc perfecta bona fuiſſent, quæ cum ſint bona, non tamen cœleſtia bona ſunt: tum ſi in his beatitudo timoris dei conſtitiſſet, obtinuiſſet utiq; princeps fidei & timoris dei Abraham cui uxor diu ſterilis bis arrepta eſt: filius ex promiſſione unicus offerri in hoſtiam iuſſus, & ſacrificio admotus intulit orbitatis dolorem. Ipſi deinde Iſaac duo filij diſſidentes, & uſq; ad odium mortis inimici: Iacob autem ignoratæ uxoris inopinatus maritus, & ad nuptias alias falſo coactus, & uiuentis funus parricidali fratrum mendacio plangens, caruit timentium dominum benedictionibus, & apud quos, & à quibus fides eſt, apud eos fidei ſanctificatio non reperietur. Quantos autem peccatorū uidemus florere domo, coniuge, liberis? Iam uero benedictionibus dei priuabitur felix illa & beata uirginitas cauſam ſibi beatitudinis non relinquens. Et ubi illud erit Pauli: Vellem autem omnes ho-

nes homines esse sicut & me: Et nescio quomodo propheta perfectam eam beatitudinem cõstituerit quæ negata sanctis est, peccatoribus usitata nõ sperãda uirginibus sit. Ergo quia secundum humanam intelligentiã propriam & perfectam beatitudinem dicti huius sermo non explicat, erigendæ sunt ad spiritalem doctrinam mentes atq; aures. Lex enim omnis secundũ Apostolum spiritualis est, & ipse non humilem, nec terrenam beatudinem, sed spirituale secutus est, dicens: Benedictus pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus. Cum itaq; in spiritalibus, & cœlestibus benedici se ostendat, perfecta illa beatitudo sanctorũ non in his terrenis & corporalibus esse sperãda est, sed potius intelligendum est per corporaliũ & terrenorum nuncupationẽ cœlestium bonorũ esse intelligentiã cõsequendam. Nunquid cum dominus secundũ euangelia sponsus est, & secundum Ioannẽ habet sponsam, de sponsis terrenis & corporalibus significari existimandum est? Non utiq;, sed per hanc sermonis consuetudinem docemur eum esse, qui promissus sit gentibus, cuiq; à patre ecclesię hęreditas per adeptionẽ corporis, quod ex uirgine præsumpturus esset, desponsata sit. Vt autem nunc cognoscamus quid sub uxoris nuncupatione intelligi oporteat, cõtuendum est quid & alibi sub hoc eodẽ uxoris nomine tractetur à Salomone ita: Quia quæsiui sapientiam sponsam accipere mihi ipsi. Et quia qui sponsam requirit diuitem quærit, huius sponsæ suæ opes memorat, dicens: Honestatẽ glorificat conuictum habens dei, & omniũ dominus dilexit eam. Et si multam quis cognitionẽ desiderat, nouit & quæ à principio sunt, & quæ futura sunt conspicit. Et iterũ: Vxorem uirilem quis inueniet: Preciosior est autem lapidibus multi precij. Et hæc istiusmodi in prouerbijs dicta sunt, quia prouerbium nõ hoc quod uerbis sonat explicat, sed dictorum uirtutem ex usu uerborum cõmunium nunciat. Docet autem dominus in euangelijs, quid prouerbia intelligenda sint, dicens: Veniet hora ut iam in prouerbijs non loquar uobis, sed palàm de patre nunciẽ uobis. Ergo secundum prouerbiorũ rationem uxorem uirilem nosse debemus, eam nempe quam sibi Salomon sponsam quæsiuit assumere, de qua & rursum ait: Iudicaui igitur hanc adducere ad cõuiuendum mecum, & amator factus sum pulchritudinis eius. Hęc igitur tanquã uxor assumpta sapientia uirilis est perficiens omnia & sibi subdens, & in labore utilium operum ualida, ipsa deo placita, & per doctrinam eius digna & præteritorum scientia, & futurorũ cognitione perfecta. Hæc timentis deum uxor, totis domus suæ lateribus diffusa fœcundæ uitis modo se per omnia operũ nostrorum latera extendit. Domus autem non ambigitur hoc animæ nostræ esse domicilium, quod sibi unusquisq; per timorem dei & uitam eius ineundo ad habitationem sapientiæ emundat. Ex hac igitur filij, qui erunt tanquã nouella oliuarum in circuitu mensæ nostræ erunt. Non in conuiuij circuitu futuros ait esse sed mensæ. Mensa enim domini ex qua cibum sumimus, panis scilicet uiui, cuius est hæc uirtus, ut ipse uiuens eos quoq; qui se accipiant uiuificet. Est & mensa lectionum dominicarum in qua spiritualis doctrinæ cibo alimur, sed qui doctrinam dei consectantur, de qua in psalmo alio scriptum est: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & retributionẽ, & scandalum. in captionem enim illis & scandalum omnis intellectæ ipsius prophetiæ lectio proficit. Sed qui doctrinã dei consectantur nisi in operum bonorum ministerio uersentur, mensę illius cibo non proficient. Nam sicut ex coniuge liberi, ita ex sapientia bonæ uoluntatis opera procreantur. Hæc igitur tanquam nouella oliuarum mensam nostrã circumibunt, id est, doctrinæ nostrę cognitionem optimorũ quasi ramorum fructibus obumbrabunt. Seruauit autem etiam hanc propheta rationem, ut neophytam oliuam diceret, id est, nuper plantatam, quia per sapientiam tanquã coniugem assumptam, cuius filij

Prouerbium

ſunt opera fidelia,hæc eadem in hac terra noſtri corporis plantatur. Hæc igitur uxor eſt modo uitis abundantis in domus noſtræ lateribus diffuſa:hi filij, id eſt, tali coniuge opera procreata,tanquam plantatæ oliuæ in menſæ noſtræ circuitu adſiſtent. Et quia hæc timentiũ deum beatitudo eſt,propheta ſubiecit: Ecce ſic benedicetur omnis homo,qui timet dominũ.) Iungitur ad timentis meritum etiam uotum prophetæ dicentis:Benedicat te dominus ex Sion & uideas quæ ſunt bona Hieruſalem. De Hieruſalẽ & Sion iam in ſuperioribus pſalmis frequenter ſumus locuti,ex quibus uel in quibus bonorũ omnium conſummatio ſperanda eſt.Nunc enim quamuis bonis cœleſtibus perfruamur,tamen maiora nobis in Sion & Hieruſalem temporibus ſpe reſeruantur. Hoc enim ſeculum promiſſorũ bonorum capax non eſt. Væ enim mundo nunc ab ſcandalis, in quo & zizaniam diabolus ſuperſerit,in quo regio eſt corruptionis,& locus iniquitatis,& conuallis plorationis, in quo mundi potentes ſunt harum tenebrarum. Sed habemus interim promiſſorum nobis bonorum lumen in quo tantum per ſpeculum & in ænigmate felicium rerum imaginem cõtuemur,tunc facie ad faciem uiſuri non interpoſita obſcuritatis nube,aut ſpeculi æmulante ſplendore, ſed uera & conſpicabili beatitudinis noſtræ contemplatione lætabimur operum noſtrorum fructus contuentes,& mercedem uitæ innocẽtis uidentes.Nam ut opera ex ſapientia gignũtur,ita ex operibus retributio naſcitur. Eſt ergo ſapientia innocentiæ mater,& rurſus innocentia fructus retributionis parit.Hos ergo conſequemur diabolo contrito,aculeo mortis retuſo,& omni principe ac poteſtate huius ſeculi exempto,cum iam pax in nobis ſit hoſte uicto & perempto,quod propheta pſalmi ipſius cõcluſione teſtatur, dicens:

κοσμοκράτορες

Benedicat te dominus ex Sion & uideas bona Hieruſalem omnibus diebus uitæ tuæ.Et uideas filios filiorũ tuorum & pacem ſuper Iſraël.) Speremus ergo bona Hieruſalem cœleſtis & Sion montis & pacis Iſraël, quia locus domini in pace eſt, in domino noſtro Ieſu Chriſto,qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum.Amen.

Canticum graduum. Pſal. CXXVIII.

SAepe expugnauerunt me à iuuentute mea dicat nunc Iſraël.&c.) Inſtituimur dictis propheticis ad tolerantiam præſentiũ paſſionum, & naturæ noſtræ infirmitas aduerſus ſeculi iniurias ſemper impatiens ſuſcipit patientiæ doctrinam ab eo,qui in præſenti pſalmo ait: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea.) Non ocioſa ætas religioſi uiri eſt,neq; quietam exigit uitam.Impugnatur iam ab ipſis iuuentutis ſuæ annis, & impugnatur ſæpe.Non nouella itaq;,neq; rara impugnantium odia ſunt,ſed ea ſæpe etiam ab ipſis initijs ætatis infeſta ſunt. Et idcirco hæc ſunt, quæ fidem probant, quæ patientiam teſtantur, quæ inuictæ uirtutis coronam merentur. Nouit beatus Apoſtolus Paulus hanc longi prælij coronam dicens: Nemo coronatur,niſi qui legitime certauerit. Certamen tantum non ſufficit ad coronam. Legitime certandum eſt, id eſt omnia paſſionum bella peragenda ſunt. Non ſufficit ſemel neq; unius certaminis bello militaſſe. Et audiamus hunc ipſum legitime certantem cum de ſe dicit:In laboribus copioſius,in plagis abundantius:in cuſtodijs eminentius: in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadraginta una minus accepi. Ter uirgis cæſus ſum : ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci:noctem & diem in profundo maris fui. Merito iſte tot & tantis prælijs perfunctus dicere auſus eſt: De cætero iam ſupereſt mihi corona iuſticiæ,quia nemo niſi qui legitime pugnauerit coronabitur. Huic etiam uox hæc prophetica competit: Sæpe impugnauerunt me à iuuentute mea.Fiduciæ maximę gratulatio eſt,tantorum & tam numeroſorũ bellorum memorari. Sed nunc tacito impugnantium nomine impugnatio ſo-

gnatio ſola memoratur. Et cauſa noſcenda eſt cur autores impugnationis ſilentur. Omnes humanæ iniuriæ, quæ religioſis uiris inferuntur, non eoſdem habent autores quos habent miniſtros. Executio quidem hominum eſt, ſed diaboli inſtinctus eſt. Et huius nobis intelligentię Apoſtolus autor eſt, dicens: Non enim nobis certamen eſt aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates mundi huius poteſtates harum tenebrarum ſpiritualis nequitiæ in cœleſtibus. Et rurſum: Secundum principem aëris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filijs inobedientiæ. Operantur ergo hæ ſpirituales nequitiæ in his qui inobedientes dei legi ſunt, quos uoluntatis ſuæ tanquã operarios eligunt in res ſuas alienæ interceſſionis miniſterio ſuo uſuri. Neq; ſolum id ex Apoſtolicis dictis intelligimus, ſed etiam ex libro Iob docemur. Cum enim diabolus poteſtatẽ tentandi Iob poſtulaſſet, per direptionem ſubſtantiæ eius primũ deſæuiturus homines ad paſtorum cædem & direptionem pecudum citauit, eosq; in hanc uoluntatem latrocinij accendit. Egit ergo quod uolebat per humanæ operationis officium. Iudas quoq; in paſſione domini miniſterium diaboli fuit, & per eum effectum uoluntatis propriæ eſt executus, euangeliſta teſtante qui ita: Intrauit inquit, ſatanas in Iudam qui cognominatur Scariotes. In omni igitur quam perpetimur iniuria, alterius opus, alterius inſtinctus eſt. Et non ſibi efficit quiſquis aliquid per turbulentæ uoluntatis impetũ gerit. Non ergo his iraſcendum eſt à quibus aliqua perpetimur, ſed quoties per contumelias ad iracundiam prouocamur, quotieſcunq; per conuicia ad lites exhortamur, quoti ſcunq; ad dolorem ad impiam damni querelam per rapinas & furta cõpellimur, aut in corporis uoluptates blandæ adhortationis ſolicitamur inſtinctu, agnoſcendus eſt hoſtis ille, per quem hæc operum ac dictorũ incentiua præbentur. Neq; iraſcendum eſt hominibus alienæ inſtigationis operarijs, ſed potius in his deteſtandi officij interceſſio fœda miſeranda eſt, quod ſint uaſa diaboli, ſatanæ miniſterium & latrocinantiũ telum, & alienæ maliciæ ac nequitiæ paritores. Ob hanc ergo cognitionem propheta ſine diſtinctione nominis tantum impugnantiũ meminit, de his atq; illis indiſcrete locutus, quia per homines in ſe id quod ſpiritualiũ nequitiarum eſt gerebatur. Cœpit itaq; tanquam ex perſona ſua propheta, ſed quid à nobis dici oporteret, quodam ipſe cõfeſſionis exemplo ante præloquitur. Talis ergo ordo dictorum eſt. Sæpe impugnauerũt me à iuuentute mea dicat nunc Iſraël.) Ante ergo docetur Iſraël quid dicere debeat, tum deinde tanquam doctus, & exemplo propheticæ confeſſionis Iſraël ipſe iam loquitur. Sæpe impugnauerunt me à iuuentute mea. Etenim non poterant mihi.) Talis religioſorum debet eſſe confeſſio. Et hæc uera fidei probatio eſt, ut qui eos ſæpe à iuuentute impugnant, nunquam tamen eorum quos & ſæpe, & quidem à iuuentute impugnauerint, prepotentes ſint. Aduerſus autem ualidiores & longum & frequens eſt prælium. Et idcirco inimicæ ſpiritualesq; uirtutes firmos fide & timore dei uiros & diu & ſæpe pertentãt, quia iterari neceſſe eſt, quod & diu geritur, & nunquam obtinetur. Maneamus ergo, ut ſæpe impugnemur, & ſæpe impugnati habeamus hanc gloriam ne aliquando cedamus, & hinc ſit impugnationis noſtræ aſſiduitas, quia non ſit impugnantium præpotens fortitudo. Mos autem eſt eorum, qui nequaquam longis atq; aſſiduis prælijs præualent, ut uictorem exercitum & firmis agminibus incedentem à tergo adeant, & dorſo ſicubi uiam prætereat inſidias machinentur. Illic dolos fabricantur, illic omnia inſidiarum artificia exercent. Ita & peccatores tentatos incaſſum fideles uiros euntes iam in ueritatis uia dorſo adeũt, dorſo inſidiantur, dorſo dolos concinnant. Et idcirco ait: Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores.) Currit Apoſtolus ea quæ retro ſunt obliuiſcens, ſeq; in ea quæ priora ſunt extendens. Lex ad fideles ita locuta eſt: Perſequentur te inimici tui, & non comprę

hendent. Non comprehendiſſe autem eos docet, cum ait fabricantur. Indefiniti enim temporis ſignificatio eſt. fabricantur enim ſemper, nunquam fabricationis ſuæ effectum conſequentes, indefeſſo fidei curſu eò quò quotidie ſupra dorſum fabricabantur bella, currente. Atq; hanc pertinacem infeſtantium iniquitatem ſequens uerſus abſoluit: Prolongauerunt iniquitatem ſuam. Eſaiæ prophetia eſt, dicentis: Væ qui trahunt peccata ſua tanquam funem longum. Non deſinunt enim peccatis peccata connectere, & tanquã funem longum implexa ea ſemper extendere. Sancto nanq; currente & peccatoribus in dorſum fabricantibus, cum huic ad deſtinatum currendi, illis ſemper fabricandi, modus nullus ſit, ſit peccatorum prolixa ſeries & multiplex longitudo. Sed quid tandem poſt hanc iniquitatum longitudinem maneat noſcendum eſt. Sequitur enim: Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum.) Iuſtus dominus, patiens ſcilicet in ultionem diſſimulator ad pœnitentiæ tempus, nõ inter exordia humanę iniquitatis promptus ad pœnam, ſed deſinendi à criminibus ſeram ſcilicet uoluntatem peccatorum expectans, tunc ceruices concidet, cum ſine aliquo deſinendi modo fabricantur: cum in longum peccata tenduntur: cum iam omne patientis miſericordiæ tempus excluſum eſt. Exprobrari autem ſemper contumacibus legis meminimus, quod dura ceruice ſint, cum ceruicoſum populum eſſe Moſes ad deum arguit: cũ propheta filiabus Sion exprobrat quòd alta ceruice incedant: ceruice ſcilicet iugum dedignante, ac operibus fidei inſolente, patientia dei ad perducendam peccatorum longitudinem abnuente. Submittenda autem ceruix eſt iugo ſuaui, ad quod dominus inuitat, dicens: Tollite iugũ meum ſuper uos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Non cõcidenda ceruix eſt, huic ſe ſubdens iugo. Eſt etenim hoc humilitatis & manſuetudinis iugum, non ſemper impugnans, non in dorſo fabricans, non peccata prolongans, ſed humilitate & patientia ceruicem ſubditam fouens, ſuperba illa inſolentiq; ceruice iuſti iudicij cõcidenda decreto. Dehinc ſequitur: Confundantur & reuereantur retrorſum omnes, qui oderunt Sion. & reliqua.) Frequenter admonuimus Sion montem eſſe Hieruſalem proximum. Sed cum rex Sion, cum filia Sion, cum portæ Sion à prophetis nuncupantur, primum ipſo nomine intelligi oportet aliud ſub Sion ſignificatione monſtrari. Sion enim ſpeculationis interpretatio eſt: Et quod nobiſcum ſpeculatio, id Hebraice Sion dicitur. Tum deinde dicti apoſtolici meminiſſe nos conuenit ad montem Sion & Hieruſalem cœleſtem acceſſiſſe nos, in dominum noſtrum Ieſum Chriſtum credentes, in cuius glorificato corpore, quod in cœleſtem gloriam transformatum eſt, ſpei noſtræ honorẽ ſpeculamur, humilitatis noſtræ corpore in gloriã corporis ſui conformando. Eccleſiã autem eſſe corpus Chriſti cuius inuicem membra ſumus, Apoſtolus teſtis eſt dicẽs: Quia ipſa Sion mons domini, regis filia, ciuitas ſancta uiuis lapidibus in fundamento prophetarũ & Apoſtolorũ ædificata eſt. Hanc ergo quiſquis odit, odit eum cuius & corpus eſt. Eſt enim ſpeciale hoc aduerſus fideles infidelium odium. Confundendi ergo erunt qui Sion oderunt, & retrorſum reuertentur, non in cœleſtia currẽtes, neq; ad futura tendentes, ſed ad terrena ſua & originalia reuertentes pudorem iniquitatis & infidelitatis ſuæ iudicij tempore ſentientes, & in pœnalem corporũ ſenſum amiſſa reſurrectionis demutatione redeuntes. Hoc ipſum autem pſalmi conſequentia docent: Fiant ſicut fœnum ædificiorum quod priuſquã euellatur aruit. De quo non implebit manũ ſuam qui metet, & ſinum ſuum qui manipulos colliget. Et non dixerunt qui præteribant benedictio domini ſit per uos.) Nullum (ut arbitror) ſecundum corporalem intelligentiã ædificiorum fœnum eſt. Eſt autem agri, eiuſdemq; fructuoſiſſimi. Ergo nihil hic ſecundum aurium ſenſum tractandũ atq; opinandum eſt. Sunt autem ſecundum ſcripturę auto-

ritatem

ſtatē ædificia firma,ſunt & infirma.Firma ſunt quæ fundamentis fidelibus ſupra petram iacta, fluuijs uentis inundationibus non mouentur. Sunt & infirma, quæ arenoſo ædificata fundamine, cum tempeſtates ortæ erunt efficiunt ingentes ruinas. Sunt & ſationes duæ ſecundum Apoſtolum, ſpiritus uidelicet & carnis. Et qui ſpiritualia ſeuerit, ſpiritualia metet,& qui carnalia ſeuerit,carnalia metet.Ergo qui ſæpe & quidem à iuuentute impugnabant, qui ſuper dorſum fabricabantur, qui prolongauerunt iniquitates, quorum concidentur ceruices, qui oderunt Sion: hi ſicut fœnum ædificiorum erunt inutiles, & corporeæ huius præſentiſq; uitæ fructum caſſum inanemq; ferentes. Aedificia enim atque tecta ſecundum euangelicam comparationem humana ſunt corpora, aut fide firma, aut infidelitate ruitura. Ab hoc etiam ædificij tecto inſtante perſecutione dominus unumquemq; uetuit deſcendere,dicens:Et qui ſuper tectum eſt,non deſcendat tollere de domo aliquid.Certe in perſecutione fugiendum eſt,& quomodo de tecto inhibuit deſcendere,niſi quod cura corporis derelicta,quia ſuper tectum inſiſtens,id eſt, ſuper terrenam naturam manens,humilia repetere & deſcendere ad inferiora prohibetur? Verum impij ædificiorū fœnum ſunt,inania enim ſeuerunt. Et fœnum etiam antequā euellatur areſcens,de quo neq; manum ſuam meſſor implebit, neq; ſinum manipulos collecturus onerabit,non prætereiens fructuum gratulatione bene dixit.Inanes ſunt,uacui ſunt,inutiles ſunt:inania enim & inutilia ſeuerunt.O infelices labores & in fructuoſa carnis opera,infructuoſo ædificiorū fœno comparata, & antequā euellantur arida,id eſt, ante ipſum inutilis ipſius meſſis tempus emortua. Sed quia horum ædificiorū fœnum carnalium operum eſſe fructus tractauimus, conſiderandum eſt quæ differentia ſit in eo qui implet manum,& qui manipulos ſinu colligit.Non enim idem eſt,neq; ſcriptura res eaſdē iterare geminis elocutionibus ſolita eſt.Plus eſt enim ſinu colligere quàm manum replere.Et quidem qui manū replent fructum recipere recte geſtorū uidentur,quia in manibus ſermo diuinus opera ſignificat. In ſinu uero conſcientiæ & fidei & perfectæ uoluntatis demonſtratur affectus.Plus enim metit cōſcientia quàm geſta.Hęc nanq; manum replent,manipulos uero illa ſinu colligit.Duos denarios uiduæ inopis acceptiores dominus habet copioſis diuitū nummis.Tanto præſtat operibus uoluntas,& opera ob id manum implent.Sed ſinus manipulorum ſunt capaces. Ergo hoc ædificij fœnum neq; metentis manum neq; manipulos colligentis ſinum replebit,ſed neq; prætereuntes dicent: benedictio domini ſuper uos. Et qui ſunt prætereuntes,niſi qui tanquā peregrinantes corporalis uitæ ſeculum tranſeunt, non manentes in his quæ nulla ſunt,ſed ad æterna tendentes,neq; his quæ conſpectui ſubiacent immorantes,ſed ad inuiſibilia pergentes? Vt autē penitus qui ſint tranſeuntes intelligamus,audiamus Moſen dicentē, cum in rubo ignem conſpexit, ſine damno rubi in quo conflagrabat ardentem.Ait enim:Tranſibo & uidebo uiſionē hanc.Quid eſt iſtud tranſibo? Nulla enim locorum interualla diſcreuerant, eodem in loco & loquitur & uidet.Quid ergo tranſit? Tranſit planè corporales carnalesq; curas,& ſoceri ſui oues paſcens in cœleſtem cognitionem relictis terrenis operibus excedit. Verum & ipſe pertranſijt qui in ſuperiore pſalmo ait: Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros libani, & tranſiui & ecce non erat. Quem ammiratus in ſeculi rebus eſt, quem in corporeis rebus manens excelſum eleuatūq; conſpexit, hunc tranſiens, id eſt,peregrinus ſeculo factus, & in cœleſtem ac ſpiritualem cognitionem de terrenis & caducis rebus excedens,in nihilum habuit, & iam non eſſe dixit, & mortuum deputauit. Negant ergo ædificiorum fœno prætereuntes dei benedictionem, fructibus aridis & caducis ſcientes gratiam diuini muneris denegandam. Sed prophetæ uota dura atq; aſpera eſſe credentur: totus

Coacte

Imò ſæpe

enim eius ſermo tanquam optantis fuit, cum ait: Fiant ſicut fœnum ædificiorum. Sed abſit iſtud ut propheta imprecatus eſſe credatur. Ex prophetali autem ſcientia hæc locutus eſt, & cognitionis fuit ſermo iſte, non uoti, ſimul ut peccatoribus terror ingrueret inanitatem fructuum ſuorum areſcentium cognituris. Porrò autem uotorum ſuorũ oſtendit affectum, dicens: Benedicam uos in nomine domini.) Prompta benedictio eſt, ſi hi qui ſerebant ædificiorum fœnum, ſerere incipiant quod meſſoris manum & colligentis manipulos ſinum repleat. Aridis ergo operibus emortuos fructus ſuos in fœno ædificiorum monſtrauit propheta benedictiones negando, uota autem ſua erga pœnitentium ſalutem pro reditu bonæ operationis oſtendit, benedictiones rurſum quas negauit optando. Seramus ergo uiriliter, & labores noſtros replendis manibus ac ſinibus præparemus, ut benedictionis dei participes ſimus in domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Canticum graduum Pſalmus. CXXIX.

DE profundis clamaui ad te domine, domine exaudi uocẽ meam. Et reliqua.) Inter multa præclara quę ad Romanos Apoſtolus ſcribit, cum de fide gentium & infidelitate Iudæorũ locutus eſſet, & multa de iudicijs dei decretisq; tractaſſet, ait: O profundum diuitiarum ſapientiæ & ſcientię dei, quàm ſunt inſcrutabilia iudicia eius, & ininueſtigabiles uiæ eius? Quis enim cognouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit, aut quis ante dedit ei & retribuetur illi? Quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi claritas in ſecula ſeculorum. Humanæ infirmitatis religioſa cõfeſſio eſt, ex deo hoc ſolum noſſe quod deus eſt. Cæterum ſecreta illa & profunda imperſpicabilis iudicij decreta, mens terrena nõ penetrat. Inueſtigare quidẽ ea pſcrutariq; pium eſt, ſed inſcrutabilia ea eſſe & in inueſtigabilia confitenda ſunt, quorum eſt alterum religioſæ uoluntatis, alterum imperſpicabilis naturæ. Quis enim cauſas naturasq; cœli & huius & ſuperioris & cæterorum ſciet? Quis angelorum & poteſtatum & dominatuum & thronorum & principatuum officia rationesq; percipiet? Quis Cherubin & Seraphin perpetuas uoces ęternasq; intelliget? Quis laudantes dominum ſuper cœlum aquas cognoſcet? Quis Solis lunæ & aſtrorum lumina comperta eſſe ſibi gloriabitur? quis hanc inanis nobis ut falſo putamus aëris plenitudinem metietur? Iam uero aut diſpoſitionem orbis terrarum, aut elementorum uirtutes, aut temporum mutationes, aut fluminum curſus, aut maris fines, aut oceani uiciſſitudines, aut uentorum flatus, aut naturas animalium, aut iras beſtiarum, aut genera arborum, aut uirtutes radicum, & origines animarum, & incrementa corporum, & infantium mortes, & ſenum uitam, & labores ſeculi, & ſanctorum glorioſas calamitates, & irreligioſorum infelices beatudines, & legis & prophetarum & euangeliorum & Apoſtolorum arcano cœleſti libros conſecratos plenæ cognitionis ſcientia cõſequetur? In his igitur omnibus hærens ac detentus propheta ex interno cordis ſui ſecreto ſecundum Apoſtoli uocem & ipſe clamat, dicens: De profundis clamaui ad te domine,) Pone illum ſecundum Apoſtolum in profundo diuitiarũ dei imperſcrutabiliũ & ininueſtigabilium demorantẽ, ſtatue illum de profundo humanarũ calamitatũ æſtu precantẽ, ſecundũ eam domini quæ eſt in anteriore pſalmo uocẽ: Veni in profundũ maris & tẽpeſtas demerſit me. Exiſtima illum nõ labijs, ſed ſecreto (ut iuſſum eſt) cordis orare, apta aut ignorationi, aut paſſioni, aut orationi uox iſta dicẽtis eſt: De profundis clamaui ad te domine, dum aut neſcit, aut patitur, aut precat. Et quia de profũdis clamat, confidenter ait: domine exaudi uocem meam: Fiant aures tuę intendentes

in uocem

in uocem orationis meæ.) Sed quærendum eſt an id ipſum ſit exaudi uocem meam, & fiant aures tuæ intendentes in uocem orationis meæ. De profundis enim orat, & profundum eſt quicquid orat. Ac primũ intelligendum eſt deum incorporalem eſſe, neq; ex partibus quibuſdam atq; officijs membrorum (ex quibus unum corpus efficitur) conſiſtere. Legimus enim in euangelio quoniam deus ſpiritus eſt, inuiſibilis ſcilicet & immenſa atq; intra ſe manens & æterna natura. Scriptum quoq; eſt, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet. Ex his enim corporis membra conſiſtunt quibus ſubſtantia dei non eget. Deus autem qui & ubiq; & in omnibus eſt, totus audit, totus uidet, totus efficit, totus incedit. Et hoc ex ſcripturis docemur, cum dicitur: Ego ſum deus appropinquans, & non de longe. Et rurſum, quoniã in ipſo & uiuimus, & mouemur, & ſumus. Virtus ergo dei quæ æqualis & indiſcreta eſt, officiorum & membrorum habet nomina. Vt uirtus qua uidet oculi ſint, uirtus qua audit aures ſint, uirtus qua efficit manus ſint, uirtus qua adeſt pedes ſint, officiorum diuerſitates uirtutis huius poteſtate peragente. Deus ergo ubiq; eſt, & ubiq; adeſt, audit, uidet, efficit. Sed orandus à nobis eſt, ut ſecundum precem noſtram aſſit, audeat, uideat, efficiat. Naturæ ſuæ eſt ut audiat, ſed fidei noſtræ eſt ut precemur audiri. Audit conuiciantes, audit maledicentes, audit etiam intra ſecreta cordis loquentes. Sed fides officium ſuum exequitur, ut dei auditionem roget: ut qui per naturam ſuam audit, per orantis precem dignetur audire. Quod ſi quis forte corporeũ deum & conformabilem, & membris diuerſum, quia non idem oculus quod & manus eſt, ob id eſſe exiſtimabit quod dictum eſt: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, primum meminiſſe debet hominum inſtitutionem naturis duabus contineri, animæ ſcilicet & corporis, quarum alia ſpiritalis, alia terrena eſt. Et inferiorem hanc materiam in efficientiã atq; operationem naturæ illius fuiſſe potioris aptatam. Ergo quiſquis ita uolet credere, ut corporalis deus ſit, quia ad imaginem eius homo factus eſt, compoſitum eſſe deum ſtatuet ex potiore ſcilicet inferioreq; natura, quia de talibus homo conſtat. Quicquid autem compoſitum eſt, neceſſe eſt non fuerit æternũ, quia compoſitio habet initium quo componatur ut maneat. Sed hæc infidelitatis deliramenta ſunt, dum per cœleſtis naturæ ignorationẽ intra has opinionis anguſtias uitio ingenij degeneris coarctamur. Deus autẽ ſemper & in omnibus manens & ubiq; idem, & nuſquàm ipſe non totus. Cumq; pulcherrimũ opus perfecto iam mundo inchoaret, hominẽ ſcilicet ad imaginẽ ſui faciens, eum ex humili natura cœleſticq; compoſuit, anima uidelicet atq; corpore. Et prius quidem animã illam diuino illo & incomprehenſibili nobis uirtutis ſuæ opere conſtituit. Non enim cum ad imaginem dei hominẽ fecit, tunc & corpus effecit. Geneſis docet longe poſtea quàm ad imaginem dei homo erat factus puluerem ſumptum formatumq; corpus, dehinc rurſus in animam uiuentem per inſpirationem dei factum: Naturam hanc ſcilicet terrenam atq; cœleſtem quodam inſpirationis fœdere copulatã. Scit ſe beatus Apoſtolus Paulus per interiorem & exteriorem hominem diſſidere. Per interiorem quidem hominẽ condelectatur legi, per exteriorem uero hoc quod non uult agit, cum interior homo ſpiritus opera deſiderat, exterior uoluptates corporis concupiſcit. Ergo ad imaginẽ dei homo interior effectus eſt rationabilis, mobilis, mouens, citus, incorporeus, ſubtilis, ęternus, quantũ in ſe eſt ſpeciem naturę principalis imitatur, dum trãſcurrit, dum circumuolat, & dicto citius nunc ultra oceanũ eſt, nunc in cœlos euolat, nunc in abyſſis eſt, nunc orientẽ occidentẽq; perluſtrat, dum nunquam ut nõ ſit aboletur. Natura quidẽ dei in his omnibus eſt, neq; ut alibi aſſit deſidit aliunde. Sed animus humanus in hac ſenſus ſui mobilitate ad imaginẽ opificis ſui factus eſt, dum naturam dei mobilitas animæ perhennis imitatur, nihil in ſe

habens

habens corporale,nihil terrenũ,nihil graue,nihil caducũ. Et audiamus adhuc Paulum hoc ita docentem:Expoliantes ueterem hominem cum geſtis eius,& induentes nouum qui renouatur in cognitionẽ ſecundum imaginem creatoris.Nunquid aliquid corporale induimus cum in agnitione renouamur? Nihil,ut opinor:induimus autem agnitionem dei,fidem æternitatis,innocentiæ ſinceritatem & bonitatis mores.Hæc enim animæ magis ſunt indumẽta quàm corporis,quæ omnia deo propria ſunt.Hæc in agnitionẽ noui hominis induimus,ut in omni miniſterio animæ noſtræ ſimus ſecundum imaginem creatoris,bonitatis,& ſanctitatis,& charitatis agnitione perfecti.Hæc propter aures dei ne corporalis exiſtimaretur tractata breuibus ſunt.Et quanquàm hæc ita ſe(ut dictum eſt)habeant, tamen meminimus eſſe plures ſpirituales uirtutes quibus angelorum eſt nomen, eccleſijs præſidentes.Sunt enim ſecundum Ioannem aſianis eccleſijs angeli,ſunt & Moſe teſtante, ſecundum numerum angelorũ fines gentium Adæ filijs conſtituti. Et domino docente puſillorum angeli quotidie deum uident. Sunt ſecundum raphaëlem ad Tobiam loquentem angeli adſiſtentes ante claritatem dei, & orationes deprecantium ad deum deferentes. Hoc ideo cõmemoratum eſt, ut ſi forte hos eſſe oculos uel aures,uel manus, uel pedes dei intelligere uoluerimus, habeamus non improbabilis intelligentiæ autoritatem,maxime cum ſcriptum ſit: Sunt enim efficientes ſpiritus in miniſteriũ miſſi propter eos qui hæreditabunt ſalutẽ.Interceſſione itaq; horum non natura dei eget,ſed infirmitas noſtra. Miſſi enim ſunt propter eos qui hæreditabunt ſalutem, deo nihil ex his quæ agimus ignorante, ſed infirmitate noſtra ad rogandum & promerendum ſpiritualis interceſſionis miniſterio indigente.Dehinc ſequitur: Si iniquitates obſeruabis domine,domine quis ſuſtinebit?) Non negligenter dicti huius ratio tractanda eſt.Non enim ait,Si peccata obſeruabis,ſed ſi iniquitates obſeruabis.Differt enim iniquitas à peccato. Nunquid deus peccata non obſeruabit, & criminum memoria non erit? Erit certe;quia etiam de ocioſo uerbo rationem unuſquiſq; præſtabit. Et omnis in carcerem miſſus reddet nouiſſimum quadrantem. Differre autem iniquitatem & peccatũ docemur, cum dicitur: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata. Et rurſum:Iniquitatem meam ego agnoui,& peccatum meum non abſcondi.Iniquitas enim tranſgreſſio legis dei eſt,quæ eſt grauior peccato, quod id ipſum Apoſtolus abſolutiſſime diſtinxit dicens:Qui enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt, qui autem per legem peccauerunt per legem iudicabuntur. Ergo peccatum iniquitatis iam perijt, cæterum peccatum legis iudicabitur. Peccatum autem iniquitatis eſt,quicquid extra legem delinquitur,ut gentilium crimina ſunt,quæ iam cum lapſa legis ignoratione damnata ſunt. Peccata autem in lege nõ pereunt,ſed iudicanda ſunt,quia licet peccata ſunt,tamen in lege peccata ſunt.Ergo ſi deus iniquitatum recordetur,quis ſuſtinebit furta,cędes,falſa teſtimonia,ſtupra,periuria? Hæc enim crimina ſunt,quæ iniq; extra legem dei geruntur,quæq; nouæ generationis ſacramento abluuntur.Sed horum planè iam deus nõ recordatur,& cur non recordetur in ſequenti uerſu propheta demonſtrat,dicens: Quia apud te propiciatio eſt.) Eſt enim unigenitus dei filius deus uerbum redemptio noſtra, pax noſtra,in cuius ſanguine reconciliati deo ſumus.Hic eſt qui uenit tollere peccata mundi, qui cruci ſuæ chirographũ legis affigens,edictũ damnationis ueteris deleuit.Si ue igitur ad patrẽ,ſiue ad filiũ,oratio prophetę eſſe exiſtimabit,unum enim ambo ſunt.Et qui uidet filiũ,uidet & patrẽ,quia pater in filio & filius in patre eſt.Ex ſimilitudine glorię alter in altero glorioſus eſt.glorioſus filius,quia dignus cõſortio patris ſit.Glorioſus pater dignus cõſortio filij ſui. Pater recte uolens per prophetam dixiſſe creditur, quoniã apud te propiciatio, quia in patre ſecundũ ſimilitudinem

gloriæ

gloriæ filius eſt, & filius ipſe pro peccatis noſtris & propiciatio, & redemptio, & deprecatio eſt iniquitatũ noſtrarũ, quia ipſe earum propiciatio ſit non recordans. Scit autẽ propheta ingentis periculi rem eſſe iniqua, id eſt, ſine lege peccare, quia peccati ſine lege perditio eſt. Peccato autem in lege iudicium eſt. & idcirco ait:

Propter legem tuam ſuſtinui te domine.) Lex ergo ſancta & ſpiritualis eſt, & in ea uerba uitæ ſunt. Et legis finis Chriſtus eſt: Et hoc ſequenti uerſu oſtenditur. Ait enim: Suſtinuit anima mea in uerbũ tuum.) Corporalia quidẽ legis officia propheta exequitur, ſcilicet ſacrificiorum & holocauſtomatũ & neomeniarum & ſabbatorũ, quæ omnia umbra ſunt futurorũ, ſed anima eius ſuſtinuit in uerbũ dei. Propter legem ipſe ſuſtinet, id eſt, ut dixi corporaliter officia legis gerit: in uerbum autem dei anima ſua ſuſtinet, ſcilicet filij dei aduentum, qui & uerbum dei & deus uerbũ eſt ſpirituali fide expectat. Qualiter aũt expectet demonſtrat, dicens: Speravit anima mea in dominũ, à cuſtodia matutina uſq; in noctem.) Recordemur euangelicæ comparationis tenorem, & meminerimus quoſdam operarios uineæ omnem in labore diem tranſigere. A cuſtodia matutina uſq; in noctem propheta ſperat, nullum tempus habet uacuum, totius diei indefeſſus operarius eſt. Sed quid tandem ſpei erit? Non omnis ita diem ſuum in ſpe domini exegit. Sunt enim operarij horæ tertiæ, ſunt ſextæ, ſunt nonæ, ſunt & undecimæ. Et uidetur propheta qui à cuſtodia matutina ſperauit uſq; ad noctem, ſpem nobis euangelicæ mercedis abſcindere Non abſcindit planè. Ait enim: Speret Iſraël in domino.) Sine præfinitione temporis ſpei adhortatio eſt. Ille quidem ut perfectus operarius à cuſtodia matutina uſq; in noctẽ ſperauit. Sed ad ſpem omne tempus eſt liberum, & mercedem non operis ſed miſericordiæ undecimæ horæ operarij cõſequentur. Ita enim ait: Speret Iſraël in domino, quia apud dominũ miſericordia & copioſa apud eum redemptio. Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus eorum.)

Bonus eſt in quem ſperatur, & ſperandum in eo eſt quia miſericors eſt, quia copioſa apud eum redemptio eſt, quia redimet ab iniquitatibus ſuis uniuerſos. Hora undecima eſt, concluſa diei ſunt tempora, curramus omnes, feſtinemus ne nox adſit, ne hora prætereat. Senes ſumus, nox mortis inſiſtit, nec ad undecimam ſaltem uitæ noſtræ horam procederemus. Beatus quidem qui à mane uſq; in noctem laborans pactum denarium tanquàm debitum poſtulat. Sed quia bonus eſt dominus, quia miſericors eſt, ſperemus in eum, ut undecimæ licet horæ operarij diurni laboris denarium cõſequamur, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Canticum graduum Pſalmus. CXXX.

DOmine nõ eſt exaltatum cor meum, neq; elati ſunt oculi mei. Breuis pſalmus eſt & diſtinctione magis quàm tractatu explicandus, ad humilitatem nos & manſuetudinem inducens. Et quia plurimis alijs locis nonnulla de humilitate tractauimus, ocioſum eſt eadem repetere. Certe meminiſſe debemus maximum fidei noſtræ opus eſſe humilitatem, cum hanc pro optimi operis conſcientia propheta commemorat, dicens:

Domine non eſt exaltatum cor meum.) Optimum enim ſacrificium deo cor contribulatũ. Non ergo cor ſecundis rebus efferendum eſt, ſed dei metu intra manſuetudinis fines humilitate cohibendum. Neq; elati ſunt oculi mei. Alia iſtud proprietate Græcitas elocuta eſt dicens, οὐδὲ ἐμετεωρίσθησαν, id eſt ex alio in aliud elati ſunt. Eleuandi autẽ oculi ſecundũ dicta prophetę ſunt: eleuate oculos ueſtros & uidete quis oſtendit hæc omnia. Et dominus in euangelio ait: Eleuate oculos ueſtros & cõſpicite regiones quia albeſcunt ad meſſem. Eleuandi ergo ſunt oculi, ſed non

rurſum

rurſum ex alio in aliud eleuandi, ut ſemel in id quod eleuati ſunt perſeuerent. Dehinc ſequitur: Neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus ſuper me.) Magni periculi res eſt ſi in modicis ambulamus, & ſi non in mirabilibus immoramur. Magna eloquia dei ſunt, ipſe mirabilis in excelſis eſt. Et quomodo tanquam bonum opus de ſe propheta profert quòd in magnis & mirabilibus non ambulet? Sed cum addidit, ſuper me, in his non ambulat quæ homini magna & mirabilia creduntur. Dauid enim & propheta & rex erat, humilis antea & abiectus, neque conuiuio patris ſui dignus, ſed deo complacuit. Vnctus in regem eſt, aſpiratus eſt in prophetam. Non inſoleſcit in regno, non odijs commouetur. Perſequentes ſe amat, inimicorum mortes honorat, incœſtuoſis & parricidalibus filijs parcit. Imperator contemnitur, pater lęditur, propheta uexatur, ultionem nō ut propheta orat, uindictam non ut pater ſumit, cōtumeliam non ut imperator exequitur. In his ergo quæ ſuper ſe magna & mirabilia ſunt non ambulat. Sed uideamus quæ ſequuntur: Si nō humiliter ſentiebā, ſed exaltaui animā meam.) Quæ prophetæ iſta diuerſitas? Non exaltat cor, exaltat animam. Non in magnis & mirabilibus ſuper ſe ambulat, ſed non humiliter ſentit. Excelſus animo eſt, & corde ſubmiſſus, humilis in ſuis eſt, ſed non humilis in ſenſu eſt. Senſus enim eius in cœlo eſt, anima eius in excelſis eſt. Cur autem (ex quo ſecundum euangeliū exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ) humile eſt ſuaui illo manſuetudinis iugo ſubditum. Tenendus ergo humilitatis & altitudinis modus eſt, ut corde humiles, ſenſu uero & anima ſimus excelſi. Dehinc ſequitur: Sicut ablactatū ſuper matre ſua, ſic retribues in animam meam.) Ablactato Iſaac accepimus Abrahā feciſſe cœnam quod ablactatus iam puerili ætate proximus cibum lactis excederet. Apoſtolus omnes rudes fidei, & infantiles adhuc in dei rebus ſcientiæ lacte potat. Ergo profectus maximus eſt, iam lacte non indigere. Ad fortiorē enim cibum tranſiſſe filium ſuum Abraham, etiam conuiuij lætitia teſtatus eſt, & Apoſtolus carnalibus & paruulis in Chriſto panem negat. Propheta itaq; orat, quia non exaltauerit cor ſuum, quia nō in magnis & mirabilibus ſuis ambulauerit, quia non humilia ſenſerit, ſed exaltauerit animam ſuam, uti tanquā ablactato ſuper matre ſua retribuatur animæ eius. Scilcet ut perfecti & cœleſtis & uiuentis panis retributione ſit dignus, quia per ſuperiora quæ commemorauit opera cibū iam lactis exceſſerit. Sed neq; ſibi tantū hunc uiuū è cœlis panem precatur, uniuerſos autem ad eius ſpem adhortatur, dicens: Speret Iſrael in domino ex hoc nunc & uſq; in ſeculum ſeculi.) Spem noſtram nullo fine temporum claudit, in immenſum expectationis noſtræ fidem tendit. In ſeculum ſeculi ſperandum eſt, quia per ſpem præſentis ſeculi ſpem futuri ſeculi conſequemur in domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Canticum graduum. Pſal. CXXXI

MEmento domine Dauid & omnis manſuetudinis eius &c.) Omnes quidem anteriores pſalmi graduū in profectum nos ſpei celſioris extollunt, & per doctrinā fidei, ſpei, confeſſionis, humilitatis, operationis in ſublime gradibus ſuis prouehunt. Sed hic præcipue pſalmus nos & cognitionē filij dei edocet, & ſacramento aſſumptæ ab eo carnis inſtituit. Cœpit enim ita: Memento domine Dauid & omnis manſuetudinis eius.) Audent Iudæi aduentū domini noſtri, quo in corpore ſalutem humano generi reddidit, abnegantes hunc pſalmum ad Dauid referre. Vt in paſſione domini impij, ita & in prophetię ſcientia imperiti, legentes et nō intelligentes, habentes & neſcientes, uenerantes & nō obedientes. Qua enim religionis ſimulatione prophetarum li-

tarum libros uenerentur, multis cognitum eſt. Contrectare legentes manu non audent, lintheo ſubſternunt, ad finem ſacramenti teſtes adhibent, & hoc eò profi- cit, ut maiore irreligioſitatis crimine eorũ quibus tantus honor debetur, dicta aut contaminent, aut diſſimulent, aut neſciant. Hoc eo dictum eſt, quia cum in prophe tis longe poſtea quàm Dauid corpore exceſſerat, ſcriptũ habeant in Hieremia ita: In illa die, dicit dominus, cõtribulabo iugum à ceruice eorũ, uincula eorum diſrum pam, & non operabuntur ipſi adhuc alijs dijs, & operabuntur domino deo ſuo. Et Dauid regem ipſorum ſuſcitabo illis, & rurſum ſuſcitabo illis Dauid regem orien tem iuſtum, & regnabit rex, & intelliget, & faciet iuſtitiã & iudiciũ ſuper terrã. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël cõmorabitur fidens. Item in Eſaia: Et excitabo paſtorẽ ſuper eos unum altum, & paſcet eos ſeruus meus Dauid. Et erit his paſtor, & ego ero illis in deum, & Dauid princeps in medio eorum. Ego dominus locutus ſum. Et diſponam ad Dauid teſtamentũ pacis. Nolunt credere quod docẽtur, neq; his fidem habent quibus deberi uenerationem confitentur. Et religioſi quomodo erunt, autoritatem abnegantes religioni? Dauid cum patribus quieſcebat, ipſe te- ſtamentum datæ per Moſen legis cognouerat, tanto poſtea deus per prophetas lo cutus eſt, Dauid excitandum regem paſtorẽ orientem iuſtum, in cuius diebus ſa- lus Iſraël ſit, ad quem deus teſtamentum pacis diſponit. Ergo eſt Dauid non hic Ieſſe filius pſalmorum ex parte conſcriptor, ſed Dauid ob cuſtodiam gregis ſui pa ſtor. Paſtor enim bonus pro ouibus ſuis animam ponit. Ob æterni regni gloriã rex, cui dictum eſt: Rabbi tu es rex Iſraël. Ob iudicium dei iuſtus: Pater enim non iudi cat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Ob lumen mundi, oriens: Erat enim lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Ob filij di gnitatem, teſtamenti pacis hæres: Omnia enim mihi data ſunt in cœlo & in terra, Et pacem meam relinquo uobis. Confiteantur ergo neceſſe eſt Iudæi, longe poſt tempora Dauid eſſe hæc prædicata. Eſt autem Dauid iſte, qui nomen parentis ſe- cundum originẽ carnis accepit, nomen ſumens eius, cuius ex genere ſumebat & corpus. Omnia autem quæ pſalmo continentur & à geſtis prophetæ Dauid, & à natura humanæ infirmitatis, & ab eius temporibus diuerſa ſunt. Et quia ei nõ res, non conditio, non tempus aptatur, & in eum Dauid quem poſtea per prophetas dominus pollicitus eſt conueniunt, non eſt ambiguum quinetiam hic qui prophe- ta egregius & magnus eſt, de eo Dauid qui poſtea extitit dei ſpiritu prophetiæ of- ficio ſit locutus: Memento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. Non ait: Memento mei, ſed memento domine Dauid.) Vt alterum qui loqueretur o- ſtenderet. Orationem autem omnem hanc eſſe unigeniti filij dei per prophetam lo quentis exiſtimari neceſſe eſt, memoriam dei patris erga eum ſibi quem aſſum- pturus erat hominem deprecantis. Eſt enim Ieſus nunc, ſecundum Apoſtolum, in gloria dei patris, & ei omne cœleſtrium & terreſtrium & infernorum genu flecti- tur. Ergo ſe primogenitus dei filius deus uerbũ iam Dauid nuncupat, per prophe- tam eius ſibi hominis nomen aſſumens, qui ſecundum diuinitatis ſuæ priuilegi- um unà ſecum eſſet in patris gloria collocandus. Memento domine Dauid, & om- nes manſuetudinis eius. Ait enim ipſe: Quia manſuetus & humilis corde ſum. Et teſtimonium dei patris eſt: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo com placuit animæ meę. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & gentibus iudicium nun ciabit. Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet aliquis in plateis uocem eius. Vt omnis ergo huius manſuetudinis pater meminerit deprecatur, per cuius man- ſuetudinis modeſtiam deo patri officium humilitatis ſuæ uouerit: Sicut, inquit, iurauit domino, uotum uouit deo Iacob.) Sacramenti mentio ad profeſſionem uoluntatis aſſumitur. Et neſcio an unigenitus iurauerit. Certe ita geſſit & locutus

Superſtitio Iudæorum

eſt omnia,ut ſacramento religionis ſatis facere uideretur.Nanq; cum quædam de paſſione ſua locutus ad diſcipulos fuiſſet, & Petrus tanquàm indignum hoc dei filio deteſtatus eſſet, Petro cui ſuperius claues regni cœlorũ dederat, ſuper quem eccleſiam ædificaturus erat,aduerſus quam portæ inferi nihil ualerent,qui quæ in terris uel ſoluiſſet uel ligaſſet ea in cœlis uel ſoluta perſiſterent uel ligata. Hunc itaq; tali conuicio deteſtantem hoc ſacramentũ paſſionis excepit. Vade poſt me Sathana, ſcandalum mihi es. Tanta enim ei religio fuit pro humani generis ſalute patiendi,ut Petrum primum filij dei confeſſorem, eccleſiæ fundamentum, cœleſtis regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cœli,ſathanæ conuicio nuncuparet. Quinetiam in tumultu eo quo ſe dedendum paſſioni præbuerat, cum idem Petrus ſeruo ſacerdotis gladio aurem abſcidiſſet ait: Reconde gladium tuum in thecam: Calicem quem dedit mihi pater non bibam illum? Impium & profanum docens eſſe, ſi non omnia quæ erga humanam ſalutem patri uouiſſet, expleret. Abſolute autem in eo oſtendit deuotam paſſionis ſuæ religionem, cum poſt aceti poculum eſſet ſpiritum traditurus. Perfectis enim omnibus ait: Conſummatum eſt: Et inclinans caput tradidit ſpiritum. Percurrerat enim omnia ſacramenti officia,& ubi conſummatione gaudetur,ibi in ſuſcepti operis perfectione lætitiaeſt. Ergo quia ſecundum hanc geſtorum deuotionem ita omnia geſta ſunt, ut uideantur ſtudioſe pro religione, quia iurata ſunt hæc eſſe perfecta, ſequens eſt ut uideatur quid ſit quod Dauid iſte & iurauit & uouit: Si intraro in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis donec inueniam locum domino, tabernaculum deo Iacob.) Humanæ naturæ uota hęc eſſe non poſſunt,& conditio ſacramenti infirmitatẽ terrenæ neceſſitatis excedit. Adeundum tabernaculum domus non eſt, ſtrato lecti abſtinendum eſt,ſomnus oculis & palpebris dormitatio & requies temporibus non danda eſt, donec inueniatur domino locus & tabernaculum deo Iacob. Standum ergo erit noctu diuq; ſub cœlo, & nunquàm in requie corpus iacebit, oculi autem ſemper uigiles laborabunt, & ne ipſis quidem palpebris conniuendi in dormitatione permittitur obductio. Tempora uero quæ maxime toto in corpore iniurijs uigiliarum & ſtationis obnoxia ſunt,requiem non habebunt. Homo iſtud de ſe iurare non ſinitur, etiam ſi maxime nolit, conditionem tamen uoti huius pro ipſa naturæ ſuæ neceſſitate uiolabit. Vigilet licet animus & corpus in ſtatione contineat, tamen neceſſe eſt infirmitatis dominante natura & procidat,& dormiat,& requieſcat inuitus. De hinc quem locum deo homo inueniet? Et incõprehenſibilem infinitamq; naturam quali tabernaculo continebit,cum de ſe ipſe per prophetam dominus locutus eſt, dicens: Cœlum mihi thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum? quam domum ædificabitis mihi aut quis locus requietionis meæ? Omnia enim hæc fecit manus mea,& mea ſunt omnia hæc. Non ignarus autem huius diuinæ uocis propheta eſt, & ſcit humanæ & terrenæ operationis domum deo eſſe non poſſe, id ipſum pſalmo anteriore conteſtans, cum ait: Niſi dominus ædificauerit domum, inuanum laborauerunt qui ædificant eam. Ergo ſi neq; natura hominis conditionem uoti iſtius recipiet, neq; locum & tabernaculum deo humana requiret operatio,cognoſcendum eſt per cœleſtium ſcripturarum autoritatem quid ſit hoc uotum per cuius ſatisfactionem locus domino & deo Iacob tabernaculum ſit repertum. Domino noſtro Ieſu Chriſto unigenito dei filio qui omnia humanæ ſalutis ſacramenta tanquã iuratus expleuit, & quem à prophetis Dauid ſignificatum docuimus,hoc opus maximũ fuit, ut hominem ad ſcientiam diuinam eruditum dignum habitaculum deo redderet. Et eſſe homines ſedem atq; habita-

Petrus fundamentum

tionem

tionem deo ita docemur deo ipso per prophetã loquente: Quia inhabitabo in his & in illis ambulabo, & ero illorũ deus & ipsi erũt mihi populus. Et rursum: In æternum exultabunt & habitabo in his. Dominus autem ipse in euangelio ait: Si quis diligit me & uerbum meum seruabit, & pater meus diliget eum & ad eum uenie mus, & mansionem apud eum faciemus. Et Apostolus quoq; ait: Vos estis templum dei & spiritus dei habitat in uobis. Habitat autem deus religiosorum mentes non corporali aditu neq; naturæ gratioris ingressu, ut alibi nõ degens illic tantum quo se intulerit insistat, sed spiritali uirtute in uacua se à terrenis labibus corda permittit, sese q; luminis modo in patentibus innocentiæ foribus mentes illuminaturus infundit. Assumpto igitur corpore unigenitus deus neq; ante secundum hominem se ingressurũ tabernaculum domus suæ iurat, id est, in cœlestẽ habitationem suam esse rediturũ, quàm hæc religiosi pectoris loca inueniat, sed neq; stratum lecti sui ascensurum se esse uouit. Stratus requies humanorũ laborum est, & fessorum corporum refectio. Sed quia in cœlo semper quiescitur, & quia indefessa illa natura laborẽ nescit, semper in stratu, id est, semper est in quiete. Dominus noster in forma dei manens formã serui accepit, & obediens usq; ad mortem fuit, & mortem crucis, ut plus nescio quid morte pateretur. Ob id autem tantũ obediens usq; ad crucis mortem est, ut nos habitatione dei dignos esse præstaret. Mori igitur uoluit qui uita est, & effici se indefessa uirtus ad habitationẽ corporis nõ recusauit infirmam, ut in forma dei manens formam serui acciperet. Excessit ergo ex illo æternæ beatitudinis suæ stratu. Et testis nobis quadragesimus psalmus est qui ex persona domini omne sacramentum passionis eloquitur, dicens: Vniuersum stratum suum uersasti in infirmitate eius. Cum per obedientiã uoluntatis paternæ ex deo homo, ex potente infirmus, ex uiuificante mortuus, ex æternorũ seculorum iudice crucis reus dicitur, tum stratum eius in infirmitatẽ conuertitur. In illum igitur æternæ & beatæ quietis stratũ uouit nisi reperto dei tabernaculo non redire, sed nec ante somnum oculis suis dare. Quis iste est somnus? Nempe ille, de quo ait: Ego dormiui & somnum cepi & surrexi, quia dominus suscipiet me. Mortis hic somnus est, quem nõ ante oculis suis dabit, quàm locũ habitationis inueniat. Huius etiam somni beatus patriarcha Iacob in benedictione Iudę (qui princeps gentis istius extitit) meminit, dicens: Catulus leonis Iuda ex frutice filius meus, procidens dormisti ut leo, & sicut catulus leonis. Quis suscitabit eum? Et superior & cõsequens benedictio, nec ætati Iudæ, nec gestis conuenit, sed ei qui ex Iudæ frutice sicuti ex radice Iesse est, qui & catulus leonis est, & Iacob erit filius. Ex hac enim tribu Iudæ Maria est, quæ domini secundũ carnem mater fuit. Hic ergo procidens dormiuit ut leo. Leo terrori est feris omnibus, & ueluti dominans est cęterarũ bestiarum, & hic solus per confidentiam & securitatem dormit intrepidus. Terror omniũ uigilans est, ipse autẽ securus in somno est. Et idcirco addidit, quis suscitabit eum, quia intrepidæ & præpotentis naturæ securitatẽ nulla æterni terroris timiditas inquietet. Ne ergo quicquã humile atq; passibile impassibilem unigeniti dei substantiam perpessam existimaremus, in ea morte quam subijt, feræ huius intrepide dormientis exemplum ad secutæ mortis intelligentiã est relatum, ut extra humani timoris esse in somno illo inquietudinẽ doceretur, qui per generis sui naturæq; uirtutẽ dormiens licet timere non posset. Seruata autem diligentissime ea ratio est, ut in unigenito deo æterni & gignentis eum dei gloria noscereture, cum dicitur: sicut leo, & sicut catulus leonis. Ad id enim quod ex deo ipse subsistit, catulus est leonis: ad id uero quod leo est, paternæ in eo maiestatis indifferens generositas prædicatur. Vt unum ambo sint, leo est: ne unus atq; ipse sit, catulus leonis est. Id autẽ ipsum etiam psalmi consequentia docent. Ne enim indefessa illa uirtus & impassibilis uni-

geniti dei natura mortis ſomno dormitatura exiſtimaretur, rem omnem ad officium corporis cui diſceſſio immortalis animæ mors eſt, retulit dicens: Si dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis donec inueniam locum domino tabernaculum deo Iacob.) Temporibus ſecundum translationis fidem nõ ætatis ſpatijs, ſed capitis partibus requiem negat. Et hæ affectiones ſunt corporales quas labor longus & uitæ anxietas exagitant. Quieuit autem ille, cui mors ſomnus eſt, & id quod nobis pœnalis demutatio eſt, unigenito & in corpore manenti deo requies fuit. Sed ante hanc requiẽ & Apoſtoli eliguntur, & ſoluendi ac ligandi & in terra & in cœlo ius ſortiuntur, & poteſtatem aduerſus uirtutẽ omnem aduerſariam ſumunt, & templum dei ſunt, & ipſi ex lege uenientes dignum deo Iacob tabernaculum ſunt reperti. Ac ne ſortè nos per multiplicem humani generis intelligentiam uim ueritati afferre quidam arbitrentur, ut quod ex Dauid perſona dictum ſit, id ad dominum ſaluatoremq; noſtrum multimodis translationum ſubtilitatibus transferamus, contuenda ſunt quæ ſequuntur, ut ex his ueritatem inuitis ſcilicet & renitentibus ingeramus. Ait enim:

Ecce audiuimus eam in Effrata, inuenimus eam in campis ſiluę. Introibimus in tabernacula eius, adorabimus in loco ubi ſteterũt pedes eius.) Superius ubi iuratur ac uouetur uoti ſacramentũ non conuenire naturæ humanæ edocuimus, quia tanti temporis uigilias labor terreni corporis recuſaret. Et nunc ubi loca ipſa eorumq; nomina cõmemorantur, ne quid in Dauid referri poſſit, ueritas ipſa & extantis hodie regionis fides contradicit. Dauid enim diſperſum populum in regno ſuo habens, cui nulla religionis ſedes eſſet, aream in Hieruſalem coëmit ad locum templi, ut illuc ad explenda legis ſolennia conueniretur. Sed tẽplum hoc filius eius Salomon ædificauit, ornauit & religionibus initiauit. Volunt ergo Iudæi Dauid areæ huius coëmptorem peregrinationẽ à domo & uigiliarũ iniuriam & laborem corporis, donec hunc locum & hoc tabernaculum deo Iacob poſſet inuenire uouiſſe. Sed hoc neq; hiſtoria regnorum aut præteritorũ, in quibus Dauid geſta continentur loquitur, neq; pſalmus admittit. Et cur non admittat in abſoluto eſt. Dauid aream coëmit, locus templi locus areæ fuit, ubi fruges congeſtæ, ubi tritæ, ubi & paleæ à tritico ſeparandę ſunt. Requies autem domini in Effrata eſt, & prius audita in Effrata eſt, & poſtea in campis ſyluæ reperta. Et quid cõmune Hieruſalem & Effrata? quid areæ ad ſyluæ campos? nihil hic cõueniens eſt, nihil non diſſonans eſt. Aream in qua requieuiſſe Deus Iacob exiſtimatur nouiſſimis tẽporibus uenturi labro dominus emundat, triticum eius horreis condit, paleas autem inextinguibili igne urit. Probatos legis uiros, apothecis dignos habet, inutiles & infructuoſos igni iudicij deputat. Templum illud hodie iam nullum eſt, incenſum eſt, dirutum eſt, informe ruinis eſt. Et ubi ergo dei requies? Mentitus propheta eſt, & irritum ſacramenti ipſius uotum eſt? Deus etenim requiem quam ei ſe iuratus repertu-rum uouebat, amiſit. Itaq; quia neq; dei dignitati, neq; naturæ hominis, neque locorum ueritati, neq; temporum demutationi hæc irreligioſarum opinionum figmenta cõueniunt, ex ipſis nunc ſcripturarũ cœleſtium autoritatibus demonſtrandum eſt, ad perſonam domini noſtri Ieſu Chriſti & ad eccleſiæ ſanctificationem pſalmum eſſe referendum. Diximus ſuperius etiam hunc prophetam de Dauid illo iuſto paſtore rege oriente, in pſalmo iſto prophetaſſe, & ex perſona eius locutum eſſe, cum dixit: Si intrabo in tabernaculũ domus meę, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem. Et requiem tẽporibus meis donec inueniã locum domino, tabernaculum deo Iacob.)

Nunc uero ut ſe uoti huius non ignarum neq; imperitũ propheta eſſe oſtenderet, ex perſona ſua loquitur, dicẽs Ecce audiuimus eam in Effrata, inuenimus eam

in campis.

in campis ſyluæ. Superius ubi ſacramenti religio commemoratur, unus iurauit ac uouit. Vnus enim in forma dei manens formam ſerui accepit, & unus dominus Ieſus Chriſtus eſt, per quem omnia, Vnus deus pater ex quo omnia. Nunc autem ubi ſcientiæ propheticæ cognitio oſtenditur, ex perſona plurium dicitur, Audiuimus eam in Effrata, inuenimus eam in campis ſyluæ. Quia plurimis requies domini prophetabatur, auditur itaq; in Effrata. Et Effrata eadem eſt quæ Bethleem, in qua dominus natus ex Maria eſt. Teſtis nobis eſt & propheta, dicens: Et tu Bethleem domus Effrata, non es minima ut ſis in milibus Iuda. Ex te enim exiet, qui erit dux Iſraël. Et rurſum: Et tu Bethleem Iudæ non es minima inter principes Iuda. Ex te enim exiet qui reget populum meum Iſraël. Illic enim primum requies dei auditur, ubi primum unigenitus deus corpus humanæ carnis habitauit. Et quod in Effrata auditur, in campis ſyluæ inuenitur. Initium itaque eccleſiæ in Bethleem auditur. Eſſe enim cœpit à Chriſto, ſed in gentibus reperitur quæ ſunt ex ſyluæ campis: ex horrentibus nitidæ, ex ſterilibus fructuoſæ, ex ignis pabulo ui talis cibi regio, ex ferarum cubilibus dei requies, domus, templum, atq; poſſeſſio. Quod autẽ gentes tanquam ſyluę cubili diaboli fuerint, pſalmus nobis ſeptuageſimuſnonus teſtis eſt, dicens: Deuaſtauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Illic enim de uinea ſermo eſt, id eſt, de dei, ut tunc putabatur, populo, quem infidelem & impiũ diabolus gentes inhabitans uaſtauerat. In his ergo campis ſyluæ dei requies, quæ in Effrata audita eſt, inuenitur. Seruata autem temporum ratio eſt, ut quod & audiuimus & inuenimus præteritam ſignificet ætatem. Id autem quod deinceps conſequitur, ſpem futuri temporis docet, cum ait: In tabernacula eius intrabimus, adorabimus ubi ſteterunt pedes eius. Corporali iſtius uitæ præſentis officio propheta deſperans, fide & ſpiritu præſumit ut tabernacula requiei dei qui ea uidit & audiuit introëat. Sed ſuperius ſuper uno tantum tabernaculo iuratum eſt, nunc autem multa tabernacula introibunt, ſed eadem dei requies in pluribus eſt. Hæc ergo requiei dei tabernacula introibunt. Neq; ſolum introibunt, ſed etiam adorabunt ubi ſteterũt pedes eius. Cum ſtatur, uno in loco, ex quo decidi non oporteat, conſiſtitur. Vbi uero pedibus ſtatur, illic toto corporis officio inſiſtitur. Lex præterijt, prophetia clauſa eſt, finis eorum Chriſtus eſt. Demutationis alterius nullus locus eſt. In hoc inæternum ſtandum eſt, ubi iam decurſu legis & prophetarum dominus inſiſtit. Diſcurrit quidem per apoſtolos prædicatio, quos frequenter pedes ſignificatos meminimus, ſed in euangelijs conſiſtitur. Illic ergo adorabitur, ubi domini pedes, id eſt, prædicationes nouiſſimæ ſine demutationis alicuius tranſcenſione conſtiterint. Et quia in euangelijs legimus dictum, multi prophetæ & iuſti cupierunt uidere quæ uos uidetis, & audire quæ auditis, ſanctus propheta deſiderij huius impatiens eſt. Poſtquam enim requiem dei audiuit, & repperit, poſtquam introiturum ſe adoratumq; credidit, ſpei tantæ fieri iam particeps deprecatur, dicens: Exurge domine in requiem tuam.) Quam reperturum ſe Dauid tuus uouit, quam nos in Effrata audiuimus, quam in campis ſyluæ inuenimus, in cuius tabernacula introibimus, adoraturi illic ubi pedes tui ſteterunt. Exurge igitur in eam requiem quæ uoti ſacramento quæſita eſt, quæ prophetiæ ſcientia in loco audita eſt, quæ in gentium fructu frugifero reperta eſt, quæ introëuntibus frequentabilis eſt, quæ loco indemutabilis eſt, quæ adorantum religione uenerabilis eſt. Sed non ſolum tu domine exurge in requiem tuam, ſed & tu & arca ſanctificationis tuæ. Non arca teſtamenti, non arca legis, ſed arca ſanctificationis tuæ. Et quidem eſſe arcam teſtamenti meminimus, intus ac foris auream, ubi tabulæ teſtamenti, ubi ſanctæ literæ, ubi liber teſtamenti, ubi Gomor mannæ. Sed hæc omnia eius quod

dominus aſſumpſit corporis ſpecies eſt, omne in ſe ſacramentum continens legis hoc & deitatis ſpiritu & origine carnis munitum, intus ſcilicet ac foris aureum. Eſt enim dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria dei patris, manna in ſe continens æternum, Ipſe enim panis eſt uiuus, teſtamenti intra ſe tabulas & legis librum conſeruans: Sunt enim in eo uerba uitæ. Vt igitur cum domino etiam hæc ſanctificationis arca (hanc enim ſecundum euangelia & ſanctificauit & ſignauit pater) in requiem exurgat, propheta orat. Cæterum arca illa terrena & frequenter ab allophylis capta eſt & polluta à regibus, & hodie templo atq; urbe ſubuerſa iam nulla eſt. Et uideamus quid ſequitur. Ait enim Sacerdotes tui induantur iuſtitia, & ſancti tui exultent.) Induuntur deo, & arca ſanctificationis eius in requiem reſurgente iuſtitia ſacerdotes, ualidiſſimo (ut Apoſtolus ait) thorace, induentes thoracem iuſtitiæ, quo inimici iacula excipiant, quo in æternum hominem cõmuniant, ſancti autem lætentur. Et uideamus cauſam cur & ſacerdotes iuſtitiam induant, & ſancti lætentur. Ait enim: Propter Dauid ſeruum tuum, ne auertas faciem Chriſti tui.) Chriſtum ad deitatis ſpiritum retulit, Dauid ad corporis carnem. Formam enim ſerui qui in dei forma manebat accepit. Ne igitur auertat à ſacerdotibus atq; à ſanctis Chriſti faciem rogat, ut eos diuinitatis ſuæ gloria qui propter Dauid, id eſt, propter aſſumpti ab eo corporis ſacramentum lætantur, illuminet. Et cur propter Dauid ſeruum ſuum, faciem Chriſti ſui non auertat oſtendit dicens: Iurauit dominus Dauid ueritatem & non fruſtrabitur eum.)

Dominus iurat & iurat ueritatem & dicti ſui fidem etiam ſacramento ne ambigamus affirmat. Non fraudabit igitur Dauid ſuum ueritate iurata. Et quid ei iurauerit dignum eſt contueri. De fructu uentris tui ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos. Et filij eorum uſq; in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem tuam. Quoniã elegit dominus Sion, prælegit eam in habitationẽ ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo quoniam præelegi eam.) Quid hic quod Dauid ſit proprium continetur? Vrbs illa quæ generi eius fuit regia, capta eſt à Babyloniis, & euerſa regni dignitatem ſub dominantiũ iure non tenuit. Poſt etiam à Romanis capta & incenſa iam nulla eſt. Et ubi dei requies in æternum eſt? ubi ex fructu uentris eius in ſede dei reges ſunt? Seruiunt enim hodie exules patria carentes toto in orbe diſperſi. Et ubi illa quæ iurata eſt ueritas? ubi illud quod non fruſtrandus eſt ueritate? Et ubi filijs Dauid regni æterni ſedes ſempiterna? Quæ electa Sion dicitur, horret ruinis, uacua incolis eſt. Et quomodo dei requies eſt in ſecula ſeculorum? Currunt tempora & hoc uitæ noſtræ ſeculũ manet. Deus ergo ſine requie eſt. Sed qui hæc infelicis erroris opinione credunt, audiant cui Dauid iuratum ſit. Nempe illi de quo dictum eſt: Poſui adiutorium meum ſuper potentem, & exaltaui electum de plebe mea. Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo liniui eum. Manus enim mea auxiliabitur ei & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non adijciet nocere ei: Et concidã inimicos eius à facie ipſius, & odientes eum in fugam cõuertam. Et ueritas mea & miſericordia mea cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Et ponã in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Ipſe inuocabit me, pater meus es tu, deus meus & ſuſceptor ſalutis meæ. Et ego primogenitũ ponam illum, excelſum ſuper reges terræ. In æternum ſeruabo illi miſericordiã meam, & teſtamentũ meum fidele ipſi. Et ponam in ſeculũ ſeculi ſemen eius, & thronũ eius ſicut dies cœli. Si derelinquerint filij eius legẽ meam, & in iudicijs meis nõ ambulauerint. Si iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea nõ cuſtodierint. Viſitabo in uirga iniuſtitias eorũ, & in uerberibus peccata eorum. Miſericordiã uero meam nõ diſpergã ab eo, neq; decipiam

Vt ubiq; demolitur ſenſum hiſtoricum

decipiam in ueritate mea. Neq; profanabo teſtamentum meũ, & quæ procedunt de labijs meis nõ faciam irrita. Semel iurauí in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius inæternum manebit, Et ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta inæternum, & teſtis in cœlo fidelis.) Promiſſiones iſtæ Dauid eius ſunt, qui aduerſus potentem adiutor electus eſt, cuius in mari manus eſt, cuius in fluminibus dextera eſt, qui nuncupare deum patrem audet, quia eſt, qui ipſe primogenitus eſt, qui excelſus ſuper reges terræ. Cuius ſemen in ſeculũ ſeculi eſt, cui quæ ſunt dicta, non irrita ſunt, cui ſemel ſine mendacio iuratur in ſancto, cui ſedes ſicut ſol in conſpectu dei eſt, & permanet ut luna perfecta inæternum. Ex huius igitur uẽtris fructu ſup ſedẽ dei collocabunt, quomodo aũt ex fructu ſimus uentris eius audiamus prophetã Hieremiã dicentẽ: Si itaq; audiſtis huiuſmodi, ſi pepererit maſculus. Partũ ſexus iſte nõ recipit, ſed generatio quæ ab eo eſt partus inſtar obtinuit. Audiamus & Paulũ parturientẽ in filijs procreandis, cũ dicit: filij mei quos ego iterũ parturio. Eſſe autẽ omnes nos filios ſibi ipſe dominus in Euangelio teſtatur, dicens: fili remiſſa ſunt tibi peccata. Et iterũ: filioli adhuc uobiſcum ſum. Filij itaq; ſunt ipſius in ſede domini collocãdi. Et ſpei cõditio præponitur, ſi inquit cuſtodierint filij tui teſtamentũ meum & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos. Moſes enim legẽ ſcripſit, in qua teſtimonia dei cõtinentur. Propheta hic idẽ totus diuerſatur in lege. Et quomodo adhuc filij illius Dauid in teſtimonijs ſunt docendi? Non præſentis ætatis eſt ſermo, ſed his proprius, de quibus dictum eſt: Confiteor tibi domine pater cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudẽtibus, & reuelaſti ea paruulis. Sed docti & manentes in his quæ docebuntur quid conſequentur? Vſque in ſeculum, inquit, ſedebunt ſuper ſedem tuã.) Et qui iſti qui ſedebunt? Nempe de quibus dictum eſt. Et uos ſedebitis ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Non negligendum eſt autem, id quod ſuperius & inferius dicitur. Superius enim dictum eſt, ponam ſuper ſedem meam. Nunc autem dicitur, ſedebunt ſuper ſedem tuam. Et hoc quid erit? Nempe id quod dicitur: Omnia quæ patris ſunt, mea ſunt. Sedes patris, ſedes & filij eſt, quia ego & pater unum ſumus. Aut quomodo intelligitur, ponã ſuper ſedem meã, & ſedebunt ſuper ſedẽ tuã, niſi quod per concordẽ & non diſſimilem à ſe innaſcibilis unigenitiq; naturam, & pater in filio, & in patre filius eſt? deitatis in utroque nec genere, nec uoluntate diſſidente ſubſtantia, cum paternæ maieſtatis gloria unigenito congenita ſit: atque ob id ſedem filij, ſedem ſuam pater nuncupat, quia & ex ſe & in gloria indemutabilis diuinitatis ſuæ unigenitus & uerus deus natus ſit, nec contumeliam cõmunicatarum cum eo ſediũ ſentiat, cui ex ſe genito in naturæ ſimilitudine nulla diuerſitas eſt dignitatis. Deinde eorũ habitatio qui in ſeculum ſuper ſedẽ ſeſſuri ſunt ita oſtenditur. Quoniã elegit dominus Sion, præelegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo quia præelegi eam. Non montẽ ſcilicet Sion deſertũ & inutilem elegit, neq; ciuitatem erutam & euerſam. Locis enim deus non cõtinetur, neq; omnipotens & æterna ſubſtantia, aut in deſertis montium ſolitudinibus, aut in urbium ruinis iam deformiũ conquieſcit, ſed elegit eorũ requiẽ, de quibus dominus in euãgelio ait: Nemo uenit ad me, niſi pater qui miſit me adducat illũ. Illam Siõ ſanctã & cœleſtẽ Hieruſalem elegit, concordẽ ſcilicet fideliũ cœtum, & ſanctificatas ſacramẽtis eccleſię animas, in qbus tanq; rationabili & intelligẽti & emũdata & æterna p reſurrectiõis gloriã domo, rationabilis & intelligẽs & impolluta & æterna inenarrabilis diuinitatis natura reqeſcat. Nõ quod ex ea, in qua eſt infinitatis ſuę immenſitate deſiſtat, ut humanarũ mentium anguſtijs coarctetur, ſed quia per digni ſe habitaculi ſedẽ, qui & ubiq; & idẽ & totus & ſemper eſt, in

ſanctis probatiſq; requieſcat: ubi nulla offenſio, nulla demutatio, ſed in ſeculum ſeculi, id eſt, in æterna tempora digna & placens habitatio ſit electa. Dehinc ſequitur: Viduam eius benedicens benedicã.) Quidã translator m interpretatus eſſe ita repertus eſt. Captionẽ eius benedicens benedicã, tanq; uenatoribus & piſcatoribus hominum effectis apoſtolis hæc eorum benedicta ſit captio. Maxime quod Bethſaida ex qua apoſtoli ſunt, per interpretationẽ linguæ Hebraicæ domus uenantiũ nuncupetur. Sed nobis ſequenda eſt prima illa, & ſub ludæorum temporibus ante domini aduentũ ad eccleſiæ doctrinã conſignata trãslationis auctoritas. Viduam eius benedicẽs benedicã. Quanta uiduarũ dignitas eſt, & honeſta unius thori conſcientia, & felicis cõtinentiæ indemutata cõſtantia: Hæc enim benedicitur, & benedicendo benedicitur, ex iudicio ſcilicet benedicentis, benedictione fit digna. Sed Apoſtolus gentiũ doctor hortatur nos & aliud de uidua quæ benedicenda eſt ſentire. Lege enim nõ per uirtutẽ ſpiritualis efficientiæ, ſed per finem obſeruantiæ eius emortua, uiduã eam eſſe quæ ex Synagoga effecta eccleſia ſit, docet, dicens: An ignoratis fratres, ſcientibus enim legẽ loquor, quoniam lex dominatur homini, in quantũ temporis uiuit? Quæ enim ſub marito eſt mulier, uiuo marito iuncta eſt legi. Si aũt mortuus fuerit maritus, euacuata eſt à lege mariti. Ergo uiuente marito adultera uocabitur, ſi iungatur alij uiro. Si uero moriat uir eius, liberata eſt à lege, ne adultera teneatur cõiuncta alij uiro. itaq; fratres mei & mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, ut & ipſi ſitis alterius, huius qui à mortuis reſurrexit. Cõparatione uiduæ quæ mortuo marito libera quibus uolet nuptijs ſit, deſinente iam lege, uiduã legis eccleſiam eſſe demõſtrat Chriſto legitime copulandam: Hanc ergo legis uiduam benedicendo benedicet. Deinde ait:

Θήρας, Sic Hieronymus uenationem uertit χήρας uiduam ſonat.

Pauperes eius ſaturabo panibus.) Bonũ eſt in eccleſia pauperes non eſurire, quia cũ inops paſcitur, aut ſitiẽs potat, aut nudus ueſtitur, aut infirmus uiſitatur, aut carcere clauſus requirit, ei hæc officiorũ obſequia deferũtur, q in ſingulis nobis eſurit, & ſitit, & alget, & infirmat, & clauditur, quicq; ait: Amen amẽ dico uobis, quia quæ feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis. Per hãc ergo dictorũ eius fidelem promiſſionẽ paupes eius panibus ſaturat. Saturat aũt & eos panibus qui per humilitatẽ cordis cõtemptumq; ſeculi ſeipſos in paupertate cõſtituunt, quos cibo uitæ perennis expleuit, ſicut alio loco dictũ eſt: Diuites eguerũt & eſurierũt, inquirentes aũt dominũ nõ minuentur omni bono. Deinde ſequitur: Sacerdotes eius induã ſalutari, & ſancti eius exultatiõe exultabũt.) Sacerdotes ſuperius iuſticia induuntur, ſed profectũ honoris ſui ſumũt, ſalutari ſcilicet induuntur, conformes effecti glorię ſalutaris. Quia ſecundũ Apoſtolũ de cœlis ſaluificatorẽ noſtrum expectamus, qui potens eſt ſecundũ operationẽ efficientiæ ſuæ corpus humilitatis noſtrę cõformare corpori gloriæ ſuę. Hoc ergo ſalutari ſacerdotes induuntur, ſed domini & ſancti exultatione exultabũt. Supius exultabũt tantũ adhuc in humilitatis corpore poſiti, & ſpe tantummodo æternitatis læti, cęterũ tunc perfecta exultatione exultãtes, nõ ſpe, ſed ueritate, nõ imagine, ſed corpore. Eſt enim plerũq; exultatio, quę demutari ſolet, uel caſu uel infirmitate, uel tẽpore. Ad hoc uero hęc ſanctorũ exultatio ea eſt, ut exultatione cõſummatæ in ſe exultatiõis exultent. Cauſa autẽ exultationis oſtẽditur: Illic producã cornu Dauid.) Cornu regni inſigne eſt. Per hoc enim cornu unguentũ regiũ regnaturis infundebatur. Illic cũ dicitur requies, ſignificatur de qua dictũ eſt: Hęc requies mea in ſeculũ ſeculi. In hac igitur requie cornu Dauid, id eſt, regnũ illius de quo prophetat Dauid, deus producit, non illud humanum, nec corruptibile, nec caducum, ſed illud quod ſecundum regnum dei in ſeculum ſeculi eſt, & quorum erit regnum cœlorum. Nempe de quibus dictum eſt: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum

eſt

eſt regnū cœlorum,id eſt,in quos æternus rex,& cuius ſecundum Danielē regni finis nullus eſt,regnabit. Non occultus igitur hic rex eſt,hunc lex prædicat, hunc prophetæ pollicentur,hunc Ioannes pœnitentiæ prędicator oſtendit.Ille eſt enim ſecundum domini in euangelio dictum lucerna ardens, Chriſtum tenebris mundi huius oſtendens.Omnis igitur de eo prophetia lucerna eſt eius, ignorantiæ noſtræ nocti ſcientiæ lumen oſtendens, infideles atq; impios ueritatis luce confundens,& in unigenito paternæ maieſtatis gloriam docens. Et hoc illud eſt quod ſequitur: Paraui lucernā Chriſto meo, inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem florebit ſanctificatio mea.) Parata lucerna eſt, ne ad cognoſcendū eum nox ignorationis exiſteret.Inimici eius cōfuſione induentur:uidebunt enim filium hominis in maieſtate patris ſui,& non ſalute,ſed confuſione induentur, terreno ſcilicet & indecoro corpore reſurgentes,ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.Exaltauit,inquit,eum deus & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen,ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium,& infernorum,& omnis lingua confiteatur,quia dominus Ieſus in gloria eſt dei patris;qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum.Amen.

Canticum graduum PSAL.CXXXII.

PEr omnem doctrinæ ordinem gradibus ſcanditur, nam per gradus ad ſuperiora,puehimur.In eo quod ita cœpit propheta,Ecce quàm bonum & quàm iocundum,docemur quid bonum atq; iocundum ſit,ut per cognitionem eorum in bonis iocundisq; maneamus.Seruata autem ſcienter ea ratio à propheta eſt,ut bonum iocundumq; ſociaret,quia non omne quod bonū eſt,iocundum eſt, neq; omne quod iocundū eſt,bonū eſt.Iocundus eſt luxus,ſed bonus nō eſt. Eſt enim in ipſa illa corporalis laſciuiæ amœnitate detrimentum & ſalutis & famæ. Bona eſt tollerantia iniuriæ maxime cum ad irreligioſitatē compellimur pœnis,famis,ſitis,frigoris,uigiliarū, cōtumeliarum,dolorum,ſed iocunda non eſt. Illic enim iniurioſum perfectæ uirtutis officium eſt.Et ita per hæc nōnunq; & bonum iocundo, & iocunditas ſolet eo carere quod bonū eſt. Videamus quid ſit illud quod bonum & iocundum eſſe propheta demonſtrat,ſcilicet habitare fratres in unū.Non humanas cohabitationes,nec terrenarum domorum cōmunionem propheta Dauid dicit. Nam fratres ob hæc ipſa tectorum conſortia diſſidentes uidemus, & inimicos ſæpe eiuſdem domicilij habitatio cōtinet,& nonnunq; incrementum odijs ipſa illa cohabitandi indignatio ſubminiſtrat.Sed nouit eſſe Apoſtolus communem & religioſam domum,dicens: Vt ſcias quemadmodum te oporteat in domo dei conuerſari quæ eſt eccleſia dei uiui,columna & firmamentum ueritatis. Itaq; bonum & iocundū eſt in unum habitare fratres.Cum in unum habitant, conuentum eccleſiæ congregant.Cum fratres nuncupantur,unicæ uoluntatis charitate concordes ſunt. Ad primam enim apoſtolorum prædicationē hoc præcipuum fuiſſe credentium præconium legimus,quod dicitur:Erat enim omnium credentium cor unum & anima una aſſenſu,eadem uoluntate non diſſonans fide, ſocia amoris ac ſententiæ unanimitate perfecta.Et hoc teſtatur ille gentium doctor, dicens: Vt ſitis omnes perfecti eodem ſenſu eadem ſententia.Et rurſum: Implete gaudium meum ut idipſum ſapiatis,eandem charitatem habētes,unanimes unum ſentientes, nihil per æmulationem,ſiue per inanem gloriam agentes, ſed in humilitate inuicem arbitrantes præcellere ſuper inuicem,non ſua, ſed aliorum unuſquiſq; ueſtrum conſeplantes.Hoc Apoſtoli gaudiū eſt,idipſum nos ſapere,amore eodē cōtineri, per unius ſenſus ſententiā unanimes permanere, nō per æmulationē ſeparare,neq; per inanis gloriæ ſtudiū diſſidere, non ſua,ſed aliorū unumquēq; cogitare oportere,ut

Nimium uidemus in rem bonam.

γνώμῃ.

tere, ut ea quibus alienæ uoluntates in cõcordia detinendæ ſint cogitemus, quod alio in loco admonet, dicens: Si poſſibile eſt ex uobis ad omnes pacem habentes. Ex nobis uult eſſe, ut ſi poſſibile eſt pax ad omnes ſit, uoluntas noſtra omniũ amicitijs dedita ſit, & ſi cæterorum natura nõ habeat pacis affectũ, dummodo non ex nobis cauſa aut interruptę, aut non cõſeruatæ pacis exiſtat. Hoc itaq; populo dei cõgruit, ſub uno patre fratres, & ſub uno ſpiritu unum eſſe, ſub una domo unanimes incedere, ſub uno capite unius corporis mẽbra eſſe. Non enim oculus aurem odit, nec nares os execrãtur, nec manus pedẽ ſpernit. Hæc enim ut officijs mutuis ſibi, ita & amore diſtricta ſunt. Hoc iocundũ & bonũ eſt habitare fratres in unũ, in eodem eſſe, idẽ eſſe, nec congregatione fieri, nec amore diuerſos. Comparationem uero huius boni iocunditę propheta cõſtituit, dicens: Sicut unguentũ in capite quod deſcendit in barbã Aaron, quod deſcendit in oram ueſtimenti eius.)

Aaron unguento cuius compoſitio & confectio ex odoribus continetur unctus eſt in ſacerdotem. Hanc conſecrationem primi ſacerdotis ſui deo eſſe cõplacuit. Dominum quoq; noſtrũ inuiſibiliter & incorporaliter unctum eſſe cognouimus, cum dicitur: Vnxit te deus tuus oleo exultationis. Vnctio iſta terrena non eſt, incorporea eſt, inuiſibilis eſt, nõ in oleo ut ſacerdos & propheta, nõ cornu ut rex, ſed oleo exultationis ungitur. Opus iſtud lætitię ſpiritualis eſt, & ad ſacramentũ cœleſtis unctionis exultationis fructus adhibetur, non materialis creaturæ eſt, quia corporalia corporalibus indigebãt, Aaron myro cõfuſionis ungitur. Sed id quod corporale eſt, per efficientiã uirtutis ſpiritualis imbutum ſpeciẽ olei cœleſtis imitatur. Denicq; poſt hãc unctionem Aaron ſecundum legẽ Chriſtus eſt nuncupatus, poſtq; unctionis cõfuſio per id quod à deo confici demonſtrata eſt in ſpeciẽ unctionis inuiſibilis cõſecratur. Vt igitur hoc myrum omnes fœtentes odores & immundos cordium ſpiritus quocunq; infuſum fuerit extinguit, ſecq; in omnia in quo infert odor hic ſuauitatis infundit: ita per hoc ſacramentũ unctionis infuſæ, & per eã omni terrenorum ac ſordentiũ ultionum noſtrorum fœtore deterſo deo iam quod ſuaue eſt, ſpiramus. Nouit hunc ſuaueolentiæ ſpiritum beatus apoſtolus Paulus, dicens: Ita Chriſti bonus odor ſumus deo in omni loco, in his qui ſaluantur, & in his qui pereunt. Et in iſtis quidẽ ex morte in mortem, iſtis autẽ odor ex uita in uitã. Vt odorem uitæ nos eſſe uiuentibus, ita odorẽ eſſe mortis, his qui in peccatis ſuis morerentur oſtendens: ipſe autẽ Chriſti odor ex nobis bonus deo eſt. Vt igitur placitũ hoc in primo, id eſt, Aaron ſacerdote unguẽtum deo extitit, quo in exemplum olei exultationis perungebatur, & gratum deo ex ſe fidei & innocentiæ odorem præbet: ita bonum & iocundum eſt habitare fratres in unum, per quod unanimitas uoluntatis eiuſdem primis & maximis ſacramentis bonorũ cœleſtium cõparatur. Deſcendit autem hoc unguentum à capite in barbam. Barba uirilis ætatis ornatus eſt. Necq enim nos paruulos eſſe in Chriſto oportet, niſi ad id tantum quod dictum eſt, paruuli malitia, non ſenſu. Infideles autem omnes idem Apoſtolus paruulos eſſe, quia infirmi ſumere cibum firmum minime ualentes adhuc lactis egeant, obiurgat, dicẽs: Lacte uos potaui, non cibo: nõdum enim poteratis, ſed neque adhuc poteſtis. De ſe autem ita: Cum factus ſum uir ea quæ ſunt paruuli dereliqui, occurrere uero in id feſtinat, in uirum conſummatum, in menſuram ætatis plenitudinis corporis Chriſti. Vnguentum hoc ergo in barbam Aaron, id eſt, cõſummatæ fidei uirum deſcendit à capite. Caput ſecundum Apoſtolum uiri Chriſtus eſt. Moſes unguentum hoc compoſuit & confudit, ſed componendum & confundendum deus docuit, & deus mediator in lege. De capite ergo, id eſt, de Chriſto deſcendit in barbã, & ab eo deſcendit, cui dictũ eſt, unguentum exinanitũ nomen tuum. Deſcendit autem in eum qui per ætatis firmitatẽ in-

Μύρον unguentum.

demutabilis

demutabilis esset fidei firmitate mansurus. Descendit aũt etiã in oram uestimẽti. Ora uestimenti ea sunt, quæ usq; ad pedes defluũt, per quod ad omne corpus hic ungenti odor à capite in barbam, & deinde ad uestimenti oram descendit. In his autem mulieribus quæ ungentes dominum typum ecclesiæ in euangelio prætulerunt, ita docemur, quod una caput, alia pedes unxerit, per quod quæq; earum significatur in parte corporis omne corpus unxisse. Media itaq; corporis prætermissa sunt. Nam dum ora uestimenti & barba memorantur, omne in his corpus ostenditur. Additur etiam & alterius comparationis exæquatio, cum dicitur:

Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion.) Ros ab Hermon in Sion non descendit, multo enim à se interuallo hi montes diuisi sunt. Neq; sanè natura fert ut ros à loco in locum descendat. Sion autẽ est secundũ doctrinam cœlestẽ ecclesia, uel quæ nunc est, uel quæ erit sanctorũ, quæ per resurrectionem glorificatorum & lætantiũ angelorũ cœtu frequentatur. Hermon autem mons est in Phœnice, cuius interpretatio anathema est: quod enim nobis Anathema nuncupatur, id Hebraice Hermon dicitur. Fertur autem id de quo etiam nescio cuius liber extat, quod angeli concupiscentes filias hominum, cum de cœlo descenderent, in hunc montẽ maxime cõuenirent excelsum. Sed hæc prætermittamus. Quæ enim libro legis non cõtinentur, ea nec nosse debemus: cõmemorata autẽ ob id tantum sunt, quod nos hoc mõte dei per prophetã professio cõmouebat. Certe hodie gentes mõtem hunc prophana religione uenerantur, & interpretationẽ nominis sui, quod est anathema, ipsam illã impiæ superstitionis sedẽ testãtur. Ros uero de cœlis est, & inter benedictionũ munera optari eũ meminimus, cũ Isaac ad Iacob ait Et det tibi deus à rore cœli & ab ubertate terræ multitudinem. Ergo quia munera & benedictiones dei, quibus primũ omnia cum creata & facta sunt benedixit, postea uero ex peccato Adæ in anathemate cõstiterunt, gratum deo est ea rursum in sanctificationis sedem redire atq; descendere. Benedictus enim homo fuit, sed post benedictionẽ peccauit, & statim impius fuit: sed qui mauult peccatoris pœnitentiam quàm mortẽ, uult benedictionis suæ rorem ab Hermon in Sion descendere, id est, ex impietatis sede in sanctificationis locũ transire. Rore enim omnia uiresc unt, aluntur, augẽtur: ita principali illa dei benedictione homo gignitur, spirat, & crescit. Est ergo bonũ atq; iocundũ ut à gentili errore, id est, profana Hermon ueneratione descendẽs ad Sion, id est, ad æternæ beatitudinis domũ trãseat, & eum qui salute omniũ lætatur oblectet, ob id quoniam illic mandauit dominus benedictionẽ & uitam usq; in secula, in Sion scilicet uel etiã in unanimitatẽ cohabitantiũ fratrũ. Benedictiones enim ecclesia sola largit̃, uitam æternã unanimitas promeretur. Qui dixit enim æternę uitæ uiã pãdens, diligite inuicẽ sicut ego dilexi uos, nõ mendax est. Est enim ipse ueritas, uia, uita, dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Canticum graduum PSAL. CXXXIII.



Inem sumunt cantica graduum, sed ascensionibus suis dignum. Cum enim per ea ad cognitionem sacramenti cœlestis scandatur, necesse est, ut postea benedictio ei ad quem conscensum sit debeatur. Vocat igitur omnes prophetia ad benedicendum, & tanquàm cõsummatis omnibus uniuersos ad contestationem honoris debiti congregat, dicens: Ecce nunc benedicite dominum omnes serui domini.) In eo autem quod ait, ecce nunc, elaboratæ ascensionis perfectum opus esse significat, ut iam nunc benedicant, quia proficiẽtes ascenderint. Benedicendus est, quia nos in excelsum prouexerit, quia fidei gradibus in sublime domus suę eleuauerit. Benedictione autem dei os peccatoris indignũ est, & idcirco ait: omnes serui eius

Non

Nõ omnium eſt deo accepta benedictio, neq; ſe promiſcuus putet placere poſſe: Soli iſtud competit dei ſeruo, non peccati ſeruo, nec ſeculi ſeruo. Omnis enim, inquit, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Seruo igitur dei competit, ut dominũ ſuum religioſo ore benedicat, ac ne ipſi quidem ſeruo hoc erit propriũ, qui ſe ſeruum nomine ſolo profiteatur, qui etiam nunc cũctabundus & fluctuãns incerto fidei uoto circumferatur, cuius cogitatio & uoluntas in recordationem peccaminum, & in curas uoluntatum euagetur. Et idcirco cum dixiſſet: Ecce nunc benedicite dominũ omnes ſeruí eius. adiecit: Qui ſtatis in domo domini, in atrijs domus dei noſtri.) Qui ſtat, loco non mouetur, iam currit, iam aſcendit, iam immobilis manet, iam auide bibit beatã illã prophetę uocem: Statuit ſuper petram pedes meos. Et rurſum: In petra exaltaſti me: & audiet tanq; Moſi ſibi dici, tu autem ſta hic mecum. De peccatoribus autem ita legimus: Dilexerunt mouere pedes ſuos. Standum ergo eſt in domo domini, quia benedictio ſtantium placeat, & ſtantium in domo illa ſancta & cœleſti Hieruſalem, & angelorum frequentiũ, ad quã per hanc eccleſiæ & conuentus noſtri domum ſcanditur. Et quia plures apud patrem manſiones ſunt, benedicunt dominum, non ſolum in domo ſtantes, ſed etiã in atrijs eius. Non omnis domus atrium eſt, domus eſt etiam quicquid extra atrium eſt. Interior autem & familiarior atrij ſedes eſt. Interius ergo ſtabunt, qui in atrio ſunt, quia ſit licet dignitas, in domo ſtare, præuenit tamen ille qui in atrio ſtetit. Diuerſos uero eſſe eos qui in domo, & eos qui in atrio ſint, alibi propheta demonſtrat, dicens: Plantati in domo domini, in atrijs dei noſtri florent. Maior fructus eſt effloruiſſe. Et licet plantatio habeat dignitatem, præcellit tamen efflorescentium honor. Quia ut initium in plantatione eſt, ita gaudium boni operis in flore eſt. Reperi autem quoſdam ambiguos circa hoc, in atrijs domus domini fuiſſe, dicentes, idcirco hoc à translatoribus primis adiectum eſſe, quia ſub hiſdem uerſibus ſequenti pſalmo continetur, opinantibus ipſis ſcriptorum uitio in libris Hebraicis fuiſſe præteritum. Sed noui interpretes quæ uolunt tractent: nobis uero obſequendum eſt, & autoritati translationum, & uetuſtati. In hanc autẽ ſpem ſtandi in domo, & in atrijs domini, propheta nos hortatur, dicens: In noctibus extollite manus ueſtras in ſancta, & benedicite dominum.) Agimus enim, ſecundum Apoſtolum, ſub principibus harum tenebrarum, & nox nos ſeculi detinet, quæ per euangelicam prædicationem iam prodijt in lucem. Nox enim iam proficiſcitur, ſicut in die decenter ambulate. In hac igitur nocte ignorantiæ, inſidiarũ, infirmitatum, cõcupiſcentiarum, uiciorum eleuandæ manus ſunt in ſancta, non ad prædicandum & orandum tantum, ſed etiam ad operandum. Preces enim nudę non proficiunt. Eleuanda autem opera noſtra ſunt in dei ſancta, id eſt, in nudis ueſtiendis, in eſurientibus cibandis, in ſitientibus potandis, in afflictis cõſolandis, in oppreſſis adiuuandis, in omnibus diligendis. Hæc enim nos in hac corporis noſtri infirmitate ſanctificãt, hæc deo placita & ſancta ſunt. Et hoc non ignorat propheta, dicens: Eleuatio manuum mearum ſacrificium ueſpertinum. Nunc enim in conſummationẽ ſeculi, quod eſt ueſpertinũ, non in tauris & hircis, ſed in operibus bonis deo hoſtia eſt. Moſes nos docuit exemplo, qui cum eleuatis conſtituiſſet manibus uincebat: ſummiſſis uero in terram uincẽdum populum ab hoſte prębebat, oſtendens per hanc formam, hoſtem noſtrum, ſi terrena opera noſtra ſint, uincere: ſi excelſa uero ſint, eſſe uincendum. Eleuandę igitur manus noſtræ ſunt in noctibus, ut plantemur in domo, ut in atrijs floreamus, & benedicendus eſt dominus, id eſt, cum dei benedictione ſemper orandum eſt, ne cum panem inopi præbeas, metu famis triſtis ſis: ne cum ſumptum indigenti offeras, damnum putes: ne cum nudum ueſte induas, exui te exiſtimes. Hilarem enim datorem

Nihil tale Hieronymus.

datorem amat deus. Quid autem læta & benedicentia eleuatarum manuum opera mereantur, oſtendit dicens: Benedicat te dominus ex Sion.) Dominus ſcilicet eccleſiæ,& ſanctæ Hieruſalem,& ciuitatis uiuis gemmarum lapidibus extructæ.In deo uero æterno ut ſpem omnem noſtram poſitam cognoſceremus,adiecit: Qui fecit cœlum & terram.) Eum ſcilicet eccleſiarum deum eſſe demonſtrans,qui cœlum feciſſet & terram, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Alleluia. Pſalmus CXXXIIII.

PSalmus ſecundum ſimplicitatem audientium abſolutus uidetur. Ea enim ex maiore parte in eo continentur, quæ libro Exodi inſcripta ſunt, Aegypti plagæ,Pharaonis pœna,regum mortes,& hoſtilis terræ obtenta hæreditas: ſed ſecundum Apoſtolum quæ in lege ſunt, umbra eſt futurorum,quæ in ea geſta ſunt, allegorumena non negligenter audienda ſunt,quia ſub corporalium geſtorum ſide in exemplum ſunt ſpiritualium operum conſtituta.Magnæ autem diligentiæ res eſt,uirtutem uerborũ collocatorum expendere, & ſcire quid cuiq; rei ſub eorum quæ dicta ſunt ſignificatione ſit proprium. Vt enim nõ omnium eſt,herbarum genera uirtutesq; noſſe, & ſi quis imperitus aut neſcius in agrum his ſalubribus herbis diuitẽ uenerit,omnia inutilia & promiſcue genita exiſtimans præteribit:at uero ſi peritus & doctus hunc precioſum in his germinibus agrum fuerit ingreſſus,omnia quę ab alijs prę terita erunt demetet, & ea quæ ab ignaris erunt neglecta mirabitur: ſciens quando utile metendorum eorum tempus ſit,& in quę genera ſanitatum his utendum ſit,& quantum ex his,aut quouſq; moderandum ſit:ſic & in diuinis ſcripturis eſſe intelligendum eſt,ut ſi eas impia auris & mens ruſtica audiat,tanquam ocioſas & non neceſſarias negligat:at uero ſi calens ad cognitionem dei auditor ac lector adſtiterit, & cui frequens lectio, & ſpiritualis gratiæ donũ ſcientiam dijudicandi ſingula,intelligendiq; præſtiterit,mirabitur omnia,atq; his ſecundũ naturales eorum uirtutes & efficientias utetur,nõ ignarus quando quid præſumendum ſit,& in quã curationem eligendũ,quando ex eo corpori ſanatio,quando animę medela tribuenda ſit,ne quid præproperum,ne quid importunum ac tardium,ſed collatis & uirtutibus,& temporibus,& rebus, non imperite his quæ ſibi comperta fuerint utatur,quod quidem maxime in hoc pſalmo ita eſſe intelligitur.Incredibilem enim in modum ea rebus geſtis uerba ſubiecta ſunt, ut cum fideliter illa quæ geſta ſunt enunciarent,maiorem tamen internę & ſpiritualis intelligentiæ profectũ ex ſe ita collocata præſtarent.Neq; tantũ hæc ratio ſeruata eſt,ut res ipſæ quæ corporaliter geſtæ ſunt,ad oſtendendam dei magnificentiam commemorarentur,uerum etiam ut per cognitiones geſtorũ, & uirtutes nominum exemplum de ſe gerendis in his quæ ſunt geſta,præberẽt.Itaq; neceſſarium eſt,hæc ſingula perſonis, temporibus,uirtutibus diſcernere,ut ea quę incurioſæ aures tanquam nõ neceſſaria fortè perdiderint, ipſa illa ad humanę infidelitatis medelam ſanationemq; referantur.Et hoc ipſis rebus in pſalmo docebimus, qui ita cœptus eſt: Laudate nomen domini,laudate ſerui dominũ, qui ſtatis in domo domini,in atrijs domus dei noſtri. Laudate dominũ,quia benignus eſt dominus, pſallite nomini eius,quoniam ſuaue eſt.) Et contuendum in exordio pſalmi eſt,quòd ad laudem nos dei ad uocat,cum in ſuperiore pſalmo ad ſolam benedictionem hortatus ſit.Præſtare autem laudi benedictionem non ambiguum eſt. Primus enim odor in benedictione poſitus eſt,ſed conſummatur in laude, & laus non incipienda confuſe eſt,ſed ordine ac modo confitenda eſt.Hoc enim primum eſt,laudate nomẽ domini. Nomen ergo domini primum laudare admonemur, quia deus cœli ſit,quia deus terræ ſit,

quia deus mundi ſit,quia deus,quod fidei noſtræ & ſpei proprium eſt,Abrahæ,& Iſaac,& Iacob ſit. In his enim primum deo laus eſt. Sequens uero præceptum eſt, laudate ſerui dominum. Per cognitionem nominis dei ad ſcientiam eius proficimus. Iam enim non nomen domini, ſed dominum laudamus, cognoſcentes quur deus cœli ſit,quur terræ deus ſit, quur deus mundi, quur Abrahæ, & Iſaac, & Iacob ſit. Hæc enim primum puerilis doctrinæ rudimenta tranſgreſſi, deum nō iam per obedientiam ſubditorum, ſed per immenſæ uirtutis ſuæ magnificentiam laudamus,& laudamus ſerui eius. Neq; ſolum ſerui eius nudo tantū profeſſionis noſtræ uocabulo nuncupati,ſed ſtantes in domo eius iam non uagi,neq; erratici,ſed ſtantium firmitate ſtabiliti. Neq; tantummodo ſtantes, ſed etiam in atrio domini dei noſtri,internæ potius & mediæ domus ſede ſuſcepti. Per hunc igitur ordinem à ſeruis & à ſtantibus in domo atq; in atrio laus inchoatur. Laudandus deus ob id eſt,quia benignus eſt. Nam ut omnipotens ſit,naturæ ſuæ uirtus eſt: ut uero benignus ſit,nobis neceſſariū eſt, quos corporis infirmitas & conditio originis in peccatis detinet. Et quid ſpei eſt humanis delictis,ſi benignitas dei abſit? Sed dictorū ratio conſideranda eſt. Namq; qui laudandus eſt quia benignus eſt,pſallendū nomini eius eſt,quia ſuaue eſt. Pſallite nomini eius quoniam ſuaue eſt. Pſallite ubi dicitur,ad corporis opera refertur,ut per organi noſtri, id eſt,corporis multimoda opera conſonans deo fiat & apta laudatio. Pſallere ergo nomini eius iubemur, quia ſuaue eſt. Suaue enim eſt deo,corpora noſtra cōplacito miniſterio probabiliq; famulari,uel ipſum illud potius nomen domini ſuaue eſt. Et quid ſuauitatis in ſe habet,uel nomē eius,uel ei pſallere,continuo ſubiecit, dicens: Quoniā Iacob elegit ſibi dominus Iſraël in poſſeſſionē ſibi.) Initiū originis Iudæorū ſecundum ſanctificationē generis Abraham eſt. Ad hunc enim dei fuit ſermo. Et cur potius Iacob quàm Abrahā dominus elegit? Dehinc cū idem ſecundū nuncupationis allocutionē ſit Iſraël qui & Iacob, cur iterū additur, Iſraël in poſſeſſionē ſibi? Ordo exigebat principem electionis Abraham,non eum qui iam tertius in electione eſt Iacob commemorari: ratio quoq; ammonebat, ut ſignificatus Iſraël in Iacob intelligeretur: quin etiam illud accedit, quòd qui Iacob eſt eligitur, qui Iſraël poſſidetur. Sed iam in exordio ſermonis monuimus,illa ex rebus corporaliter geſtis commemorata in pſalmo eſſe, in quibus futuri ſpecies tanquam in ſpeculo reluceret, ea quoq; geſtis rebus coaptata uerba eſſe,quæ cum ea quæ geſta ſunt, nunciarēt, tamen intelligentiam nobis abſolutiorem eorum quæ ſpiritualiter in geſtis rebus præfigurabantur,afferrent. Dei nomen ſuaue eſt, non uni tantum genti, atq; ipſi irreligioſæ, ſed omnibus iam gentibus atq; linguis. Iacob enim ſibi elegit maiorē natu ſupplantantem, ementem primitias cibo & deſperatione uenales, abripientem benedictionem,impœnitentem poſt ſeruitutem,deinde poſt luctam deum uidentem,& Iſraël nuncupatum. Ante enim Iacob eſt,& ſic Iſraël. Circunſpiciamus eccleſiæ corpus, quæ per differentiam fidei & Iacob, & Iſraël habet, & hic cœtus populū legis fide ſupplantat,primitias eius accipit,benedictionē eius diripit,ſecū dū domini dictū dicentis: A diebus aūt Ioannis regnū cœlorū uim patitur,& uim facientes diripiunt illud. Iacob eſt ergo qui eligitur,domino dicente: Ego uos elegi,non uos me. Iſraël eſt qui poſſidetur in præteritis primogenitus,& benedictionibus cognitus,in ſeruitute multi temporis fidelis, in ſacramento luctæ potens, in promerendis rurſum benedictionibus pertinax, in dei cognitione & cōſpectu Iſraël. Nouit autem ſpiritus prophetiæ præpotentem hanc nominis dei in congregandis gentibus,& poſſidendis fidelibus ſuauitatem, dicens: Quia ego noui quàm magnus eſt dominus.) Officio quidem oris ſui propheta loquitur, ſed cognitione ſua uox iſta eius eſt, qui ait: Nemo nouit patrem niſi filius,& cui uoluerit ſi

rit filius reuelare. Et filius quidem patrem, ſi cui uoluerit reuelabit. Sed magnitudinem eius nemo cognoſcit, propheta dicente: Cuius magnificentię non eſt finis. Cognitio huius ergo infinitatis ei ſoli erit propria, qui ſecundum perfectam originis ſuæ plenitudinem ipſe imago eſt infiniti. Quia ego cognoui quàm magnus eſt dominus: & deus noſter præ omnibus diſs.) Non præ diſs omnibus illis eſt, de quibus infra ait: Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur. Nihil enim magnum, ſi metallis, & ſaxis, & lignis comparatus præfertur. Et quia iſti diſ non ſunt, quærendum eſt quos deos dixerit. Non enim deorum multitudinem eccleſia cognoſcit. Error hic gentiũ eſt, ut cœtus, & conceptus, & procreationes, & ſucceſſiones deorum aut fingat, aut credat. Nobis autem ſecundum Apoſtolum unus deus, ex quo omnia, & nos in ipſo, & unus dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Vnus ex uno deus ex deo eſt. Non recipit alterum innaſcibilis ut duo ſint, nec admittit quod eſt unus unigenitus ne deus ſit. Non ſunt duo innaſcibiles, non ſunt duo unigeniti. In eo autem unuſquiſq; quod eſt, unus eſt, dum parem nec unigenitus habet, nec innaſcibilis admittit: neq; unigenitus deus ex alio quàm innaſcibili deo ſubſiſtit. Videndum eſt autem, præ quibus omnibus diſs deus noſter ſit. Inuenio deos dici per prophetam ita: Deus ſtetit in congregatione deorum, in medio autem deos diſcernit. Et hoc quidem uidetur ambiguũ, neceſſitatis abſolutæ nunciare quos deus ſignificet, ſed dominus in Euangeliis errore nos nuncupationis huius liberauit, dicens: Ego dixi, diſ eſtis, & filij excelſi omnes. Et adiecit: Si ergo illos dixit deos, ad quos uerba dei facta ſunt, & non poteſt ſolui ſcriptura, indiſſolubilis dei ſermo eſt, homines deos nuncupantis. Inuenio & Moſem deum nuncupari, cum ei dicitur: Deum te poſui Pharaoni. Sed & Apoſtolus docuit dici alios deos, cum ait: Namq; & ſi ſunt diſ qui dicuntur ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſicut ſunt diſ multi, & domini multi, ſed nobis deus pater eſt, ex quo omnia, & unus dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quem omnia. Vnus quidem deus nobis eſt, & unus dominus, ſed multi diſ ſunt qui uocantur in cœlo & in terra. Et quidem ſi hoc deorum nomen hominibus ſecundum ſententiam dei competit, multò magis, angelis, archangelis, thronis, dominationibus, principatibus, poteſtatibus dignum, quos Apoſtolus deos in cœlo nuncupari demonſtrat. Diſ ergo ſunt qui uocantur, ſed præ omnibus deus noſter eſt, non comparatione, qui incomparabilis præcellit, ſed poteſtate præ cæteris eſt. Et quomodo præ cæteris ſit, mox oſtendit, dicens: Omnia quæ uoluit fecit in cœlo & in terra, in mari, & in abyſſis.)

Soli deo congruit omnia facere quæ uelit. Sola enim perfecta uirtus in nullo impeditur, quo minus quod uelit & faciat, & ei ex quo omnia ſunt, nihil difficultatis occurrat. Inferioris ab eo naturæ eſt, ne totum quod uelit & faciat. Dum enim alij ſe debet, caret omnipotentię uirtute, quia in id ipſum quod ſubſiſtit, habeat alium autorem. Et qui non ſe ſibi debet, non omnia poteſt, dum à potiore ſubſiſtit. Sed uideamus quid ſit illud quod omnipotentia dei ſecundum uoluntatem ſuam fecerit in cœlo, & in terra, in mari, & in abyſſis. Et quidem magnum eſt, ſi cõtueamur indemutabilem cœli firmitatem, ſolem annuis curſibus indefeſſiſq; moderatum, uicesq; anni definitis limitibus temperantem, perennes quoq; lunæ uiciſſitudines & imperturbatos ortus, lapſus conuerſionesq; ſignorum. Iam uero terræ opes, & fœcundos eius fructus in uitam hominum, uolucrum, pecudum, beſtiarum: plena deinde incolis ſuis maria & ſpirantiũ intra fluctus piſcium uitam: tum porrò quia plurali genere maria Græcitas eloquuta eſt, Oceani inæſtimabiles uices & capacis abyſſi imperſpicabilem naturam, qua refuſus in terram æſtus reſorbetur. Sed cum hæc ſecundũ humanam opinionem plena miraculis ſint, ac de ipſis dici meri

ἐν τοῖς θαλάσσαις, Latinus interpres uitauit amphibologiam in maribus

to debeat: Omnia quæ uoluit fecit in cœlo & in terra, in mari, & in abyſſis, uidea-
mus quæ omnia ſint quæ uoluit & fecit. Educens nubes ab extremo terræ, fulgu-
ra in pluuiam fecit, qui producit uentos de theſauris ſuis. Præterito thronorũ, do-
minationum, principatuum & poteſtatum, cherubin & Seraphin, angelorum &
archangelorum, cœli, terræ, maris, abyſſi, miraculo, in his omnia deus quæ uoluit
fecit, in cœlo & in terra, in mari & abyſſo. Educens nubes ab extremo terræ, ful
gura in pluuiam fecit, qui producit uentos de theſauris ſuis.) An hæc tantũ per-
fectæ in deo uoluntatis omnipotentia eſt, terram exhalare nubes? coruſcare plu-
uijs imminentibus fulgura? alternatis ſpiritibus flare uentos? Sed arguunt hanc
opinionẽ noſtram uirtutes herbarũ, & naturę gemmarũ. Educẽs, inquit, nubes ab
extremo terræ. Quid eñ ſibi uult quod nubes deducunt & educunt ab extremo
terræ? Exhalant quidem ualles uuidæ nebulas, ſed neq; ualles extrema terrę ſunt,
neq; quiſquam nebulam id ipſum exiſtimauit eſſe quod nubem. Dehinc fulgura
Deſtruit hiſtoriam in pluuiam fecit. Quæ hic humani ſenſus intelligentia eſt? Fulgura nonnunquam
ſine pluuijs uidemus, & pluuias ſæpe eſſe ſine fulgure. Non pluuiæ fulgura affe-
runt, neq; rurſum fulgura pluuias defundunt. Sequitur quoq; Qui producit uen-
tos de theſauris ſuis. Quę hic humani ſenſus intelligentia eſt? An ne in cõcauo ali
quo & cõmunito theſaurorum loco conditos eſſe uentos exiſtimabimus, ex qui-
bus uenti ſoleant tanquam precioſiſſima theſauri portio produci? & cũ ſolent mu
tationes uentorum frequentes & incertæ ſæpe & contrariæ cõmoueri, totiens ne
gocioſus ad hæc deus ipſos iſtos ut demutentur, ut diſſideant ex ſecreto diuitiarũ
ſuarum producit? Sed hæc à me uolenti uirtutem & rationem dictorum oſtende-
re, ita commemorata ſint, ut nihilo minus inuiſibilis & omnipotentis uirtutis eſſe
intelligatur à mari, quod eſt ab extremo terrę, nubes educi, & inter pluuias fulgu-
ra coruſcare, & uentos ex occultis ſuorum ſpirituum ſedibus flare. Verum quia
non in his tantum omnipotentia dei eſt, neq; in his ſolum quæ uoluit, fecit in cœ-
lo & in terra, in mari & in abyſſis, & in his quæ corporaliter geſta eſſe memoran-
tur, ſpiritualia ſignificari meminimus. Demonſtrandum eſt nunc, quid ſub his di-
ctis per uirtutem prophetiæ intelligere debeamus. In eo quod omnia quæ uoluit
fecit in cœlo & in terra, in mari & abyſſis, quantum cognitioni noſtræ permiſſum
eſt, nihil amabilius deo homine eſt. Et ſubeſt cauſa, ut peculiare ei hoc animal ſit.
Mundus uerbo conſtitit, homo autem cum conſilio efficitur, non uerbo, ſed ope-
re cogitato: fit quoq; ad imaginem dei per inſpirationem, & ea dei uiuens anima
perficitur: legem accepit, uoluntati ſuę permittitur, liber ab omnibus mundi domi
nus conſtituitur: paradiſi incola eſt, inuidia diaboli dignus eſt: poſt peccatum mi-
ſericordiæ reſeruatur, omnis ſeculi huius ætate ad cognitionẽ dei eruditur, iudex
angelis præparatur, reuelationem eius creatura expectat, uanitati in ſpem & ipſa
ſubiecta, ob pœnitentiam eius ex peccato angelorum in cœlis maximũ gaudium
eſt. Hic ipſe per ſacramentum natiuitatis, ſecundũ hominem Ieſum Chriſtum aſ-
ſumptus eſt in eum. Iam ubiq; irreligioſum ante os eius religionẽ docet, iam pol-
lutum ſtupris corpus continentia purum eſt, iam cæca quondam à cognitione dei
mens, Iſraël facta eſt. Inuidia in mutationem boni proficit, iam ebrietas in ieiunia
exarſit, iam odium in amorem demutatum eſt, iam uitia in uirtutum uita perem-
pta ſunt. Fecit ergo dominus omnia quæ uoluit in cœlo & in terra, in mari & in
abyſſis. Nihil enim in his omnibus charius homine ſuo habuit, ob quẽ etiam uni-
genitus eius deus homo extitit, & fecit ita: Educens nubes ab extremo terræ. Nu-
bibus dominus præcepit, ne ſuper ſpinoſam & infœcundam uineam pluerent:
Mandabo, inquit, nubibus ne pluant ſuper eam. Cognoui & nubem in qua locu-
tus eſt deus: In columna, inquit, nubis loquebatur ad eos. Et teſtatur mihi Paulus

in

in hac nube nō ſolum hoc quod legitur intelligendum, dicens: An neſcitis quia patres noſtri ſub nube fuerunt, & in Moſe baptizati ſunt? Nubem hanc itaq; ſignificat doctrinam apoſtolicam, quæ inumbrās, & à calore defendens, æſtum omnem futuri iudicij excludit. Quod autem à nouiſſimis terræ ſunt, audiamus Apoſtolū dicentem: Puto autem deus nos apoſtolos extremos oſtendit ſicut abortiuos. Dominus ipſe cum de loco & de dignitate inter diſcipulos ſermo eſſet, ait: Qui uoluerit in uobis eſſe primus, ſit omnium nouiſſimus. Has ergo nubes deus omnia quæ uult faciens, à nouiſſimis terræ educit, & hanc inumbrantem doctrinam terræ humilia exhalant. Fulgura in pluuias facit. Fulgur eſt uirtutis cœleſtis agnitio, & hoc ipſe dominus teſtatur, dicens: Sicut enim fulgur exit ab oriente & patet uſque ad occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Et hoc quidem ita in domino, qui non in locis corporalibus, ſed ubiq; adueniens cernitur. Cæterum in ſingulis hodie quicunq; uirtutem dei annunciabunt, qui cognitionem eius per doctrinam præſtabunt, fulgura inter pluuias facti ſunt. Fulgura primum ipſi ſcientia coruſcantes, tum deinde uerborum imbrem profundentes. Et huius pluuiæ ex ſe profundendæ Moſes non iam ſpiritualiter per doctrinam, ſed corporaliter per gloriam fulgens, ita meminit: Attende cœlum & loquar, & audiat terra uerba ex ore meo. Expectetur ſicut pluuia eloquium meum, & deſcendant ſicut ros uerba mea, & ſicut pluuia ſuper gramen, & ut niues ſuper fœnum. Illa fulgura in has pluuias facta ſunt, uerba ſcilicet uiuificantia, & potantes irrigantia. Seruatus autem ordo eſt, ut poſt congregatas ex nouiſſimis terræ nubes, poſt fulgura conſtituta producat uentos de theſauris ſuis. Quos autem uentos producat, nō ambiguū eſt, eos nempe de quibus ait: Faciens angelos ſuos ſpiritus. Sunt enim angeli paruulorum quotidie deum uidentes. Hi igitur ſpiritus ad ſalutem humani generis emiſſi ſunt: neq; enim infirmitas noſtra niſi datis ad cuſtodiā angelis, tot tantisq; ſpiritualium cœleſtium nequitijs obſiſteret. Opus ad id fuit naturæ potioris auxilio, & hoc ita eſſe ex his dictis docemur, quibus trepidū ac pauentem Moſem dominus confirmat, dicens: Ecce angelus meus antecedet te. Hos igitur de theſauris ſuis uentos producit, tribuens in his auxilium humanæ infirmitati, ut hæc nos diuina præſidia aduerſus mundi potentes harum tenebrarum in hæreditanda nobis ſalute tueantur. Sequitur deinde hic ordo dictorum: Qui percuſſit primogenita Aegypti ab homine uſq; ad pecus, & miſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypte in Pharaonem, & in omnes ſeruos eius, qui percuſſit gentes multas, & occidit reges fortes, Seon regem Amorreorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan occidit, & dedit terram eorū hæreditatem Iſraël populo ſuo.) Frequenter ſermo diuinus eum intelligendum eſſe deum cœli atq; terræ, & uniuerſitatis creatorem docet, qui Aegyptum percuſſerit, mare diuiſerit, Aegyptios demerſerit, populū ſuū magnis & mirabilibus uirtutibus eduxerit, in eremo manna aluerit, eiectis gentibus in terram repromiſſionis induxerit. Et quidem omnia hæc magnifica & præclara opera deum eſſe teſtantur. Neq; enim mediocris & moderatæ uirtutis eſt tanta geſſiſſe, admirandus in his intelligendus eſt. Sed docet nos Apoſtolus cum ueneratione geſtorum præformationem in his doctrinis atq; operis ſpiritualis agnoſcere, cū lex ſpiritualis eſt, cū geſta eius allegorumena ſunt, cū ſub nube patres fuerunt, cum in Moſen baptizati ſunt, cum de ſpirituali petra biberunt, cum petra Chriſtus eſt, cum poſtremo ſecundū exaltati in deſerto ſerpentis formam exaltandus eſt dominus. Ergo licet illa in Aegypto corporaliter geſta ſint, ſpiritualiter tamen nunc geruntur in nobis. Aegyptus in quo ſeculi forma eſt, uirtutibus & plagis dei percutitur, ſignis portentisq; terretur, plagis dei percutitur, cum iudicium ſuum audit, cum damnationem ſuam cognoſcit, cum in ipſo

conſcientiæ ſuæ reatu quotidie iudicatur, cum principales ſuas originariasq; uirtutes cruci ſuæ dominus confixit, locutus quoq; eſt tanquam ad uiuentem animalemq; Aegyptum, ut non habentem terram inanimemq; regionem, ſed incolas eius, quos rationales animalesq; conſtituerat, alioquin exiſtimaretur. Miſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypte in Pharaonem, & in omnes ſeruos eius. In medio tui quid eſt? Cognoſcimus ex eo quod dictum eſt: Deus autē deus noſter ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio orbis terræ. In medio itaq; orbis terræ loco, in quo dominus ſalutē nobis operans paſſus eſt, ſigna & prodigia miſit: dum crucis ſuæ horis ſol effugit, tremit terra, ſaxa rumpuntur, ſepulchra panduntur, mortui exurgunt. Hæc in medio tui Aegypte ſigna facta ſunt. Pharao tuus, id eſt, diabolus aquis necatur, baptizato populo, ipſe cum exercitu ſuo obrutus: percuſſæ deinde gentes multæ, extincti ſcilicet innumerabiles in nobis uitiorum incolatus, reges quoque fortes perempti. Fortes plane. Seon regem Amorreorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan occidit. Et quid iſtud eſt? Tot regna euerſa ſunt, tot reges extincti ſunt, & horum tantum fit memoria? Fit quidem ſecundum geſtorum fidem paucorum memoria ex pluribus, ſed hi tantum memorantur, in quibus quamuis quidem res geſta cognoſceretur, tamen per conditiones uirtutesq; nominum ſpiritualis in his eſſet conditio ſubtexta. Nam Seon infructuoſæ arboris interpretatio eſt. Quod enim nobiſcū arbor infructuoſa; id Hebraice Seon nuncupatur, Amorreus uero exacerbans. Has ergo ſub horum nominum ſignificatione infructuoſas in nobis exacerbantibus uirtutes deleuit, infructuoſos ſcilicet principes, qui nos qui exacerbabamus dominū obtinebant. Et ob id ſecundum dictum Euangelicum exemplo infructuoſæ arboris exciſos. Og uero rex interpretationē habet maceriæ ſiue ualli. Baſa uero confuſionis ſiue pudoris. Regem hunc ergo confuſionis pudorisq; noſtri extinxit, ſoluens ſecundum Apoſtolum maceriam, uel ualli, id eſt, quo ad cognitionem dei prohibebamur obſtaculum diruens. Occidit deinde omnia regna Chanaan. Maledictum Chanaan eſſe Geneſis docet, & eſſe ſeruum fratrum ſuorum, ob contumelioſam eius in patrem iniuriam. Interpretatio autem nominis Chanaan motio eſt. Quæ igitur nos in uitia & in maledictam impietatem commouebant, atq; in nos ui ſua ac poteſtate regnabant, dominus extinxit. Quod autem per uarias uirtutes quæ in filijs obedientiæ operantur, hæc regnant peccata in nobis, Apoſtolū audiamus dicentem: Non regnet amplius in mortali corpore ueſtro peccatum. Regna ergo hæc occiſa ſunt. Iam enim non dominantur in nobis. Sed occiſis his, quid conſequitur?

Dedit terram eorū hæreditatem Iſraël populo ſuo.) Data quidem terra eſt regum & gentium ſuperius memoratarū, ſed amiſſa rurſum eſt. Hodie à gentibus incolitur, Iſraël ubiq; exul eſt. Et quomodo terra quæ data eſt, hæreditas eſt? Manet ergo idē ordo, ut ſub his quę corporaliter geſta ſunt, ea quę ſpiritualiter eſſent gerenda, prę ſcripta ſint. Data igitur corporū noſtrorū terra in hæreditatē eſt, quæ antea erat in Chanaan maledicta, in uitia mobilis, in Baſan confuſionis pudorisq; plena, in Amorreo exacerbans & iritans, quam poſſidebat in Og infidelitatis maceria, quam occupauerat in Seon arbor infructuoſa. Hæc igitur terra, ſoluto infidelitatis uallo, & exciſa ex ea arbore infructuoſa, data eſt hæreditas, & data eſt Iſraël populo ſuo. Quæ autem hæc hæreditatis terra ſit, & qui ſit hic Iſraël, audiamus apoſtolum Paulum dicentem: Sicut portauimus imaginem terreſtris, portemus imaginem cœleſtis. Hæc eſt Iſraël, cui terræ beatæ huius continget hæreditas, cui conglorificati in domino, terreni corporis ſui erit æterna poſſeſſio. Hoc Chriſtianis eſt proprium, qui hoc in ſe nomen incolume per cœleſtis imaginem uſque ad finem retinuerint. Atq; ita ait: Domine nomen tuum in ſeculum.)

Nunquid

Nunquid à nobis optandum hoc deo eſt, aut æterna uirtus eget uoto noſtro, ut maneat in æternum? Vt in nobis potius maneat, optandum eſt. Sicuti cum dicimus: Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat uoluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Non utique ut hæc deo proueniant, optamus, ut ſanctificetur qui ſanctus eſt, ut uoluntas ſua fiat, cuius factum in uoluntate eſt. Noſtræ hæc potius rei uota ſunt, ut per egregia fidei noſtræ opera nomen eius ſanctificetur in nobis. Ait enim: Eſtote ſancti, quoniam ego ſanctus ſum: ut in nos regnũ eius adueniat, & digni æterno regno per indultam nobis æternitatis ſubſtantiam ſimus, quia ſpes uitæ eſt, confiteri regnum eius. Et dicenti ſibi latroni: Domine memento mei dum ueneris in regnum tuum, reſpondit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo: ut ſicuti uoluntati eius in cœlis ab indefeſſis & cœleſtibus uirtutibus paretur, ita & à nobis in terra pareatur, ne corporalis nos infirmitas ab exequenda eius uoluntate deflectat. In cœlis enim indefeſſis quotidie uocibus dicitur: Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus deus ſabaoth, pleni ſunt cœli & terra gloria tua. Vt nobis quoque nihil aliud in opere ſit, niſi per quod ſanctificatur nomen eius: nihil aliud in ſpe, niſi per quod etiam in nos regnum eius ſperamus, nihil aliud in uoluntate, niſi per quod deo æternæ à nobis laudes ſunt deferendæ. Profectus hic uoti noſtri indigentiæ res eſt, ut nobiſcum nomen eius maneat in æternum. Dehinc ſequitur: Et memoriale tuum in generationem & generationem.) Non ſicut ſæpe à ſeculo in ſeculum, neque à generationibus in generationes, ſed in generationem & generationem. Et hoc nõ de nomine, ſed de memoriali. Memoriale enim eſt memoria operum dei, quæ libro legis continentur. Et quia lex & memoriale dei in generatione prima, Iudæorũ ſcilicet, uſq; in plenitudinem temporũ manſit, ſicuti plebi Sodomæ & Gomorræ uſq; ad plenitudinem peccati pœna dilata eſt, ita menſuram omnium impietatũ cum prima generatio expleſſet, memoriale dei, & omnium operũ ſuorum memoria in generationem alteram tranſijt. In Chriſtianos nempe, cũ quibus hodie legis ueneratio eſt, & prophetia, & nomen domini. Tenuit autẽ hunc eundem in conſequentibus ordinem, dicẽs:

Quia iudicabit dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis conſolabitur.) Differt iudicari & conſolari, & differt populus & ſeruus. In ſeruis autem cõſolatio, in populo uero iudicium eſt. Populum dei Iſraël ſecundum carnem nuncupatũ eſſe quis neſcit? Dictum autem ab Apoſtolo eſt: Qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Iudicabit ergo deus populum ſuum, ſed in ſeruis ſuis conſolabitur. Nempe illis de quibus dominus ait: Qui credit in me, non iudicabitur, ſed tranſiet de morte in uitam: qui autem non credit, iam iudicatus eſt. Conſolabitur autẽ dominus iudicato Iſraël in ſeruis ſuis. In omnibus enim fidelibus terra ſolatium habebit ex damno. Voluiſſet enim populum ſuum, quem in patribus eorum Abraham, & Iſaac, & Iacob elegerat, non iudicari, ob quem poſt diuerſas plagas Aegyptum afflixerat, ob quem in columna ignis & nubis aſtiterat, ob quem mare diuiſerat, aquam è petra eiecerat, manna è cœlo miſerat, legem poſuerat, ueniam tantis ſacrilegijs indulſerat, tot irreligioſorũ regna deiecerat, prophetas miſerat, unigenitum ſuum naſci hominem uoluerat. Sed tot tantiſq; beneficijs populus ingratus & colonus uineæ primus electus, in ipſum dominũ uineæ parricidales manus intulit, deum quantum in ſe eſt, crucifixũ in homine mortificans. Sed electi ſunt ſerui quibus uinea fructum eius reddentibus traderetur. In quibus dominus iudicato populo ſuo, pietatis ſuæ damnum conſolaretur. Itaq; conſolantur eum gentes in martyribus, & confeſſoribus, & fidelibus ſuis, fructus ex ſe cõmiſſæ ſibi gratiæ rependentes. Non noua autem, nec huius tantũ prophetæ uox iſta eſt. Moſes in præclaro illo Deuteronomij cantico, cum peccata populi huius, & impietates

nouiſſimas,& fidem generationis alterius prædicaret,ait: Quoniam iudicabit dominus populũ ſuum, & in ſeruis ſuis conſolabitur. Sanctus etiam Eleazar cum à principibus populi ſui deguſtare*ementium ſacrificatum cogeretur,gloriam martyrij ſub hac eadem uoce conſummat.Sciens dominum in ſeruis ſuis uoluntatem eius operantibus iudicato populo cõſolandum,conuertitur deinde ad depellendũ errorem gentilium prophetico ſermone, ut ſtultas atq; irreligioſas ſuperſtitiones ex ipſis ſuperſtitionum cauſis coarguat,dicens: Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.Os habent & non loquentur, aures habent & non audient: nares habent & non odorabunt,manus habent & nõ palpabunt: pedes habent & non ambulabunt, neq; eſt ſpiritus in ore eorum, non clamabunt in gutture ſuo.Similes illis fiant,qui faciunt ea,& omnes qui confidunt in eis.) Frequenter & in alijs pſalmis id ipſum de ſimulacris gentium dictum eſt, & prophetia omnis hoc laborat, ut humanũ errorem à ſtultiſſimis his irreligioſitatũ ſtudijs auertat. Addunt enim plerique his impietatibus ſuis autoritatem,ut precijs metallorum honorem dijs quos ſibi fecerint,quærant, auro eos argentoq; formando, ſed hoc tantum quod poſſunt largiuntur,imaginem ſcilicet oris,oculorum,nariũ, manuum & pedum,deos ſuos in forma mortui corporis adorantes,cui ſpiritus eſt ſine uoluntate, os mutum eſt, oculi hebetes, aures ſurdæ, nares inanes ſunt, manus diſſolutæ,pedes rigentes,omne corpus immobile eſt. Sed errori eorũ id quod nec ſperare audent,deputatur,ut eorum ſint ſimiles quos adorant,uenerantes ſint in conſortio ueneratorũ,ipſi ſimulacrorũ modo in emortuo corpore ſine uitæ ſpiritu relinquendi. Demonſtrato aũt errore gentili,ad doctrinæ ordinẽ propheticus ſermo ſe retulit,dicens: Domus Iſraël benedicite dominum, domus Aaron benedicite dominum,domus Leui benedicite dominum: qui timetis dominum, benedicite eum.) In his nominum atq; officiorum diſtinctionibus omnem eccleſiæ populum complexus eſt,ſed per nuncupationum & proprietatũ ſignificationem ipſa illa officiorũ merita diuiſit. In eo enim quod dicitur, domus Iſraël, & domus Aaron,& domus Leui,& qui timetis dominũ,aliud ab alio eſſe diſcernitur, ut ſecundum Apoſtolum ad Corinthios ſcribentem, quædam ſit in hominibus diſtinctio,cũ uocatis ſanctis,cũ omnibus qui inuocant nomen domini noſtri Ieſu Chriſti,ut aliud uocatos,aliud ſanctos, aliud inuocantes nomen domini eſſe ſignificet. Nunc autem primũ Iſraël nuncupari uidemus,ſecundo Aaron,tertio Leui,quarto timentes dominum.Et in Aaron ſacerdotes ſignificari non ambiguum eſt. Sacerdos enim in lege primus fuit Aaron, & exinde in ſucceſſione eius ſacerdotum honor manſit.In Leui autem miniſtros oſtendi abſolutum eſt: hæc enim tribus in miniſterium electa eſt.reliquus autem populus,cui nõ ſacerdotij, neq; miniſterij, ſed timoris officium eſt, in his qui timent dominum nuncupatur.Docet autẽ nos Apoſtolus ſuper omnes hos eſſe Iſraël,cum ait:Et quotquot regulæ huic obſecundabunt,pax ſuper eos,& miſericordia,& ſuper Iſraël.Sacerdotes & miniſtros officij ſui regula,in eo quod agunt,cõtinet,ſed præſtat longe uoluntate magis aliquid agere,quàm lege. Et optimum eſt per miniſterij ordinem nõ ſolum ſatisfacere miniſterio,ſed per doctrinæ ſcientiam,& fidei calorem ad cognitionem dei contemplationemq; contendere.Eum ergo qui deum intelligens & uidens eſſet,quod eſt proprium Iſraël,in primo benedicentium ordine collocauit, qui officiũ in quo eſſet,atq; honorem ſacerdotis,hac ipſa cogniti per fidem & contemplati dei uirtute præcelleret: quia cum plures ſint Aaron, id eſt ſacerdotes, pauci tamen Iſraël, id eſt,qui cognitione mentis deum contemplaturi ſint,reperientur.Hi ergo primum ad benedicendum aduocantur, cæteris alijs poſt eos, in eo quo & ipſi eſſent officio,benedicturis. Sed & benedicunt deum, & domus Iſraël, & domus Aaron, &

Suſpicor legendum, gentium ſacrificatum

domus

domus Leui, & omnes qui timent deum, eum ſcilicet, qui eſt benedictus deus in Sion, qui habitat Hieruſalem ſanctum montem Sion, & ciuitatem cœleſtem ecclesiam primitiuorum manentium, & ſcriptorum in cœlis in domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Alleluia. Pſalmus CXXXV

CONfitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſecula miſericordia eius &c.) Non eſt ociosus ſermo propheticus, neq; ex inanibus ac ſuperfluis cauſis ſpiritualis loquela eſt. Si enim in uiris prudentibus expectari id maxime ſolet, ut ea quæ loquuntur, grauitate eorum doctrinaq; digna ſint, omnisq; ſermo nõ ſit fortuitus & uagus, ſed ex rationabilibus cauſis profectus, & expectationi audientium utilis, & autori congruus differentium, quanto magis id in cœleſtibus eloquijs opinandum eſt, ut quicquid in his excelſum eſt, diuinum, rationabile, & perfectum eſſe exiſtimetur. Sed plerũq;, imò ſemper uitio noſtro accidit, ut quæ legi in eccleſia audimus, auribus atq; animis noſtris longe ab his peregrinantibus negligamus, ut per audiendi incuriam uileſcat apud nos dictorum cœleſtium dignitas, cum in lectionis tempore rationem ſupputamus, iras concipimus, iniurias cogitamus, luxus recolimus. Tunc ad hæc occupatis nobis ſurdæ aures ſunt, & hebes mens eſt, & ſi quid forte in aures noſtras eorum quæ leguntur, inciderit, uirtutem tamen dictorũ obrutus ſeculi curis animus non ſentit: & quorũ intelligentiam non ſequitur, leuem exiſtimabit autoritatẽ. Omnia autẽ quæ in libris propheticis ſunt, maximũ humanæ & ſalutis & doctrinę profectũ in ſe habẽt, noſtriq; cauſa uniuerſa ſcripta ſunt, ut nunc nobis inſtitutionem uitæ innocentis afferrent, nunc ſcientiam dei intimarent, nunc originis naturæq; noſtræ cognitionem tribuerent, nunc futurorum intelligentiam nõ ſpe tantũ, ſed ratione præſtarent, nunc cauſas uniuerſitatis huius ortusq; proferrẽt, & humanum ſenſum tantarum rerum intelligentiæ incapacem ad capiendum horum cognitionem uarijs doctrinæ generibus diſtenderent. Partibus enim quibuſdam & diuiſionibus opus fuit, per quas ſenſim ſub uſu exercitationis aſſiduo opinio ſaltem incomprehenſibilis nobis huius intelligentiæ poſſet irrepere. Plures prophetæ ſunt, & ingentia eorum copioſaq; dicta. Plures etiam pſalmi ſunt, & in ſingulis multa & uaria cõgeſta ſunt. Et quanquam omnes unam atq; eandem in ſe doctrinæ formam complectantur, diuerſis tamẽ inſtitutis in eandem nos ſcientiæ uiam dirigunt, non omnia in unum congerentes, incapaces enim omnium ſumus, ſed partes partibus explicantes, ut per id quod ſingula cognoſcuntur, proficiatur ad multa. In hoc autem pſalmo, quia ſingulis eiuſdem rei argumenta diuerſa ſunt id cõtinetur, ut cauſam uniuerſitatis huius, id eſt, cur cœlum, cur terra, cur homines, cur cætera ſint, ex bonitate & miſericordia dei profectam intelligamus, per id quod dicitur: Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculũ miſericordia eius.) Ac primũ in eo quod ita cœptũ eſt, confitemini domino, duplicis intelligentię ſignificatio deferẽ, ut aut deũ in confeſſione laudemus, quia bonus, quia miſericordia eius in ſecula ſit: aut peccata noſtra cõfiteamur, & ab eo indulgenda, quia bonus eſt, & cuius indeficiens miſericordia ſit. Vtrunq; enim naturę noſtrę eſt cõueniẽs, ut & eũ ad cuius cognitionẽ naſcimur laudemus, & ei qui bonus eſt & cuius miſericordia in ſecula ſit, cõfiteamur peccata ſub agnitione peccati. Nõ enim neceſſaria eſt cõfeſſio deo qui nihil ignoret, ut ea quę geſſeris cõfitearis. Quia porrò cõfeſſione iſta deus nõ eget, cuius agnitioni nihil occultũ eſt, cuius auditui nihil inuium eſt, cuius uirtuti nihil reliquũ, extra quẽ locus nullus eſt. Sed confeſſio eſt rei eius quę ignorabat profeſſa cognitio, ex

alterius

alterius iudicij opinione in alterius intelligentię proficiens ſententiam: utile enim ſibi ac iocundum quiſq; eſſe ante exiſtimauerat, rapere, cædere, furari, ſuperbire, potare, luxuriari. Sed ubi hæc omnia æternæ damnationi obnoxia eſſe cognouit, cognitis his confitetur errorem. Confeſſio autem erroris, profeſſio eſt deſinendi. Deſinendum ergo à peccato eſt, ob quod peccati cœpta confeſſio eſt. Cæterũ extra ueniam eſt, qui peccatũ cognouit, nec cognitũ confitetur. Confitendũ aũt ſemper eſt, non quod peccandũ ſemper ſit, ut ſemper ſit confitendũ, ſed quia peccati ueteris & antiqui utilis ſit indefeſſa confeſſio. Docet autẽ ſpiritus ſanctus ſemper confitendũ, cum ait per prophetam: Iuſtus ipſe ſibi accuſator eſt in primo ſermone ſuo. Iuſtus non ſe ex præſentibus, ſed ex præteritis accuſat. Cui enim adeſt præſentium accuſatio, iuſti nomen aufertur. Et audiamus ſe Apoſtolum Paulum ex præteritis arguentem, cum ait: Quia non ſum dignus uocari Apoſtolus, ea propter quod perſecutus ſum eccleſiam dei. Gratia autem dei ſum, quod ſum. Hæc eſt illa iuſti uiri uera confeſſio, qui iuſtitiam præſentem ex præteritorum conſcientia & confeſſione commendat. Ad quam & alibi per prophetam monemur: Confitere, inquit, peccata tua prior, ut iuſtificeris. Ad hanc ergo confeſſionem in pſalmo uocamur: Quoniam deus bonus eſt, quoniam in ſecula miſericordia eius. Confeſſionis noſtræ hunc impenſiore maximæ fidei fiducia inuocantes, quia cui confitemur & bonus eſt, & neſcit miſericors eſſe deſinere. Confitemini deo deorũ quoniam in ſeculum miſericordia eius.) Vt in Euangelijs reſponſione domini ad ſadducæos docemur, nõ eſt deus mortuorũ, ſed uiuorum, per quem & dictũ eſt: Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Non dignatur deus corruptibilium & mortalium deus eſſe, ſed eorum qui in cœleſtem gloriam transformandi exuti uetere homine terreno, nouum eum qui in cœlis eſt induerunt, qui conformes erunt corpori gloriæ dei. Et deos hos effici licet fidei eorum meritum exigat, tamen ea maxime cauſa eſt quoniam in ſeculum miſericordia eius. Nõ ille eguit deorum deus nuncupari, ſed bonitatis & miſericordiæ ſuæ eſt, ut deos faciat, honorem nominis ſui ex affectu miſericordiæ & bonitatis impertiens. Confitemini domino dominorum, quoniam in ſecula miſericordia eius.) Deos plures nuncupari, ſiue in cœlo, ſiue in terra, Apoſtolus docuit, ut non ſolum humanæ naturæ iſtud, ſed ſpirituali competere uideatur cum ait: Sed & ſi ſunt dij qui nominantur in cœlo, & in terra, per cœli & terræ ſignificationem utriq; naturæ nomen hoc competens eſſe demonſtrans. Idem quoq; Apoſtolus deum dominum dominorũ eſſe ſignificat, cum ait: Rex regum & dominus dominantium. Dominatus in uiles & degeneres indignus deo eſt. Rex ille regum eſt, & dominus dominorum, ut eſt deus deorũ. Et deos quidem quos ſignificet non ambiguum eſt, de quibus dixit: Deus ſtetit in ſynagoga deorum. Reges autem idem Apoſtolus abſolute oſtendit dicens: Iam ſine nobis regnatis, & utinam regnaretis. Reges ſunt in quos non regnat peccatum, qui dominantur corporibus ſuis, quibus eſt huius ſubditæ & ſubiectæ ſibi carnis imperium. Hi ergo reges ſunt, & horum deus rex eſt: hi etiam domini ſunt, qui non erunt ſerui peccati, quia qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. Dominandum ergo eſt peccato non ſeruiendum. Domini autem ſunt qui hæc peccati corpora dominationi ſuæ per ſubiectionem uitiorum ſuorũ peccatorumq; ſubdunt. Nouit ſe eſſe Apoſtolus corporis ſui dominum, cum ait: Subijcio enim mihi corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Qui in ſeruitutem redigit, domini neceſſe eſt iure in ſeruitutem eum qui ſeruiturus eſt redigat. Horum ergo talium dominorum deus dominus eſt, uocans eos per ſpem æternitatis, ut domini ſint, ut in his dominis deus dominus ſit. Et hoc non ob aliam cauſam niſi ob id quia in ſecula miſericordia eius, donans nobis per æternæ miſericordiæ ſuæ benignitatem, ut

effectis

effectis nobis dominis digni ſimus, quorũ ipſe ſit dominus. Qui fecit mirabilia magna ſolus.) In plurimis quidem humanorum operum geſtis multa magna & mirabilia extiterunt. Sed quicquid in his geſtum eſt, ad eum refertur cuius uirtus illa geſſit. Multa mirabilia Moſes in Aegypto egit, ſed teſtimonium magi incantatoresq; perhibent, quia in operibus illis digitus dei eſt, ſicut ſcriptum eſt: Dixerunt ergo incantatores Pharaoni: Digitus dei eſt hoc. Ex quo oſtenditur uirtutem dei per Moyſen operatam fuiſſe, cuius tum illa miniſterio gerebantur. Magni quoque miraculi illud fuit, tum cum dicente Ieſu Naue ſol ſtetit contra Gabaon, & luna contra uallem Haylon. Neſcio quid hoc mirabilius effici poſſit, cum in uerbo hominis ſol & luna in diei unius moram excurſus ſui lege detenti ſunt. Sed uirtutis huius autorem ſcriptura mox addidit, dicens: Non fuit dies neque prius neque poſtea, ut ſic exaudiret deus hominem, quia dominus pugnauit pro Iſraël. In eo enim quòd Ieſus exauditus eſt, & pugnabat deus in Iſraël, uirtus eius in geſtis, qui & pugnabat, & exaudiuit oſtenditur. Qui fecit cœlos in intellectu, quoniam in ſeculum miſericordia eius.) Faciendorum cœlorum ſola miſericordiæ ſuæ cauſa eſt, neque enim eguit ut fierent. Sed qui bonus eſt, in id uniuerſa fecit, ut plures bonitatis ſuæ copijs uterentur. Fecit autem cœlos in intellectu non irrationabiles, neque informes, neque confuſos & inordinatos. Sed cum regionem cognitionis ſuæ qui infinitus eſt collocaret, cœlo ſuperiore atque primo eodemq; in orbem collocato terminum quendam uirtutibus, quæ primum ad cognoſcendum ſe gignerentur incluſit. Neque enim gignendæ creationes uirtutem inconſpicabilis dei ferre potuiſſent, niſi naturæ temperatioris obiectu ſedem hanc moderatæ ad infirmitatem habitationis incolerẽt. Aquis etenim eleuatis illam ipſam primi cœli naturam temperauit, quæ ſuperni dei accenſa uirtute nequaquam ab inferioribus eſſet patienda naturis. Cœlum uero inferius non uniforme, ſed multiplex tetendit: quod totum firmamentum nuncupans, ualida ad ſuſtentationem aquarum ſuperiorum temperationemq; aëris noſtri firmitate ſolidauit. Et idcirco plures cœlos doctrina prophetica prodidit, quia neceſſarium naturæ noſtræ fuit, per momenta quędam, & profectus rationabilium moderationum regionem hanc indulti nobis ad præſens habitaculi temperari. De numero uero cœlorum nihil ſibi humanæ doctrinæ temeritas præſumat. Apoſtolus uſque ad tertium tantum cœlum ſeſe raptum intelligit. Plures quidem thronos, dominatus, poteſtates, principatus connumerat, quibus neceſſe eſt, proprias ſedes habitationis congrue deputari. Sed & aliquorum cognitionem futuris temporibus promittit eſſe, quod ſignificat cum ait: Et ſuper omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. Sed de numero Apoſtolus nihil docuit, & neſcio an tacuerit an ignorauerit. Nunc enim & profeſſus eſt, ſe ex parte cognouiſſe, & tamen cum raptus ad cœlum eſt, audiſſe ſe quæ non ſint loquenda teſtatur. Nobis ſufficit plures cœlos ſcire eſſe, quippe cum & cœli cœlorum, & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt laudent deum. Sub inferiore autem ſuperioris circuli cœlo, quod firmamentum nuncupauit, terram inferius collocauit: quam mediam ſuſpendens, & confirmans, ita manendi ſede moderatus eſt, ut paribus undiq; menſuris ponderi busq; librata, & ſubſtrata conſiſteret, ut is qui infinitus eſt deus primo illi ſuperioris cœli circulo circunfuſe ſupereminens æqualibus ex omni transfuſione ſua ſpacijs omnia uirtutis ſuæ, ſpiritu in uſum ac naturam animantium temperato, ea quæ crearentur attingeret. Apoſtolus enim ait: Quia in ipſo uiuimus, & mouemur, & ſumus, per quod oſtenditur terram in ſpiritu eius tanquã in transfuſi ſpiritus ambitu conſtitiſſe, cum in deo omnes & uiuamus, & moueamur, & ſimus. Quòd autem in omnia temperationis ſpiritu transfuſus & penetrans ſit, id docet

propheta

propheta, dicens: Spiritus dei repleuit orbem terrarum. Itaque intus atque extra ambitu, atque aditu, & circumfusus, & transfusus ostenditur. Quòd autem terra nõ sit in unam demersa regionem, consequenter spiritus sanctus ostendit, dicens:

Qui firmauit terram super aquas, quoniam in secula misericordia eius.) Altius nos quærere ratio tractatus præsentis & loci nõ sinit. Satis sit terram super aquas pendula firmitate consistere ex prophetica autoritate didicisse, inumbratum cœli temperatioris obtentu hoc firmamentum, quod extensum tanquam pellis, & soli datum tanquam fumus aquas supernas infernasq; discernat, certe aquis pendulam contineri. Et in hoc sicuti in omnibus ea causa est, quoniam in secula misericordia eius. In eo autem quod sequitur: Qui fecit mirabilia magna solus, quoniam in seculum misericordia eius.) Non id intelligendũ est, ut extra sapientiam, & uerbum, & uirtutem, id est, unigenitũ dei dominũ nostrum Iesum Christum ea fecisse credatur, quippe qui ex persona sapientiæ dixerit: Ego eram apud eũ cuncta disponens. Sed qui disponebat, ab eo cũ quo disponebat & genitus & natus est. Cũ aũt opera filij opera patris sint, & pater operetur in filio: per id enim, quod ait: Pater qui in me est ipse opera sua facit. & rursum: Ego opera patris facio, solus operatur in eo, & per eum operando quem genuit. In cæteris uero absoluta ostendendæ misericordiæ dei doctrina est, ut sciamus omnia non ob aliam causam, nisi quia semper deus misericors sit, esse perfecta. De his autem quę de Aegypti nego cijs intelligi spiritualiter oportet, tractatus psalmi anterioris, inquantũ exequi ualuimus, complexus est, ad quorum confirmationem etiam hoc quod in psalmo dictum est accedit: Qui diuisit mare rubrum in diuisiones, quoniam in seculum misericordia eius.) Vnam diuisionem rubri maris liber Exodi docet, dicens: Et fecit mare siccum, & diuisa est aqua. Et quomodo nunc rubrum mare in diuisiones diuiditur? Nisi quia existimo sub relatione gestorũ spiritualis doctrinæ ordinem contineri. Euadentes enim Aegyptum quæ seculi forma est, & ad terram repromissionis quam secundum Euangelium beati hæreditabunt euntes per mare rubrum, id est, per eius turbidos ęstus & fluctuantes motus transimus, in quo plures ad iter diuisiones sunt. Aliud enim per ieiuniũ iter est, aliud per pudicitiam, aliud per eleemosynam, per fidem, per spem, per charitatem. Et hæc omnia diuersas necesse est habeant diuisiones huius maris transeundi, omnibus tamen per has uiarum diuisiones iter seculi transituris. Conclusio autẽ psalmi, ut hæc omnia de futuris intelligantur, maiore fide firmat, cum ait: In humilitate nostra memor fuit nostri dominus, quoniam in seculum misericordia eius. Et redemit nos de manu inimicorum nostrorum. Qui dat escam omni carni, quoniam in seculũ misericordia eius. Confitemini deo cœli, quoniam in secula misericordia eius.) Non enim tantum memor fuit hnmilitatis humanæ deus, cum ad liberandum populũ ex Aegypto Mosen ducem elegit, sed perfectius memor fuit humilitatis nostrę, cum ipsam humilitatem nostram corporeus natus assumpsit, cũ hoc humile terrenumq; corpus gloria in se naturę cœlestis absorpsit. Necq; tunc redemit de manu inimicorum, cum eos à dominatu Aegyptiorũ exemit. Nam postea inimicis subditi sunt, & hodie iure alieni imperij coërcentur: sed redemit nos, cũ se pro peccatis nostris dedit, redemit nos per sanguinem suum, per passionem suam, per mortem, per resurrectionem suam. Hæc magna uitæ nostræ pretia sunt. Magno enim, ait Apostolus, pretio redempti estis. Et redempti ab inimicis, à diabolo, ab angelis eius, à filio perditionis, à principibus aëris, à mundi potestatibus, ab inimica morte. Et redemit escam dando omni carni. Qui dat escam omni carni, id est, quæ redempta est, dat escam incorruptam, æternam, panis uiui, panis cœlestis. Et in his singulis, quòd humilitatis nostrę memor est, quòd redempti sumus, quòd omnis redempto

rum

rum caro eſcam accipit,ea cauſa eſt,quoniam in ſecula miſericordia eius.Et quid ei confitendum eſt? Confitemini enim deo cœli, quoniam in ſecula miſericordia eius.Quòd cœlum,terra,quod cętera ſunt,& ipſum illud,quòd ſumus qui nõ fuimus,quòd erimus,quod nõ ſumus,cauſam aliam nõ habet,niſi miſericordiæ dei, quia ad cõſortiũ bonorũ ſuorũ naſci nos uoluit ille q bonus eſt. Vnus eñ bonus eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus,qui eſt benedictus in ſecula ſeculorũ. Amen.

Pſalmus CXXXVI

SVper flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, cum recordaremur tui Sion,& reliqua.) Captos ſecundum Hieremiæ propheti/am Iudæos,& in Babyloniam deductos fuiſſe nõ obſcura cognitio eſt.Neq; dubium eſt, per hunc eundem pſalmorũ librum potuiſſe captiuitatẽ populo prophetari.Nam & in alio pſalmo manifeſtum eſt,abſolute euerſionem gentis iſtius atq; urbis prophetatam fuiſſe, cum dicitur: Deus uenerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctũ tuum, poſuerunt Hieruſalem uelut pomorum cuſtodiam. Et in hoc quoq; præſenti pſalmo idipſum ſignificari uidetur, maxime cum quibuſdam placuerit, eum tanquã Hieremiæ titulo inſcribi,quia ab ipſo ſit antequam accidit denunciata captiuitas. Certe cum Hebræis ſenioribus ſecundum cognitionem, quam ab his adepti ſumus,pſalmus hic ſine inſcriptionis iſtius titulo eſt. Non dubium autem eſt, quin omnia in patribus, aut per patres noſtros geſta, futuri formam in his quæ geſta ſunt prætuliſſent,& idipſum ita eſſe, hic quoque pſalmorũ liber teſtis eſt.Nanq; cum in LXXVII pſalmo omnia quæ in Aegypto atq; in deſerto, & in cæteris locis deinceps geſta eſſent recenſerẽtur,ea ipſa parabolica eſſe ita demõſtrata ſunt: Attende populus meum legem meam, inclinate aurem ueſtrã in uerba oris mei. Aperiam in parabolis os meũ, loquar propoſitiones ab initio. Per idem quod & parabolæ & propoſitiones ſunt,rerum futurarum effectibus comparantur. Apoſtolus quoq; docet, ea ipſa quæ geſta ſunt, in præfiguratione geſta eſſe, dicens: Quia lex umbram habet futurorum bonorum, & omnia in præformationem acciderunt his.Scripta ſunt autem propter nos,in quos fines ſeculorum deuenerũt. Geſta igitur ipſa illa in exemplum,& ſcripta in doctrinam ſunt.Itaq; & hanc corporalem populi captiuitatem referri in exemplũ ſpiritualis captiuitatis oportet. Captæ enim mentes noſtræ ſunt corporum ſeculiq; dominatu, captæ à dæmonibus ſunt iure potiorum,quæ imperium in nos ſuum per diuerſa miniſteriorũ genera exercẽt,dum nos ebrietas poſſidet:dum luxus ſubijcit: dum auaritia deuincit:dum ambitio occupat:dum maleuolentia obtinet:dum ira uſurpat: dum omnia in nobis regnant hęc incentiua uitiorum. Venit enim dominus,ſecundũ prophetam,captiuitatem auertere,cum dicitur:Prædicare captiuis remiſſionem. Venit ligatos ſoluere,cum ait: Hanc filiam Abrahæ quam ligauerat ſatanas decem & octo annis,nonne oportuit ſolui die ſabbati? Venit ſeruientes in libertatem reducere,dicens:Amen amen dico uobis, quoniam omnis qui facit peccatũ,ſeruus eſt peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum.Si uero filius uos liberauerit,uere liberi eritis. Capimur ergo & ligamur & ſeruimus non tam corpore quàm mente.Et mihi in pręſenti pſalmo omnis uirtus & ratio uerborum non tam corporalem captiuitatem tractare quàm ſpiritualem uidetur.Ecce enim & in querelis,& in locis,& in rebus,& in nominibus momenta ſunt,ut ſpiritualem potius captiuitatem hæc lamentabilis prophetæ querela ſignificet: Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dũ recordaremur Sion.In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.) Affectus humani

ſenſus iſte eſt, ut inter iniurias præſentium calamitatum ad præteritorum bono-
rum recordationem ingemiſcat. Contemplemur enim animo captã Hieruſalem:
ſeruientes dominis uictoribus reges: ſubditos antiſtitibus gentilium impietatum
ſacerdotes: ereptũ omnibus ius matrimonij: ſubſtratum libidini Babyloniorum
captiuæ uirginitatis pudorem, & ex gemitu eorum qui perpeſſuri erant iſta pro-
clamaſſe digne prophetã exiſtimabimus: Super flumina Babylonis illic ſedimus
& fleuimus, cum recordaremur Sion. Sed quia Sion illa æternæ beatitudinis ſe-
des eſt, & mater cœleſtis nobis Hieruſalem, & frequentium angelorum, & primi-
tiuorum in cœlis conſcriptorum ciuitas ſancta eſt, & illa Babylon ciuitas cõfuſio-
nis, & irrationabili motu turbulenta, quę, ut Geneſis docet, à confuſarum lingua-
rum hominibus nuncupata Babylon eſt. Illic enim loqui uniuerſarũ gentium lin-
guis, cum unus omnium eſſet ſermo cœperunt. Et ipſum illud Babylonis uocabu
lum interpretationem habet confuſionis. Quiſquis ergo in crimine primi paren-
tis Adæ exulem ſe factum illius Sion recordabitur, in qua ſine cupiditate, ſine do-
lore, ſine metu, ſine crimine uita eſt, & traditum ſe ſeculo confuſionis huius tan-
quam Babylonico, traditum corpori, quod uitiorum & appetitionum & cupidi-
tatum perturbatione confuſum eſt, recte & ipſe ſpiritualiter captiuus proclama-
bit: Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur Sion.
In ſalicibus in medio eius ſ. o. n. Eos qui ſecundũ literam intelligenda omnia exi-
ſtimant, interrogare uellem, quæ flumina Babyloniam prætermeant, ut illic cap-
tus populus conſederit, & non potius aut in plateis, aut in portis, aut in turribus,
aut in domibus captiuitatem ſuam fleuerit: deinde cum quibus tympanis, aut ci-
tharis, aut organis captus ſit, quæ hiſtoria iſta illud locuta ſit, cum omni muſico
apparatu Iſraelem uictoribus ſeruiſſe: poſtremo quæ unquã ſalices in media ur-
be fronduerint, ut illic tanquam in publica muſicorum apotheca organa ſuſpenſa
penderent. Quæ ſi omnia geſtis negociorum corporalium inania ſunt, ſequenda
ea ratio eſt, quæ ex propheticis autoritatibus ad ſpiritualem nos ſcientiam cohor-
tatur. Flent omnes qui ſe captos in Babylonia ſentiunt, ſedent ſuper flumina. Om
nia enim ſeculi & corporalium opera, modo fluminum ſine aliqua curſus ſui ſta-
tione præterfluunt, currunt nanq; & elabuntur & tranſeunt. Quæ enim corpora
lis uoluptas non præterita iam nulla eſt: quod terrenum gaudium, non cum ipſo
fugitiuo ſenſu præſentis fructus ſui tranſit: Super hæc igitur ſecularium captiui-
tatum flumina ſedentes, & flentes ad recordationem Sion, amiſſorum deſiderio
& preſentium calamitate ingemiſcunt. Neq; ſolum ſedent atq; flent, ſed etiam in
medio eius organa ſua in ſalicibus ſuſpendunt. Lignorum ſalicum natura ea eſt,
ut arefacta licet ſi modo aquis alluendo alantur, uireſcant, deinde exciſa in humi-
do fixa radicibus ſeſe ipſa demergant. Et ſub huius arboris natura ſanctos & fi-
deles ſignificari prophetica autoritas eſt, Eſaia dicente: Exorientur tanquam fœ-
num in medio aquæ, & tanquam ſalix ſuper defluentem aquam. Oritur enim ex
mortuo quiſque antea peccatis aridus, & ab anterioris uitæ radice deciſus, nunc
eloquio dei, & ſacramento baptiſmi aquis uitalibus reuiuiſcit. Sed & cum feſti-
uitas ſcenopegiorum Iudæis corporaliter traderetur, quod tabernaculum fronde
um, cum ad futuræ lætitiæ, & tabernaculi exemplum ex electarum arborum ra-
mis pararetur, etiam ex ramis fluuialis ſalicis effici iuſſum eſt, quia ex conuentu
ſanctorum uirorum cœleſtis tabernaculi futura eſſet lætitia perfecta. Organa au-
tem ſcriptura humana corpora, quorum honeſtis motibus & concinentibus ope-
rationibus, quæ deo placita ſunt, pſalmus eſſe ſignificat. In media igitur earum ſe
cularium confuſionũ captiuitate, hi qui amiſſam Sion recordantur, qui in Adam
extorres factos ſe eſſe cœleſtis Hieruſalem meminerunt, qui & captos ſe eſſe in

Babylonia

Babylonia ſentiunt: hi ſedentes & flentes corpora ſua in formam ſanctorum uirorum habitumq; ſuſpendunt, à terrenis ſe deſideriis erigentes. Sed licet per continentiæ ſtudium in ſalicibus ſuſpenſa noſtra ſint corpora, tamen ea quæ captiuos nos efficiunt, non quieſcunt. Sequitur enim: Quia illic interrogauerũt nos qui c. d. n. u. c. Et qui abduxerunt nos h. c. n. d. c. ſ.) Si quis humanæ naturæ conſuetudinem recolat, ſenſum omnem abſolutum habebit. Nanq; qui laborant à uitijs deſinere, & eorum quæ impie geſſerunt obliuiſci uolũt, incentiuo tamen conſuetudinis ægre deſinentis agitantur, & ea quæ occulta ſunt uitia in nobis admiſcere ſe fidei ſacramentis, & inſerere pertentant, ut inter diuinos hymnos, & ſacras lectiones harum inimicarum captiuantium nos cupiditatum cogitatio ſubrepat. Nec ſanè deeſt hoc abſolutum in plurimis exemplũ. Multos enim iniquos uidemus legere atq; differere, & hos rurſum accidit diuerſatos eſſe ſemper in ſtupris, & impietatibus deprehendi. Sanctus uero quiſq; qui organum ſuum in ſalice ſuſpenderit, iſtis qui ſe captiuos duxerant cõſortium Sion cantici negat, neq; in inimicis ſibi uirtutibus ſanctarum cantionum uerba communicat. Quæ autem ſunt quæ captiuos ducant, nos Apoſtolus docet, dicens: Video aliam legem in membris meis militantem aduerſus legem mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati, quæ eſt in membris meis. Cum igitur inter cõcupiſcentiam carnis & ſpiritus pugna eſt, tum ea quæ captiuos nos conantur ſibi ſubdere pertentant occupare corpus eius, & dominari, & ſeſe doctrinis ſpiritualibus, ut per conſuetudinem his autoritatem adimant inſerere. Sed reſiſtendũ eſt, & prophetæ uoce reſpondendum: Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?) Terra noſtra retinenda eſt, & in libertatem tuenda. Polluta enim terrena corpora audire de canticis Sion nihil poſſunt. Et aliena à deo, licet noſtra ſint, erunt, ſi à lege peccati cœperint eſſe captiua. Sed memoria ſemper cœleſtis illius Hieruſalem, & ſanctæ Sion continenda eſt, uel dum redhiberi optatur, uel dum fletur amiſſa. Id enim ſequitur: Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuiſcatur me dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi n. m. t. Si non propoſuero Hieruſalẽ principium lætitiæ meæ.) Cum obliuionis pœna recordationis memoria ſpondetur. Sed id quod ait, obliuiſcatur me dextera mea, obſcurum eſt per conditionem Latinitatis. Nam ſecundum Græcitatis proprietatem, qua dictum eſt ἐπιλησθείη ἡ δεξιά μου, non ut ipſa obliuiſcatur, ſed ne obliuio eius fiat oſtenditur. Et magni periculi res eſt, ſi dexteræ noſtræ fiat obliuio. Omnes enim qui ſpei bonæ pleni ſunt, dexteræ deputantur, peccatoribus in ſiniſtra collocandis. Conditionem ergo obliuiſcendæ dexteræ ſuæ, quam ſibi fide & expectatione præſumit, ſub pœna non recordatæ Hieruſalem ipſe propoſuit, ut à memoria dexteræ ſuæ, id eſt, qua in dextera locaretur, ſi ipſe memoriam Hieruſalem non retinuiſſet excideret. Addidit aliam pœnam obliuionis, dicens: Adhæreat lingua mea gutturi meo, ſi nõ meminero tui.) Scit infelix os ſuum eſſe à dei laudibus mutum: ſcit beatas illas æternasq; uirtutes throno dei adſiſtentes continuata uoce in dei laudibus permanere dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus deus ſabaoth. Scit & de his qui mortuorum modo taciti in dei laudibus uiuerent dictum eſſe: Sepulchrum patens eſt guttur eorum, quia in gutture eorum, tanquam in ſepulchro patente in laudes dei emortua uox ſileret. Huius igitur ſeſe ſilentij pœnæ ſub obliuionis cõditione ſubiecit, ſi memor Hieruſalem non fuiſſet. Sed etiam per id quod ſequitur: Si nõ propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ. Vnicuiq; noſtrum ſecundũ uoluntatis ſuæ ſententiam lætitiæ cauſa ſubiecta eſt, & ex affectu animi ſui initiũ gaudij ſumit, ut potator ex ebrietate, ut guloſus ex cibis, ut auarus ex pecunia, ut libidinoſus ex ſtupris. Hæc ergo unicuiq; pro ut his delectatur lætitiæ afferunt cau-

ſam. Sed propheta Hieruſalem ſibi initium lætitiæ proponit, hinc exordium gaudij ſumens, quod in Hieruſalem receptus immortalis ex mortali erit: quod angelorum frequentiũ cœtui admiſcebitur: quod in regnum dei recipietur: quod conformis gloriæ ipſius fiet. Neſcit ergo alia gaudia, neq; aliud habet unde lætetur, ſolam ſibi Hieruſalem gaudij initium præponens. Et quia meminit per multas ſibi corporis infirmitates, per multas ſpiritus anguſtias, per multa ſubrepẽtium uitiorum incentiua eò eſſe ueniendum, ueretur, ne quid ſibi per naturam corporis ex uitijs adhæreſcat. Poſt hæc enim ad deum precatur, dicens: Memento domine filiorum Edom in diem Hieruſalem. Qui dicunt exinanite quoaduſq; fundamentum in ea.) Edom interpretatur terrenum. Vitia itaque terreni corporis noſtri, quia ex natura corporis noſtri exeunt Edom filij nuncupantur. His Babyloniſ, id eſt, confuſionibus & perturbationibus ſenſus noſtri imperant, ut nos ex ea plenitudine, qua repleti ſumus, euacuent. Scriptum eſt enim: Quoniam de plenitudine eius omnes accepimus. Quiſquis enim capax eſt domini, quoniam de plenitudine eius impletus eſt. Eſt autem hæc natura turbidi cõfuſiq; per uitia corporis ſenſus, ut ſi ſemel nos in omnem peccati uoluntatem & conſuetudinem traxerit, omnibus nos bonarum uirtutum ſtudijs exinaniant. Hæc ergo uitia his ſenſus noſtri turbidis confuſionibus imperant, ut nos fundamento ipſo exinaniant. Quiſquis enim ſanctus eſt, pro parte Hieruſalem ipſe eſt, quia ex conuentu beatorum uirorum, & cœleſti conſortio dignorum, Hieruſalem uiuorũ & precioſorum lapidum ciuitas erit, quam hęc terrena uitia uſq; ad fundamẽtum exinanire nituntur. Quod fundamentum in nobis ſit, Apoſtolus docet, dicens: Fundamentum autem alius nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus. Omne igitur religionis initium, omne fundamentum ſpei noſtræ euacuare tentant, ne qua in nobis memoria & recordatio dei reſideat, ne qua ſpes boni alicuius relinquatur. Fundamento enim fidei, quod eſt Chriſtus, eruto & euerſo, ne ipſius quidem ędificandæ nobis per pœnitentiam ueniæ conſolatio relinquetur. Commemorata autẽ Hieruſalem captiuitate, & filiorum Edom in exinaniendis nobis uſq; ad fundamentum adhortatione, conſequens eſt, ut quatenus aduerſus hæc nobis prouidendum ſit propheta demonſtret. Demonſtrat planè non inopes nos, neq; imperitos relinquens cum ait: Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam r. n. Beatus qui tenebit & allidet p.t.a.p.) Vellem percunctari eos, qui ocioſas eſſe ſpirituales pſalmorum intelligentias exiſtimant, quam hic à propheta Babylonis filiam dictã eſſe intelligãt. Et cum ſuperius ſuper Babylonis flumina ſeſſum atq; ploratum ſit, cur nũc Babylonis filia miſera ſit. Sed quia ſenſus legentis corporali intelligentia caret, ſpiritualis ratio tractanda eſt. Ad infelicem enim illam confuſionis & perturbationis noſtræ carnem ſermo omnis reuertitur, quæ ſecundum hiſtoriæ fidem ex cõfuſionis patribus genita eſt. Quia omnis caro ſuperioris carnis eſt filia. Ex his enim qui primum confuſis linguis confuſionis urbem quæ Babylonia eſt cõdiderunt, uniuerſarum gentium initia diſperſa ſunt. Hęc ergo miſera Babylonis eſt filia, id eſt, caro omnium, cui qui retribuet retributiones ſuas beatus eſt, ſi quis carnẽ ſuam dominatui animæ ſubiecerit. Quiſquis enim eam ſpiritui ſubiecerit, ille omnes eos, qui imperiti deo & ignari ſunt, omnibus uoluptatibus & deſideriſ ſuis ſubegerit, & captiuæ menti dominans imperabit. Sed cum per cognitionem deitatis uitia eius non dico abolitione, ſed morte perimuntur, cum religio, pudicitia, largitio, ſobrietas & charitas, impietatem, libidinem, ebrietatem, ſimultatem, odia conſumpſerit, omnibuſq; operibus ſpiritus caro uicta famulatur, tunc beatus eſt, qui retributionem ſuam ei retribuit: id eſt, qui dominatum in eam ſpiritus, quo uti ipſa in ſpiritum

erat

erat ſolita demutat. Neq; ſolum retributor retributionis ſuę beatus, ſed & ille beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. Vitia corporis non ſunt ſinenda coaleſcere, ſed in exordijs ſtatim enecanda ſunt. Periculoſæ ſunt iam robuſtæ cupiditates, & difficulter adulta quæq; perimũtur. Leuius autem eſt prorumpentes auellere, teneras excidere, flexibiles retorquere. Beatus itaq; eſt quiſquis in exordio inhoneſtas quaſque omnium cupiditatum appetitiones, quæ ex uoluntate carnis oriũtur, primum intra ius patientiæ ſuæ uirtutisq; cohibebit, deinde eas ad fidem atq; ad metum dei eliſas enecabit. Omnis enim qui ex peccatis ad religionem transferetur, peccata omnia in eam ad quam deceſſerit religionem eliſa comminuet. In eo autem quod paruulos miſeræ filiæ Babylonis tenet & allidit ad petram, & uirtus qua naſcentes cõhibet, & fides qua ne adoleſcãt allidit, oſtenditur. Et allidit ad petram. Petra autem ſecundũ Apoſtolũ Chriſtus eſt. In quem beatus eſt qui filiæ Babylonis paruulos, id eſt, tenera adhuc corporis uitia allidit & conterit. Ipſi unigenito deo ac domino noſtro gloria & laus in ſecula ſeculorũ. Amen

Pſalmus CXXXVII

CONfitebor tibi domine in toto corde meo, quoniã audiſti uerba oris mei, & reliqua.) Duplicem in confeſſione ſignificationẽ eſſe in plurimis locis demonſtrauimus, aut peccati noſtri aut laudationis dei. Et hoc ita eſſe ex euangelicis dictis promptũ eſt noſcere. Nam cum ait dominus: Cõfitebor tibi domine pater cœli & terrę, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus ſeculi, & reuelaſti ea paruulis, laudem dei præſens ob reuelata paruulis, quæ ignorata eſſent prudentibus cõfitetur, docens ideo abſconſa ea eſſe his qui prudentes uiderentur, quia non ſecundum innocentiam paruulorum præceptis euangelicis credidiſſent. At uero ubi in eiſdem euangelijs dicitur: Et baptizabantur omnes in Iordane, cõfitentes peccata ſua, illic confeſſio peccatorũ ſuorum ſine ambiguitate ſignificationis alterius continetur. Maxima autem & utiliſſima eſt letalium uitiorum morbis in eorum confeſſione medicina: ſed confeſſio peccati non eſt tanquam rerum alijs ignoratarum profeſſio, ut ſi fur de furto, aut homicida de cæde interrogatus confitetur. Neq; tanquam ignorans qui ſcrutatur corda & renes deus eſſet, ad ſcientiã ſuam cõfeſſione tua indiget, cui promptum eſt non ſolum cogitata, ſed cogitanda perſpicere. Confeſſio autem peccati ea eſt, ut id quod à te geſtum eſt per cognitionem peccati confitearis eſſe peccatum. Nemo enim quod agit, ad id agendum non aut fructu oblectationis alicuius, aut iudicio bonę in eo opinionis aggreditur, dum aut rectum putat, aut eo gaudet: ſed cum per doctrinã dei uericq; rationem ea quæ ſub ſpecie aut utilitatis aut uoluptatis elegit, intelligit eſſe peccatum, per peccati intelligentiam peccatum id eſſe quod à ſe geſtum eſt confitetur. Nullus autem id quod peccatum eſſe confeſſus eſt, deinceps debet admittere, quia confeſſio peccati profeſſio eſt deſinendi. Cæterum in intellectis & confeſſis admittit. Confiteri enim, id tanquam recens cognitũ nõ poteſt, quod à ſe cum peccati cognitione ſit geſtum. Deſinendum ergo à peccatis eſt poſtquam in confuſione eſt cognitio peccati: & confitendum eſt, ut propheta docuit, corde toto non ex parte, neq; aliqua adhuc nobiſcum cognitorum peccatorũ operatione reſidente. Quid enim ſi quis de furto pœnitens iniquis & turpibus lucris pecuniam ſuam auxerit? Non erit quidem fur, ſed erit auarus & raptor. Aut ſi quis ex fornicatione deſinens, uino ſe nimio corrumpet, corpus quidem ſuum non polluet, ſed animam cõtaminabit. Et ſi quis à cædibus temperans maledicus eſſe perſiſtet, manum quidem homicidam non habebit, ſed linguam habebit. Et quomodo quis ex toto corde poterit confiteri

Quõ confitemur deo

non exigua ſecum peccati parte reſidẽte: Deterſis itaq; omnibus uitijs confeſſione opus eſt deſinendi, & orandum ſemper ad deum eſt, ut in cohibendis peccatis extinguendisq; incentiuis eorum, pendula uoluntatis noſtrę ſtudia cõfirmet. Ob quod iam confitens propheta per confeſſionem ac precem ſuam in portu ſe innocentiæ collocatum ait: Confitebor tibi domine in toto corde meo, quoniam audiſti uerba oris mei.) Duplex intelligentiæ huius, ut ſuperius iam diximus, ſenſus eſt. Nam ſiue laudem deo cõfitetur, quia uerba oris eius audita ſunt: ſiue per miſericordiã dei, cum diu oraſſet adiutus iam omnibus peccatis deſinẽtibus confitetur. Fidei noſtræ utrunq; cõueniens, ut & deum laudemus, & cõfiteamur intellecta peccata. Dehinc ſequitur: Et in conſpectu angelorũ pſallam tibi.) Parum ſibi exiſtimat propheta eſſe, ut hominibus tantũ præſentibus pſallat, quia homines corporaliũ tantum negociorum officia inſpiciunt. In eo enim quod pſallit, motum cõplacitæ deo operationis oſtendit. Non ergo quæ uidentur in corpore cerni deſiderat, ſed ea quæ ſpiritualiter naturæ ſpirituales cõtuentur gerere eſtinat. Scit enim ſe ſub ſpecula angelorũ uitam omnem moresq; agere, & ubiq; hęc diuinorum myſteriorũ auxilia fidelibus cunctis adſiſtere, ut ſcriptũ eſt: Præeſt angelus domini in circuitu timentiũ eum. Legem etiam Moſi in manu mediatoris per angelos fuiſſe diſpoſitã docet Apoſtolus. Nec non & Heliſæus abſolutiſſime docuit humanas infirmitates angelorũ auxilijs defendi, & in omnibus periculis ſi fides maneat in nobis, adeſſe ſpiritualiũ uirtutũ defenſionem. Nanq; cum rex Syriæ capere Geth urbem, in qua idem Heliſæus propheta eſſet pararet, & nocturnis itineribus exercitũ ſuũ, qui antelucanus urbẽ obſideret deſtinaſſet, puer Heliſæi cõſpecta obſidione dixit: O domine quid faciemus? & dixit Heliſæus: Noli timere, quia plures ſunt nobiſcum, q̃ cum illis. Et orauit Heliſæus ad dominũ, & dixit: Adaperi domine oculos pueri huius, ut uideat. Et aperuit dominus oculos pueri & uidit, & ecce mons erat plenus equis & curribus in gyro Heliſæi, & deſcenderunt ad eos. Tantus & tam nobilis propheta ſolus contemplatione auxiliorum ſpiritualiũ dignus eſt. Sed oratio eius ad deum uiſum incorporalium etiam puero ſuo meruit. In horum igitur adſiſtentiũ humanis auxilijs angelorum conſpectu pſallat propheta ſpiritualibus ſpiritualiũ operum contemplatione placiturus. Sed non ſolũ coram angelis pſallit, ſed etiam id quod ſequitur efficiet: Adorabo ad templũ ſanctum tuum. Non in templo, ne quid ſecundũ conſuetudinem Iudæorum corporaliter loqui uideretur, ſi adoret in templo, ſed ad templum, id eſt, apud templũ ſpiritu & corpore adoraturus. Templum autem deo eſſe ſanctũ ſanctos quoſq; Apoſtolus docet dicens: Vos enim eſtis templũ dei, & ſpiritus dei habitat in uobis. Habitatio ergo quæ ex nobis deo digna erit, deo templũ eſt. Apud hoc ergo templũ deo ſanctum adorabit, nõ ſine perfecta ratione doctrinæ, ne qua hæreticis de incompoſitæ orationis confuſione ad ſtudia ſua pateret irreligioſitatis occaſio. Ait enim: Et confitebor nomini tuo ſuper miſericordiã tuam & ueritatem tuam.) Cum dei nomini confitetur, tenet euangeliorum & legis congruam fidem. Quod enim ſibi nomen eſſe ſciri deus uoluit, eodem dicto euangelij & legis dominus Sadducæis reſurrectionem corporum abnegantibus reſpondens oſtendit. Ait enim: De reſurrectione autem mortuorum nõ legiſtis, quod dictum eſt uobis à deo dicẽte: Ego ſum deus Abraham, & deus Iſaac, & deus Iacob? Non eſt deus mortuorum, ſed uiuentium. In abſoluto ergo hæreticorum error eſt, qui alium atque alium euangeliorum & legis deum aſſerunt, cum dominus id quod principale in lege eſt ad confirmationem ſpei euangelicæ cõmemorat. Eſt autem & nomen aliud deo quod in euangelijs cognoſcimus domino dicente: Pater uenit hora honorifica filium ſuum, ut & filius tuus honorificet te. Et poſt multa alia

ſequitur

ſequitur: Manifeſtaui nomen tuũ hominibus. Et quod nomẽ eſſet ſuperius oſten dit dicens: Pater uenit hora, honorifica filium tuum. Huius ergo nomen confite/ tur, adorat, qui & ſecundum legem deus Abrahæ & deus Iſaac & deus Iacob ſit, & ſecundum euangelia unigeniti dei pater eſt. Extinguit quoq; inſolentẽ eorum profeſſionẽ, qui humanæ naturæ & infirmitatis immemores & immiſericordem deum prædicantes peccatis pœnitentium ueniam & ſolatiũ non relinquunt, cum ad pœnitentiam, per quam à peccatis deſiſtitur, doctrina legis prophetarũ euan/ geliorum Apoſtolorũ eos qui peccauerint adhortetur, ut deſperatæ iam ſpei ali/ quantulum per eam ſolatij comparetur, ut amiſſis licet beatis & maximis & deo proximis, ne his ſaltem quæ talibus ſunt ſecunda careamus. Tollit etiam ſtultiſſi/ mam eorum temeritatem, qui fruſtrato falſoq; corpore dominum in carne uiſum eſſe contendunt, ut eum pater ementita ueritate in habitu falſæ carnis oſtenderit, non recordantes poſt reſurrectionem corporis ſpiritũ ſe uidere credentibus apo/ ſtolis dictum eſſe: Quid conturbati eſtis, & quæ cogitationes aſcenderunt in cor/ da ueſtra? Videte manus meas & pedes meos, quoniam ipſe ego ſum, palpate & uidete, quoniam ſpiritus carnem & oſſa nõ habet, ſicut me uidetis habere. Ab ho rum igitur confeſſione confeſſionem ſuam propheta diſcernit, perfectæ fidei te/ nens ordinem, cum in nomine deũ Abrahę, & deum Iſaac, & deum Iacob, cum in miſericordia pœnitenti miſericordem, cum in ueritate uerbũ caro factũ confite/ tur. Cauſa etiã confeſſionis hinc ſumitur. Quoniã magnificaſti ſuper omnia no/ men ſanctũ tuum: Non uni tantũ genti dei nomen eſt cognitum, ſed ſuper om/ nia magnificatum eſt, & in omnes magnitudo ſanctitatis extenditur. Non barba/ rus, nõ Scytha, non ſeruus, non liber, non mulier, non uir, non ętas ulla ſecernitur. Super omnia enim magnificatũ dei nomen eſt. Templa collapſa ſunt, ſimulachra mutata ſunt, aruſpices interuentu ſanctorum ſilent, augurũ fides fallit, unum dei nomen in omnibus gentibus ſanctum eſt. Adeſt enim ſemper in ſe ſperãtibus ſan ctis ſuis, ut ubicunq; inuocatum fuerit, præſentem opem tribuat. Ait enim: In quacunq; die inuocauero te exaudi me.) Nullum diem iuſtus quiſq; ſine metu tranſigit, neq; anxia ſemper erga ſe fides ſecuri temporis ocium recipit. Scit om/ nes dies plenos inſidiarum ſibi eſſe, Diabolo atq; angelis eius excidium ſibi ſem/ per mouentibus. Scit diem illam domini occultam & inſperatã, & modo noctur/ ni furis repentinam futuram. Vt igitur ſe in quacunq; die inuocantem exaudiat deprecatur: Nec diffidit propheta quid in quacunq; die exauditus obtineat. Se/ quitur enim: Multiplicabis me in anima uirtute tua.) Per inuentã fidei curam multiplicabitur ipſe in animæ uirtute. Ne quid in ſe tribulationibus, ne quid ter/ roribus pateat, ſed cum tentationes ingruerint, cum metus incidet, omnia multi/ plicata animæ uirtute tolerent. Et quia certa ſpes iſta eſt, ut animæ uirtus diuinæ miſericordiæ multiplicet auxilio, debitã ob id ab omnibus deo cõfeſſionẽ fatetur dicens: Confiteãtur tibi domine omnes reges terræ, quia audierunt uerba oris tui. Et cantent in uijs domini, quoniã magna gloria domini. Quoniã excelſus do/ minus, & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit.) Et quos reges terræ prophe ta ſignificet, iam in plurimis pſalmis oſtenſum eſt. Reges non gentiũ, ſed terrę, id eſt, ſui uniuſcuiuſq; corporis reges deſinente à ſe regno peccati: uocati em̃ ſumus in regnum cœlorũ, & regno mortis euerſo: mors enim regnauit ab Adam uſq; ad Moſen, & iam unuſquiſq; rex ſuus eſt ſecũdũ Apoſtolũ. Iam ſine nobis regnatis Horum igitur cõfeſſio deo digna eſt. Audierunt enim omnia uerba oris dei, & in reges ſe conſtitutos ſciunt. Neq; ſolum cõfiteantur, ſed & cantent in uijs domini, non tranſgredientes uias dei, ſed in his euntes. Viæ autem dei ſunt prophetę om/ nes & apoſtoli in unam uiam unũquenq; uia ſua dirigẽtes. Et quod ex omnibus

in unam concurratur propheta demonſtrat dicens:State in uijs domini & interro gate ſemitas dei æternales,& uidete quæ eſt uia bona,& ambulate in ea. Viæ em̃ domini æternæ.In his itaq; uijs domini cantandum eſt, & hymnis prophetalibus concinendum, quia magna dei gloria eſt. Magnificentiæ enim eius non eſt finis. Nam magnitudinem gloriæ ſuæ opera teſtantur,cœlũ, terra,æther, maria,homo ipſe qui rationis particeps horum cognitione perfectus eſt, ut per hæc uiſibilia in uiſibilem dei gloriam contueretur. Neq; ſolũ magna eſt dei gloria,ſed etiam ex celſus eſt, & humilia reſpicit.Hinc eminentis celſitudinis ſuæ admiratio maxima eſt,quod humilia reſpicit qui excelſus eſt.Sed quæ humilia reſpicit: Nempe iſta: Cor contritum & humiliatum deus non ſpernet.Et rurſum: Et ſuper quem reſpi ciam,niſi ſuper humilem & trementem uerba mea: Sed quia excelſus humilia re ſpicit,habet in ſe aliam quoq; admirationem,quod & alta de longe cognoſcit, Su perbæ & inſolentes cogitationes deum non fallunt,agnoſcit omnia, & nihil ſcien tiæ eius impenetrabile eſt. Deus (ut ſcriptum eſt) propè eſt his qui tribulato ſunt corde.Non admiſcetur autẽ arrogantibus,neq; inſolentibus propè eſt. Vnicuiq; enim noſtrum pro fidei diuerſitate aut proximus eſt aut remotus: Spirituali uir tute ubi ſe dignum eſt acquieſcens,& ideo humilia de corpore,& à longe alta co gnoſcit. Et qui per indignitatem abeſt ab inſolente, per uirtutem longe quæ licet ſunt,ſuperba cognoſcit. Si ambulauero in medio tribulationis uiuificabis me.) Non abnuit iuſtus iſte,ne in medijs tribulatiõibus ambulet.Scit enim quia tribu latio patientiam ſecundum Apoſtolum operatur. Scit improbabilem uirum non placere,ſcit uictorem militem niſi bello non futurũ,ſcit intentatam fidem langue re,ſcit in tribulationibus ſecundum Apoſtolum gloriandum, ſcit imparem ſe tri bulationibus ſine auxilio dei eſſe,& idcirco per deũ ſalutis ſuæ certus eſt. Et cum in medijs tribulationibus ambulet, per eaſdem ſe uiuificandum eſſe confidit. Ait enim: Super iram inimicorum meorum extendiſti manus tuas, & ſaluum me fecit dextera tua.Dominus retribuet pro me.) Iraſcentibus inimicis extenſa nos manus dei protegit.Tribulationes enim inimici afferunt iraſcẽtes fidei & ſpei no ſtræ,quia aduerſarius noſter ſecundum Apoſtolum diabolus, tanquam leo rugi ens ambulat,quærens nos deuorare.Sed ſuper iram inimicorum,per quos diabo lus ſemper operatur,manus domini extenditur, & ſperantes in ſe ſaluos facit de xtera eius. Virtus ſignificatur in dextera,& ideo dominus,qui dei uirtus & dei ſa pientia eſt,non nunquam dei dextera cognominatur, per quem aduerſus omnes inimicos in omni tribulationum bello protegimur. Seruauit autem euangelicæ manſuetudinis propheta rationem, qua iniuriam reddere his qui nos perſequun tur inhibemur dicens:Dominus retribuet pro me.Illi enim uindicta ſeruanda eſt, qui in calumnia ueſtes dimitti & pallium iuſſit,qui poſt iniuriã alapæ unius præ beri & maxillam alteram uoluit,qui uetuit malum pro malo reddi, plus uindictæ adepturis his qui æterno iudici ultionem præſentis iniuriæ reſeruaſſent.Conclu ſit deinde fideliſſime ſpei uoce: Domine miſericordia tua in ſeculum,opera ma nuum tuarum ne omittas.) Vt quia dei miſericordia in ſeculum eſt,extendens ſuper iram inimicorum manum ſuã,& fideles ſuos protegens dextera ſua, & pro his retribuens opera manuum ſuarum,non omittat hominem ſcilicet qui ait: Ma nus tuæ fecerunt me &c. Nonnunquam manu dei facta,commemorari ſolent,ho mo uero ſemper manibus dei effectus,nobiliore in eum opere ex manuum com memoratione monſtrato. Vt igitur hunc non omittat precatur,ut ſit ei auxiliator aſſiduus per eum & in eo qui dicit: Ecce ego ſum uobiſcum omnibus diebus uſ que ad conſummationem ſeculi, dominum Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Pſalmus

Psalmus CXXXVIII

DOmine probasti me & cognouisti me, tu cognouisti sessionem me am & resurrectionem meam, & reliqua.) Omnis quidem prophe ticus sermo ex diuini spiritus instinctu profectus est, & hoc non in obscuro est, cum legimus: Hæc dicit dominus. Et iterũ: Audite uer/ ba domini. Et rursum: Quoniam dominus locutus est. Et in eodẽ: Os enim domini locutum est ita. De psalmis autẽ ipse dominus in euangelijs con firmat, cum de se loquẽs ait: Si Dauid in spiritu uocat eum dominum, quomodo dicitis quod filius eius est: Docens omnia Dauid spiritu prophetico elocutũ. Lo/ cutum autem de se, licet in hoc eodem loco ostenderit, cum ab eo ait dominum se esse in spiritu nuncupatum, absolutius tamen ostendit in psalmis sacramentũ om ne corporei aduentus sui contineri, dicens: Hæc sunt uerba mea quæ locutus sum ad uos cum adhuc essem uobiscum, quoniam oportebat omnia impleri quæ scri/ pta sunt in libro Mosi & prophetis & psalmis de me. Nõ est ergo ambiguũ quin in psalmis de eo scriptum sit. Nam & si pleraq; in his talia sint, ut ad personam pa triarcharum, prophetarum, martyrum, apostolorum, generationis quoq; primæ & generationis sequentis referri oporteat, tamen quia omnia in Christo & per Christũ sunt, quicquid illud in psalmis, & sub diuersorum est personis propheta/ tum, omne de ipso est. Quia doctrina omnis diuersis licet præceptorũ generibus multiformis, hoc per diuersos præstat ut ipse noscatur. Hæc nobis propter præ/ sentem psalmum commemoranda necessario fuerunt, ne fortè sine probabili au/ toritate præsumpsisse existimaremur, ut ad personam Christi omnem hanc eius prophetiã referremus. Diligenter autem ea obseruãda ratio est, ut quæcunq; ho/ mini illi, quem ex utero sanctæ uirginis assumpsit, & in quo se nasci hominẽ qui deus erat uoluit, apta esse & congrua uidebũtur, cum debita cœlestis naturæ suæ dignitate tractentur, neq; sacramentum salutis nostræ, qua in forma dei manens formam serui accepit, ad contumeliam indemutabilis suæ & inuisibilis & incor/ poreæ & impassibilis substantiæ coaptemus. Quod enim homo fuit nobis profe/ cit, sibi nihil dempsit. Exinaniuit enim se in forma dei manẽs, ut forma serui esset, & non ut forma dei esse desineret. Ait enim ipse: Quæcunq; pater facit eadem & filius facit similiter: nunquid in forma serui manens, uirtutem & diuinitatem, qua in forma dei manebat amisit: Cum enim in corpore humilitatis nostræ quęcunq; pater facit, eadem & ipse facit, similiter nihil per consortiũ carnis à paternæ diui/ nitatis potestate degenerat: neq; id corpus quod assumptum est, uirtutem naturæ antea manentis aboleuit, cum in eo corpore quod assumptũ est, uirtus naturæ an tea manentis operetur. Itaq; si quid infirmũ ex persona eius dictum reperiretur, ad hominem referri oportebit, per quem habitabit in nobis. Verbũ enim caro fa/ ctum est, & habitauit in nobis. Referendum autem ob id est, quia non alienæ aut simulatæ naturæ hominem assumpsit. Verbum nanq; caro factũ habitauit in no/ bis, non in uitia infirmitatesq; carnis ex uerbi uirtute deficiens, sed naturæ nostræ infirmitates homo natus assumens. Assumptio autem infirmitatis non fecit infir/ mum, quia aliud est naturam esse, aliud assumpsisse naturam. Et extra generis ne/ cessitatem uoluntatis accessio est. Non enim peccator fuit, sed peccata suscepit. Neq; infirmus extitit, sed portauit infirmitates. Ipse enim secundũ prophetã pec/ cata nostra suscepit, & infirmates nostras portauit. Et ne quid in impassibilem at/ que indemutabilem diuinitatẽ infirmitatis incidere existimaretur, adiecit: Et nos putabamus eum in doloribus esse. Suscepit ergo infirmitates, quia homo nasci/ tur: & putat dolere, quia patitur: caret uero doloribus ipse, quia deus est. Et cum

inhabitauit

inhabitauit in nobis, cumq; infirmitates noſtras ſuſcepit, cum ſuſceptis infirmitatibus non dolet, non poteſt non eſſe qui habitat, nec à ſe defeciſſe qui ſuſcepit, nec abolitus deus eſſe qui non dolet. Et hæc quidem propter præſentem pſalmũ commemorata paucis ſunt, quia uideẽ ſtatim ex perſona hominis cœpiſſe, ne per hoc quod tanquam homo loquitur deceſſiſſe ex paternæ diuinitatis gloria uideretur. Ait enim: Domine probaſti me & cognouiſti me.) Apoſtolus cum nos patientiæ & ſpei doctrina erudiret ait: Tribulatio patientiam perficit, patiẽtia autem probationem, probatio uero ſpem, ſpes autem non confundit. Et hæc quidem in ſanctorũ quoq; uita atq; operibus fuiſſe cognoſcimus, ut multis paſſionibus tribulationibusq; iactati, probabiles deo facti ſint. Si quis enim exulem Abraham, & in metu parricidij & cœlibatus, & in cæterarum paſſionũ iniurijs manſiſſe fidelem ſemper meminerit, ſi quis fugam Iacob, & præter æſtiuorum dierum laborem, hybernarũ noctium uigilias in cuſtodijs ouium recordetur, ſi quis Moſi quadraginta annorum ſeruitutem, & in eo acerba plebis opprobria, & magorum aduerſus eum æmulas poteſtates recenſeat, intelliget eos patientia & cõſtantia ſpei probatos, non immerito id eſſe præmij conſecutos, ut in Abrahæ ſemine gentes benedicerentur, ex Iacob Iſrael eſſet, Moſes Pharaoni in deum fieret. Longum eſt paſſiones cæterorum patriarcharum, prophetarum, apoſtolorũ, & beata illa atq; inuicta Pauli in mari, in fluminibus, in terra, in ſolitudinibus, in urbibus, in propriis, in exteris, in plagis, in uinculis, in carceribus, in theatris fidei documenta memorare. Certe hos omnes patientia probabiles reddidit, per quam non erubeſcendæ ſpei ſuæ fiduciam probauerunt. Sed hæc oportunius & plenius ſuis locis tractata patent, nunc ad eum ex cuius perſona pſalmum conſtare diximus, reuertendum eſt. Non confundenda autẽ perſona diuinitatis & corporis eſt. Omnis enim nũc in exordio ex perſona eius hominis, quem aſſumpſit, oratio eſt. Probaſti me & cognouiſti me. Probatus eſt, ut cognoſceretur, quia poſterior eſt probatione cognitio. Et uideamus ſecundum euãgelicam doctrinam hic dei filius quomodo ſit & probatus & cognitus. Humilitas nanq; eius, per quam meruit ab omni cœleſti, terreſtri & inferno adorari, & in gloria dei patris eſſe, probatio eius fuit. Ita enim Apoſtolus ait: Fuit obediens uſq; ad mortem, mortem autẽ crucis. Propter hoc exaltauit eum deus, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Et omnis lingua cõfiteatur, quia dominus Ieſus in gloria eſt dei patris. Propter hanc itaque uſq; ad mortem crucis obedientiam infirmitas carnis aſſumptę & in nomine atq; honore immortalitatis, & in patris dei gloria collocatur. Dei enim nomen donatur, & nomen non ſine honore donatur, honor autem qui donatur non alius poteſt eſſe quàm nominis. Nomen uero indulti honoris nõ aliud eſt quàm quod gloria eſt paterna: ut qui in forma dei manens, formã ſerui accepit, propter obedientiam formę ſeruilis cũ crucis morte ſuſceptæ in gloria dei patris eſſet, cuius antea manebat in forma. Sed hæc Apoſtolus iam de perfectis locutus eſt. Demonſtrandum autem in euangelio eſt, ubi & probatus & cognitus eſt. Humilitas itaq; eius probatio eſt. Vnigenitus nanq; deus peccatorum remiſſor, ęterni regni dominus baptizari ſe tanq; peccator expoſcit. Officiũ iſtud baptiſta renuit, agnoſcens eum qui ſibi potius peccata donaret, ille autem ſuſceptã in ſe hominis iuſtitiam etiam ſacramẽto baptiſmi expleuit. Et peccati noſtri ipſe peccati neſcius particeps fieri non recuſat, & omnem in ſe humilitatẽ caducæ carnis aſſumens, Iordanem turbis peccatorũ mixtus ingreditur. Probatur in iſtis omnibus dum gerũtur, ſed uideamus an probatus agnoſcit. Ait enim euãgeliſta: Et baptizato Ieſu cõfeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt cœli, & uidit ſpiritũ dei deſcendentẽ de cœlo ſicut

columbam

columbam uenientem in ipſum,& ecce uox de cœlo dicens:Hic eſt filius meus dilectus,in quo cõplacui.Probationem mox cõſecuta cognitio eſt. Et quem humilitas probabilem fecerat, hunc paterna uox filiũ complacitũ ſibi poſtq; probauit oſtendit.Eſt & probatio quã ſtatim cõſecuta cognitio eſt. In deſerto igitur tentationi diaboli ſubijcitur, ſeſeq; nunc in faſtigiũ templi, nunc in excelſum montem patitur efferri. Cõtumeliæ itaq; & iniuriæ tam graui ſe dedit, dum in deſerto eſt, dum cõditione tentationis illuditur, dum eleuari poteſt in templũ atq; montem. Sed tentationũ probationem agnoſcentis teſtimoniũ non reliquit. Ait enim ſcriptura: Tunc reliquit eum diabolus,& ecce angeli miniſtrabãt ei.Homo tentatur, homo circũfertur,ſed poſt hæc angeli miniſtrant. Per probationem cognoſcitur, per cognitionem dignus eſt miniſterio angelorum.In cæteris autem quoties probatus eſt,toties & cognitus eſt. Petrus autem paſſionẽ eius deteſtatus eſt, crucis in eo ſcandalum præ amore & confeſſæ iam à ſe diuinitatis cognitione non ſuſtinens.Sed quia eum ob infidelitatem crucis ſatanam nuncupaſſet,non multo poſt cum in monte gloriæ ſuæ habitu cõſtitiſſet tali à patris uoce cognoſcitur: Hic eſt filius meus dilectus,in quo complacui,hunc audite. Probationem quam tentatio Apoſtoli effecerat,paternæ uocis agnitio eſt conſecuta. Deinde ſequitur: Cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam.) In ſeſſione doctrinã ſignificari euangelica eſt autoritas. Seſſiones autem nobiſcum hæ ſunt quæ à Græcis cathedræ nuncupantur. Moſes cathredram habuit ſecundum domini dictum:Super cathedram Moſi ſederunt ſcribæ & phariſæi. Omnia ergo quæcunq; dicunt uobis,facite & obſeruate,ſecundũ autem opera eorum nolite facere. Dicũt enim & non faciunt. Cum igitur doctrina phariſæorum ob id probabilis eſſe docetur, quia ipſi in Moſi cathedra ſederunt, doctrina neceſſario ſignificatur in cathedra. Cognouit itaq; ſeſſionem eius, cum dignitatem eius in omnibus prædicat, cum uoluntatem eius qui ſe miſit exequitur,cum humilitati corporis ſui gloriã poſtulans audit è cœlo:Et honorificaui & honorificabo.Sed doctrina eius nõ minus in ſeſſione quàm in reſurrectione eius cognoſcitur.Nam ut ſeſſio doctrinæ præceptum eſt,ita & reſurrectio operationis effectus eſt. Sedens Ieſus docuit in monte, ſed poſt doctrinam ad opera deſcendit.Ita enim ſcriptũ eſt: Et deſcendente eo de monte ſecutæ ſunt eum turbę.Et ecce leproſus quidam adorabat eum dicens:Domine,ſi uis potes me mundare:Et extendens manũ tetigit eum Ieſus dicens: Volo,mundare.Ad ſanandam quoq; archiſynagogi filiam ſurrexit dominus. Scriptum eſt enim: Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum cum diſcipulis ſuis. Cum autem perfectum illud in lauandis apoſtolorum pedibus humilitatis ſuæ officium expleuit,ita legimus:Surrexit à cœna,& poſuit ueſtimenta ſua,& accepto lintheo præcinxit ſe. Cognoſcitur itaq; in ſeſſione eius & reſurrectione doctrina atq; opus, quia & ſermone & opere dei in ſe patris gloriam prædicabat. Intellexiſti cogitationes meas de longe.) Scrutans corda & renes deus eſt. Et quomodo de longe cogitationes eius intellectæ ſunt? De longe,nõ ad locum,ſed ad tempus refert. Non enim de longe ſe intellexiſſe ait,ut ſignificatio loci eſſe credatur, tanquã longe ab humanis operibus ſit, cum uiſu uirtutis ſuæ & ſcientia quæ cogitantur intelligat,ſed de longe intellexiſti ait,præteriti potius temporis ſignificans ætatem. Et ubi iſtud quod longe ante cogitationes ſuas cognouerit reperiemus? Nempe ubi dicit:Ecce puer meus quẽ elegi,dilectus meus in quo cõplacuit animæ meæ. Ponã ſpiritũ meũ ſuper eum,& iudiciũ gẽtibus nũciabit.Nõ clamabit,nõ cõtendet, neq; quisq; in plateis uocẽ eius audiet.Et huius ꝓphetię tũ euãgeliſta meminit,cũ his quos curabat,ut de ſe tacerẽt iubebat.Has ergo cogitatiões eius humilitatis ſcilicet & patiẽtię lõge ante intellexit,qa de his erat ꝓphetarũ ore teſtatus:

Semitam

Semitam meam & directionem meã inuestigasti.) Est etiam de semita & directione antequam id ipsum tractetur non nihilum præloquẽdum, id nanq; quod nobiscum semita est, alia uirtute atq; intelligentia cum Græcis est. Tritam enim nuncupant, id est, frequenti gressu discursuq; contritam, per quam nõ semel neq; aliquando, sed semper ineundum sit. Quod autem nostri directionem transtulerunt, id illi ex Hebræo χοῖνον interpretati sunt, χοῖνος autem quarundam gentium consuetudine certum & constitutum modum itineris significat, ut quod nos miliarium, id illi χοῖνον nuncupent. Dominus itaq; noster in eo corpore quod assumpsit iam transcursam à se atq; tritam in prophetis semitam percurrit, & certũ constitutumq; sibi itineris sui finem confecit. Quod autẽ per tritam prędicationis semitam ambulauerit, audiamus ipsum dicentem: Hierusalem Hierusalem quę occidis prophetas, & lapidas eos qui missi sunt ad te. Quoties uolui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos, & noluisti? Quoties cum ait, frequentiam numerosæ significationis ostẽdit. Nihil ergo noui & egit & passus est, cum per nolentem congregari filios suos Hierusalem toties & auditus & inhonoratus est in prophetis. Quòd autem definitum & præscriptum iter confecturus esset, ostendit in eo cum ait: Ego te honorificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi. Qui datum sibi opus consummat, modum præscriptæ operationis expleuit. Scit autem sibi constitutũ esse quid gerere oporteat, cum ait Petro, gladio his qui ad comprehendendum eum uenerant resistenti: Calicem quem dedit mihi pater meus, non uis ut bibam illum? Docens se sibi traditũ à patre passionis calicem esse bibiturum. Scit se etiam semitam suam directionemq; cõplesse, cum potato aceto spiritũ traditurus ait: Consummatum est, & mox tradidit spiritum. Hanc ergo semitam & directionem suam pater inuestigauit. Inuestigauit autem cum per prophetam de sorte uestis prophetauit, ut scriptũ est: Et super uestimentum meum miserunt sortem. Et iterum cum de tradito inter latrones atq; suspenso recognitus est propheta diens: Et cum iniquis æstimatus est. Et cum de osse intacto atq; impresso uulnere ante prædictum est: Os eius non confringetis, & uidebunt quem compunxerunt. Hæc itaq; & omnia quæ erant in passione pręscripta, à deo peruestigata sunt ut fuerãt prophetata. Ac ne quid ex his quę gessit ac passus est, incognitum fuisse patri existimaretur, generaliter cuncta cõplexus est, dicens: Et omnes uias meas pręuidisti.) Sed qui pręuidit, uidit antequã res esset. Præuidit etiam hoc, quia nõ est dolus in lingua mea. Est enim secundũ propriam professionem, ueritas, uia & uita. Non recipit dolum ueritas, non enim mentitus est aut fefellit: lingua omnis eius officio functa est ueritatis, qua ait: Cœlũ & terra præteribunt, uerba autem mea non præteribunt. Patrem deum prædicat, se uero esse & hominis & dei filium confitetur. Dolum prædicatio ista nõ habuit, quæ & de se & de honore eius qui se miserat fatebat̃. Proficit deinde paulatim sermo cœptus ab homine, & ad significationẽ naturæ in eo cœlestis extollitur, cum ait:

Ecce tu domine cognouisti omnia nouissima & antiqua, tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me, cõfortata est, non potero ad eam.) Personæ istud prophetæ non cõuenit, ut ex se dixisse uideatur, mirabilis facta est scientia tua ex me, ut mirabilis facta dei cognitio ex eo sit, Mose antea cognitionem nobis dei libro legis loquente. Sed ne ipsi quidem Mosi hoc esse proprium potuit, deum antequam flagrantem rubum cõspicit nescienti. Opinione quidem electi in Abraham & Isaac & Iacob populi sui religioso, ueruntamen familiarem cognitionem ante hoc tempus, nisi à deo non adepto. Sed omnis sermo iste ei non competit qui ait: Pater manifestaui nomen tuum hominibus. Et qui ait: Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum uerum deum,

& quem

& quẽ miſiſti Ieſum Chriſtũ. Sed hęc ſuo loco plenius proſequemur. Deſcendendum autẽ ad id eſt ſecundum ordinem dictorum. Ecce tu domine cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua. Nouiſſima ſunt cum probaſti, cũ cognouiſti, & cætera quæ propria ſunt eius hominis quẽ aſſumpſit. Antiqua ſunt quæ modũ non habent, quæ indefiniti temporis ſignificant uetuſtatẽ. In principio enim erat uerbũ & omnia per ipſum facta ſunt. Dehinc ut nouiſſima deus & antiqua cognouit, ita in eo quod ſequitur, tu formaſti me & poſuiſti ſuper me manũ tuã, utrũq; ſignificat, ut quod formauit antiquũ ſit, quod ſuperpoſuit manum nouiſſimũ ſit. Quod enim ſecundum naturã diuinitatis formatus ſit, Apoſtolus docet dicens: Qui cũ in forma dei eſſet. Quod enim in forma eſt, formatur in formam, & quidem paternæ naturæ & diuinitatis formam. Et neſcio an quod formatus in forma ſerui eſt, referri poſſit ad patrem ut formatus ab ipſo ſit. Sapientia enim ipſa ſibi ædificauit domum. Sed hinc nec temporis, nec quæſtionis eſt amplius loqui. Quod autem proprie ad corpoream natiuitatẽ referri oporteat, & poſuiſti ſuper me manũ tuam, ita docemur ex perſona patris. Inueni Dauid ſeruum meũ, oleo ſancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachiũ meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere eum. Et nõ eſt ambiguum omnem hunc pſalmũ ad perſonam domini eſſe referendũ, quia ea omnia in eo ſint, quæ & diuinitati ipſius propria ſint, & à naturæ noſtræ infirmitate non diſſentiant. Et quia utroq; in tẽpore, id eſt, nouiſſimo & antiquo, uel ipſe prædicando, uel in Apoſtolis & prophetis loquendo, cognitionẽ ex ſe dei mirabilem fecit, ait: Mirabilis facta eſt ſciẽtia tua ex me. Sed mirabilis quomodo? Nẽpe dum omnia eſſe intra deum docentur, dum deus eſſe in omnibus prędicatur, dum immenſa & incõprehenſibilis natura intus atq; extra manens locos omnes quibus contineri poſſit excedat. Mirabile eſt deum ubiq; eſſe, & nuſq; abeſſe. In omnibus eſſe & totum eſſe & extra locos ac tempora pro infinitate atq; æternitate ſua ſemper eſſe. Hoc mirificum, hoc confortatũ, id eſt, ſine infirmæ iam intelligentiæ opinione firmatum. Sed quid eſt iſtud quod dicitur non potero ad eam? unigenitus ait: Omnia quæ patris ſunt mea ſunt. Et ſicut habet pater uitã in ſemetipſo, ita & filio dedit uitam habere in ſemetipſo, & ſicut pater uiuificat mortuos, ita & filius quos uult uiuificat, ſimiliter & ego & pater unũ ſumus. Nulla diſcretio poteſtatis in uerbis eſt, nulla etiam differentia uirtutis in factis eſt. Quod unum ſumus, plæriq; irreligioſorum ad uoluntatis tãtum concordiam retulerũt. Sed cum dicitur, uel operibus meis credite, quia pater in me, & ego in patre, non tantũ uoluntatis unitas, ſed etiam diuinæ uirtutis oſtenditur. Ergo cum omnia quæ pater facit, faciat & filius eadem ſimiliter, quærendũ eſt, quid ſit quod dictum eſt, nõ potero ad eam. Sed cum audio pater maior me eſt, Et rurſum: non poteſt filius à ſe facere quicq; niſi quod uiderit patrem facientem, hęc mihi intelligentiam ſuggerũt dicti huius, non potero ad eam. Eſt enim pater maior filio, ſed ut pater filio, generatione non genere. Filius enim eſt, & ex eo exiuit, & licet paternæ nuncupationis proprietas differat, tamen natura non differt. Natus enim à deo deus non diſſimilis eſt à gignente ſubſtantia. Non poteſt ergo ad eũ ex quo eſt exæquari. Nã quàmuis alter in altero per uniformem ac ſimilẽ eiuſdem naturæ gloriã maneat, tamẽ & ex quo genitus eſt nõ exæquari in eo uidetur poſſe quod genuit. Et uideamus an hoc quod nõ potero ad eã, ad dignitatẽ paternæ cõfeſſionis relatum ſit: Sequitur enim: Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlũ tu illic es, ſi deſcendero ad infernũ ades. Si ſumpſero pennas meas ante lucẽ & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.) Non excedit paternã filius infinitatem, neq; naturã quæ

ultra locos omnes eſt is qui in ſinu eſt tranſgredit. Sit licet in cœlo, ſit in infernis & ultra poſtrema maris euolet, adeſt tamen ille ubicũq; qui ubiq; eſt. Nec ſubterfugi poteſt intra quẽ omnia ſunt, & qui in omnibus eſt. Et ne quid irreligioſe ad contumeliam indemutabilis atq; impaſſibilis ſubſtãtiæ opinemur ex eo quod dictũ ſit, aut à facie tua quò fugiam, ut uideatur fugã ob paſſionis metum cogitaſſe, dictorũ uirtus noſcenda eſt, ut incolumi dignitate hæc neceſſario cõmemorata eſſe intelligãtur. Nemo autẽ eorum qui in ſtudijs doctrinæ cœleſtis demorant poterit ambigere deũ atq; hominẽ dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum cõfiteri. Et hominẽ quidem in tempore, deũ uero ſemper, & ante hominẽ & poſt hominem. Vtrũq; uero deũ ſcilicet atq; hominem, tunc tantũ cum in homine fuit. Erat enim in forma dei & formã hominis accepit: Et rurſum: in gloria dei patris eſt, forma ſeruili in gloriã eius cuius in forma ante manebat proficiente, corruptionis ſcilicet natura per profectũ incorruptionis abſorpta. Cum igitur pſalmũ hunc cœptũ ex perſona hominis quẽ aſſumpſit meminerimus, diligẽter cõtuendum eſt, ut intelligamus quid diuinitati eius, quid homini ſit aptandum: atq; ita ut ſenſum noſtrum dictis magis applicemus, quàm per fallacis intelligentiæ opinionẽ ſenſui dicta ſubdamus. Ait enim: Quò ibo à ſpiritu tuo, aut à facie tua quò fugiã? Diuerſa ſignificatio eſt ſpiritus atq; faciei. Et à ſpiritu quidẽ abibo, à facie autem fugiã. Dehinc ſequitur: Si aſcendero in cœlum illic es, ſi deſcẽdero in infernũ ades. Non eadem eſt aſcenſio in cœlum, quæ & deſcenſio in infernũ. Tertium deinde eſt, ſi ſumpſero pennas meas ante lucẽ, & habitauero in poſtremis maris, & enim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Iam nõ hominis hęc uox eſt, ut pennas ſumat, ut ſuas ſumat, ut trans oceanũ habitet, ut deducatur illuc manu dei, ut teneatur dextera dei. Potioris iſtud naturæ eſt. Et quis hic ſit qui confidenter hæc dicat, ipſa dictorum ratio monſtrabit. Oſtendens igitur unigenitus deus eã quæ per ſe mirabilis facta eſt, & ad quã non poteſt paternæ admirationis confeſſionẽ, utrumq; in ſe tempus & naturam utranq; ſignificat, ſcilicet eam qua & in ſpiritu & in corpore manens docuit. Cum enim ait, quò ibo à ſpiritu tuo, tẽpus illud quo & ipſe ſpiritus in ſpiritu paternæ gloriæ ante aſſumptionem hominis mãſit oſtendit. Nõ enim poterat ſpiritu quoq; abeſſe qui ſpiritus eſt, quia nec hic falli poteſt, nec ille deficere. At cum ait: A facie tua quò fugiam, aſſumptæ à ſe infirmitatis docuit ætatem: humana enim infirmitas faciei dei non patitur occurſum, quia dictum Moſi eſt: quis eſt homo qui uidebit faciem meam & uiuet? Quod non ſuſtinemus defugimus, quia infirmitatis humanæ eſt occurſum naturæ inconſpicabilis fugere. Et fugit quidem quantum ad impatientiam uiſionis. Sed quia ſecundum prophetam uultus dei ſuper facientes mala, naturæ quoque humanæ eſt, iudicium dei quod ſignificatur in uultu fugere non poſſe. Non enim tanquàm peccator, qui peccati neſcius eſt loquebatur ut fugeret, ſed paternam infinitatem extra omnia manentem cum in ſpiritu ante docuiſſet, nunc quoque ex hominis perſona qui nuſquàm deum fugere poſſet oſtendit. Sequitur quoque ratio dictorum, ut utrunque ex eo quod & homo & deus erat dixerit. Si aſcendero in cœlũ tu illic es, hoc diuinitatis eſt proprium. Nemo enim aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Terreni enim corporis natura aſcenſionem hanc niſi in cœleſtem gloriam demutata non obtinet. Si deſcendero in infernum ades. Humanæ iſta lex neceſſitatis eſt, ut ſepultis corporibus ad inferos animæ deſcendant. Quam deſcenſionem dominus ad conſummationem ueri hominis non recuſauit. Id autem quò abibo aut quò fugiam, & illic es, & ades, ad ſignificationem doctrinæ eius quæ mirabilis ex eo facta eſt pertinet, per quã deus omnia eſſe & in omnibus eſſe ſit cognitus. Vt licet faciem dei homo fugiat quia

non

non ſuſtinet,licet de ſupernis ad inferos mortis lege deſcendat, deus tamen ubiq; ſit ſemper & in omnibus.Et quia per hęc ſuperiora diſcretū ex utroq; in quo erat naturę genere prædicauit,dei ſcilicet atq; hominis,tertio unitatē naturæ iam in ſe proficiētis oſtendit dicens:Si ſumpſero pennas meas ante lucē, & habitauero in poſtremis maris.Et enim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Cū ſumpſit pennas iā corpore nō grauatur.Cum ſuas ſumpſit,docet hāc euolādi ſemper ſibi fuiſſe uirtutē.Cū ante lucē ſumpſit,tēpus reſurrectionis oſtēdit:Cum in poſtremis maris eſt,loca ut deus humanę demorationis excedit. Cum deducit manu,nō timet.Cū tenetur dextera dei,nō demutat aut decidit.Donauit enim illi deus nomē quod eſt ſuper omne nomē,ut in nomine eius omne genu flectatur cœleſtiū, terreſtriū,& infernorū,& omnis lingua cōfiteatur, quia dominus Ieſus in gloria eſt dei patris.In eo em quod datur ei nomē ſuper omne nomē, manu ac poteſtate dei patris in gloria ipſius homo ſuſceptus aſſumit.Pennas aūt ad demutationē terrenorum corporū in ſpiritualē atq; æthereā naturam referri ꝓphetica autoritas eſt,cū ad inopē fidei & bonorū operum pauperē dicitur: ne extendas te cū ſis paup diuiti,ſenſu aūt tuo abſtine.Præparauit enim ſibi pennas ut aquila,& reuertetur in domum eius qui præeſt ei. Pauperem extendentē ſe in opes diuitis arguit,quod infidelitatis ſuæ inopiam fidelium exæquet opulentiæ. Diues enim nō humanis opibus,ſed cœleſti theſauro parat ſibi pennas quibus reuertatur in domū eius qui præeſt ei.Reuertitur enim unde decidit, unde per peccatū primi hominis expulſus eſt.Et quis eſt iſte cuius hæc domus eſt,& qui ei præeſt? Nēpe ille qui dixit.Amē dico tibi hodie mecū eris in paradiſo. Meminit & alibi dicens cum de ſpiritualiū indefeſſa iā æternitate tractaret,pennigerabūt tanq; aquilę, naturam euolandi in cœlū in reſurrectionis demutatione ſumpturi. Sed hic pennas ſumit uolaturus,nō alienas,non nouas,ſed proprietatis uſurpatione præſumptas, quia poſt paſſionis uoluntariæ ſacramentum & naturæ & poteſtatis pennas ad cœlum ſe habuerit efferendi. Sequitur etiam idem ordo dictorum, & ex utriuſq; naturæ intelligentia hominis ſcilicet & dei ſermo decurrit. Ait enim: Et dixi forſitan tenebræ conculcabunt me.) Vox iſta humana eſſe exiſtimatur,quia uidetur quibuſdam aut irreligioſis aut imperitis ſub illa paſſionis timiditate trepidare,quaſi uero nunc ſermo iſte timoris alicuius habeat profeſſionem,& non magis ſuſceptę mortis ſignificauerit uoluntatem,nullo eius metu ac terrore prelato. Non enim ait tenebræ conculcabūt me,ſed ait,forſitan tenebræ cōculcabunt me. Quod fortuitu adiecit, incertum humanæ de ſe opinionis, qua timere inferos creditus eſt irriſit terrorē.Non enim cōculcari ſe certus,idem rurſum an conculcetur incertus eſt. Vt autē hoc quod ait,forſitan tenebræ conculcabunt me, non ad naturæ ſuæ trepidationem poſſet intelligi,ſed impiæ de ſe intelligentiæ ſignificaret incertum,continuo ſubiecit: Et nox illuminatio in delicijs meis.) Quomodo enim conculcatur à tenebris cui mors illuminatio in delicijs ſit futura? Domino itaq; paſſio iſta delicię ſunt,dum portas æreas confringit,dum uectes ferreos conterit,dum omnē poteſtatem deſpoliat,dum de his in ſe triumphat, dum eum quē ad imaginem ſuam fecerat redimit,dum delicijs paradiſi reſtituit.In his igitur paſſionis oblectamentis atq; delicijs nox ei illuminatio eſt,& illuminatio ob id, quia tenebræ nō obſcurabuntur à te per naturæ unitatem ad indemutabilem diuinitatis ſimilitudinem.In filio pater eſt,& operibus ipſis teſtantibus, quod in eo pater ſit cōfidenter ait:Nō obſcurabuntur à te,quia ex perſona patris dictū in pſalmis meminerimus, cū ipſo ſum in tribulatiōe. Et ipſe dominus in euāgelijs,cū de apoſtolorum trepidatione loqueretur ait:Ecce uenit hora ut diſpergat uuuſquiſq; ueſtrum,& me ſolū relinquatis,Sed non ſum ſolus,quoniā pater mecū eſt. Siue uir-

tute qua ſimilia patri poteſt,ſiue natura & genere & diuinitate, qua ex deo natus eſt, pater cũ eo eſt. Cõfidenter ergo ait,quia tenebræ nõ obſcurabuntur à te. Non enim ſentit uirtus indemutabilis tenebras, & infernã noctem lux uera nõ patitur. Sequitur enim: Et nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius ita & lumen eius.) Hoc totum ad id refertur quod dictũ eſt à te. Tenebræ nõ obſcurabuntur à te,& nox ſicut dies illuminabitur à te,& ſicut tenebræ eius,ita & lumẽ eius à te. Semel dictũ à te refertur ad plurima. Ideo autẽ in delicijs nox eſt,quia ſicut dies illuminabitur:illuminabitur autẽ ob id,quia ut tenebræ ita & lumen à deo ſint, potente tenebrarum conditore cõdere lumen in tenebris. Et audiamus iſtud euangelicum docentẽ ita,& lux lucet in tenebris,& tenebræ eam nõ comprehenderunt. Illo potente ut lux ſit in tenebris,tenebris non potentibus obſcuritatis ſuæ nocte lumẽ indefeſſi luminis cõprehendere. Sequit deinde: Quia tu domine poſſedi ſti renes meos, ſuſcepiſti me de utero matris meæ. Cõfitebor tibi quia terribiliter mirificatus ſum.) Tenet etiã nũc ordinẽ ſignificationis utriuſq; ut ſe & hominẽ & deũ doceat. Cũ enim poſſidentẽ à deo renes eius,& à matris utero ſuſcipiẽ,corporalis in eo cõditio monſtratur. In renibus enim uoluptatis eſt cauſa. Sed cuius renes à deo poſſidẽtur,nõ exeunt in uoluptates corporis incentiuæ laſciuiæ. Et q̃ ab utero matris ſuſcipitur,nõ ad opera ſeculi à deo ſuſceptus excedit. Omnis igit eius uoluntas ac labor eſt patrẽ prædicare, uoluntatẽ patris explere, acceptũ à patre calicẽ bibere. Hæc enim hominis ſui quẽ aſſumpſit officia ſunt. Sed cũ ait:cõfitebor tibi,quia terribiliter mirificatus ſum,confeſſionẽ omnẽ terribilis de ſe admirationis ad gloriã diuinæ ſubſtantiæ ſuæ reddit. Mirificatus eſt enim ob id, quia deus poſſedit renes eius,quia à matris utero ſuſceptus eſt. Per id enim quod uoluntas & operatio deo dedita fuit,mirificari terribiliter ꝑmeruit. Mirificatus aũt terribiliter eſt,dũ hora crucis tenebrę ſunt,dũ tremit terra, dũ ſaxa rumpuntur,dũ patent ſepulchra,dũ mortui reſurgunt,dũ in eodẽ corpore ipſo conſpicitur, dum clauſis ianuis ſoli ſibi penetrabili aditu aſſiſtit,dũ ad cœlos eleuatur,dum apoſtoli gentiũ linguis loquũtur,dum umbræ eorũ morbis medentur, dum claudis numum poſcentibus curſus donatur,dũ eleemoſynis inopũ mortuus redditur, dum perſecutores fiunt prædicatores,dũ diſſolutis cathenis cantatur in carcere,dum in martyrio à martyre uidetur in cœlis, dum poſtremo in eo quo eleuatus eſt corpore à dextris dei ſedet,cuius in gloria & manebat & permanet. Omnẽ autem eam qua terribiliter mirificatus eſt dignitatem ad opus eius refert, cuius & paruit uoluntati,dicens: Mira opera tua & anima mea nouit ualde.) Quod enim, inquit,terribiliter mirificatus ſum,opus tuum eſt. Eadem autem & in euangelijs ratio ſeruata eſt,ut cum ad demonſtrationem uirtutis ſuæ dixerit, quæcunq; pater facit,eadem & filius facit ſimiliter,Et rurſum:Sicut pater uiuificat mortuos,ſic & filius quos uult uiuificat:tamen dignitatem operum omnium patri deferens,cum dicat non poteſt facere filius à ſe quicquàm niſi quod uiderit patrem facientem, conteſtatam de ſe poteſtatem per reuerentiæ honorem ei,cui omnia meminerat confitenda,ſubiecit non ſibi adimens,quod ſimilia patris poſſet, ſed eum per quẽ ſimilia poſſet oſtendens. Hæc igitur quibus terribiliter mirificatus eſt, licet quia potuit uirtutis ſuæ fuerint,tamẽ patris operibus uniuerſa ea detulit dicens, mira opa tua,& anima mea nouit ualde. Humanæ infirmitatis uox iſta nõ eſt, ut mira opera dei ſe noſſe iactet. Soli hoc competit qui ait,nemo nouit patrem niſi filius. Nouit enim non utcunq;,non leuiter. Nouit autem ualde per eam fiduciam qua dicit:Pater in me,& ego in patre. In eo enim quod ait ualde, perfectam ſcientiam intimę cognitionis oſtendit. Et quia omnia mira opera dei ualde anima ipſius nouit,eruditionem doctrinæ in nos ſuæ memorat, quia nobis paternæ operationis

iam

iam nõ sint occultata mysteria, dicens: Nõ est occultatũ os meũ à te, quod fecisti in occulto.) Os Christi ecclesiam esse & prophetica & apostolica autoritas est. Nam cum secundum ea quæ in Genesi dicta sunt de Adã atq; Eua apostolus tractaret, ita ait: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, Ad expositionem dicti huius adiecit, dicens: in ecclesia hoc mysteriũ magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia. Quod autem per misericordiam dei patris ecclesiæ hæc occultata non fuerint, ipse dominus in euangelijs testatus est, cum ait: Confitebor tibi pater domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: ita pater quia sic fuit placitum ante te. Ab eo igitur nobis non occultantur quæ facta sunt in occulto. Nobis quidem non occulta sunt, sed seculi huius prudentibus facta sunt in occulto. Quod autem omnia ecclesiasticæ spei sacramenta in occulto fuerint, testatur & apostolus, dicens: Prout potestis intelligere intellectum in sacramento Christi, quod alijs temporibus non est cognitũ filijs hominũ, sicut nunc reuelatũ est sanctis eius apostolis & prophetis, in spiritu esse gentes cohæredes & concorporales & comparticipes pollicitationis eius in Christo. Et iterũ: secundum dispensationem dei quæ data est mihi ad uos ad implendum uerbum dei, sacramentum quod absconditum fuit ante secula & generationibus, nunc manifestatum est sanctis eius, quibus uoluit ostendere diuitias gloriæ sacramenti dei inter gentes, quod est Christus in nobis spes gloriæ. Occultum itaq; mysterium fuit quod reuelatum est, esse deo gentes cohæredes & concorporales & comparticipes pollicitationis eius in Christo. Occultum autem mysterium est, quibus uoluit ostendere diuitias gloriæ sacramenti dei inter gentes quod est Christus in nobis spes gloriæ. Occultum igitur hoc mysterium fuit. Quod esset Christus in nobis, hoc pater reuelauit. Petro enim dictum est, non caro & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Reuelatum autem est Christum esse in nobis in pauperibus, in tribulatis corde, in humilibus terræ, in purgamentis mundi, in ecclesiæ infimis. Infimum est enim ecclesiæ, id est, omni humilitate summissum. Hoc ergo occultum mysterium reuelatum est, quod est Christus in nobis. Non per Apostolum hæc tantum dominus, sed etiam in hoc eodem psalmo ita loquitur dicẽs: Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: Et substantia mea in inferioribus terræ.) Non in inferno sicut superius cum de passione tractabat, sed in inferioribus terræ cum de reuelatis à patre quæ in occulto fuerant prædicabat. Occultum autẽ fuerat quod est Christus in nobis, id est, substantia mea in inferioribus terrę. In inferioribus scilicet omnium humilitatis officijs. Procedit deinde secundum profectum euangelicum sermo psalmi, cum ait: Imperfectum tuum uiderunt oculi mei, & in libro tuo omnes scribentur dies, replebunt̃, & nemo in eis. Atq; ut omnia secundũ doctrinã cœlestem intelligere possimus, id quod difficultatẽ affert absoluendũ est. Quod enim Latini translatores imperfectũ interpretati sunt, id in Græcis libris ἀκατεργαστόν scribitur. Nec querimur de translatoribus. Vereor enim ne nõ aliter significari ab his potuerit. Id autem quod Græce est ἀκατεργαστόν significat id quod sine operatione maneat, ut sit id ipsum cũ factum tamẽ non sit. Imperfectũ autem nobiscũ id demonstrat, quod cœptum, nec consummatũ sit. Sed si interius uerbi huius uirtutem pertractemus, potest nõ sanè à Græcitatis proprietate esse diuersum. Deo aũt soli propriũ potest esse ut sit, & infectus sit, quia quod est, non est necessitatis ut fiat. Quod aũt fit, nõ est anteq̃ fiat. Sed quia ęternus est manet, neq; factus est. Hoc ergo imperfectũ, & (ut ad intelligẽtiæ profectũ dicere audeamus) inoperatũ dei oculi eius uiderunt. Imperfectũ enim tuũ uiderũt oculi mei. Sed qui tandẽ oculi? Nũquid spirituales illi quibus deũ patrẽ solus unigenitus uidet? Sed isti non e-

Os ossis. τὸ ὀστοῦν

ἀτελές

gent his quæ ſequuntur. Et in libro, inquit, tuo omnes ſcribentur, dies replebũtur, & nemo in his. Profectum indemutabilis illa unigeniti dei natura nõ expetit. Et qui tandem ei erit profectus, ut omnes oculi eius in libro ſcribãtur, ut dies replean tur, ut in his nemo ſit? Hoc totum contumelioſum & impudens eſt opinari. Sed quemadmodum os eius, in quo eccleſiæ corpus oſtenditur, quæ occulta erant nõ occultata ſunt, & oculi eius hoc quod imperfectũ dei eſt, uiderunt. Os autẽ ad ec cleſiam referri (quæ corpus eſt Chriſti) ſuperius admonuimus. In corpore uero oculũ principalis eſſe officij ac uirtutis nemini dubium eſt. Et quia oculi potiores cæteris membris ſunt, in his apoſtolos ſignificari nõ ambigendũ eſt, per quos lu men eccleſiæ & operationis diuina myſteria prębẽtur. Quod dominus manifeſte in euãgelijs oſtendit. Nãq; cũ apoſtolos ſal terræ, lumẽ mundi, & lucernam do mus in candelabro ob egregia & conſpicabilia ad cõparationis exemplũ fidei ſuę opera nuncupaſſet: rurſum uocãs eos à terrenis & corruptibilibus theſauris, & à ſeculi lucris, eſſe oculos corporis dixit ita: Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. Si oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuum erit lucidũ, ſi autẽ oculus tuus nequã eſt, totũ corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumẽ quod in te eſt tenebræ ſunt, tenebræ ipſæ quãtę erunt? Extra corporalẽ intelligentiam locus iſte eſt, & idcirco ſpiritualiter intelligendus eſt. Apoſtoli itaq; qui eccleſiæ, id eſt, Chriſti corporis oculi ſunt, lucidi & ſimplices iubentur eſſe, corpore toto lucido his ſimplicibus manſuro. Si autem nequã fuerint, toto corpore neceſſario tenebroſo futuro nulla ſcilicet tenebris ſpes luminis reſidua, ſi lumẽ ipſum in tenebris ſit. Ex quo ingenti periculo ſacerdotes, qui eccleſiæ oculi ſunt, negocijs ſeculi, curis pecuniæ, & fami liarium rerum incrementis & conuiuiorum luxibus occupantur. Eccleſiæ enim lumen ſunt, id eſt, corporis oculi. Et ſi lumen ipſum auariciæ & laſciuiæ nocte te nebreſcat corpori, id eſt, eccleſiæ, cui per naturam ſuam tenebræ ſunt, quantæ in ſuper tenebræ de exemplo tenebroſi luminis inuehentur? Hi ergo oculi eius im perfectum dei uiderunt. Imperfectum autem dei diximus, quod factum non ſit, & maneat in quo æternitas infectæ diuinitatis oſtenditur. Sed audax fortè eſt ut initialem illam dei patris æternitatem uiſam ab apoſtolis aſſeramus. Maxime cũ dictum ſit, deum nemo uidit unq; niſi unigenitus filius qui eſt in ſinu patris. Sed nihil noſtrum dicimus, nihil audax prædicamus. Dicat ille qui dixit, qui me uidet, uidet & patrem, non ipſum ſe patrem eſſe ſignificans. Non enim roganti Philip po ut ſibi patrem oſtenderet, reſpondit: ego pater ſum, ſed ait: qui uidet me, uidet & patrem. Per indifferentis naturæ uirtutem eum de quo quærebatur patrẽ con ſpici in ſeſe reſpondit, & id adhuc abſolutius ſubiecit: Quomodo tu dicis oſtende nobis patrem? Non credis mihi, quoniam ego in patre & pater in me eſt? Verba quæ ego loquor uobis, non à me loquor, ſed pater qui in me manet ipſe facit ope ra. Credite mihi, quoniam ego in patre & pater in me. Sin autẽ, uel propter opera ipſa credite. Arguit non intelligentem & adhuc de patre quærentem, & per ope rum efficientiam uirtutem patris in unigenito non contuentem. Manet enim pa ter. Eſt nanq; genitus ex eo, non eſt in eo nouæ creationis aliena natura. Virtute filius eſt, diuinitate filius eſt, ſubſtantia filius eſt, generatione filius eſt. Opera te ſtantur, poteſtates loquuntur per naturæ progeniem in filio patrem eſſe, & per le gitimæ originis ſubſtantiam filium in patre eſſe. Non diſſentit hæc ab unigenito nata generoſitas, una ambo ſunt, pater uidetur in filio, & uidetur non per inuiſibi lis nobis naturæ contemplationem, ſed per operum admirationẽ. Filij enim opera opera patris ſunt, nõ imbecillo ad efficienda ea filio, neq; diuerſa uirtute naturæ, ſed id filio efficiẽte, q̃cquid is à quo ipſe eſt genitus efficiat. Atq; ideo per id quod in maieſtate operũ filius contẽplabilis eſt, pater quoq; uidet in filio. His ergo ocu

lis qui

lis qui æternitatẽ in filio paternæ uirtutis cõtuentur, id est, apostolis id precatur, ut in dei libro scribant. Maneãt scilicet in memoriã æternã, pro quibus tali prece in euãgelijs orauit: Pater manifestaui nomẽ tuũ hominibus, quos dedisti mihi de seculo: tui erãt, & mihi eos dedisti, & uerbũ tuum seruauerunt. Nũc cognouerũt, quoniã omnia quæ dedisti mihi dedi eis, & ipsi acceperũt & scierunt uere quoniã à te prodierunt, & crediderunt quoniã tu me misisti. Ego pro his rogo, nõ pro seculo rogo, sed pro his quos dedisti mihi. Pro his ergo orat, ut in libro dei scribantur. Et si fortè ambigant, cur non in libro uiuentium scripti sunt, mihi maioris dignitatis uidetur esse in libro dei scribi, quia peccatores de libro uiuentium delentur, iusti autem in libro dei scribuntur. Quod utrumq; sub his dictis significatur: Deleantur de libro uiuentiũ, & cum iustis nõ scribantur. Pro resurrectionis enim diuersitate, quia stella à stella differt in gloria, plures in libro uiuentiũ erunt. Iusti aũt in libro dei scribentur, quia peccatores nõ modo cũ iustis non scribentur, sed ne in libro quidẽ uiuentium relinquentur. Sed contuendũ est qui profectus eorũ sit qui in libro dei scribentur. Nempe iste: Die replebuntur, & nemo in his. In quibusdam codicibus ita legimus: Die formabuntur. Nec multum differt repleri & formari. Formamur enim ut conformes simus gloriæ corporis dei. Et apostoli dictum est. Filioli quos iterũ parturio, donec Christus formetur in uobis. Replemur autem secundum dictũ prophetæ: Replebimur ab ubertate domus tuæ. Die itaq; replebuntur, id est, uero lumine. Lux enim Christus est. Erat enim lux uera quæ illuminat omnẽ hominẽ uenientem in hunc mundũ. Non iam ignorantiæ nocte detenti, neq; tenebris huius seculi cæci, sed ueritatis luce illuminati & die repleti. Quod autẽ repletum est, nihil præter id ex quo impletũ est recipit. Nox enim in eũ qui die repletus est, nõ penetrat secundũ illud Apostoli: Quæ enim participatio est luci ad tenebras? Neq; sedẽ Christi accipit spiritus mundi, ut scriptum est: Vos enim non spiritum huius mũdi accepistis, sed spiritum qui à deo est. Neque qui mundo mortuus est uiuit sicut Apostolus docet: Viuo enim iam non ego, uiuit autem in me Christus. Qui die repletus est, diẽ tantum in se habet, & ideo ait: Die replebuntur & nemo in his. Nemo in his erit præter diẽ, quo repleti sunt, nõ pecunię æstus, nõ uoluptatũ stimulus, nõ ambitiõis ardor, nõ odiorũ malignitas, nõ inuidiæ aculeus, non cõuiciorum furor, nõ superbiæ amentia, non cætera quæ diaboli sunt arma atq; uirtutes, sed lux uera, sed dies sola qua repleti sunt. Cęterarum quoq; iã rerum effecti sunt incapaces, & dignum planè hi qui sola die pleni sunt testimoniũ sumunt. Sequitur enim: Mihi autẽ nimis honorificati sunt amici tui deus, nimis cõfortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur.) Quid cum his dictis homini cõmune, ut eos qui super arenam multiplicabuntur dinumeraret? Ei tantum istud competit, cui sine recensione & calculo innumerabilis numeri cognitio est. Amici autem eius nimis honorificati sunt. Nimis cum dicitur, non secundum Latinitatis consuetudinem intelligendum est. Nimis enim nobiscum id significare solet quod necessarium modum inutiliter excedat. Sed Græci id quod nostri nimis transtulerũt, λίαν interpretati sunt, in quo magis ualde quàm nimis cõtinetur. Valde ergo honorificati amici eius sunt. Et amicum quidẽ Abrahã deo fuisse cognoscimus. Amicum & Mosen lex esse deo locuta est. Euangelia uero plures iam deo amicos esse significant domino dicente. Iam non dico uos seruos, quia seruus nescit quid uelit dominus eius, sed uos dico amicos, quoniam perstitistis mecum in omnibus tentationibus. Hos igit̃ quos nũc amicos nuncupat, ut superius ostẽdimus, & à patre sibi datos, & patris esse cõfessus est, secundũ id quod ait: Et mea omnia tua sunt, & tua mea, amicos patris esse eos dicit. Nõ solũ aũt ipsi honorificati sunt, sed etiã principatus,

πλησθήσονται ἡμέρας

eorũ cõfortati ſunt. Ipſi quidem honorificantur cũ amici ſunt, cũ die pleni ſunt, cũ in his nemo eſt. Sed principatus eorum confortantur, eccleſiæ ſcilicet ab ipſis cœptæ, ab his principia ſumentes, quæ ſuper terram toto in orbe fundatæ fortibus principijs conſtiterint. Et ut ad eccleſiæ populos referri iſtud neceſſario intelligeretur adiecit: dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabũtur. Nunquid numerus eorum incertus eſt, qui in libro dei ſcribuntur? Ergo nulla eſt difficultas in numero, quorum ueritas maneat in ſcripto. Sed id quod dictum eſt: Super arenam multiplicabuntur, non ad homines tantum exiſtimauerunt, quod Abrahæ dictũ eſſet: Et erit ſemen tuum ſicut arena maris. Vt quia Abrahæ ſemen, ſicut arena maris eſt, ad id quod ſuper arenam multiplicabuntur amicis dei multitudo angelicæ numeroſitatis accedat. Non enim aliter ſibi conuenire ſicut arena maris & ſuper arenam maris putauerunt, niſi hominum multitudini connumeraretur copia angelorum. Sed nos uniuscuiuſq; ſenſui nõ contraimus. Quid autem ſecundum donum ſpiritualis gratiæ ſenſerimus, ſine cuiuſq; contumelia tractabimus. Promiſſiones duas Abrahæ fuiſſe in Geneſi accipimus, unam Iſmahelis generationem deo dicente: Quia omnem terram quam tu uides tibi dabo eam, & ſemini tuo in æternum, & faciam ſemen tuum tanq; arenam maris. Si poteſt quis enumerare arenam maris, ita & ſemẽ tuũ dinumerabitur. Nato uero Iſaac & in holocauſtum quantũ ad Abrahã ſpectat oblato, hęc ſequẽs repromiſſio fuit: Niſi bene dicens benedicã tibi, & multiplicans multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenã quæ eſt ad oram maris. Et ſi ſecundum Apoſtolũ hæc duo teſtamenta ſunt, unum ſecundum Iſmahelẽ in ſeruitutem generans, aliud ſecundum Iſaac in libertatem matris noſtræ Hieruſalem quę in cœlis eſt educens, dum neceſſe eſt ſeminum in ſtellis & in arenis numeroſitas prædicetur. Ergo amici dei ſuper arenam maris dinumerantur. Quis enim ambigat ſecundum eccleſiam toto in orbe numeroſam multitudinem gentis Iudææ copia in Chriſto credentium præueniri? Atq; ideo ſuper arenam multiplicabuntur, quia copioſiores his erunt qui ex legis impio populo terreni & aridi ſignificantur in arenis. Hinc ſequitur: Et ſurrexi & adhuc tecum ſum.) Surrexi ad reſurrectionis gloriam ſpectat. Sed ſecundum pręſcientiam dei id quod futurum eſt tanquàm præteritum loquitur, ob ſcientiam atq; uirtutem qua quæ futura ſunt facta ſunt, ut etiam noſmetipſi facta eſſe exiſtimamus quæ futura eſſe confidimus. Id autem & adhuc tecum ſum, nõdum tẽporis eſſe ſignificat ut reſurgat, quia nondũ tempus ſit paſſionis, cũ ſe adhuc eſſe cũ deo profiteatur. Ipſe enim ait: A deo exiui & ueni. Adhuc ergo tecum ſum, quia nondum tẽporis eſt, ut ante ueniã & ueniã in mundũ, ut quę prophetata ſunt expleamus. Quod autem ait: ſi occidas deus peccatorem: nunquid qui uenit ſaluare quod perierat & peccatorẽ redimere, peccatorẽ precatur occidi? Abſit ut uelit occidi. Sed peccator occiditur cum ſeculo moritur, cũ Chriſto cõmoritur, ut uiuat in Chriſto. Beatus Apoſtolus ait: Quotidie morimur. Et rurſum: Mortuus ſum legi ut uiuã Chriſto. Morimur aũt ita, quando in nobis per fidẽ peremptа peccata moriuntur. Audiamus adhuc quomodo deus peccatores occidit per id quod dicitur: Mortificate ergo mẽbra ueſtra ſuper terrã, fornicationẽ, immundiciam, libidinẽ, concupiſcentiã malam, & auariciam. Sic peccator occiditur, cum in generationẽ uitę ſpiritualis uiciorũ omnium & peccatorũ morte renouat. Sequitur deinde: Viri ſanguinũ declinate à me. Quoniã dices in cogitatione, accipiẽt in uanitatẽ ciuitates ſuas.) Latina trãslatio dũ uirtutẽ dicti ignorat, magnã intulit obſcuritatẽ, nõ diſcernẽs ambigui ſermonis ꝓprietatẽ. Quod enim nobiſcũ ſcribit: quoniã dices in cogitatione, cũ Græcis hoc modo eſt ὅτι ἐρεῖς ἐν διαλογισμῷ, & illud ἐρεῖς ꝓnunciatione diſtinguit, ut aut dicis intelligatur, aut cõtentio.

utrunq;

utrũq; enim ſub ijſdem uerbis ſignificatur hoc dicto. Sed hi qui Hebraici ſermonis ſcientiã cõſecuti ſunt,nõ dicis,ſed cõtentiones in eo quod ἐριδσ translatum eſt prodiderunt.Et ſanè id ita eſſe ratio & intelligentia monſtrabit: Viri,inquit,ſanguinum declinate à me.Memini in Ezechiele dictũ æque reos ſanguinis futuros, quorũ adulanti ſilentio plures in interitum incidiſſent,ita:Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël,& audies ex ore meo uerbũ,& cõminaberis. & ſi non diſtinxiſti, neque locutus es,ut diſtingueres iniquo,ut ſe auerteret ab itineribus ſuis & uiueret:iniquus ille in iniquitate ſua morietur,ſed ſanguinem eius de manu tua requiram.Inuenio & alium ſanguinem de quo dictũ eſt:uirum ſanguinum & doloſum abominabitur dominus. Vt igitur uiri ſanguinũ ſunt, quorum adulans doctrina eſt,ita & uiri ſanguinũ ſunt,quorum doloſa eſt doctrina. Doloſa autem doctrina eſt hæreticorum,ſub nomine dei blaſphema,ſub prætextu religionis impia,ſub ueritatis ſpecie fallax.Quorum in animo & cogitatione ſolum contentionis ſtudium perſiſtit,nihil ad ſalutem hominum laborant, nihil ad ſpem acquirunt,nihil pacificum cogitantes. Vt omnibus his in contentionibus labor ſit & pugnam meditentur.Iſti infelices animas extingunt,& in uanum eccleſias ſibi congregant,quas ciuitates dei ſecundum propheticam euangelicamq; conſuetudinem nuncupari frequens & plurima autoritas eſt. Hoc ergo ſignificatur his dictis: Viri ſanguinum declinate à me,quia cõtentiones in cogitatione, accipient in uanum ciuitates ſuas. Viri ſanguinũ ſunt, & deperditarum animarum reatum declinare iubentur,quia cõtentiones in cogitatione ſunt. Hi in uanũ ciuitates dei accipient,infructuoſarũ eccleſiarum cœtus per ſchiſmatũ diſſidia reddentes. Sed planè quia pax & iuſticia & ueritas eſt,affectũ in eos ſuũ oſtẽdit, dicẽs: Nõne odientes te o domine odiui,& ſuper inimicos tuos tabeſcebã? Perfecto odio oderam illos,inimici facti ſunt mihi.) Eſt religioſum odiũ,quotiens is nobis odio eſt qui deum odit.Inimicos quidem noſtros amare præcipimur,ſed noſtros,nõ & dei. Nam iuxta deum,& patrẽ,& matrem,& cõiugem,& filios,& fratres odiſſe deuotum eſt.Odit ergo odientes deũ & inimicorũ odio tabeſcit, & odit odio perfecto & inimici ſibi facti ſunt.Nõ em̃ filius diuerſus à patre eſt,ut nõ alterius inimicus utriuſq; fiat inimicus.Cõcludit deinde libertatis ſuæ fiduciã. Simulq; ut ea quæ per præſentiã tanq; geſta memorauerat nũc ad demonſtrationẽ temporis gerẽda monſtraret,dixit Proba me deus & ſcito cor meũ,interroga me & ſcito ſemitas meas.Et uide ſi uia iniquitatis in me eſt,& deduc me in uiam æternã.) Humanę naturæ fiducia iſta nõ eſt ut probari ſe uelit,ut ſciri cor ſuũ poſtulet, ut cognoſci ſemitas ſuas expectet,ut inſpici nõ metuat ſi uia iniquitatis in ſe ſit,ut per hãc cognitionẽ in æternã uitã deducatur. Vox iſta eius tantũ poteſt eſſe qui dixit:Ecce uenit princeps huius mũdi, & nõ inuenit in me quicq;. Solus em̃ extra peccatũ eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus,qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amẽ.

Palàm eſt ex hoc loco Hilarium aliud legiſſe quàm hodie reperimus in noſtris codicibus in quibus ita ſcriptum eſt. ὅτι ἐρισαί εἰσι εἰς διαλογισμούς.

PSALMVS CXXXIX.

ERipe me domine ab homine malo,à uiro iniquo libera me. Quia cogitauerunt malicią in corde,tota die cõſtituebant prælia. Et reliqua.

Cœptus eſt pſalmus ex perſona hominis inter multas infeſtatiões inimicorum anxij,aduerſus quem multæ inſidiæ & doli plures ſint, & conuenire hæc omnia in perſonam huius prophetæ Dauid uidentur,cuius uita infeſtata undiq; & plena ſemper periculis fuit. Saul eũ in deſerto, illum in urbibus bello ac dolis ſequebatur,perſequente quoq; filio ipſius Abeſſalon & multa aduerſus regnum uitamq; eius moliente & audẽte, multis præterea alijs & domeſticis & extraneis inſidijs ſubiectus ſemper fuit.Sed nihil ſpeciale ex his omnibus in pſalmo cõtinetur,ut proprie ex perſona eius oratio eſſe credatur.

Generalis

Generalis autem fortè & ex ſpiritu prophetiæ pſalmus eſſe noſcitur unumquẽq; noſtrũ per orationis exemplum cum in mediſs infeſtantiũ in nos odiſs iactemur erudiens, quali deũ prece oporteat deprecari. Sed contuenti mihi penitus quaſdã uirtutes proprietatesq; uerborũ, quæ ultra humani ſermonis conſuetudinẽ altius neſcio quid & ſublimius eloquuntur, eius potius hominis in quo ex partu uirginis ad ſacramentũ humanæ ſalutis unigenitus dei filius natus eſt, repertus eſt pſalmus iſte intelligi oportere. Secundũ enim eam quæ in ſe fuit generis prius naturã dei uidelicet atq; hominis, nõ modo in euangeliſs, ſed etiã in prophetis, ita coaptatis ad utrũq; dictis locutus eſt, ut dum diuinitatis ſuę impaſſibilẽ atq; immutabilẽ uirtutem docet, infirmitatẽ quoq; naturæ corporeę nõ taceret. Rurſumq; cum ex ſuſceptione carnis infirmitatis in eo ſermo eſſet, præconium quoq; mox nõ infirmãdæ ex aliquo diuinitatis adſiſteret. Quod enim deus eſt, naturę ſuę eſt. Quod aũt homo fuit, naturæ noſtræ aſſumptio eſt. Loquitur itaq; in pſalmo ex infirmitatis noſtræ quã aſſumpſit affectu, cũ traditorẽ ſuum nouit, cum cõſilia aduerſus ſe inita proſpicit, cum quæſtionũ prælia & obtrectationũ uenena perpetitur, cum tentationũ ſcandala & uerborum laqueos euitat, cũ patri confitetur, cum ad eum orat, cum ei omnis uirtus ab eo eſt, cum licet ex infirmitate corporis anxius ſit, nõ ſolum tamẽ ſe relinquendũ in die paſſionis meminerit. Hæc igitur omnia ex perſona eius in pſalmo cõtineri docemur, atq; ita, ut in his quæ naturæ humanę ſocietas permittit, perſonæ etiã noſtræ ex aliquo intelligi poſſit oratio. Hoc enim quod ita cœptũ eſt: eripe me domine ab homine malo, à uiro iniquo libera me, ad communem quoq; credentiũ omnium precẽ pertinet. Omnes enim inſidiæ quaſcũq; nobis ſpirituales nequitiæ prætendunt, maxime per homines aptãtur, & occaſiones uitiis noſtris alienæ naturæ peruerſitas ſubminiſtrat. In lites nos iniquus exagitat, in anxietates aduerſantium & inſidiantiũ nobis terror impellit. In libidinem facultas ſe in id præbẽtis loci inuitat. Oculus enim meretricis, laqueus peccatoris eſt. Oramus ergo in his malis poſiti dicentes: Eripe me domine ex homine malo, à uiro iniquo libera me. Sed propria hæc eſſe oratio domini ex conſequenti docetur, cum ait: Qui cogitauerunt mala in corde. Cogitationes cordis noſſe non noſtrum eſt, ſed eius de quo dictum eſt. Scrutãs corda & renes deus. Eius quoq; qui dixit, ſciens cogitationes eorũ. Quid cogitatis mala in cordibus ueſtris? Ille occultos omnes malignorum cordiũ ſenſus impenetrabiles atq; inuios aditus obeunte natura uirtutis ſuæ cõtuetur. Sed qui eripi ſe de homine uno malo & iniquo deprecatus eſt, in quo ſignificare traditorẽ ſuum exiſtimatur, iam de plurimis mala in corde cogitantibus loquitur, dicens: Qui cogitauerunt malicias in corde, tota die conſtituebant prælia. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, uenenũ aſpidũ ſub labiis eorum.) Non omni die aduerſum Dauid armis certatum eſt, neq; ſemper inſtructa ſunt prelia. Aduerſum aũt dominum ſecundũ euangelicas narrationes eius nullũ tempus uacuũ fuiſſe ab inſectantiũ odiis inuenimus. Paralyticũ ſanat, mox de eo ob illicitã, ut putabant, peccati indulgẽtiam uenenato ore diſſeritẽ. Aridã manũ reformat, ſtatim uiolatę legis reatus aſcribitẽ. Dęmoniacos curat, cõtinuo per Beelzebub dęmonũ principẽ hæc pficere arguitẽ. Nihil eſt quod non ei plenũ ſemp inſidiis ſit, quod nõ uipereę linguę ueneno obiectũ ſit. Noſtra quoq; omniũ uita, maximeq; eorũ qui religioſi ſtudẽt, qui aduerſantiũ uirtutũ ſuſtinent bella atq; obtrectationũ uenenata iacula ſuſcipiũt, fraudulẽtę blãdiloquẽtię uenenо appetitẽ. Et hęc omnia p homnies, in qbus ſpirituales neqtię operantẽ, inſiſtũt. Scriptũ eſt enim: Excitauit dominus Sathanã Salomõ, Ader Idumeũ, & aduerſatus eſt Ader nõ ut homo, ſed ut Sathanas Salomoni omnibus diebus uitæ eius. Et Salomoni quidẽ quia meruit, Ader in Sathanan à deo eſt excitatus, ſed per iſtiuſmodi

modi homines hæc multimoda infeſtantiũ in nos odia deſæuiunt, inimicæq; uirtutes horũ miniſterio graſſantur. Interceſſio autem diapſalmatis attuliſſe uideť, aut perſonæ,aut ſenſus demutationem.Fit autem repetitio orationis eiuſdem,ita tamen ut abſolutius ea quæ in confuſum ante adiecta ſunt recenſeantur, & quæ ſuperius fuerat de uerbis,nunc ſit querela de factis: Cuſtodi me domine de manu peccatoris,ab hominibus iniquis eripe me,qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos.) Ab uno tantũ cœpta deprecatio refertur ad plures, ut ſignificaret, & in uno traditorem,& in pluribus populus noſceretur.Et uni quidẽ,& nunc & ſuperius maliciam & peccatum,& iniquitatẽ exprobrat,in plurimis uero cogitatas ſupplantationes,abſconſos laqueos,extẽſas funium captiones & cõtinuata ſemitis ſcandala arguit,dicens:Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos,abſconderunt ſuperbi laqueũ mihi: Et funes extenderunt in muſcipulam pedibus meis, cõtinuata ſemitis ſcãdala poſuerunt mihi.) Cogitauerũt enim ſynagogæ principes ſupplantare greſſus eius,cũ poſt depulſam necem Lazari de eo occidendo cogitant,cum ob receptos oculos cæco illi à natiuitate maledicunt,cum taceri de eo decernunt,cum mortẽ confeſſoribus eius denunciãt. Egregium itaq; diuinarum operationum ſuarum greſſum atq; curſum iſtiuſmodi rebus ſupplantare cogitauerunt.Abſcõderunt autem laqueos ſuperbi cum Saducæi fraudulentiã ſimulatę de reſurrectione interrogationis occultant,cum reſponſionis laqueũ captioſo ſermone prætendunt.Superbi,cum admiſceri peccatoribus dedignantur, cum conuiuia publicanorum ei qui peccatorum eſt remiſſor exprobrant. Funes etiam extenderunt in muſcipulam pedibus eius,cum tributum poſcitur,cum de dando cæſari tributo interrogatur.Abſconſus autem ſuperius laqueus fuit,nunc autem funes extenſi ſunt. Validior hic interrogationis laqueus eſſe noſcitur in funibus, cũ per extenſum interrogationis laqueum copioſæ ab eo profeſſionis reſponſio ad uerſus nomen cæſaris quæreretur. Continuantes autem ſemitæ ſcandala poſuerunt ei,cum de mandatis legis interrogaretur,cum diues legi utpote ſatisfaciens, quid ſibi adhuc deſit requirit,cum apud eum de repudij cõditione tractatur. Hæc enim interrogationũ ſcandala uiæ ſuæ doctrinæq; legis continuata ſtatuerunt, ut ſub ſpecie ac earum familiaritate quæ in lege ſcriptæ ſunt quæſtionum, hæc ei ubiq; continuantium ſemitæ interrogationum & reſponſionum ſcandala ponerentur.Nobis autẽ meminimus uitæq; noſtræ ubiq; ſcandala, ubiq; funes,ubiq; laqueos occurrere,nihilq; eſſe ubi non prætentę nobis ſemper inſidię ſint.Et difficile eſt nunc laqueo uentrem abſoluere,quia confuſio illis eſt, quorum deus uenter eſt.Rarum etiam eſt nunc à laqueo oculũ liberare,quia qui ad concupiſcentiã uidit,iam mœchatus in corde eſt.Arduum quoq; eſt linguam laqueo eximere,de omni enim ocioſo uerbo in die iudicij erit ratio reddenda. Maximi etiam laboris eſt cór à laqueo referre.Malę enim cogitationes de corde exeunt.Hi omnibus nobis laquei ubiq; prætenti ſunt,& orandus eſt dominus,ut ab his omnibus laqueis fidei noſtræ pennis & ſpiritus euolemus. Dehinc ſequitur: Dixi domino deus meus es tu,inhauri domine uocẽ orationis meæ. Domine uirtus ſalutis meæ obumbraſti ſup caput meũ in die belli.Ne tradas domine à deſiderio meo peccatori, cogitauerũt aduerſum me,nõ tradas me domine,ne unq; exaltenť.) Et hic intercedens diapſalma uidetur aliquã demutationẽ attuliſſe, & nõ exiguam quidem. Nãq; cũ ſuperius de cogitata ſupplãtatione,de abſcõditis laqueis, de extẽſis muſcipulis,de ſcãdalis poſitis ſermo omnis fuiſſet,nũc ad deũ referť oratio.Dixi domino deus meus es tu.Nõ leuis atq; exiguę fiduciæ eſt domino dixiſſe,deus meus es tu.Loqui iſtud mẽs libidinoſa,auara,inſolẽs,ebria fideliter nõ poteſt. Renũciandũ his omnibus,& à ſeruitute eorũ ac famulatu deſinendũ eſt,ut ab his deſinentes

nentes dicere audeamus: Dixi domino deus meus es tu. Et hęc quidē pſonæ noſtræ quā in quantū fas eſt pſalmo admiſcemus, ita coaptata ſunt. Sed & domino quoq; uſitatum & frequēs & propriū eſt, ut diximus: Dixi domino deus meus es tu. Nunq; confeſſionis huius honorem negauit, ut & dominū cōfiteretur, & deū, dicens: Confitebor tibi pater domine cœli & terræ. Et rurſum: Ad deum meum, & deum ueſtrum. Oratio quoq; ei ad deum ſemper omnis fuit. Lazarum ſuſcitaturus orat, panes & piſces benedicturus ipſo ad cœlum aſpectu precatur, calicē bibiturus pernox orat. Per confeſſionem itaq; domini & dei ſui, ſequitur: Inhauri domine uocem orationis meæ. Honoris confeſſio præceſſit, cum dominū ſuum, & deum dicit. Exaudiendæ autē orationis precatio cōſequitur cum ſe orat audiri. Sed in eo quod ſequitur, domine uirtus ſalutis meæ, non cōmunis eſt fiducia & profeſſio. Nō enim ait, ſalus uirtutis meæ. Humani nanq; uoti res iſta eſt, ut uirtuti noſtræ ſalutē precemur, ut ſanitas his in quibus ualemus à deo ſit. Hæc autem econtrario precatio eſt, ut non uirtutis ſuæ ſalus, ſed ſalutis ſuæ uirtus à deo ſit. Qui ſaluti uirtutem precatur, iam de ſalute non ambigit, & certus eſt nihil in ſe caducum, nihil mortale eſſe. Sed & quod aſſumpſit infirmo ut uirtus præſtetur, orat, per corpus quod dominus in ſe gerebat. Quod tametſi ſecundum nos morti deditum erat, non tamen erat obnoxium corruptioni ipſo per prophetā loquente. Quoniā non derelinques animā meam in inferno, nec dabis ſanctū tuum uidere corruptionē. Non eſt igitur de ſalute naturæ huius in ſe infirmæ incertus, ſolam à deo uirtutem eius, quæ in ſe ſit ſalutis orat. Et orat per hanc confidentiam qua ait: Obumbraſti ſuper caput meū in die belli. Si ex perſona cuiuſq; hominis pſalmus hic omnis eſt, quomodo ſibi tam diuerſa conuenient, ut cum dictum ſit, Eripe me domine ab homine malo, & cuſtodi me de manu peccatoris domine, nūc rurſum ſecurus de omnibus dicat: Obumbraſti ſuper caput meum in die belli? & cum ſuperius ex metu fuerit oratio, nunc ſit gratulatio ex ſecuritate? Hoc autē totum dici ab eo ex ratione poterit, qui gerens hominis deiq; naturam, habeat & ex hominis infirmitate trepidationis affectum, & ex conſcientia diuinitatis fiduciā ſecuritatis. Scit autē ſe in die glorioſi illius belli quo mortē perimet, quo diabolū uincet, quo omnes poteſtates inimicas triūpho crucis ſuę cōfiget, obumbratū protectūq; iri. Nanq; cum ex perſona dei patris dictū de eo ante fuerit, cū ipſo ſum in tribulatione, & rurſum, manus mea auxiliabitur ei & brachium meum cōfortabit eum, Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non adiiciet noceri ei: quid profecit inimicus Iudam ad uoluntatē traditionis inſpirans? Permiſſum corpus paſſioni eſt, ſed permiſſi ſibi corporis dominata mors non fuit. Sanctus enim non uidit corruptionem. Et iniquitatis filius cum eum traderet, ad nocendum ei quid adiecit? Non modo in uitam corpus rediit ex morte, ſed etiam ad diuinitatis gloriā natura corruptionis abſorpta eſt. Securus itaq; & confidens obumbratum ſe eſſe in die belli, etiam hoc precatur. Ne tradas domine à deſiderio meo peccatori. Qui ait: Non ueni uoluntatem meam facere, ſed uoluntatem eius qui me miſit, ſuſceptum opus etiam pro obedientiæ obſequela feſtinat implere, ſed ita, ut meminerimus eſſe in eo uoluntatis officium. Vult nanq; quæ pater uoluit. Id enim quod ait: Non ueni uoluntatem meam facere, ſed uoluntatem eius qui miſit me, eū à quo eſt miſſus, cuiq; obedit, oſtendit, non tamen ſibi detrahit uoluntatem. Omnia ergo quæcunque patri placita ſunt, conſummare optat, & uniuerſa quæcunque ſibi in paſſione deſideria ſunt, exequi properat, ne quid ex his ſit, quod præueniens peccator impediat deſiderio. Deſiderauit cum diſcipulis paſcha manducare, feſtinato paſchæ cœnam peregit. Deſiderauit calicem paſſionis bibere, dicens: Calicem quem pater meus mihi dedit, nō bibam illum? Quærentibus ſe ultro his

qui ad

qui ad comprehendendum eum uenerant, & interrogantibus quis Ieſus eſſet, in/geſſit. Scit ſibi aceti poculum eſſe potandum, hoc ut bibat, poſtulat, magnũ in eo cum bibiſſet, uoluntatis ſuæ fructum capiens, ait: Cõſummatum eſt. Quo in uer bo deſiderabilis uoti gratulatio continetur. Liberari animam ſuam à framea in pſalmis frequenter orauerat, os non cõminuendum ſignificauerat, ſortitu ueſtem ſuam obtinendam denunciauerat. Hæc omnia quæ deſiderij ſui ſint ad prophetiæ fidem, ut impleantur orat, ne quid ex his peccatori ſit poteſtatis, ne paſcha præue/niat quæ deſiderio deſideratur, ne calicem paſſionis ingerere nõ audeat. Nam ad primam domini reſponſionem peccator omnis qui ad comprehendendũ eum ue/nerat, procidit: ne acetum quod potandum eſt, nõ præſto ſit: ne antequam ſpiritũ amittat, lancea miles latus fodiat: ne frangendi oſſis manente adhuc ſpiritu pateat occaſio: ne quid ex prophetia minus fiat: ne aliquid peccatori ex deſideriis ſuis tra datur, ſed in ſe omnia quæ & deſiderata ſibi, & prophetata ſunt, impleantur. Orat autem de his, non quod implenda non eſſent, ſed ut de ſe prophetata intelligi poſ/ſint. Cogitauerunt, inquit, aduerſum me, nõ derelinquas me ne quando exalten/tur. Multa aduerſus eum cogitata ſunt, ſed maxime illud, ut pecunia militibus col lata, fama ab his furati corporis uenderetur. Sed eo in corpore rurſus adſtante, ina nis hæc impiæ cogitationis meditatio fuit. Nec relictus peccatoribus exaltandi ſe locus ullus eſt. Impletur prophetia, pendet in ligno, uita eorum aceto ac felle po/tatur, anima eius à framea liberatur, os non conteritur, ſors ſuper ueſtem mittitur, nihil è deſideriis unigeniti filij dei peccatori traditur, tertia die reſurrexit, nõ relin/quitur in inferno, nec corruptionem ſanctus uidet, & omnia quæ geruntur in do/mino, ad confundendas & conſternandas impiorum cogitationes habent in ſe & rerum præſentium admirabilem efficientiam, & prophetiæ indemutabilem ueri/tatem. Dehinc ſequitur: Caput circuitus eorum labor labiorum ipſorum ope/riet eos. Cadent ſuper eos carbones, in igne deijcies eos, in miſeriis nõ ſubſiſtent.) Poſt ſuperiorem ſermonem, in quo omnis oratio ad deum, de ſe nunc etiam inter/uentu diapſalmatis demutauit ordinem ſenſus. Retulit enim peccatorum iuſtiſſi/mam pœnam, quos primum ipſum illud circuitus ſui caput, deinde labor labiorũ ſuorũ, & omne maledictionis opus operiet. Vt enim omnibus ſanctis caput Chri ſtus eſt, ita omnibus iniquis caput diabolus eſt. Teſtatur autẽ frequenter impios erga ſe circuitus dominus, cum ait: Circundederunt me gemitus mortis. Et rur/ſum. Tauri pingues obſederũt me. Et iterum: Circundantes circundederunt me. Et ſtatim: Circundederunt me ſicut apes. Quod autem principe diabolo hæc ge/ſta ſunt, teſtantur Euangelia, cum dicunt: Et immiſit ſe diabolus in cor Iudæ, ut tra deret eum. Laboratum eſt autem multa uoce populi, cum clamatum eſt: Crucifi/ge, crucifige, Operiet igitur eos caput circuitus & labor labiorum eorum, ut cum alij immortalitatis gloriam induantur, illi impietatis ſuæ pudore & damnatio/ne diaboli operiantur. Et quæ ea damnatio eſſet qua operirentur, adiecit: Ca/dent ſuper eos carbones ignis, ſuper terram deijciet eos, in miſeriis non ſubſi/ſtent. Hæc impiorum operimenta ſunt, hæc irreligioſorum æterna ueſtis eſt, ut ad uerſus decidentes carbones & ingruentes miſerias non ſubſiſtentes tali cum ipſo circuitus ſui capite & labore labiorum damnationis ſuæ onere deprimantur. Te/nuit autem etiam nunc eum ordinem, quo in ſuperioribus uſus eſt, ut cũ in pluri/bus populum oſtendat, nunc in uno Iudam ſignificare uideatur, dicens: Vir lin/guoſus non dirigetur ſuper terram, uirum iniuſtũ mala capient in interitu.) In lin/guoſo anceps & dubium & fallax os proditoris oſtenditur, qui ſero criminis ſui ſcelere comperto, laqueo ſe uita & fide profugus ſuſpendit. Nihil enim directũ in eo, nihil ſimplex, nihil abſolutum fuit. Fur antea, dehinc proditor, poſtremo ipſe

indignus ultor. Nunc mulierem effuſo in caput domini unguento, damni inutilis arguens, nunc Iudæis omnes domini aditus & egreſſus nuncians, nunc de precio iuſti ſanguinis paciſcens. Linguoſus ſemper in uerbis, ut in eum prophetæ dictum competenter aptetur: De multiloquio non effugies peccatum. Hic ergo in hoc multiloquio ſuo peccator non directus in uitam eſt, neq; rectum fidei iter tenuit, ſed, ut dignum eſt, mala eum interitu ceperunt. Impius in deum cum fuiſſet, poſtea in ſemet quoq; ipſum impius manſit. Fur pecuniæ, uenditor ſanguinis iuſti, proditor dei, & quantũ in ſe eſt, parricida, nec uitæ ueniam potuit habere, nec mortis. Non neſcius itaq; huius uindictæ ſuæ unigenitus deus eſt. Ait enim:

Cognoui quia faciet dominus iudicium inopis, & uindictam pauperũ.) Pauper dominus ſecundum hominem eſt. Paupertauit enim ſe ſecundũ Apoſtolum, ut nos locupletaremur, cum in ſeculi rebus nihil niſi corpus fuit. Huius enim ſalutis cauſa naſci inops uoluit ex uirgine, nõ pecuniam, nõ agrum, nõ pecus, cœlorũ dominus elegit. Pauper ergo in homine tantum ſuo fuit, ſed non ſolum iudicium inopis, ſed & uindictam pauperũ dominus faciet, Iudicium inopis referri ad damnationem eorum, qui iniuſti in dominum extiterunt, oportet. Conuenit enim eos ſecundum iudicium, nõ ſecundum uindictam iudicari. Inferioris naturæ eſt, qui debeat uindicari. Vindicantur cęteri pauperes, id eſt, qui dominũ exemplo paſſionis ſequuti ſunt, qui ex contemptu ſeculi & pecuniæ pauperes fuerunt. Fit ergo iudicium inopis, cum ob paſſionem domini impij iudicantur. Pauperes uero uindicantur, quorum ſub ara occiſorum ſanguis clamat, uindictam in impios poſtulans, qui quotidie in gloria martyrij manentes, dei nomini cõfitentur. Et ſermo ipſe, quo pſalmus clauditur, ita loquitur: Attamen iuſti cõfitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cũ facie tua.) Iuſtorũ confeſſio poteſt etiam corporalis uideri, quia plures in carne adhuc licet poſiti, dei nomini confitentur. Recti autem habitantes cũ facie dei, nihil in ſe corporale retinere intelliguntur. Natura enim carnis dei non patitur aſpectum, ipſo dicente: Nemo uidebit hominum faciem meam & uiuet. Hoc iam cœleſtium eſt, & transformatorũ, & terrenam corruptionem cœleſti incorruptione mutantium, quos iam diuinitatis honore claros conregnaturos ipſi deo patri tradet in regnum dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen. Pſalmus CXL.

DOmine clamaui ad te exaudi me, intende uoci orationis meæ, cũ clamauero ad te, & reliqua.) Omnium ſanctorum fidelis oratio clamor eſt deo. Fidei enim ad eũ non uocis clamore clamatur. Moſes inſtante Aegyptiorum rege, mœſtus ſtabat in littore, ſed tacente licet eo, excelſæ mentis fidelem orationem dominus audiuit, dicens: Quid proclamas ad me? Martyrum quoque ſanguis uoce corporis caret, ſed indignitas necis eorum deo clamor eſt, ipſo domino de Abel ad Cain dicente: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me. Sic & ſub ara dei, martyrum animæ proclamare ſcribuntur, magna uoce dicentes: Quouſq; dominus ſanctus & uerus non iudicas, & uindicas ſanguinem noſtrum de habitantibus in terra? Si igitur non humilia, nec terrena, nec corporalia fidei ſpiritu oremus, tacens licet oratio noſtra, deo clamor eſt. Atq; ideo propheta totus ad deum ſpiritu orationi intentus, ita cœpit: Domine clamaui ad te, exaudi me.) Et ut clamorem iſtum non uocis, ſed fidei doceret eſſe, adiecit: Intende uoci orationis meæ dum clamabo ad te.) Clamor etiam inuitis nobis penetrat in auditum, ac ſe ſponte in aures noſtras ui nitente uocis immittit. Sed quia propheta non tali clamore clamat, orat ut clamante ſe deus in uocem orationis intendat. Per id namq; quod intenditur, fidei inſpectio eſt, nõ clamoris auditio. Id enim quod interius eſt intenditur. Cæterũ clamorem intendi

non neceſſe eſt,per ſemet ipſum omnem ſenſum aurium occupantem.Dehinc ſequitur: Domine dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.) Quorum pura & recta & ſynceris oratio eſt,hi dicere poterunt:Dirigatur oratio mea. Cæterum ſi externarum cogitationum interuentu deprauabitur, non dirigetur. Sed quod ait: dirigatur ut incenſum, intelligendum eſt quid ſibi uelit comparatio propoſita incenſi.Et primum natura incenſi ea eſt,ut in altum ſe de humilibus extollat, ſpirans optime, & ſeſe nobis in ſenſum ſuaueolentiæ immittens. Dein ex quatuor odoratiſſimis generibus in maximam ſubtilitatem comminutis componitur,ſtacte,onyche,galbano,thure,quæ omnia hęc in forma orationum fidelium conſtituta eſſe,beati Ioannis Apocalypſis oſtendit,cum ait:Et illi quidem uiginti quatuor ſeniores prociderunt ante agnum,habentes quiſque citharam & phialas aureas plenas odoribus,quæ ſunt orationes ſanctorum. Quatuor autem genera orationum Apoſtolus eſſe ſignificat,ad Timotheum ſcribens: Exoro ergo primo omnium fieri precationes,orationes,poſtulationes,gratiarum actiones.Humilitatis noſtræ eſt deprecari, magnificentiæ dei eſt orari, fidei eſt poſtulare, confeſſionis & laudis eſt gratulari. Et fortè quatuor illa genera odorum ad unum thymiama ex partibus ſubtiliſſimis comparata ſingulis quoq; generibus poterũt cõſummandæ orationis aptari. Quanq; ſpeciem quoq; quatuor elementorũ, horũ quatuor odorũ natura & ſpecies ſignificare uideatur. Vt thus,quod perlucidum eſt, ſpiritui comparetur, ſtacte uero aquis, galbanum & onyx, terræ & igni, ut per hæc omnium quæ in cœlo,& infra cœlum, & in terra,& in aquis ſint, placita deo incenſi modo hæc offeratur laudis oratio. Sed hæc his quos profundioris ſcientiæ cognitio delectat, relinquamus,nobis ſufficit prophetica atque apoſtolica autoritas,quę & incenſum orationes eſſe ſignificat,& orationes deprecatur dirigi ut incenſum. Sed qui deprecatus eſt orationem ſuam dirigi ut incenſum, etiam illud poſt hæc ait: Alleuatio manuum mearum ſacrificium ueſpertinum.) Plurimis locis tractauimus, in alleuatione manuum excelſi operis officium monſtrari, ut cũ Moſes eleuatis manibus ſtare pręceptus eſt, populo in alleuatione & demiſſione manuum ſuarum uel uictore,uel uicto.Apoſtolus quoq; orantes iubet eleuare manus puras. Et cum ait: ſine ira & contentione,non habitum orandi conſtituit, ſed præſcriptum diuinæ operationis adiecit.Denicq; dominus per Eſaiam prophetam orationes impiorum improbans,ita loquutus eſt: Si extendatis manus,auertam oculos meos à uobis.Non uticq; ſi eleuetis,ſed ſi extendatis manus,quia habitus orandi in manibus extendendis eſt:perfecti autem operis efficientia eſt in eleuandis.Manuum ergo eleuatio ſacrificium ueſpertinum eſt.Non enim ſanguine & holocauſtis nos, in quos conſummatio ſeculorum deuenit, ſacrificamus deo. Sed quod ſacrificium ueſpertinum placitum ſit, audiamus dominum in Euangeliis dicentem: Venite benedicti patris mei,poſſidete præparatum uobis regnum à conſtitutione mundi.Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram,& ſuſcepiſtis me: infirmus, & uiſitaſtis me: in carcere fui,& liberaſtis me. Et reſpondentibus illis quod nunquam his officijs humanæ neceſſitatis eguiſſet,dicet: Amen dico uobis, quandiu feciſtis uni ex his fratribus minimis,mihi feciſtis.Hoc ſacrificium ueſpertinum,id eſt,temporum nouiſſimorum eſt, in hoc manus eleuandæ ſunt, quia iſtiuſmodi orationibus iam ab initio mundi benedictis dei,regni cœleſtis præparata poſſeſſio eſt.Sed meminit prophetæ,præter clamorem fidei, præter orationem, quæ dirigenda eſt ut incenſum, & præter eleuationem manuum, in qua ſacrificium ueſpertinũ eſt, & aliud ſibi adhuc opus conſummandæ in ſe iuſtificationis optandum,dicti ſcilicet huius Euangelici memor.Ex uerbis tuis iuſtificaberis,aut ex uerbis tuis condemnaberis.Re-

colens quoq; de omni ſe uerbo ocioſo rationem in die iudicij redditurum, neceſſa rio deprecatus eſt, dicens: Pone domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circun ſtantiæ labijs meis.) Nō leuem cuſtodiam ori orat apponi, oſtium ſcilicet circun ſtantiæ, ut cuſtodia illa non obſeruatio ſit aliqua, ſed clauſtrum. Periculoſus enim linguæ & promptiſſimus lapſus eſt, & ex ea maledictū, mendaciū, periurium, obtrectatio, motu facili, & aditu patenti efferuntur. Oremus ergo nobis circun ſtantiæ oſtium. In eo enim libro, qui nobiſcum Salomonis inſcribitur, apud Græ cos autem atq; Hebræos ſapientia Sirac habetur, ita monemur: Ecce circunualla poſſeſſionem tuam ſpinis, argentum & aurū tuum cōſtitue, & ori tuo fac oſtium & ſeram, & uerbis tuis iugum & menſuram. Oſtium & ſeram ori iuſſit apponi, ne uerbis eſſet facilis egreſſus. Hiſdem autem uerbis iugum menſuramq; conſti tuit, ut rationis iugo ſubdita, librata per menſuram moderatione penderent. Ten dit adhuc propheta ad iuſtitiæ perfectionem. Namque poſt fidei clamorem, poſt orationem, poſt opera, poſt oſtium oris conſummari ſe quoq; officio cordis orat, dicens: Non declines cor meum in uerba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem.) Cum ex innocentiæ ac iu ſtitiæ ſtudijs in uitioſam uoluntatem decidimus, tum cor noſtrum in mala uerba declinat, non ut peccatum excuſemus, omne enim peccatum inexcuſabile eſt, ſed ut excuſationes excuſemus. Crimen enim cædis atq; adulterij, & talium cæterorū per naturam atq; indignitatem facti inexcuſabile eſt. Sed qui in eo deprehenſus erit, non dicet, adulterium aut cædes non habet crimen, ſed dicet mulier importu na, incontinens, adblandiens pellexit, & in uoluntatem coëgit. Vel alius ille dicet, conuitijs mouit iram, iniurijs armauit dolorem, caſus litis dolore cædem peregit. In hęc uerba cor ſe, poſtquam ab eo peccatū eſt, declinat, ut per excuſationes pec cati quod admiſit, ſe excuſet. Cor autem rectum atq; purum in hæc uerba excuſa tionum non declinat, ſed manet inuiolatum atq; conſtans ſine ſolicitudine uerbo rum ad excuſandas excuſationes quærendorum, cum uitę innocentia peccati ex cuſatione nō egeat. Et hæc quidem in corporalibus rebus ita ſunt. In his uero quæ ſpiritualia exiſtimantur, id eſt, in hæreſeos doctrina, incredibile eſt quo cordis la bore, qua uerborum exquiſitione excuſationes ſuas hæretici excuſent. In quę om nia ne declinetur cor ſuum iuſtus expoſcit, ne per hanc declinati cordis ad excu ſandas excuſationes neceſſitatem cum electis eorum combinetur: Et non com binabor, inquit, cum electis eorum.) Combinari cum electis iniquorum nō uult propheta. Meminit enim numerum hunc rebus immundis deputatum, cum ad Noë de recondendis in arca animabus conſtitueretur præceptum: A pecoribus autem mundis induces ad te ſeptem & ſeptem, & à pecoribus immundis bina & bina. Eſt & maius adhuc, & abſolutius, inutilis huius numeri exemplum. Domi nus enim noſter Ieſus Chriſtus omnes immundicias noſtras & peccata noſtra au ferens, fecit ſecundum Apoſtolum utrunq; unum, & ſecundum eundem, ut duos conſtitueret in ſe unum nouum hominem, faciens pacem, ut reconciliaret ambos deo in corpore uno, internum ſcilicet hominem & externum fecit unum. Non er go combinamur, ſed unimur, quia unitas fidei eſt, at uero combinatio conſortium factionis. Non modo autem non combinari ſe propheta cum electis iniquorum non optat, ſed etiam quia homini errare debitum eſt, ſi quid fortè ſecus & huma nitus geſſerit, corripi ſe à iuſto in miſericordia & argui mauult. Formam namque in ſe naturæ noſtrę infirmitatiſq; conſtituit. Plures etenim noſtrum cum lapſi fue rint, cum errauerint, emendari ſe iuſte miſericordiæ arguitione faſtidiunt, & com binari malunt peccatoribus, quàm per iuſtorum correptionem ad pœnitentiam retorqueri. Tenuit autem egregie rationem ueri propheticus ſermo, dicens:

Corripiet

Corripiet me in miſericordia, & increpabit me:) Eſt enim miſericordiæ mo/dus,& miſerandi adhibenda iuſtitia eſt. Proh dolor,quid poteſt eſſe erga eos,quorum crimina grauia ſunt? Sed miſericordiæ locus nullus eſt. Miſericordia enim ſe ad ueniam de deo orandam his quæ ſunt geſta, deflectit. Cæterum ueniam præſtare illicitis,non eſt miſericordiam præſtare, ſed iuſtitiam miſericordiæ non tenere. Quam rationem diligentiſſime Apoſtolus Ioannes retinuit,dicens: Si quis ſcit fratrem ſuum delinquere, ſed non ad mortem, petat, & dabit illi deus uitam. Eſt enim peccatum ad mortem,ſed non pro eo dico. Quod autem iuſtus in miſericordia corripere atq; arguere eum qui lapſus ſit,debeat,beatus Paulus docet, dicens: Fratres,& ſi præuentus fuerit homo in aliquo delicto,uos qui eſtis ſpirituales,conſummate eum in ſpiritu lenitatis. Sed ipſe quidem rationis iuſtæ miſericordiæ immemor fuit. Præuentum enim in delicto non uoluntate delinquentem, conſummari per arguitionem iubet. Atque ideo propheta cum ait: Corripiet me iuſtus in miſericordia,& increpabit me,& fidei ſuæ,& humanæ infirmitatis memor,corripiendum ſe in his ait,quæ iuſtæ miſericordiæ arguitione ſunt digna. Orat autem & aliud, ne doctrinis uidelicet peccatorũ imbuatur, neue uſq; ad peccandi uſum per miſericordiam decidat: Oleum peccatoris non impiguet caput meum.) Vult eum qui nos doceat atq; arguat conſcientiæ puræ eſſe. Dominus uero in Euangelijs,cum de ieiuniorum puritate loqueretur,ait: Vos autem cum ieiunatis, ungite caput ueſtrum,& faciem ueſtram lauate. In abluenda facie, nitorem puræ conſcientiæ exegit, ne quid in nobis ſordidum, ne quid oblitum adhæreret. In capite uero ungendo, doctrinis nos atq; operibus ſpiritualis inſtitutionis perfectos eſſe præcepit. Oleum enim luminis pabulum, & doctrina atq; opus ſpirituale cœleſtis nobis gloriæ cauſa eſt. Vt enim lumen ex oleo luminis habet cauſam, ita ut lucem ſpiritualis gloriæ retineamus, doctrina atq; operatio præſtat: ut caput noſtrum ſedes ſcilicet & prudentiæ uitæ & omnium ſenſuum, oleo operationis doctrinæq; pingueſcat. Sed oleum hoc nõ à peccatore ſumendum eſt,& orandus eſt deus,ne hoc peccator infundat. Vt enim a ſancto & à fideli uiro argui ſe uelle prudentis eſt,quia ægris animis,& peccatorum morbo languentibus,utilis eſt ſeuerę obiurgationis ſub honeſto autore medicina, ita miſerum eſt per peccati miſerationem uſq; ad ipſam peccantium miſericordiam decidiſſe. Hoc ergo utrunq; à ſe deteſtatur propheta. Sequitur deinde: Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum, abſorpti ſunt continuati petræ iudices eorum.) Cauſam quur abſorbeantur continuati petræ eam dicit,quia adhuc ſit oratio ſua in beneplacitis eorum. Orat propheta eadem quæ ſuperiora ſunt, ne oleum peccatoris caput ſuum impinguet. Hoc propheta orat. Sed peccatores ne hac quidem prophetę oratione terrentur,ut ab his quæ placita ſunt ſibi deſiſtant. Nemo enim in peccatis,niſi qui his delectetur,perſeuerat,& cauſam in unaquaq; re permanendi uoluptatis obiectatio ſubminiſtrat. Ergo qui adhuc orante eo, in beneplacitis eorum ſunt, id eſt, quia quod erant, non demutatur per eos uoluntate peccandi, & peccatores eſſe perſiſtunt, nec oratio finem accipit, quia tam diu in beneplacitis eorum eius oratio eſt,quàm diu beneplacitum illis fuerit peccare. Idcirco abſorpti ſunt continuati petræ iudices eorum. Petram non nouimus niſi Chriſtũ, quia dictum eſt de eo: Petra autem erat Chriſtus. Quo adueniente cum ei hi peccatorum electi & iudices ipſi continuabuntur,abſorbentur. Mors enim tunc,& corruptio,& peccatum abſorbebitur,ut ſcriptum eſt: Abſorpta eſt mors in cõtentionem. Vbi eſt aculeus tuus? ubi eſt contentio? Aculeus enim mortis peccatum eſt. Abſorbentur autem continuati petræ horum iudices,cum illo ſuo principe,de quo dictum eſt: Et tunc reuelabitur ille impius, quẽ dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui,& euacuabit

eum præſentia aduentus ſui. Per hanc ergo aduentus domini præſentiam euacuabuntur abſorpti,& abſorpti iudicio ſanctorum.Sequitur enim: Audient uerba mea quia potuerunt.) Potuerunt uel abſorbere, uel audire.In præſentia enim domini abſorbentur propheticæ ueritatis arguitione, & impiæ ſuæ falſitatis opprobrio.Neq; ſolũ audiẽt uerba quæ poſſunt, ſed etiam id quod ſequitur his accidet.

Tanquam craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram.) Quod autem craſſitudo impietatis uitiorum aut comes ſit,aut cauſa,propheta teſtatur,dicẽs: Incraſſatum eſt cor populi huius. Sed & Moſes irreligioſitatem populi inſolentis pronunciãs ait: Manducauit & bibit Iacob, & repletus eſt, & incraſſatus, & calcitrauit dilectus. Virtutem dicti huius ex ipſa terræ natura abſolutius intelligimus. Namque ſcimus craſſiores pinguioresq; terras in eas ſcrobes,è quibus effoſſæ ſunt,ex ſolido nõ redire,quia erumpente earum craſſitudine, rerum ipſarum ſunt incapaces. Itaq; ſecundũ id quod ait: Tanquam craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram,docuit exemplo,quia omnis terræ noſtræ,id eſt, corporis craſſitudo ex naturæ ſuę lege uitijs effoſſa erumpit,& capax ſui non eſt,id eſt,perniciem ſuam ne in ſe reformari poſſit,exæſtuans.Erumpente autem hac craſſitudine, ſuper ſe habet mœrorem propheta, dicens: Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum.) Se diſſipari, ſe diſpergi, ſe ſecus infernũ abigi in peccatorũ calamitate exiſtimat. Si enim unũ membrum compatitur, compatiuntur & omnia membra. Omnes enim inuicem unius corporis membra ſumus,ut & in altero pſalmo ait:Diſperſa ſunt omnia oſſa mea.Nõ utiq; ea oſſa,per quæ corpus noſtrũ in hanc firmitatẽ uirtutis ſuæ continetur, ſed quia omnes unum corpus ſumus, & inuicem membra ſumus, corporis noſtri oſſa ſunt cæteri,uellet potius non erumpere craſſitudinem terræ eorum, neq; diſſipari oſſa ſecus infernũ,ſed omnes magis hac quæ conſequitur, uoce uoti uti. Quia ad te domine oculi mei, in te ſperaui,nõ auferas animam meam,cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerunt mihi,& à ſcandalis operantium iniquitatem.) Intenti prophetæ ad deum oculi, nõ deflectuntur in aliquas ſuperfluarum rerum admirationes, non ad contumeliam pudicitiæ honeſtas humanorum corporum ſpecies contuentur,non capiuntur aut precioſarum ueſtium opere,aut blando argenti nitore,aut illecebroſo auri, aut inani honore gemmarũ, aut factioſo ſpectaculi theatralis certamine,aut ambitioſa poteſtatum ſecularium pompa, ſed in omnia magnifica dei opera ad admirationem eius qui eſt operatus,intendunt. Neq; ſolum oculis,ſed etiam mente ſemper intentus eſt,dicens: In te ſperaui,non auferas animam meam. Ablatio animę nõ abolitio eius eſt,ſed cum à gloria conſtituti ſibi honoris aufertur,cum ab expectatione & affectu ſpei ſuæ decidit. Multa autem animæ ſuæ pericula non ignorat eſſe,cum ait:Cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerunt mihi,& à ſcandalis operantium iniquitatem. Vbique laquei,ubique ſunt ſcandala, mundus omnis plenus inſidijs eſt, ſiue per principem aëris huius, ſiue per ſpirituales uirtutes in cœleſtibus, ſiue per filios inobedientiæ, in quibus ſpiritus erroris operatur. Habemus enim laqueos in hominibus malæ adhortationis, periculoſi exempli, & elicitæ neceſſitatis, cum nos ad uoluptates hortantur, cum in proſperis rebus ſuis in deum impij ſunt,cum per cõtumelias & iniurias ad motum nos turbulentæ uoluntatis exagitant. Differt autem laqueus à ſcandalo. Laqueus enim eſt adhortatio uoluptatum, & ingeniũ appetitionis inhoneſtæ, quod modo laquei fallens capit.Scandalum autem eſt uxor irreligioſa,filius iniquus,& cætera deinceps domi nomina,& omnis ex eccleſia frater,aut contumelioſus, aut auarus,aut ebrioſus,aut turpis. In his enim nobis eſt ſcandalum, quotiens ad neceſſitatem iraſcendi, arguendi, inhibendi, uindicandi ex illa quieta fidei noſtræ manſuetudine prouocamur.Nouit autem unum,qui per omnes iniquitatem operantes

Laqueus

Scandalum

rantes, ipſe potius in his laqueis ſemper operetur, dicens: Cadent in retiacula eius peccatores.) Eius ſcilicet qui operatur in plurimis. Quicquid enim iniquitatum homines gerunt, à diabolo ſuggeritur. Quem nunc ſub ſingulari numero demonſtrat, cum ſuperius ſub plurali miniſteria eius ſignificaſſet in plurimis. Plures in eo, & eum ſignificat in pluribus. Atq; ideo iniqui laqueos prætendunt, & in retiaculo eius cadent peccatores, iniqui retiaculi ſui laqueos prætendunt. Cadent autem peccatores, non tunc peccatores cum ceciderint effecti, ſed cadentes ob id quia peccatores ſunt, captioni retiaculi effecti per id quod peccatores ſunt opportuni. Propheta autem per ſpem ſuam ac fidem tutus, confidenter de ſe ait:

Singulariter ſum ego donec tranſeam.) Scit impiam eſſe, ut ſupra oſtendimus, combinationem. Deo autem deditus, nullis alijs ſeculi negocijs occupatus eſt & ſingularis, donec tranſeat. Et quid eſt illud quod tranſeat? Scandala ſcilicet, & retiacula, & laqueos. Et quò tranſeat quærendũ eſt. Nempe eò quò dictum eſt: Fidelis enim & ſanctus & uerus eſt, qui ait: Qui autem credit in me, non iudicabitur, ſed tranſiet de morte in uitam, dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Pſalmus CXLI. intellectus Dauid cum eſſet in ſpelunca oratio.

VOce mea ad dominum clamaui, uoce mea ad dominũ deprecatus ſum, & reliqua.) Pſalmi huius ratio titulo cõtinetur, ſed potius ſpirituali quàm corporali intelligentia, & ideo in titulo intellectus oratio eſt. Nam ſi ſimplex ſecundum Dauid geſta ſenſus eſſet, oratio tantum pſalmi titulo fuiſſet inſcripta. Sed quia ad orationis cognitionem ſpirituali intelligentia opus eſſet, idcirco intellectus oratio, quia ſit intelligenda præſcribitur. Scimus enim eſſe & illum Dauid, cuius tabernaculum quod ceciderat, excitatum eſt, iuſtum orientem regnantem, id eſt, dominũ noſtrum dei filiũ, qui frequenter fugerit, frequenter latuerit, frequenter orauerit. In ipſo quoq; tempore paſſionis & fleuerit, & ad deum in tribulatione clamauerit, non ob naturalem quaſi paſſionis metum, ſed affectum hominis quem gerebat, oſtendens, ut per hanc orationem & filius dei ad quem oraret, & ipſe non ſimulatus homo, ſed uerus poſſet intelligi. Eius itaq; eſſe hæc intelligitur oratio. Dauid quidem in ſpelunca loquitur, ſed prophetat in Chriſto. Dauid fugit, ſed fugam domini ſui non tam per uerba quàm per fugam prophetat. Dauid ſpiritu defecit, ſed & domini: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem. Dauid ſemitas deus cognoſcit, ſed & filiũ nemo nouit, niſi pater. Dauid in fidei ſuæ uijs laquei abſconſi ſunt, domino quoq; in prædicationis ſuæ curſu ubiq; parantur inſidiæ. Hic in ſpelunca orat, ille orat in corpore. Seruus dominum prophetat Chriſtum, Dauid ille illum Dauid omnium paſſionum prophetat exemplo. Atq; ideo hæc non tam de ſe ipſo, quàm de domino per Dauid dicta intelligitur oratio: Voce mea ad dominum clamaui, uoce mea ad dominum deprecatus ſum. Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio. In deficiendo ex me ſpiritũ meũ.) Egregie uerborum ordo diſpoſitus eſt. Primum uoce clamatur. Omnis enim fidelis uiri etiam facta & ſpiritualis expectatio deo clamor eſt. Deinde uoce oratur, id eſt, deſiderij fidei petitio uerbis uocis effertur, ſecundum illud Apoſtoli: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Tertio in conſpectu domini oratio effunditur, non uerbis ſcilicet de lingua excidentibus, ſed de profundo & interno fidei fonte oratio precantis effunditur. Et effunditur in conſpectu dei non negligenter, neque ex ſecuritate, ſed tanquam domino præſente. Qui enim oratur, ut exaudiat, præſens neceſſe eſt eſſe credatur. Qui autem præſens exiſtimatur, non abſentis diſſi-

mulatione,ſed præſentis honore reuerendus eſt. Quarto quoq; tribulationem ſuam pronunciat. Non impeditur cum tribulatur, quin ſemper ad deum omniũ anguſtiarum ſuarum & paſſionum moleſtias referat. Neq; ſanè leues tribulationes ſunt,quas ante deum effuſa oratione pronunciat,ſed in eo cum deficit ab eo ſpiritus ſuus. At uero nos leues tantũ tentationes ab aſſiduitate orationis impediunt, & quantulumcunq; in ſecundis modo rebus animi noſtri conſtantiam à deuotionis officio repentinus exiguæ difficultatis motus auertit. At uero hic nec deficiente quidem ſpiritu ſuo ceſſat, & tribulationem ſuam pronunciare,& orationem effundere,& uoce orare,& ipſa ſpiritualis fidei uoce clamare: Tu cognouiſti ſemitas meas. In uia hac qua ambulabam abſconderunt laqueum mihi.) Hæc tam illius quàm huius Dauid oratio eſſe poterit exiſtimari, quia ut diximus,omnia domini dicta atq; geſta,& ſerui fide & prophetæ præfigurauit exemplo. Nunquam uero pſalmorũ prophetia quotienſcunq; ex perſona domini profertur, nõ aliquid peculiare eius ac propriũ,quod alij cum eo cõmune eſſe nõ poſſit,adiecit, ut quia multa ex perſona eius hominis quem aſſumpſit cõmemorata, perſonis hominum eſſent naturisq; cõmunia, pſalmi potius de eo prophetia ea quæ proprie ex perſona eius dicerentur oſtenderet,ut illud nunc: Conſiderabam ad dexteram & uidebam,quia nõ eſt qui cognoſcat me. Periit fuga à me, & nõ eſt qui requirat animam meam.) Dauid enim licet fugeret,nõ tamen incognitus erat,neq; ſolum ad dexteram contuebatur,ſed etiam ad ſiniſtram ei conſpectus patebat. Illud autem quomodo perſonæ eius aptabitur: Periit fuga à me: Dehinc illud,& nõ eſt qui requirat animam meam. Poſtremo etiam illud quo pſalmus concluditur: Me expectant iuſti donec retribuas mihi. Contraria ſibi iſta ſunt ex perſona hominis intellecta. Si enim ſunt iuſti expectantes, quomodo nemo cognoſcit? Quomodo animam nemo requirit? Per id enim nemo animam requirit,& nemo cognoſcit,quia reſpiciente eo à dextris,nemo iuſtus eſt uiſus. Sed hæc omnia in domino tempore paſſionis impleta ſunt, cũ euntem eũ ad crucẽ, eorũ nemo comitatus eſt, quos ad poſſeſſionem regni cœleſtis ſecundũ Euangelicam diſpoſitionem ſeparatos à ſiniſtra ad dexteram præparabat,ob quos & homo erat natus, cum in tot tantisq; crucis ipſius ſignis deum nemo cognouit,cum frequenter antea latens ſe his qui eum quærebant,& prodidit,& ingeſſit. Et per oblationem ſpontaneæ uoluntatis fuga ab eo periit,cũ nullus uirtutem uitæ eius quæ in anima ſignificatur,inquirit. Corpus enim quod cruci affixerant contuentes, poteſtatem animæ quæ ſe ſignis & factis deum probauerat,nemo quærebat. Iam illa quæ ſequuntur, licet cõmunia uideantur eſſe cum cęteris,tamen etiam per eum tempore paſſionis omnia dicta geſtaq; ſunt. Clamaui ad te domine, dixi tu es ſpes mea, portio mea in terra uiuentium.) Clamans dixit, tu es ſpes mea, cum ait: Pater commendo in manus tuas ſpiritum meum. Pars eius in terra uiuentium eſt, cum latroni die eodem incolatum paradiſi promittit, id eſt, ſortem, & regnum hæreditatis ſuæ, ut licet ad inferos adiret, tamen per ſpiritualem poteſtatem doceret à paradiſo non abeſſe. Redit deinde ad orationis ſuæ modeſtiam, dicens: Intende orationem meam, quia humiliatus ſum nimis.) Humiliatus eſt enim, formam ſerui accipiens, & obediens factus uſque ad mortem,& mortem crucis. Libera me à perſequentibus me, quia confortati ſunt ſuper me. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo domine.) Quanquam enim poteſtatem haberet ponendi animam ſuam,& reſumendi,tamen ſemper per reuerentiam filij,honorem paternæ maieſtatis reſeruauit,cum orat: Pater clarifica me, cum proclamat: Deus meus quare me dereliquiſti? in his enim non eſt infirmitatis ſuæ confeſſio, ſed paternæ uirtutis prædicatio. Liberari ergo ſe nunc ſimiliter à perſequentibus orat,

quia

quia confortati ſunt. Confortati enim ſunt, cum crucifigere audent, cum per carnem deum neſciunt, cum eos habitus humilitatis & formæ in eo ſeruilis hortatur. Deinde rogat, ut anima ſua educatur è carcere. Si in carcere poſitus etiam ante Noë tempora reſurrectionem ſecundũ beatum Petrum dominus prædicauit, carcer eſt inferi, à quo ſe educi rogat, ut & in altero pſalmo erat prędicatum, non contineat ſuper me puteus os ſuum. Oratio omnis iſta ad confeſſionem, ut diximus, uirtutis paternæ eſt. Sed adiecit & cauſam, quur ſeſe de carcere oret educi: Ad cõfitendum, inquit, nomini tuo. Reſurrectio eius paternæ in ſe uirtutis operatio eſt, quia poteſtas ei omnis ex patre eſt. Sed per quod ſit dei nomini confitendum, ſubiecit dicens: Me expectant iuſti donec retribuas mihi.) Omnium apoſtolorũ fides uſq; ad reſurrectionis tempus fuit trepida, quam in domino contuentes, expectationis ſuæ ſecuritate firmati ſunt. Et hinc illud eſt à domino dictum: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem. Nõ enim ait, propter mortem, quia licet ſe paſſioni daret, non tamen uirtus æterna dolorem paſſionis exciperet. Sed quia apoſtolorum metus per humilitatem paſſionis exortus, adeo ut & firma illa ſuperædificandæ eccleſiæ petra trepidaret, poſt mortem & reſurrectionem domini in eadem trepidatione eſſe deſineret, idcirco uſq; ad mortem triſtis eſt, poſt quam trepidantis fidei eſſent ſecuritate firmandi. Expectant ergo iuſti donec ſibi retribuatur à deo. Et quid ei à deo retribuatur, Apoſtolus docuit, dicens: Propter hoc exaltauit eum deus, & donauit ei nomen quod eſt ſuper omne nomẽ, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus in gloria dei patris eſt. Hæc ei à deo retributio eſt, ut ei corpori quod aſſumpſit, paternæ gloriæ donetur æternitas. Quæ autem ſit iuſtorum expectatio, idem Apoſtolus docet, dicens: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt, unde & ſaluatorem noſtrum expectamus Ieſum Chriſtum, qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, conformatum corpori gloriæ ſuæ. Expectant ergo eum iuſti dum retribuatur illi, ſcilicet ut conformes fiant gloriæ corporis eius, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Pſalmus CXLII ipſius Dauid quando perſequebatur eum Abeſſalon.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam, in ueritate tua exaudi me in tua iuſtitia. & reliqua.) Pſalmi ſuperſcriptio nulla eſſe ſecundum Hebræos uidetur. Id enim ab his qui utraq; lingua eruditi ſunt traditur, translatores cæteriq; nihil omnino de rebus geſtis, id eſt, de Abeſſalon in Dauid patris ſui inſectatione ſcripſerunt. Sed hi ſeptuaginta ſeniores quibus legis ac prophetarum ſcientia ultra prędcriptum & ambiguitatem literæ fuit, addendum hoc pſalmo iudicauerunt. Cauſam uero iudicij iſtius in exordio pſalmorũ docuimus, per quam nihil in pſalmis niſi propheticum cognoſcimus oportere tractari. Cum enim nec geſtis ſermo, nec temporibus ordo conueniat, reliquum eſt, ut in exemplum ac ſcientiam gerendorum & geſta omnia in Dauid, & ab his intellecta eſſe doceamur. Appoſita ergo nunc pſalmo ſuperſcriptio eſt quæ non extat in libro: ut ubi extat, id eſt, ſicut in pſalmo tertio, in quo à facie eius qui nunc perſequi inſcribitur fugerit, ad ſcientiam propheticæ intelligentiæ uocaremur. Prophetat ergo nunc Dauid paſſionibus ſuis dominicas paſſiones, nõ de Abeſſalon conquerens, ſed de his qui Abeſſalon ad impietatis crimen ignirent. Ignita enim ſecundum Apoſtolum diaboli ſunt iacula, quæ ſe in cor ludę ut dominus traderetur iniecerint, & nunc in filijs inobedientiæ operentur. Ob quod dominus aſſumpta peccati carnis ſimilitudine, de peccato condemnauit peccatum in carne. Tractabimus ergo pſalmum

ex perſona prophetæ intelligentis ſe in peccati corpore poſitũ, & inter multas & graues diaboli tentationes per hominẽ fatigari. Nam ut dominus principẽ mundi nõ ignorauit hęc in ſe per Iudæos Iudamq; geſſiſſe, cum ad Apoſtolos dicit: Ecce ex uobis unus eſt ſatanas. Totus enim hoc eſſe, quia per eũ animabatur oſtendi tur, ita & Dauid in Abeſſalon eos per quos Abeſſalon eſt talis intelligit. Et quia iam in tertio pſalmo latior hinc fuit ſermo, nunc pſalmi ipſius dicta tractemus, ita ut meminerimus omnia quæcunq; ſub prophetæ nomine dicuntur, etiam ad perſonam domini eſſe referenda, qui ſe ex forma dei euacuans, & formam ſerui aſſumens, infirmiſſimum naturæ noſtræ hominem etiam uſq; ad ignoratæ dici, atque horæ ſuæ ſcientiam ſit profeſſus. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam in ueritate tua, exaudi me in tua iuſtitia. Primum oratio nem ſuam deprecatur audiri, quia id humilitatis humanæ eſt, ut audientiam dei his quæ oret exoptet. Secundo deinde ſecundum propheticam ſcientiam, ut in ueritate dei audiatur expoſtulat. Non eſt huic fideli uiro deus ex elementis ſeculi, nõ ex regum nominibus, non ex errore ſeculi in ſaxis & metallis & lignis, ſed uerus ei deus eſt, æternus omnipotens, & uniuerſitatis effector. Tertia quoq; poſtulatio eſt, ut iuſtitia dei audiatur. Non eſt tyrannicæ uoluntatis deus, nõ præduræ & iniquæ pertinaciæ arbiter, ſed qui rationem habeat infirmitatis humanę. Neq; qui hos demutabilis naturæ noſtræ promptiſſimos lapſus ſecundum indemutabilis ſubſtantiæ ſuæ indeflexam conſtantiam metiatur, ſed iuſtus & moderans tantum ab homine expectet quantum meminerit humanæ licere naturæ. Et ideo ſubiecit, ad id quod ſe in iuſtitia dei orauit audiri: Et non intres in iudicium cũ ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens.) Quid enim ſpei eſt ſi iudicari nos ſecundum ſe deus uelit, ſi ad comparationem ſui uitæ noſtræ innocentiam poſtulabit? Iuſtificari autem in conſpectu dei quis uiuentium poteſt, cui ira, cui dolor, cui cupiditas, cui ignoratio, cui obliuio, cui caſus, cui neceſſitas, uel per naturam corporis, uel per motũ animæ ſemper fluctuantis admixta ſint? Cui & quotidie grauiſſimus hoſtis immineat, diabolus uidelicet animæ uiri fidelis inſidians, eamq; ad interitum perſequens? Hanc enim eſſe cauſam docet qua nemo uiuens iuſtificari in conſpectu dei poſſit. Quia perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra uitam meam. Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi.) Obſcuritas per corporis uitia effunditur, & cum per diaboli laqueos in cupiditates carnis incidimus, à cogitationis luce depulſi in obſcuris collocamur gentium tenebris demerſi, & ſecularium operũ nocte detenti. Sed quantumlibet perſequens animam inimicus, & humilians in corpore tanquam mortuum ſeculi collocet in obſcuro, ſpiritualis tamen uiri anxietas his corporis tenebris nõ tenetur, & cor ſuper hac ipſa naturæ ſuæ infirmitate turbatur, repugnãſq; uitijs hominem ſuum in memoriam primę ſuæ cõſtitutionis, & in meditationem dei operum conuertit. Non enim eum inimicus in obſcuris mortuũ, ſed tanquam mortuum ſeculi collocauit, per quod libertas ſpiritus ſemper in ſe anxij reſeruatur. Id enim ſequitur: Et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatũ eſt cor meum. Memor fuit dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabor.) Scit Adam à diabolo captum, & idcirco memor eſt antiquorum dierum. Scit eum per tranſgreſſionem legis conſtitutæ, & à promiſſionibus dei & ab incolatu paradiſi excidiſſe. Et ideo memor eſt operum dei. Scit non ſufficere ex præterito innocentiam, ſed beatum eſſe qui uſque in finem innocens eſſe permanſerit, & ideo in factis manuum dei meditabitur. Facta manuum dei homo ipſe eſt, qui poſt quàm peccauit, peccati ſeruus efficitur. Talis igitur eſſe meditatur, qualis ille à deo factus fuit ante peccatum.

Per

Per quod quia nõ mortuus ſeculi, ſed tanquam mortuus ſeculi in obſcuris eſt collocatus, meditabitur ſemper, quia antiquorum dierum memor ſit per trangreſſionem legis mortem introiſſe peccati. In eo autem, quod & memor antiquorum dierum & in operibus dei meditatus eſt, atq; meditabitur, quanquam per fidẽ ſuam cœperit, tamen nõ proprium ſuum eſſe ne inſolens exiſtimetur, ſed per auxilium dei ad quem orauit ſibi indultũ eſſe demonſtrat, dicens: Expandi manus meas ad te anima mea ſicut terra ſine aqua.) Terra ſine aqua arida & infœcunda eſt, & irrigari ſemper imbre pluuiæ cœleſtis expectat. Ita & ſancti anima naturæ ſuæ conſcia immadeſcere ſe dono diuini eloquij deſiderat. De quo Moſes ait: Expectetur ſicut pluuia dictum meum, & deſcendant ſicut ros uerba mea, ut pluuia ſuper gramen, & ut niues ſuper fœnum. Arens ergo & ſitiens anima tali propheticæ doctrinæ imbre perfunditur, ut mortua & ieiuna ariditate naturæ in uberes fructus præceptorum dei cognitione reuireſcat. Iam in his quæ ſequuntur humanæ fidei & conſcientiæ confeſſio eſt, per diapſalmatis interceſſionem impatientia prophetici deſiderij monſtrata. Velociter exaudi me domine defecit ſpiritus meus.) Moras corporis ſui propheta non patitur, & ſecundum illud Apoſtoli: Diſſolui melius eſt, & cum Chriſto eſſe. Et illud: Miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis iſtius? Et illud: Quia in hoc ueteri tabernaculo congemiſcimus deſiderantes ſuperindui. Tædium & ipſe in corpore mortis patitur, ſed uelocitatem auxilij, quod ob defectionem ſpiritus deprecatur, cum gratia diuini in ſe muneris optat expleri. Quid enim ſibi proderit exauditum eſſe uelociter, niſi tanquam fidelis, & deo placens & beatis locis quieturus excedat è corpore? Et idcirco ait:

Non auertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.) Lacum pœnalem inferorũ locum ſcriptura cõmemorat, ut in his pſalmis ait: Tu domine abſtraxiſti ab inferno animam meam, ſeruaſti me à deſcendentibus in lacũ. Ergo niſi facies dei, qui utiq; Chriſtus eſt, qui imago dei inuiſibilis eſt, unicuique ſancto affuerit, erit illis ſimilis qui pœnæ infernæ deputati è uita ſine ſpe quietis exceſſerint. Sed de ſpe ſua propheta non ambigit, neq; extra Euangelicæ ſecuritatis fiduciam eſt. Tempore quidem ipſe anterior, ſed in ſpiritu Apoſtolici gaudij particeps, qui reſurrectionem domini contuentes æternitatem caducorum corporum crediderunt. Id enim in conſequentibus ait: Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperaui.) Matutinæ huius miſericordiæ gaudium locis plurimis demonſtratur, uelut tum cum ait: Ad ueſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Hoc enim reſurrectionis eſt tempus, in quo per miſericordiam dei poteſtas mortis infracta eſt. Quam miſericordiam, quia in ea propheta ſperauit, optat audire. Dehinc ſequitur: Notam fac mihi uiam in qua ambulẽ, quia ad te leuaui animam meã.) Apoſtolus per ſpeculum, & in ænigmate uidet, & pro parte ſcit, & pro parte prophetat. Propheta quoque tanquam per naturam humanæ fragilitatis ignorans, notas ſibi fieri in quibus ambulet uias orat. Non enim hæ ſeculi uiæ utiles ſunt, ſpirituales illas & cœleſtes ille noſſe deſiderat. Id enim ait: Quia ad te leuaui animam meam. Non in humilibus eſt anima illius, ſed in excelſis. Et idcirco excelſarum uiarum poſtulat notionem. Scit enim eſſe inimicos ſibi qui ſe in alias auocent, qui in uoluntatem alteram deducant. De inimicis iſtis ſpiritualibus Apoſtolus multa, & frequenter ingeſſit. Ab his ergo ſe eripi orat, & uiam illam tribulatam, quæ ad cœlum agit cognoſcere rogat, & de uoluntate domini doceri, & per ſpiritum eius in terram rectam deduci, id eſt, ut conſtituatur in hominem non uitijs peruerſum. Nam in rectam terram ſe dirigi quomodo optaſſet, cum elementi huius natura exiſtimabitur, niſi quod ſecundum primi hominis naturam, cui poſt peccatũ dictum: Terra es, & in terram ibis, conſtituiſſe

hominem

hominem rectum indeflexumq; desiderat? Id enim sub his dictis continetur:

Notam fac mihi uiam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis domine, ad te confugi, doce me facere uoluntatem tuam, quia tu es deus meus. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum domine uiuificabis me.) Consonans Apostoli confessio est ad id quod ait: Doce me facere uoluntatem tuam: illud quod per eum dictum est, & qui putat se scire, nondum scit quemadmodū oporteat se scire. Quod si nec orare quidem adhuc scimus, & loqui desideria nostra non nouimus, spiritu potius pro nobis inenarrabilibus gemitibus postulante, & imperitiam nostram arcanæ scientiæ effectu repensante, secundum hoc Apostoli dictum: Quid enim oremus secundū id quod oporteat nescimus, sed ipse spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus, non incondite propheta creditur orare ut uoluntatem dei doceatur explere. Et competens illa humanæ uerecundiæ professio est, ut quod per spiritū dei in terram rectam deducendus sit, id nō meriti esse sui arroget, neq; per satisfactionem pij obsequij id sibi postulet, sed totum hoc ad clarificandum in se dei nomen expectet, ut propter honorem dei nominis in terra recta esse statuatur. Et quia hanc terram rectam scit sibi non in corpore mortis huius posse concedi, quia labes carnis humanæ per admixtam in se uitiorum consuetudinem aboleri penitus nisi cum naturæ demutatione non possit, uiuificari se, quasi nondum uiuat expostulat, dicens: Viuificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes qui persequuntur animam meam, quoniam seruus tuus ego sum.) Habuit quidem, ut diximus hoc iustitia uerecundiæ, ut quicquid aliud sibi beatitudinis sperat, id pro magnificentia dei potius, quia deo beata & æterna & bona tribuere sit dignum, quàm pro merito suo postulet, sed tamē præferens honorem & misericordiam dei merendi quoq; id per se non excluſit officium. Nam cū uiuificandus sit, uiuificandus tamen est in æquitate, quia æquum sit uitam retribui stipendijs sanctitatis. Et cum per misericordiam dei educto eo de tribulatione disperdendi sint eius inimici, iam nō est misericordia indiscreti confusiq; iudicij, cum quæ à tribulatione educit, eadem disperdit inimicos, quia ex meritorum diuersitate uel in pœnam, uel in misericordiæ iudicium temperetur. Non leues autem sibi esse inimicos prophe ta demonstrat, sed eos qui etiam animam persequantur: non quod cum corpore possit occidi, sed quod ita diabolicis infestationibus fatigetur, & sub iniectorum sibi uitiorum incentiuis aduratur, ut à deo mereatur occidi. Verum ut etiam inimici sui pereant, quanquam ad id potissimū & nomen & misericordia dei est, tamen etiam ea causa est, quod seruus dei est, cuius animam persequantur, & liberalitas admiscetur & meritum, atq; ad domini misericordiam serui quoq; & fides & nomen adiungitur, ut misericordia dei quanquam omnibus prompta sit, his tamen qui serui eius sunt intelligatur assistere per eum, & in eo qui ait: Ego sum uobiscū omnibus diebus usq; ad consummationem seculi, dominū nostrum Iesum Christum, qui est benedictus & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

Psalmus CXLIII. Psalmus Dauid in Goliam.

Benedictus dominus deus meus, qui docet manus meas ad bellum, & digitos meos in prælium. Misericordia mea & refugium meum susceptor meus & liberator meus. & reliqua.) Et huic quoq; psalmo addendam hanc septuaginta superscriptionē putauerunt: Psalmus Dauid in Goliam, cum neq; in Hebraicis libris reperiatur, neque translatores alij quicquam aliud quàm simplicem titulū præscripserint, id est,

Dauid

Dauid. Quod nõ ſine ſpirituali ratione effectum fuiſſe pſalmi ipſius textu docetur, nihilq; hic pſalmus proprium habet, quod ad gratulationem perempti Goliæ poſſit referri, cum magis illic & geſtis & tempori multa cõtraria ſint. Cum enim dicitur: Subiiciens populum meum ſub me, nũquid tum Dauid rex erat: aut quis tum ei populus ſubiectus eſt, ſi allophylorum non erat ſuus? Sed ne ipſe quidem Iſrael Saul adhuc regnante poterat eſſe ſubiectus. Deinde & illud: Domine inclina cœlos & deſcende, tange montes & fumigabũt. Coruſca coruſcationes & diſſipabis eos: quæ eſſe intelligetur ob humanum tempus oratio? Aut cum ſecundum titulum Golia eſſet occiſus, quid ſibi hæ preces uolũt: Eripe me & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum? Aut cum rex tantum unus in Iſrael eſſet, quid eſt illud, quod dicitur: Qui das ſalutẽ regibus? Numerus plurimorum intelligentiam eius temporis, quo unus tantum habeatur, excludit. Sed cum nec in Hebraicis libris ita ſit, neq; translatores cæteri horũ aliquid addiderint, intelligimus ſeptuaginta hos ſeniores uoluiſſe nobis ſpiritualis ſcientiæ ſenſum dare, ut in Dauid & Golia bellum præfiguratũ eſſe ſatanæ dominiq; ſciremus, cum neq; ſuperſcriptio extaret in libris, neq; rebus geſtis prophetię ſermo concineret. Affert autem plerunq; nobis difficultatem intelligentiæ ratio Latinitatis, quæ nominibus pronomina nõ eſt ſolita præponere, ut in Dauid nomine accidit. Ceſſante enim pronomine incertum eſt utrum in illum, aut per illum pſalmus extiterit. Cum enim ſcribitur pſalmus Dauid, utrum ab illo dictus ſit, aut propter illum ambiguum facit nominis ſola præſcriptio. Græcitas uero cum per Dauid pſalmum ſcriptum eſſe ſignificat, ita titulũ inſcribit: pſalmus τῷ Dauid. At uero cum de Dauid uult pſalmũ qui ſit ſcriptus intelligi, ita ſuperſcribit τῷ Δαβίδ, diſcernens per utriuſq; pronominis propriã ſignificationem, utrum Dauid ſcripti pſalmi autor an cauſa ſit, ut ſuperſcriptio pſalmi iſtius cõtinet, τῷ Dauid. Id enim eſt quod propter eum, uel illi potius quàm ab eo ſcriptus ſit. Ex qua etiam pſalmi ſuperſcriptione mõſtratur, in eum hominẽ quem dominus aſſumpſit in eo naſcens, & quem Dauid ſæpiſſime nominari docuimus, pſalmum hunc ſpiritus uirtute & ore cantatum. Benedictus dñs deus meus, qui docet manus meas in bellum, & digitos meos in prelium.) Si ob id gratulationi interfecti Goliæ deputatur hic pſalmus, quia dictum eſt: Qui docet manus meas in bellum, accipiant exemplum perſonæ hoc potius domini conuenire. Nam in ſeptimodecimo pſalmo, qui totus ex perſona domini conſtitit, id ipſum dictum ita meminimus: Qui docet manus meas in prælium, & poſuiſti ut arcum æreum brachia mea. Quod autem nihil in illũ Dauid referri poſſit, in omni quidem pſalmo, ſed maxime his dictis docetur: Audiuit de templo ſancto ſuo uocem meam, & clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius. Et commota eſt & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt. Et illud: Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad dominum, nec exaudiuit eos. Et comminuam illos, ut puluerem ante faciem uenti, ut lutum plateārum delebo eos. Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium. Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi, ad auditum auris obediuit mihi. Rebus ipſis inepta eorum intelligentia coarguitur, qui hæc Dauid de ſe ipſo dixiſſe cõtendunt, cum omnia in eum quem dominus in eo natus aſſumpſit, ſecundum ſpiritualem rationem & geſta conueniant. Manus igitur eius edoctæ ad bellum ſunt, cum uicit ſeculum. Ego enim ait, uici mundũ: cum extenſis in crucem inuictiſſimis armis ipſius paſſionis inſtruitur. Et poſuiſti, inquit, ut arcũ æreum brachia mea: cum de omnibus uirtutibus ac poteſtatibus in ipſo ſe trophæo glorioſæ crucis triumphat, & principatus poteſtates traduxit cum fiducia triumphans in ſemetipſo, cum diſſidẽtia inter ſe cœleſtia & terrena pacificat. Et in ipſo,

inquit, reconciliari omnia in eum pacificans per ſanguinem crucis ſuæ, ſiue quæ in terra ſunt, ſiue quæ in cœlis. Ad hoc igitur bellum manus eius edoctæ ſunt, in quo arcus ærei certamine uincitur: de honeſtatione potentes triumphantur: pace reconciliãtur inimici. Sed poſt manuum bellum, ſuccedit & digitorum prælium. Omnis enim in eo habitus & pugna paſſionis oſtẽditur. Manus enim extenduntur, & digiti configuntur in pſalmis: uetus ſcilicet chirographum, ſecundum Apoſtolum delens & affigens illud cruci. Etiam eas partes manuum commemorat in prælio, cum quibus omnia ueterum criminum peccata confixa ſunt. Dehinc ſequitur: Miſericordia mea & refugium meum, ſalus mea, liberator meus es tu, Protector meus, & in ipſo ſperaui.) Carẽt iſta difficultate. Omnia enim in euangelijs ita geſta ab eo atq; dicta ſunt, ut honorem maieſtatis paternæ per humilitatis noſtræ confeſſionem, quorum habitum aſſumpſerat, prædicaret. Illud autem, quod ait: Subijciens populum meum ſub me, non ex perſona unius Iudaici populi dictum exiſtimandum eſt, cum uniuerſitatem eccleſiæ unum populum in pſalmo alio nuncupauerit, dicens: Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi. Quod autem etiam hic, qui eum non cognouit ſuus ſit, euangelia docent cum aiunt: In ſua uenit, & ſui eum non receperunt. In mundo erat, & mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Sed ne fortè hic populus quem cognouit, & ſibi ſeruiuit, non ſuus fuiſſe, quia non erat cognitus exiſtimetur, diuina illa Moſi cantio errorem hunc omnem ambiguitatis excludit, dicens: Cum diuiſiſſet excelſus gentes, ſtatuit fines gentium ſecundum numerum angelorum ſuorum, & facta eſt portio domini Iacob, funiculus hæreditatis eius Iſrael. Iſte in hæreditatem æternam fuerat electus. Et ideo quia ille portio domini erat, cæteri quaſi incogniti habebantur, quia illi eſſent per priuilegium portionis electi. Sui autem omnes, quia ſibi quod ſunt tanquam autori ſuo debent. Subditi autem ei ſunt, cum dicitur: Sicut dediſti ei poteſtatẽ omnis carnis, ut omne quod dediſti ei, det illi uitam æternam. Et illud: Omnia data ſunt mihi in cœlo & in terra. Data autem nondum ei primum, quia iam in mundo erat, per quem mundus erat factus, qui gloriam repetit, quam ante conſtitutionem mundi habuerat apud patrem: ſed data poſt hominis aſſumptionem, quia ita dictum eſt: Qui cum in forma dei eſſet, formam ſerui accepit. Propter quod exaltauit illum deus, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Quid ergo uel cui donatur? Non ei utiq; qui in forma dei erat donatur, ut dei forma ſit. Erat enim, & quia erat iam non egebat hoc dono. Sed fuit cauſa donandi, quia in forma dei erat, formam ſerui accepit, & ſe de forma dei euacuans, formam ſerui aſſumens, uſq; ad mortem obediens fuit. Obedientiæ ergo illi, per quã habitus ſeruilis aſſumitur, & ipſi habitui ſeruili id donat, ut quod erat eſſet, in forma ſcilicet dei eſſet. Damnum enim ad detrimẽtum ſui euacuatę formæ dei neſcit, aſſumptioni potius ſeruili formam dei rurſus adquirens: ita neque uirtus in humilitatem ſeſe licet cohibens defecit ex ſeſe, cum quod erat eſt: & humilitas cohibita in ſeſe uirtute ſuſcepta, cum quod non erat eſſe cœpit, profectum eius quæ à ſe non defecerat uirtutis accepit. Et hæc quidem Euangelici ſacramenti, & humanæ ſpei ueritas eſt, humanam naturã corruptibilemq; carnem per huius gloriæ demutationem in æternam transformatã eſſe ſubſtantiam. Sed huius tanquam difficillimi facti admirationem, & maximæ ac pulcherrimæ ſpei donum, etiam præſenti pſalmo propheticus ſermo teſtatur, ad id quod dixerat.

Subijciẽs populum meum ſub me. Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei, aut filius hominis, quod deputas eum? Homo uanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut umbra prętereũt.) Non differenter in octauo quoq; pſalmo proclamat ſpiritus ſanctus: Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam

uiſitas

uiſitas eum? Confeſſio iſta pulcherrima eſt, ut indignum ſe homo tanto munere ipſe teſtetur. Et cum ſe indignum confitetur, gratiam eius, qui ſibi hæc largiatur extollit. Quod enim meritum homini eſt, ut ei ſe cognoſcibilem deus præſtet: ut incognoſcibilis natura cognitioni noſtræ ſeſe ipſa ſubmittat? Aut quæ dignitas eſt filij hominis ut deputetur? Deputatur autẽ quicquid de eo in quo eſt in aliud deſtinatur. Rei naturam uerborum uirtus eloquitur. Homo uanitati ſimilis effectus, & cuius dies tanquam umbra prætereunt, per indultam cognitionem dei deputatur. Vanitas ſeculum eſt, cuius habitus & forma tolletur. Deo enim inane eſt quicquid quãuis extet, tamen non ita ſubſiſtit ut maneat: & umbra quęcunq; etiam ſi ſit, tamen nõ eſt, quia cum ſit abeunte eo, per quem efficiebatur exinanitur. Homo itaq; non umbra, ſed umbrę ſimilis, non uanitas, ſed ſimilis uanitati per interceſſionem mortis effectus. Per indultam uero ſibi cognitionem dei deputatur, & in quid deputetur cognitio indulta teſtatur. Si enim cognitus fieri deus homini, niſi aſſumpto homine nõ potuit, quia incognoſcibilem cognoſcere, niſi per naturam noſtram natura noſtra non potuit, & per hanc cognitionem homo qui deputatur, neceſſe eſt ut inde deputetur, in quo deum ipſe cognouit, ſcilicet, ut conformis deo fiat, quia hæc ſit deputatio cognitionis indultæ. Et quia ex perſona eius hominis, quem dominus aſſumpſit, hæc omnis oratio eſt, ſcit cum quanta ſe dignitate deus legibus mortis abſoluat, & iniquorum manibus per gloriam reſurrectionis abripiat dicens: Domine inclina cœlos tuos & deſcende, tange montes & fumigabunt. Coruſca coruſcationes & diſſipabis eos, emitte ſagittas tuas & conturbabis eos. Emittes manum tuam de alto.) Simile his dictis pſalmo, cuius ſuperius meminimus, continetur: Et inclinauit cœlum & deſcendit, & carbones ſuccẽſi ſunt ab eo, & ignis à facie eius exardeſcit, & aſcẽdit fumus in ira eius. Miſit ſagittas & diſſipauit eos, & fulgura multiplicauit & conturbauit eos. Miſit è ſummo & accepit me, aſſumpſit me de multitudine aquarum. Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis.) In eo autem quod fortiſſimos dixit, poſſumus intelligere quos dixerit: nempe de quibus Apoſtolus ait: Nõ eſt nobis pugna aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus mundi potentes, aduerſus ſpirituales nequitias in cœleſtibus, ſatana ipſo ſe in cor Iudæ, ut dominum traderet inſerente. Sed & in hoc pſalmo hoc contuendũ eſt: Coruſca coruſcationes, & diſſipabis eos, emitte ſagittas tuas & cõturbabis eos. Nõ illos ſuperius, de quibus ita memorarat oſtendit, quod neceſſe eſt ad montes hos referri, qui ad ſolum dei tactum fumabunt. Et ne de terrenis iſtis montibus dictum exiſtimemus, pſalmo alio admonemur, cum dicitur: Vt quid ſuſpicitis montes coagulatos? Et quantum intelligi conceditur, montes interdum etiam diabolicas poteſtates, ut nunc in hoc loco ſignificari arbitramur, qui conſtitutione diuinæ legis tranſgreſſa, tanquam ex lactis ſynceritate uitioſa coagulari corruptione coagulauerint. Et hos eſſe potentiſſimos inimicos ſuos pſalmus anterior locutus eſt. Deſcendit ergo dominus inclinato cœlo ſuo, non corporali motu, ut declinatum deſcendente eo cœlum ſit, ſed per corporalem ſignificationem ſpiritualis ſenſus inſtruitur, ut cum deo ſomnus, uigiliæ, memoria, obliuio, diſceſſus & acceſſus aſſcribitur, quia ſecundum meritorũ noſtrorum differentiam unicuiq; noſtrum, aut dormiens, aut uigilans, aut immemor, aut recordans, aut deſit, aut adſit. Atq; ita inclinatum declinãte eo cœlum eſt, quia cum deſcendente eo ad aſſumendum hominem famulatus cœleſtis aſtiterit: cum Maria euangelizatur, cum paſtores æthereum cœtum & ſonum uident atque audiunt, cum poſt tentationẽ diaboli angeli miniſtrant, cum ipſe totus in forma licet ſerui, tamen in paternæ maieſtatis uirtute ſe geſſit, ſic inclinatur cœlum, cum ad terras cœleſtiũ uirtus honorq; deducitur. In eo autem quod tacti mõtes fumant,

potius quàm uruntur,cum tamen id quod fumat uratur, deinde cum coruſcanti/bus coruſcationibus diſſipantur potius q̃ illuceſcunt: tum quod emiſſis ſagittis conturbantur magis q̃ configuntur, non ſine maxima ratione ſpiritualis intelli/gentiæ,ita dicitur.Et quidē iam & alius pſalmus his paria ſignificat,cum ait: Præ parans montes in uirtute tua accinctus potentia. Aduentu enim domini cōfracta & obtrita diaboli poteſtas eſt,cum fidei ſanctorum hominum ſubiectus eſt. Non quod non adhuc potentiæ ſuæ maximas habeat uires, ſed per id quod utcū q̃ ſub iectus eſt,præſentis ſubiectionis cōditione ultioni & pœnæ legitime pręparatur. Vt nunc per hanc eandem ſubiectionem uirtute dei tactus ſumet, licet nondum totus uratur,ſed per id quod interim fumare potuit,& uri poſſe noſcēdus eſt. Vri tur non ille tantum, ſed & omnes eius. Non uni tantum præparatus hic ignis eſt domino docente:Abite in ignem æternum,quem præparauit pater meus diabo/lo & angelis eius.Hi ergo montes tacti à domino fumabūt. Diſſipabuntur etiam per coruſcatas coruſcationes,lumen ſcilicet eorum,de quibus dictū eſt: Vos eſtis lumen mundi,non ferentes. Domini nanq̃ aduentus,tanquam fulgor ab oriente uſq̃ in occidentem apparens intelligetur. Sed interim coruſcationes multæ ſunt, id eſt, apoſtolicæ prædicationes, & ſplendor doctrinæ dei,quæ condenſam illam & conſpiratam dæmonum uirtutem coruſcationis luce diſperget. Sagittæ enim emiſſæ cōturbabunt eos.Meminit eadem quoq̃ prophetia, & loco alio harum ſa gittarum:Sagittæ,inquit,paruulorum factæ ſunt plagæ eorū.Paruulorū, ut Apo ſtolus ait,malicia non ſenſu.Horum igitur,id eſt,fidelium ad innocentiam renato rum uerba,tanquam ſagittæ emiſſæ illos fumantes montes conturbabunt,cum re gni cœleſtis beatitudo & æternitas prædicetur: cum honor ſeculi cōtemnatur,& Chriſti gloria ſperetur:cum luxus & ebrietas relinquatur,& corpus ieiunijs pur/getur:cum auaritia uincatur,& largitio exerceatur:cum uirgines corpus ſuū ode rint,cum uiduæ fuiſſe uirgines maluiſſent: cum confeſſores uitam ſuam deteſten tur,cum mori martyribus ſit optabile. Et hoc totū ſagittæ iſtæ, id eſt,doctrinæ & orationum uerba præſtiterint,quæ emiſſæ eos, qui his aduerſabātur conturbant: cum ceſſante regno eorum Chriſti regni expectatio prædicatur. Sed ex alto ma/nus domini emittitur.Manum autem dei dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſi/gnificari in ſpiritu non obſcura doctrina eſt. Per eum enim facta ſunt omnia. Et ſcriptum legimus: Manus enim,inquit,mea auxiliabitur ei. Quia per filium dei homo aſſumptus laqueis mortis, & à iudicio iniquæ damnationis per gloriam re ſurrectionis eripitur.Sequitur enim: Eripe me de aquis multis.) Aquas popu los dici uſitata cognitio eſt,ut etiam per Eſaiam dicentem docemur: Propter hoc ecce dominus inducet ſuper uos aquam fluuij ualidam & multā & regem Aſſy/riorum. Quorum uirtus atq̃ uita in abolendū finem exemplo aquæ transfluen/tis elabitur. Vt hic idem propheta ait:Perierunt ſicuti aquæ præterfluentes, quia natura eorū ceſſante incremento maris, in quod ferūtur, eximitur. Et de manu iniqua filiorū alienorum.) Dei enim eſſe deſtiterant, de quibus dictum eſt: Filij alieni inueterauerūt.Et quibus dictū eſt: Vos de diabolo patre eſtis.Sed nō ſolum filij alieni ſunt,dominū ſuum nō recipiendo,ſed etiam id quod ſequitur: Quo/rum os locutū eſt uanitatem.) Vanitas oris & cōfuſionis fuit illa, qua dictū eſt: Nos nō habemus regem,niſi Cęſarem. Regem enim ſeculi,id eſt,uanitatis popu lus in regnū æternū electus elegit. Et dextera eorū dextera iniquitatis.) Iniqua dextera eſt cum palmis cædit,cum uirgis laniat,cū calamo collidit, cum coronam ſpineam coarctat, cum clauo manus ac pedes figit, cum fel aceto admiſcet: cum omnia iniquitatis opera cōſummat.Poſt quæ potenter à domino geſta atq̃ perfe cta,nouo nobis glorioſæ uictoriæ erit cantico cōcinendū. Ait enim: Deus can/

ticum

ticum nouum cantabo tibi, psalterio decachordo psallam tibi.) Et quod hoc nouum canticum sit contuendum est. Plures autem nouũ canticum cantantes psalmi reperiuntur. Nonagesimus enim quintus psalmus, ita cœpit: Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra. Et rursum: Annunciate inter gentes gloriã eius, in omni populo mirabilia eius. Et rursum: Commoueatur à facie eius omnis terra, dicite in nationibus dominus regnabit. Hoc canticũ nouũ, quod omnis terra cantat, quòd iam non intra Iudęæ limbos atq; fines cognitio eius, qui omnia creauit esse celebratur: quòd iam inter gentes gloria dei inuisibilis nunciatur: quòd omnes patriæ gentium laudationem honoris debiti cõfitentur, quòd in nationibus deus regnaturus ostenditur. πατριαὶ

Nouum hoc inter tot errores seculi canticum est, & errantibus antea gentibus inopinatus hic hymnus, per quem deus inuisibilis, incorporeus, æternus, & iusti iudicij iudex, & beatæ hæreditatis rex esse cantatur. Est & nonagesimus septimus psalmus canticum nouum cantans: Cantate domino canticum nouum, quia mirabilia fecit dominus. Sed nescio an idcirco sit canticum cantandum, quia mirabilia deus fecerit. Olim cœlum pulcherrimum atq; immobile manet. Olim in eo astra indefessis officiorum suorum cursibus perseuerãt. Olim tempora alterno & indemutabili recursu temperãtur. Olim terra annuis fructibus diues est. Olim homo maxime mirabile opus dei nascitur. Et si nihil postea deus mirabile quum hæc creauit adiecit, quæro quod nouũ canticum ob mirabilia facta cantandum sit. Et nõ diu nos psalmus patitur errare. Ob quæ enim mirabilia nouum canticum cantaret ostendit dicens: Liberauit eum dextera eius, & brachium sanctum eius. Notum fecit dominus salutare suum ante conspectum gentium.) Hoc nouum canticum est, hoc mirabile dei est, quod liberauit eum dextera eius, quod sibi ipsi salutem uirtus sua tribuit. Potestatem, inquit, habeo animam meam ponendi, & potestatem habeo animã meam resumendi. Nam externo eguit unigenitus dei filius ad saluandum hominem, in quo nasci uoluit, auxilio, & in gloria paternę maiestatis manẽs sua in se usus est potestate, per quam resurrectionis gloriam salutare suum notum gentibus fecit, cum in eo naturæ suæ carnem in æternæ salutis substantiam transformatã esse cognoscunt. Cantat & centesimus quadragesimusnonus psalmus canticum nouum. Et cur sit hoc canticum nouum mox propheta subiecit, dicens: Exaltabit mansuetos in salutem. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Et exultationes dei in gutture eorum, & gladij bis acuti in manibus eorum. Ad faciẽdam uindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in manicis & compedibus, & nobiles eorum in uinculis ferreis. Vt faciant in his iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius. Hoc canticum nouum est dei sanctos iudicij æterni sumere potestatem. Sancti enim secundum Apostolum mundum iudicabũt. Hoc igitur nouum cantatur à nobis, ultio in nationes, arguitio in populos, manicæ & compedes regum & nobilium uincula ferrea, & conscripti in eos iudicij sententia. Quod etiã in huius psalmi nouo cantico simile cantatur: Deus cantionem nouam cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi. Qui das salutem regibus. In decachordo igitur psalterio, id est, uel quod decẽ chordarum illud psalterium sit, uel quod decem uerborũ organo atq; gestis cantio noua ista cantatur: uel quod homo ipse decem quibusdam chordis manibus ac pedibus extentus, perfectus spiritualium operum suorum gestu motuq; sic psallat, ut cantionem nouam hanc cantet. Qui das salutem regibus.) Regibus quibus dictum est: Venite benedicti patris mei, possidete præparatum uobis regnum à constitutione mundi. Qui nobiles ligabunt, qui reges manicis & compedibus cõstringẽt, qui iudicabunt, arguent, uindicabunt. Et quomodo salus regibus detur ostendit.

Qui,inquit,liberas Dauid ſeruũ tuum.) Eum nempe Dauid,de quo hic idem liber ex perſona dei patris alio pſalmo prophetat: Poſui adiutorium ſuper potentem,& exaltaui electum de plebe mea. Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei. Ipſe inuocabit,pater meus es tu deus meus,& ſuſceptor ſalutis meæ. Et ego primogenitũ ponam eum excelſum ſuper omnes reges terræ. Et ſedes eius ſicut ſol in cõſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum,& teſtis in cœlo fidelis. Et rurſum in pſalmo eodem ex perſona eius ad patrẽ: Sicut iuraſti Dauid in ueritate tua, memor eſto domine opprobrij ſerui tui,quod continui in ſinu meo multarum gentium. Quod exprobrauerunt inimici tui domine,quod exprobrauerunt cõmutationem Chriſti tui. Opprobria multarum gentium in ſinum ſuum Dauid hic unus excepit. Ipſe enim peccata noſtra ſuſcepit,et infirmitates noſtras portauit,liuore eius nos ſanati ſumus. Ita dum hic Dauid liberatur, & legi mortis eximitur, ſalus quoque regibus datur. Ipſe eſt enim primogenitus ex mortuis. Et ut in Adam omnes morimur, ita & in Chriſto omnes reſurgemus. Liberatio ergo eius ſalus regum eſt. Regnabunt enim conformes gloriæ ſuæ per aſſumptam ab eo naturæ noſtrę conditionem, rurſum omnes in naturę eius communione manſuri. Eripitur ergo hic Dauid de gladio maligno rum. Spiritum enim Ieſus poſuit cum uoluit, nec expectauit, ut animam impreſſum uulnus emitteret. Ius animę eius manus irreligioſa non habuit. Ait enim: De gladio maligno erue me. Quanquã enim exanimi iam corporis latus miles tranſfoderit uſus miniſterio ſæuitiæ,cæterum poteſtas ſpiritus emittendi,cauſam uiolandæ in ſe animæ non reliquit. Conſummat deinde cantionem nouam nouę confeſſionis hymno,terrena iudicia & ſecularium bonorũ gaudia falſa condemnans, cum ait: Quorum os locutum eſt uanitatem,& dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filij ſicut nouella plantatio ſtabilita in iuuentute ſua. Filiæ eorum compoſitæ circum ornatæ quomodo ſimilitudo templi. Et promptuaria eorũ plena eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ. Non eſt ruina macerię, non tranſitus, neq; clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populũ cui hæc ſunt,beatus populus cuius dominus deus eius.) Et hæc ſunt,quantum arbitror,huius ſeculi bona cõmuni uniuerſorum beata iudicio,res ſeculi loqui atq; agere,rapere aut emere honores,ſub precio falſo diteſcere,gloriari in adultæ ætatis liberis, quorum effloreſcentes anni nouellæ exultationis firmitatẽ cõfidant,optare ſpecioſi corporis filias, atq; eas in modum templi damno inutili pecuniæ ingẽtis ornare, multiplicatis horrea fructibus rumpere,quę congeſtas opes in promptuaria alia anguſtis his quæ in ſe cõduntur eructuent,geminatis quoque oues fœtibus uelle,quas egreſſas nullus feræ occurſus imminuat,delectari boum ſuorum ſagina,circumſepta etiam domorũ firma præbere,ne tranſeundi per ea cuiquam ſit poteſtas,non flere,non lugere, nõ gemere, ſed proſpero felicitatis ſuæ curſu nulla aduerſæ calamitatis moleſtia impediri. Beatum hunc populum cui hæc eſſent dixerunt, ſed propheta ſcit falſam eſſe huius beatitudinis opinionem. Quid enim hæc tot & tanta ſeculi bona ad uitam, quæ morte intercipienda eſſet adquirerent? Et ideo qui populus beatus eſſet oſtendit dicens: Beatus populus cuius dominus deus eius. Deus ille dominus,qui cum ſuperiora hæc terrena præſtiterit,æternitatem tamen illis qui his recte utuntur impertiet,qui cohæredes nos filij ſui in ipſo ante cõſtitutionem ſeculi elegit, qui erit deus omnia in omnibus,ipſi gloria,laus,honor, uirtus, imperium patri in filio,filio in patre & in ſpiritu ſancto,& nunc & ſemper & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Pſalmus

Psalmus CXLIIII. Laudatio ipsi Dauid.

EXaltabo te deus meus rex meus,& benedicam nomen tuum in seculum & in seculum seculi,& reliqua.) Absolutus est psalmus dei tantum laudibus occupatus. Sed & titulus ipse solam contineri in psalmo prædicationem dei edocet. Adiecto autem secundum Græcitatis consuetudinem nunc quoque ut in cæteris alijs pronomine ostendit illum Dauid isto laudante laudari. Et quis hic sit quem psalmus hic laudet clamant omnium temporum omnes prophetiæ, ut hic ipse propheta sæpe de eo ita contestatus est: Sedes tua deus in seculum seculi, uirga æquitatis, uirga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te deus deus tuus. Et rursum: Et adorabũt eum omnes reges,& omnes gentes seruient ei. Erit nomen eius benedictum in secula, ante solem permanet nomen eius. Et benedicentur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabũt eum. Huius igitur laus cantatur hoc psalmo, ex cuius persona dictum meminimus, Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Posce à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionem tuã terminos terræ. Reges eos in uirga ferrea. Cuius regni perennitatem Daniel ita contestatus est dicens: Et in diebus regum illorum excitabit deus cœli regnum aliud quod nũquam corrumpetur usq; in secula, regnumq; alteri populo non relinquetur, cõminuet & uentilabit omnia regna,& hoc regnum in æternum. Et rursum: Et ecce cum nubibus cœli, sicut filius hominis ueniens,& usq; ad uetustum dierum peruenit, & oblatus est ei & datus est ei principatus & honor & regnum, & omnes populi tribus & linguæ seruiẽt ei,& potestas eius potestas perpetua, quæ nunquam transibit,& regnum eius nõ corrumpetur. Hic igitur rex laudatur per ista quæ psalmo cõtinentur: Exaltabo te deus meus & rex meus,& per illud, Sancti tui confitebuntur tibi, gloriam regni tui dicent,& potentiam tuam loquentur. Notam faciant filijs hominum potentiam tuam & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnum omnium seculorum,& dominatio tua in omni generatione & progenie.) Et quanquam hic ob æterni regni gloriam, quia sanctis cõregnantibus ipse regnabit, laus deo prophetæ cõfessione canetur, tamen ita laudationis ipsius ratio & ordo dispositus est, ut ea quæ de eo dicta sunt ex sensu communis intelligentiæ prædicẽtur, ut in quantum humani sermonis cõsuetudo permittit, de immensa illa & incomprehensibili dei natura licet non ad perfectam cognitionis ueritatẽ, tamen ad admirationem nos ingentis illius eius uirtutis instituat. Possumus enim eum maxime quantum in nobis est admirari, cognosci autem à nobis, quantus ipse est non potest. Verum cum nomen in psalmo simplex dei & absoluta laudatio est, meminisse debemus patrẽ in filio & filiũ in patre laudari. Et cum ex substantiæ similitudine ac proprietate naturæ alter in altero sit,& ambo unũ sint,& qui uidet patrum, uideat & filiũ, nõ differre quis ex duobus laudari existimetur, cum utrũq; sibi inuicem & uirtutis atq; operum similitudo,& indifferẽtis naturæ ex patre deo genita,& in filio dei nata diuinitas unũ eos esse testetur. Cœptus ergo ita psalmus est: Exaltabo te deus meus,& rex meus,& benedicam nomen tuũ in seculũ & in seculũ seculi. Per singulos dies benedicam te,& laudabo nomen tuũ in seculũ & in seculũ seculi.) Ratio & uirtus propheticę magniloquentię per intentã audiendi diligentiam noscenda est. Ait enim: Exaltabo te deus meus & rex meus. Multi deũ per ea quę in operibus mundi ab eo instituti cognitioni nostræ sunt subiecta magnificant, sed pauci sunt, qui regẽ sibi futurũ uelint credere, dum aut curã negant humanorũ operum

deo eſſe, aut ad conſolandam eorum qui impie egerunt cõſcientiam, præſumpta animæ & corporis abolitione, nolunt diuinum in bonos & malos cõſtitutum eſſe iudicium. Sed propheta hinc prædicandi dei ſumit exordiũ, quod ſibi rex ſit. Sed & nũc quidem nomen eius, qui ſibi rex atq; deus ſit, ob expectationẽ regni benedicit, cum ait: Benedicam nomen tuũ in ſeculum. Sed quia ſcit ſe gratiam deo atq; regi ſuo, etiam tum cum in regno eius maneat debere, quia demutata caduci corporis ſui infirmitate, depulſoq; inimicæ mortis imperio, regi ſuo conformis & cõæternus adſiſtat, adiecit: & in ſeculum ſeculi, id eſt, in illo ſeculo, quo habitu ſeculi huius exempto, iam in ſeculum ſeculi æternitatis ſucceſſione renouabitur. Et in hoc quidem ſeculo quiſq; benedicens deum poteſt non ſemper in benedictionis officio permanere, dum aut luctu impeditur, aut metu occupatur, aut ægritudine anxius detinetur, & aut repoſcẽte animo, aut ingrato in benedictionibus dei mutus eſt, ſed perfectio prophetalis fidei ab iſtiuſmodi infirmitatũ demutationibus libera eſt dicens: Per ſingulos dies benedicam te. Nullum uacuum habet tempus, & dies ei nulla eſt ocioſa, quin ſemper in benedictionũ confeſſione uerſetur. Accidit autem frequenter, ut de quibus bene loqui poſſumus, laudare eos non poſſimus. Abſtinere à malo, benedictione dignum eſt. Sed ſolum malum non admittere non habet laudem, niſi mali abſtinentiam etiam gloria boni operis cõſequatur. Et beneficium quidem in nos benedicere poſſumus, quia natura exigit, nõ obtrectare nos illis, quorum beneuolentia cõfouemur. Sed ſi & alijs uitijs aſperſi ſunt, noſtro quidem commodo benedicuntur, ſed ueri iudicio nõ prædicantur. Perfectio autem dei nihil in ſe eſſe patitur pro parte. Nam ut benedictus ita & laudabilis eſt, habens & ex his, quibus beneficentia in nos utimur benedictionis noſtræ confeſſionem, & ex perfectarum in ſe uirtutum admiratione præconiũ. Ob quod benedicturus per dies ſingulos propheta etiã id adiecit: Et laudabo nomen tuum in ſeculum & in ſeculũ ſeculi. Cum benedictũ laudat, & laudat in ſeculum ſeculi, in nullo prophetę officium infirmũ eſt, nec benedictione, nec laude, nec tempore. Dehinc ſequitur: Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.) Hęc dei prima & præcipua laudatio eſt, quod nihil in ſe mediocre, nihil circumſcriptum, nihil emenſum, & magnitudinis ſuæ habeat & laudis. Virtus eius opinione non claudítur, locis non cõtinetur, nominibus non enunciatur, temporibus nõ ſubdítur, arctus ad id ſenſus noſter eſt, ingenium hebes eſt, ſermo mutus eſt. Finem magnificentia ipſius neſcit, & aliquã emetiendi ſe opinionem immenſa magnitudo non patitur. Extenta ubiq;, extenta ſemper eſt, hanc habens infinitatis ſuæ laudem, cęterum omnem intelligentiam infinitæ huius in ſe qualitatis excedens. Et quia hæc uel immenſæ magnitudinis cognitio uel laudatio operum dei, non omnium gentium eſt, quibus à conſtitutione mundi uita & ſenſus fuiſſet futuraq; eſſet, conſequenter ſubiecit: Generatio & generatio laudabit opera tua) Non utiq; generationes & generationes, quæ & temporibus & gentibus multæ atq; diuerſæ ſunt, ſed generatio quæ ab Abraham cœpit, quæq; per ſignũ circunciſionis deputatur in legem, & generatio quæ renouatur in Chriſto, quæ ex doctrinis propheticis ad fidem euangelicæ iuſtificationis inſtruitur. Harum igitur generationũ proprium eſt dei opera laudare. Laudari autẽ opera dei non alia ratio ammonet, q̃ quod omnia ab eo potenter effecta ſunt, qui præconium habeat non aliquid egiſſe, ſed potenter egiſſe. Et ideo ſubiecit: Et potentiam tuam pronunciabunt.) Sed potentia operum ea demum prædicãda eſt, quæ magnificentiam exequatur operantis, ut potentis magnificentiæ potens intelligatur operatio. Ob quod conſequitur: & magnificentiam maieſtatis tuæ. Sed magnificentia ſi quod in ſe eſt tantum ſibi habeat, habet admirationem non habet

laudem

laudem. Et ocioſa aliſs eſt potentis operatio, niſi per operantis ſanctitatem uſum aliquem ex ſe illis qui laudabunt & admirabũtur impertiet. Ex quo competenter hoc ſequitur: Et ſanctitatem tuã loquentur.) Et ſanctitas quidẽ iam bona eſt, neq; tantum ſibi proficit, neq; hoc quod ex ſe eſt, intra uſum cõmodi proprij conſumit. Nam etiam ad prouocandum in ſe aliorum beneficentiam ſanctitatis officijs ſeſe ipſa commendat. Sed nihil de ſe dignum admiratione præſtabit, ſi ſibi ſola ſit. At uero hoc proprium eſt & mirabile ſanctitatis, cum hoc quod in ſe eſt in uſum aliorum, quibus eſt ſancta, concedat, ipſa aliquo non egens, niſi fortè per beneuolentiam eo tantum ut ſe alius utatur. Ad id ergo quod dictum eſt: Et ſanctitatem tuam loquentur, merito ſubiecit: Et mirabilia tua narrabunt.) Et mirabile quidem eſt ſanctitatem nihil ſibi proficientem in uſum alienæ beatitudinis exuberare, ſed mirabilius eſt ſanctitatem plenam eſſe erroris, niſi non indiſcretam ſe utentibus aut abundantibus præſtet, dum bonis ac malis promiſcua, & tanquam ex naturæ neceſſitate ſe prębens, admirationem non habeat ſanctitatis. Et idcirco mox ſubdidit: Et uirtutem terribilium tuorũ dicent.) Vt ſanctitatem loquentes, & mirabilia narrantes, dicant quoq; terribilium uirtutem, media admiratione inter ſanctitatem atq; terrorem, dum & terror ſuauis, & terribilis ſuauitas, admirabilem facit & terrorẽ ſuauem & terribilem ſuauitatẽ. Ob quod ingentem hanc admirandæ temperationis magnitudinem propheta intelligens ſubiecit: Et magnitudinem tuam narrabunt.) Magnitudinis enim infinitæ eſt in deo quod terribile eſt ſuaue eſſe, & quod ſuaue eſt eſſe terribile. Magnitudo autem non habet modũ, ne ſi moderata ſit, iam magnitudo nõ ſit per id quod modo nõ caret. Vt ergo propriæ admiratio ſanctitatis atq; terroris in magnitudinis ſuæ infinitate conſiſtat, menſura eſt, & ſemper abundans, nec tempore definita nec copia. Et idcirco cõnexuit: Memoriã abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt.) Quia nec memoria obliuione intercipitur, nec abundantia per inopiam detrahitur. Tenuit autem ordinem propheta rationis, ut memoriam & abundantiam ſuauitatis conditione & moderatæ & conſeruatæ magnitudinis temperaret dicens: Et iuſtitiam tuam exultabunt.) Infinita quidem eſt memoria & abundantia ſuauitatis, quia nequaquam deus aut obliuiſcitur, aut ſuauis eſſe deſinit, ſed infinitatem memoriæ atq; abundantiæ iuſtitia interiecta moderatur. Moderatur autem non prębendi modo, ſed utendi, dum quod per abundantiam & memoriam dei ſemper æquus omnibus patet, id ab iniquis utendi indignitate non capitur. Sanctitas dei iter populo ſuo diuiſo mari præbuit, ſed eadem ſanctitas & terribilis fuit uirtus, cum ingreſſis in ipſum iter impijs, ubi fuerat ſalus religioſorum, ibi pœna conſtitit impiorum. Circunſtant alios firmitate muri ſolidatæ undæ, alios refuſæ ipſæ illæ, quæ conſtiterant, abſorbent. Ad iſtos pelagus naturam ſuam neſcit, hos per naturam ſuam punit. Ad iſtos ex mari terra eſt, iſtis quod erat mare eſt. Horum ſalus ſanctitas eſt, horum mors terror eſt. At cum tribus pueris in camino cantantibus circumſtantes flammis, quas illi non ſentiunt, aduruntur, illis in roris humore ignis temperatur, hos exæſtuans ignis amburit. Ipſę intus extraq; flammæ ſunt, quarum pro diuerſitate meritorũ, & defecit à ſe natura, nec deficit. Nam quod eſt manet erga eos ignis eſſe quos urit, & quod neceſſe eſt in his eſſe, quibus ros eſt. Atq; ita magnitudinẽ memoriæ & ſanctitatis dei iuſtitia ſola moderat̃, cum per iuſtitiã dei ad iniquos atq; iuſtos, & terrorẽ ſanctitas, & terror temperet ſanctitatem. Et iuſtitia quidẽ recta atq; utilis eſt, ſed tamen eadẽ ipſa aliquando prædura eſt, ita ut ſibi uti bonitate nõ liceat, dum pro diuerſitate iudicij decernendo quod iuſtũ eſt, fit ſeuera. Sed dei iuſtitia iuſtitiæ nõ coæquatur humanæ. Neq; enim naturæ legi ſubdita eſt, per quã eſt lex ſtatuta naturæ, ut neceſſitatẽ nõ habeat bona

non

non eſſe cum iuſta ſit. Habet dei iuſtitia miſerandi uoluntatẽ, neq; tamen per miſerandi uoluntatem ita à ſe erit demutata ne iuſtitia ſit. Humana autem iuſtitia ſolet in id deuenire ne miſericors ſit, & miſericordia ita ſe præſtare ne iuſta ſit. Miſericordia enim non erit, ſi miſerabiliter inopi calumnianti ius opulentioris inuideas, ſi fœminæ lachrymis uiri præferas contumelias, ſi cæci conuitia non putes arguenda. At uero econtrario miſericordiã iuſtitia non tenebit, ſi furem unius nummi, ut furem ingẽtis theſauri plectas, cum tamen in uno nummo theſaurũ habuerit qui amiſit: ut adoleſcentem in uno tantũ & eodem infami adulterio irretitum, pari in morte ut plurium adulteriorum artificem pœna, non quæſtione uexabis, cum tamen crimen ſit mortis in utroq;. Hæc itaq; iſtiuſmodi imperfectam faciũt & miſericordiam & iuſtitiam humanam, dei autem iuſtitiam miſericordem præſtat criminoſorum pœnis indulta patientia. Qui cum contra morem humanæ impatientiæ non feſtinat punire, miſeratus eſt tenens iuſtitiam in pœna, poſt miſericordiam non proficiente patientia, habens miſericordiam in pœna, poſt patientiam exercendo iuſtitiam. Non enim deus rapit humanorũ criminum occaſiones, neq; tanq; infirmitatis noſtræ naturæq; neſcius ipſum illud ad pœnam erroris & peccati noſtri tempus inuadit, ſed diſſimulat & differt, & patientiæ ſolatium dilatione ultionis expectat, ſuauem ſe omnibus præſtans, dum per miſericordię & iuſtitiæ modum temperandæ ſeueritatis indulgentiæ ſe reſeruat. Hoc in deo præcipuum, hoc in potente laudandum, non cœlum feciſſe, quia potens eſt, non terram fundaſſe, quia uirtus eſt, non annum aſtris temperaſſe, quia ſapiens eſt, non hominem animaſſe, quia uita eſt, non mare in acceſſus ac deceſſus mouiſſe, quia ſpiritus eſt, ſed miſericordem eſſe, qui iuſtus eſt, ſed miſerantẽ eſſe, qui rex eſt, ſed diſſimulantem eſſe, qui deus eſt. Ad id enim quod dictum eſt: Iuſtitiam tuam exultabunt, tanq; neceſſarium ſequitur: Miſerator & miſericors dominus, patiens & multę miſericordię. Suauis dominus uniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.) Quod enim potens eſt naturæ ſuæ uirtus eſt, quod autẽ miſericors eſt, ſalutis noſtræ profectus eſt. Et plus eſt nõ ſuis uti, ſed alijs præſtitiſſe quæ ſua ſunt. Atq; ideo prę̃ſtat cęteris dei operibus miſericordia, quia magnifica eius operatio uirtutis ſuę res eſt, miſericordia uero eius uſus alienus eſt. Ob quod tanq; in apice ipſo diuinarũ ob miſericordiam laudũ propheta cõſiſtens debitũ deo honorem ueluti publicæ cõfeſſionis oſtendit dicens: Confiteãtur tibi domine omnia opera tua, & ſancti tui cõfiteantur tibi. Gloriã regni tui dicent, & potentiã tuam loquentur. Vt notã faciant filijs hominũ potentiã tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnũ tuum omnium ſeculorũ, & dominatio tua in omni generatione & progenie.) Dignus propheticæ magniloquẽtiæ ordo, ut dictũ eſt: Opera deum cõfitentur, q̃ magnificus enim ſit operũ & creaturę magnificentia cõfitentur. Sed cõfitentur & ſancti, quibus rex eſſe dignatur. Gloriã regni eloquũtur, ne ignorata non deſideretur uſuris. Magnificentiã quoq; gloriæ regni dei nunciant, ne deſperetur æterna. Dominatus etiã in generationem & generationẽ oſtenditur, ut ſe dominatui ſubijciant coæterno. Atq; ita cognitio dei in operibus eſt, ſanctorum officiũ in doctrina eſt, prophetiæ uſus in prædicatione eſt, regni gloria in æternitate dominatus eſt. Dominatus æternitas eos neceſſe eſt habeat, in quos agatur æternus. Atq; ad id ſpebus fidelibus expetendũ, adhortatio prophetæ continuo ſubiecta eſt: Fidelis dñs in uerbis ſuis, & ſanctus in operibus ſuis.) Verborum fides fortè nutaret, niſi ſanctitas operibus eſſet admixta. Atq; ita ſanctitas in operibus fidẽ cõfirmat in uerbis, ut de ſancti fide in p̃miſſis nõ ambigas, cuius ſanctitate utaris in rebus. Si enim ſanctũ eſſe deũ intelligimus per id quod naſcimur, uiuimus, alimur, & copijs omnibus humanæ naturæ congruis abundamus,

ſanctitas

ſanctitas ita eſſe non poteſt infidelis in dictis. Scit propheta eſſe & aliud ſanctitatis dei opus in eo quod ſequitur:) Suffulcit dominus omnes qui ruunt & erigit omnes eliſos.) Adeſt omnibus dei ſanctitas, & humanis auxilijs non ſubtrahit. Sed ſeruat etiam nunc iuſtitiæ & miſericordiæ prophetationē. Suffulcit enim dominus non collapſos, ſed cadentes. Quos & ſi trahat pronus naturæ lapſus in caſum, pœnitentia tamen quæ autor eſt deſinendi, ne penitus iam ceciderit, ſi ſtet in lapſu, ſuffulcit. Ruere enim nō ruiſſe, poteſt in id confirmatum eſſe ne ruerit. Sed & eriguntur alliſi. Differt autem ui exteriore collidi, & ruiſſe ſuo caſu. Allidítur nanq; ille, quem per diaboli inſtinctum calens ætas præcipitauit in caſum, quem ignoratio compulit in errorem, quem fraudulentis uſa blandicijs naturæ infirmitas egit in crimen. Hic potius eliditur q̄ ille qui uoluntate permanſerit, quem*uitioſus oblectet, quem nō pœniteat admiſſi: habet enim ueniam & apud deum ſolatium pœnituiſſe de geſtis. Nec temperamento ſeueritatis indignū eſt, quod per admiſſi dolorem affectum profitetur inuiti. Et cur cadētes ſuffulciat & alliſos corrigat conſequentibus docet dicens: Oculi omnium in te ſperant domine, & tu das eſcam illorum in tempore oportuno. Aperies tu manum tuam, & imples omnem animam benedictione.) Totis itaq; in deum alliſi & cadentes oculis aſpectant, neq; quiſquā ita de ſe confidat, ut nō ſemper cadere, ſemper ſe uereatur allidi. Ab illo ſperādum, ne caſu periclitemur, ne allidamur infirmitate naturæ. Omnia autem nobis uitæ ſubſidia ex ipſo ſunt, cum opportunitate fructuum indultis cibis uiuimus, cum manum aperiendo animas noſtras donis ſpiritualibus replet, & cum ex uirtutis ſuæ fonte copia in nos eorum quæ ſibi beneplacita ſunt exuberet. Quod utrunq; in his quæ conſequūtur diſcernit ita: Iuſtus dominus in omnibus uijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.) Iuſtus in uijs eſt, cum infirmitatem noſtram in æternum regnum ſuum confirmata donorum ſpiritualium communione deducit. Sanctus autem in operibus ſuis, cum uniuerſis fructus in temporum oportunitate ſuppeditat. Sanctitatem ſuam in omnium alimonia docens, iuſtitiam uero in replendis beneplacito animis conſeruans. Poſt hæc ſequitur: Propè eſt dominus inuocantibus eum.) Non longe abeſt, qui per naturæ ſuæ uirtutē, & ipſe ubiq; ſemper eſt, & totus ſemper ubiq; eſt, ſecundū illud Apoſtoli: Quia in ipſo ſumus, & in ipſo uiuimus ac mouemur. Propè eſt ergo inuocantibus, cum nihil ſit quod ſine eo ſit. Sed quibus inuocantibus propè ſit ex ſubiectis docet: Omnibus inuocantibus eum in ueritate.) Non ex ocio inuocantibus, neq; ex infidelis ambiguitatis incerto, ſed uerum deum fideli inuocantibus ueritate. Et cum propè adſit, quid inuocantibus ſe in ueritate tribuat, demonſtrat dicens: Voluntatem timentium ſe faciet. Non turbidorum uoluntatē, neq; uitioſorum cupiditates deus faciet, ſed timentium ſe. Per metum innocētes, per fidem honeſtas, per reuerentiā uerecundas & uoluntates non ocioſas, neq; mutas, neq; ſperare aliquid à ſe quodā cōtemptu ſilentij dedignantes, ſed quas eloquatur oratio, quas preces conteſtentur. Et ideo ſubiecit: Et orationē eorum exaudiet. Voluntas ergo ea à deo fit, quæ uoce orationis audit. Sed quæ uoluntas fiet orantiū? Et ſaluos, inquit, faciet eos. hoc uolunt timentes deum, hoc ut audiantur orant, ut non dominetur eorū æterna mors, non in interitum perpetui iudicij deputentur, ſed ſub cuſtodia dei tuti ſint. Sequitur enim. Cuſtodit dominus diligentes ipſum.) Saluos ergo faciet eos cuſtodiendo, id eſt, æterni regni particípes reſeruando, ſed eos qui & timebunt & precabuntur & diligent. Dehinc ſequitur: Et omnes peccatores diſperdet.) Qui nec ut homines timuerint, nec ut ſubditi orauerint, nec ut donati uita mundoq; dilexerint. Concluſit autē propheta honoris debiti confeſſionē dicens: Laudationē domini loquetur os meū.) Laudaſſe non

Forte uitij uſus

ſufficit

ſufficit,niſi & laudare non deſinat.Laudabit enim adhuc,cum iam tamen laudet. Sed cum ille laudet,omne quoq; ad benedictionem dei humanum genus adhortatur: Et benedicat omnis caro nomen ſanctū eius.) Per officij ſui & fidei conſtantiam ſemper quidem ille laudabilis: Sed propheta hæc curat,ut omnes deum benedicant,& optat.Non enim ait benedicēt,tanquam certus ſit id futurum, ſed ex uoti affectu ait,benedicant,ut illud potius intelligeretur optare quàm confidere ſic futurū. Deinde benedictionem nō temporariam eſſe poſtulat,ſed æternam in ſeculum & in ſeculum ſeculi. Nobis potius optandum,ut in æternum benedicamus æternum, quia in æternum benedicens æterno ille neceſſe eſt maneat coæternus, domino ſcilicet noſtro unigenito & primogenito dei filio Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum.Amen.

Pſalmus CXLV. Pſalmus Dauid Alleluia Aggæi & Zachariæ.

LAuda anima mea dominū,laudabo deum in uita mea, pſallam deo meo quàm diu ero, & reliqua.) Etiam huic pſalmo addere aliquid translatoribus uiſum eſt.Nam cum Hebræis ſolæ alleluiæ ſit prælata confeſſio, illis placuit Aggæum & Zachariam in titulo anteferre.Hoc eo,ut pſalmum eſſe propheticum noſceremus,quia per hos prophetas,ſub quibus ædificata rurſum Hieruſalē eſt,ipſo illo tum tempore æternæ Hieruſalem ædificatio prædicatur, etiam euangelio teſtante, cum ingreſſuro templum domino,& nummulariorū menſas, & ementium ac uendentium negocia ſubuerſuro,ita ſcriptum eſt: Hoc autem factū eſt, ut impleretur quod dictum eſt per Zachariam prophetam dicentem:Dicite filiæ Sion,ecce rex tuus uenit tibi manſuetus,ſedens ſuper aſinam & pullum nouellū ſubiugalem. Et ut arbitror huius Hieruſalem potius & Sion regem pſalmus oſtēdit, qui ita cœpit: Lauda anima mea dominum, laudabo dominū in uita mea, pſallam deo meo quàm diu ero.) Scienter & de prophetæ doctrina dictorum ordinem tenuit.Primum enim eam hortatur ad laudem, quæ in hanc eſt conſtituta naturam, ut maneat æterna, tum deinde quia per donum reſurrectionis glorificato corpore totum ſe ei meminerit coæternum,tanq; de futuro confidens ait: Laudabo dominum in uita mea. Non enim ea uita quæ nunc eſt per infirmitates corporis ſua eſt.Ab Adam nanq; ita cœpit,non cum Adam inchoata eſt.Quam non uitam, ſed mortem eſſe Apoſtolus nouit dicens:Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. In hac ergo uita ſua deum,qualis primum in homine eſt cōſtituta laudabit. Tum tertio ne in hoc eodem nūc corpore irreligioſus exiſtimaretur, adiecit: Pſallam deo meo quàm diu ero.) In omni autem hoc pſalmorum libro in pſallere religioſas operationes corporis ſignificari meminimus apta & conſona corporei motus uarietate placituri.Poſtq; ſtultas hominum opiniones, & inanes in regum nominibus religiones, quos ſibi deos antiquitas confinxit, redarguit dicens: Nolite confidere in principibus,in filijs hominum,in quibus nō eſt ſalus. Exibit ſpiritus eorum,& reuertentur in terram ſuam,in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.) Cōfidere uetuit in regibus.Et quibus regibus: Subiecit, & in filijs,inquit, hominum.Et quibus filijs hominū: quibus non eſt ſalus.Et cur ſalus non ſit oſtendit:Exibit ſpiritus eorum,& reuertētur in terram. Et reuerſuris in terrā quid erit: In illa die peribūt cogitationes eorū. Corruptæ ipſi ſcilicet originis, quia eſſe filij hominū perſtiterūt, nec filij dei eſſe uoluerūt.Nullius quoq; ſalutis, quia exeunte ſpiritu,& in terram corporibus diſſolutis,cogitationes eorū corporeæ atq; terrenæ cum terreno corpore interibunt. Sed ut ita in iſtiuſmodi reges fiduciā non conferas, in quem ſperandum eſſet oſtendit: Beatus cuius deus Iacob adiutor

eius

eius,ſpes eius in domino deo ipſius qui fecit cœlum & terrã, mare & omnia quæ in eis ſunt. Qui cuſtodit ueritatem in ſeculum,facit iudiciũ his qui patiuntur iniuriam.) Non eſt caduca cogitatio in regẽ iſtiuſmodi ſperare,& ſpes illa nõ interit quæ in creatorem cœli & terræ & maris & omnis uniuerſitatis huius extenditur. Hic ſperandus adiutor eſt,in quo dolus nõ eſt. Nam cum ſecundũ prophetiã omnis homo mendax ſit,ueritatẽ in ſeculo ſolus ille cuſtodit,& cuſtodiens ueritatem iudicium facit ob eos qui patiuntur iniuriã. Beatus ille eſt quem adiuuando ex lacob faciet Iſraël. Spes eius æterna eſt, qui in creatore cœli & terræ marisq; cõfidit. Creator autem horum omniũ hic & uerus & iudex eſt, & ueritatem cuſtodiendo & faciendo iudiciũ. Neq; ſolum iudicium facit ſed etiam id quod ſequitur: Dat eſcam eſurientibus.) dominus ſoluit cõpeditos,dominus ſapientificat cæcos,dominus erigit eliſos,dominus diligitiuſtos. Dominus cuſtodit proſelytũ,pupillum & uiduã ſuſcipiet,& uiam peccatorũ exterminabit.) Hęc quidem & corporaliter intelligere nõ ocioſum eſt. Sed altius neſcio quid & maius ſermo cõplectitur: Dat, inquit, eſcã eſurientibus. Videamus quã eſcam,& quibus eſurientibus. Et hę equidem eſcæ corporales nõ tamen ſemper præbentur à deo cum eſuritur à nobis. Annuum nanq; hoc earum munus eſt, & ideo intra tẽpus præbentur ut intra tempus ne quis eſuriat. Eſt igitur alia eſuritio,& ſunt aliter eſurientes,quibus eſurientibus eſca præbetur. Scriptũ nanq; eſt in Amos propheta: Ecce induco famem ſuper terram,non famem panis,neq; ſitim aquæ,ſed famem ut audiatur uerbum dei. Hanc igitur eſcam prędicationis eſurientibus dominus impertit, quæ cũ in cibum fuerit aſſumpta,uincula diaboli reſoluuntur. Ligauit enim ſecundum euangelia decem & octo annis Abrahæ filiam. Compedes quoq; auaríciæ,libidinis,ebrietatis cibus talis abſoluit,& abſolutis compedibus cæcis ſapientiã præſtat. Si de corporalibus donis propheta loqueretur,cõmemoraſſet potius cæcis lumen indultum. Sed quia per cibum uerbi eſuritione depulſa,ſoluebantur cõpedes ſeculi, etiã cæcitas ſeculi ſapientiæ impertione depellitur. Alimur enim poſt ingentẽ famem diuinæ cognitionis ſpiritualibus cibis,& compedibus quibus currere ad æterna nõ ſinimur abſolutis,diſcuſſa per indultam ſapientiam cæcitate creatorem noſtrum oculis intelligentię contuemur. Deſinit ergo fames longa,compedes graues,cæcitas ſtulta,& id quod ſequitur ſuccedit: Alliſi eriguntur,iuſti diliguntur,aduenæ ſiue proſelyti cuſtodiuntur,pupillus & uidua ſuſcipitur,& uia peccatorũ diſperditur. Quiſquis ille eſt qui modo dei eſt,& ſi non uniforme tamen proprium habet munus, ut alliſus licet ſit,nunc eſuriat,ſi nunc compeditus & ſtultus ſit, tamen erigi poſſit ne iaceat in æternum,ut iuſtus ob iuſticiam diligatur, ut aduena & ſi non tanquàm iuſtus diligitur,tamẽ uel ob hoc,quia aduenerit reſeruetur. Vt pupillus,quia patrem ſibi diabolum adiurauerat,exemplo Apoſtolorum nõ orphanus relinquatur, ut uidua ſuſcipiatur in ſponſam poſtea quàm ſibi in Chriſto conſixus hic mundus eſt. Omnem enim credentiũ fidem cui per adimpletionẽ temporũ lex tanq; uir primus emortuus ſit,uiduã Apoſtolus nuncupauit. Sed nõ ſolum uidua ſuſcipitur,ſed etiam uia peccatorũ exterminat. Quibus in interitũ demerſis Hieruſalẽ ſancti illius regis ciuitas incolet. Non iſta utiq;,quę deſolata & ſubuerſa prophani parricidij luit pœnas. Cõcluſit em̃ ita: Regnabit dominus in æternũ,deus tuus Siõ in generationẽ & generationẽ.) Vbi illa Sion eſt in qua regnaturus eſt dominus,niſi fortè in ea quæ pphetas occidit & lapidat eos qui ad ſe miſſi ſunt? Hæc utiq; hodie iam nõ eſt. Et quomodo dominus in æternum regnabit regni ſuiſede ſubuerſa? Sed regnabit in ea quæ mater cœleſtis eſt,quæ uiuis ex lapidibus extructa & ſanctis ciuibus plena,per generationem legis & generationem fidei frequentabit, à domeſticis dei & domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorũ. Amen.

Psalmus CXLVI. Alleluia Aggæi & Zachariæ.



Audate dominum quoniã bonus est psalmus, deo nostro iocunda sit laudatio. Et reliqua.) Post primam Hierusalem subuersionẽ traductoq; in Babyloniam populo captiuo, ædificatã rursum eandem ciuitatem fuisse & historia regnorũ & libri Esdræ loquũtur. Sed hodie eandem nullam esse, rerũ fides edocet. hoc idcirco prædiximus, ne quia translatoribus uisum est huic & anteriori psalmo in Aggeum & Zachariam titulum præscribere, existimemus in illius temporis homines prophetiæ huius præscientiã cõuenire. Propheta enim nõ ignarus mysteriꝝ cœlestis, cum in ædificatione dei ciuitatis humanã ędificationẽ inanẽ esse dixisset, cum deo ciuitas nisi per ipsum ædificata æterna esse nõ posset, nõ nos nũc ad gratulationẽ ædificatę à deo rursum Hierusalem adhortaretur, quã uane ab hominibus ædificari ante prædixerat. Quod si quis forte putabit id quod in alio psalmo ita dictum est: Nisi dominus ædificauerit domum, in uanum laborant qui ædificant eam, Nisi custodierit ciuitatem, in uanum uigilabit qui custodiet eam: idcirco dictum fuisse, quia euersionem eius urbis in qua templum ædificandũ esset propheta prænosceret: meminisse hæc debet ita intelligens eundem hunc prophetã ædificationẽ eam quæ à Zorobabel secundo innouata est inanẽ & caducam futurã fuisse nõ ignorare potuisse: neq; illam quæ à Salomone cœpta est non, à deo institutã idcirco dixisse, quia per regem Babyloniæ esset destruenda, cũ post septuaginta deinde annos rursum eadem sit reformata. Hanc uero quæ à Zorobabel gesta est esse ædificationẽ dei prædicatã, cum exinde diruta & sine aliqua instauratione sit dissoluta. Et eam quam dirutam licet reuocatio iam sit consecuta, inanem atq; humanã prædicasse. hanc uero quæ sine spe reformationis ceciderit, diuini operis perpetuitate renouari, hęc omnia intelligentiæ genera, stulta atq; ridicula sunt. Laudat autẽ propheta dominum ædificantẽ Hierusalem illam quæ secundũ euangelia sancti regis est ciuitas, in qua per dominum resurgentes sancti demorantur, quæ inuectũ pullo asinæ dominũ & spe sanctorũ læta suscepit. Corporaliter tum quidẽ tali uectione illam quæ occidit prophetas & lapidat Apostolos dominus ingressus est. Sed alterius ciuitatis erit illa lętitia. Ob illius ergo ædificationẽ propheta nos aduocat dicens. Laudate dominum quoniã bonus est psalmus, domino nostro iucunda sit laudatio.) Non leuis gratulationis laus est cuius psalmus bonus est. Et psalmus nõ tam uocẽ ut frequenter diximus, quàm corporeæ operationis officiũ significare solet. Deum enim non tam sermone q̃ re & gestis obedientię laudamus, ut mare & terra & cœlum deum non tam uoce quàm officiorũ suorũ uicissitudine atq; obseruatione laudant. Aduocat igitur nos propheta ad dei laudem, quia bonus psalmus est, & optat ut huius boni psalmi deo nostro fiat iocunda laudatio. Scilicet ut placẽtia deo opera nostra sint, per quæ à nobis gestorum nostrorũ laudatur obsequio. Aedificans Hierusalem dominus, & dispersiones Israël cõgregans. Qui sanat cõtritos corde & alligat contritiones eorum. Numerans multitudinẽ stellarum & omnibus his nomina uocans.) Reuersuris de Babylonia in Hierusalem Iudæis sub Dario rege, edicto potestas data est reuertendi. Neq; alibi tum quàm in regni Babyloniæ finibus detinebantur. Ex qua ergo dispersione Israël congregatur? Nempe de ea de qua ait dominus: Emittet angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabit electos à quatuor angulis uentorũ. Quorum congregatio cœtum sanctæ ciuitatis efficiet, quæ hodie per spei & fidei opus ædificatur in nobis. Et idcirco anterior ædificatio congregatio non est, quia nos ad futuræ ciuitatis congregationẽ dei misericordia per gratiam iustificationis ædificet. Cæter ĩ si de terrena ædificatione loqueretur prior fuerat

or fuerat cõgregatio prędicanda,quia non niſi cõgregatus Iſraël Hieruſalem ædificare poſſet euerſam. Tenet deinde ordinẽ cõpetenter,dicens: Qui ſanat contritos corde & alligat cõtritiones eorũ.) Cõgregato enim Iſraël & in unam quæ ædificatur ciuitatẽ collecto, omnes humanæ infirmitates & labes corporeæ auferentur.abſorpta enim corruptione &omnibus humanę naturæ uicijs deuoratis,incorruptio æterna & in nullis anxietatũ mortibus cõterenda ſuccedet. Venit enim dominus ſecundũ euangelia ſanare contritos corde,prædicare captiuis remiſſionem & cæcis uiſum,dimittere cõfractos in requiẽ,prædicare annum domini acceptum & diem retributionis. Et hæc quidẽ pro parte iam cœpta ſunt, quia per ſpeculum & in ænigmate & in imagine futurorũ ſecundum Apoſtolum demoramur.Sed tamen nondum nobis eius tẽporis fructus eſt quo ſecundum prophetã dicere adepta ſpei cõſummatione poſſimus: Conuertere anima mea in requiem tuam,quia dominus benefecit mihi.Quia eripuit animam meam de morte,oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu: Placebo domino in regione uiuorum. Sanata enim cum omnimodis contritione, & ne perpetuo rurſum ſubeat alligata,his omnibus humanarũ paſſionũ infirmitatibus liberati, placebimus deo in regione uiuorum, anima noſtra in requiem ſuam, ex qua per tranſgreſſionẽ primi parentis ſui Adæ eiecta eſt,reuertente. Sed poſt prædicationẽ ſancti cordis etiam id ad præconium diuinæ bonitatis adiectum eſt: Numerans multitudinem ſtellarum,& omnibus his nomina uocans.) Si laus deo ob ædificatam corporaliter Hieruſalem defertur, quid hic numerus ſtellarum & omnibus his nomina tanquam ad præcipuã diuini operis laudationem proferuntur? Aut nunquid laudabilius deo eſt numeraſſe & nuncupaſſe ſtellas quàm creaſſe,cum creatio & numerũ fecerit, & nomina impoſuerit,& uocabulis nomina numerũq; diſcreuerit? Sed numerãtur hic ſtellæ quas Abraham cõtuitus in cœlo eſt,quas Iſaac accepit in ſemine, quas Paulus diſcreuit in gloria. Quod autẽ nominibus ſuis uocentur audiamus eum qui uocaturus eſt, dicit enim in euangelijs: Nolite mirari iſta,quoniam uenit hora in qua omnes qui ſunt in monumentis audient uocem eius & procedent. Vocantur ergo & prodient. Adeo autẽ enumerantur per deum,ut capilli quoq; qui in ſingulis nobis innumerabiles eſſe exiſtimantur,in numero ſint eodem domino dicente:Nónne & capilli capitis ueſtri numerati ſunt? Hoc deo potius dignum,hoc in miſericordia eius preferendum,ut eos quos cõtritos corde ſanauerit,quorũ alligauerit contritiones, nominibus uocet, proprietate numeret, cœleſti luce clarificet. Ob quæ mirabilia eius atq; præclara ait: Magnus dominus noſter & magna uirtus eius,& ſapientiæ eius nõ eſt numerus. Suſcipiens mãſuetos dominus,humilians aũt peccatores uſq; ad terram.) Hoc enim manſuetorũ proprium eſt, quia ſecundum euangelia manſueti poſſidebunt terrã,ut digni apud deum ſint nuncupatione,numero,claritate.Magnus eſt dominus,cũ diſperſiones cõgregat.Magna uirtus eius, cum contrita clarificat. Innumerabilis ſapientia eius eſt,cum uniuerſa & nominibus diſcernit & numero.Sed qui ſuſcipit manſuetos,humiliat quoq; peccatores uſq; ad terram:poſt meritũ ſanctitatis impietatis pœna ſubiecta eſt, cum ſuſceptis manſuetis in claritate ſtellarum, peccatores uſq; ad terram humiliati internæ legis iudicio deſtinantur. Ob quæ nos tanquam cunctantes & hæſitantes propheta cohortatur ad laudem,dicens: Inchoate domino in confeſſione,pſallite deo noſtro in citharа. Qui operit cœlum nubibus, qui parat terræ pluuiam:Qui producit in montibus fœnum: Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.) Frequẽter admonet propheticus ſermo,ut eum uniuerſitatis huius eſſe dominum credamus,quem omnis lex deum locuta eſt, qui ſe nuncupari deum Iſraël uoluerit,ut nunc in eodem hoc pſalmo cum dixiſſet; ædificans Hieruſalem & con-

gregans diſperſos Iſraël,ad laudem eius cohortans adiecit: Qui operit cœlum nubibus, qui parat terræ pluuiam:ut nō alius atq; alius legis latæ & creationis iſtius deus poſſet intelligi. Ita autem temperata doctrinæ iſtius ratio eſt, ut ea creationis enumeratæ & nomina commemorarentur & genera, quæ cum creatorem deum eſſe latæ legis oſtenderent,ſignificationem tamen in ſe inſtitutionis typicæ & propheticæ continerent. Vt nunc cōfiteri deum ob id admonemur,quia operit cœlum nubibus, quia parat terræ pluuiam, quia producit in montibus fœnum, quia dat iumentis eſcam ipſorum,& herbam ſeruituti hominum,& pullis coruorū inuocantibus eum. In his enim omnibus dei & prouidentia ſignificatur & bonitas, ut ſubtecto nubibus cœlo, terris pluuias infundat, ut uertices colliū fœno ueſtiat, ut iumentis pabulum præbeat,& auibus cibos præſtet,quia ab eo alimoniam uniuerſa quæ creauit expectent.Sed hæc omnia diligentius introſpecta ſignificationis alterius uirtutem in ſe habent. Scimus enim eſſe nubes quibus deus ne ſuper uineam pluant mandat, ſicut per Eſaiam dictum eſt: Et nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam pluuiam. Vinea enim domini ſabaoth domus Iſraël eſt. Nouimus nubes quæ præ fulgore eius in conſpectu domini tranſeunt: præ fulgore,inquit,eius in conſpectu eius nubes tranſierunt. Nouimus nubes quas deus in aſcenſum ſuum poſuit. Et poſuit nubem aſcenſum ſuū. Nouimus nubes ad quas uſq; dei ueritas eſt,Et uſq; ad nubes ueritas tua. Et has nubes aliquot locis ſanctorū doctrinam ſignificare ratio abſoluta eſt, quæ uetitæ infidelibus pluere, eloquio arida impiorum corda non rigant. Quæ cum dominus adſit eſſe ceſſabunt, ut orto ſole ſtellarum lumen hebetatur,ita & doctrinę nubiū domino ipſo iam per ſe fulgente præteribunt. Per quas etiam ad dominum conſcenditur,dum diuina prædicatio iter nobis regni cœleſtis oſtendit. Et ideo hæ nubes nobis poſitæ ſunt in aſcenſum,ueritas quoq; dei uſq; ad nubes eaſdem eſt,quia in ſe ueram dei cognitionem hæc doctrina prophetica continet. Hæc ergo ad commemorationem dei laudum creaturarum genera electa ſunt, quæ cum præconium in ſe creatoris oſtenderent, parabolicam tamen,ſiue ut Apoſtolus ait, allegoricam nobis doctrinam ita cōmemorata præberent. Cœlum ergo nubibus ſubtegitur, id eſt, prophetica doctrina rebus eſt ſubiecta diuinis. Pluuia terris infunditur, eloquia ſcilicet harum ſubtectarum nubium profunduntur, per quæ infructuoſi ipſi atq; aridi ad eliciendos ex nobis fructus dono diuini imbris excitamur. Et hæc eloquia diuina tanquam imbrem intelligenda eſſe,Moſes teſtatus eſt,dicens:Expectetur ſicut pluuia eloquium meum,& deſcendant ſicut ros uerba mea,ut pluuia ſuper gramē. Hæc ergo terræ pluuia præparatur,per quam fœnum in montibus producitur, & iumentis in eſcam propriam præbetur. Opinor fœcundiores eſſe montibus ualles,quæ circumiectorum collium concauo decliui in ſe humore pingueſcant. Et quid rationis eſt,ut ad eſcam iumentorum produci fœna laudentur in montibus? Et quanquam plures montes fœcundis uerticibus atq; herbidis ſunt,tamen rerum corporalium nominibus ſpiritualis doctrina conferta eſt. Producunt ergo montes iumentis in eſcam ſuam fœnum,ſed montes qui exultauerunt ſicut arietes,in quos frequenter prophe ta oculos erexit,dicens: Leuaui oculos meos in montes. Hi ergo montes,patriarcharum,prophetarum,Apoſtolorum, martyrū altitudines fœnum pecoribus producunt. Et quibus tandē pecoribus? Eſaiam audiamus: Agnouit,inquit,bos poſſeſſorem ſuum,& aſinus præſepe domini ſui,Iſraël uero me non cognouit. Et quia per hebetis naturæ irreligioſam ignorationem pecora ſunt dicta, cibus quoq; eorum ſignificatur in fœno. Hoc ergo fœnum,his iumentis prębetur in montibus. In pluribus autem codicibus inſertum hunc uerſum deprehendimus, & herbam ſeruituti hominum,ut ea quæ ſuperius dicta ſunt,de homine dicta eſſe per nuncupa-

tionem

tionem ipſius hominis intelligerentur. Sed nos non egemus hoc ſenſu. Nam licet non impediat adiectus: nō tamen eum, tanquā non aliis ad huius intelligentię confirmationē uti poſſimus, amplectimur. Hic enim ordo dictorum eſt: qui operit cœlum nubibus, qui parat terræ pluuiā, & reliqua. Si ergo per nubiū pluuiā producto iumentis in montibus fœno, ut allegorica doctrina poſſet intelligi, hæc herba ſeruituti hominū prębetur, qui pecudea ignoratione depoſita, deum tandem rationabiliter cōperiſſent: ſiue, quod abſolutius intelligi poteſt, in herba fructus humanis cibis præſtiti edocentur, quia omnes fructus per herbam confirmantur in meſſem: deo utrunq; laudi eſt, infirmitati eum noſtræ uel corporales cibos, uel ſpiritalia in prophetis uitæ pabula præbuiſſe. Sed id quod ſequitur quomodo intelligi oportebit: Et pullis coruorū inuocantibus eum.) Deum inuocare proprium hominis officiū eſt, qui ſolus ex uniuerſis animantibus particeps rationis effectus eſt. Coruorum uero pulli deum quomodo uocant? Et cur pulli coruorū potiuſquā corui, quorum natura hebes, improuida, nulla dei cognitione donata ſit? Aut quæ eſca præbetur? Nunquid ut fœnum iumentis, & ut herba hominibus, corruptorū cadauerum fœtidas ſordes deus orantibus ſe coruorū pullis & pecudum mortes ad cibum uitæ præſentis impertiet? Hæc ita intelligere non dicam erroris, ſed irreligioſitatis extremæ eſt. Quid ergo intelligi oporteat, pro ut ipſi dono gratiæ cœleſtis adepti ſumus loquemur. Coruum in forma peccatoris conſtitutū eſſe tum cum ex arca emiſſus non rediit meminimus. Cum enim conſiſtendi nuſquā locus eſſet aquis in uniuerſa diffuſis, ipſe columba poſtea nō reperta requie reuertente non rediit. Cum enim illic arca eccleſiæ formam habuerit, is qui eccleſiā cum nunq; alibi poſſit cōſiſtere dereliquit, peccatoris in eo exemplū eſt cōſtitutū: qui cum nullam aliam præter quàm eccleſiæ requiē habeat in ſeculo, mauult tamen in inanibus ſeculi demorari. Hanc quoq; auem legimus in paſtum Helię deputatā, cibos ſemper ei fuiſſe ſolitā inferre. Et hoc totū, cum impĩſſime omnis populus & irreligioſiſſime diuerſaret. In famulatū ergo tanti prophetæ hęc auis, quæ in forma peccatoris erat cōſtituta, delecta eſt. Cum enim anterior populus improbabilis repertus eſt, tum dei prædicatio qui cibus & eſuritio eſt prophetarū, per eorum qui peccatores erant officia expletur. Nos enim uel cæteri ante nos ex impudentibus & procacibus, & immundis, & cruentis geniti atq; nati, tanquā pulli coruorū deum inuocamus, agnitione, cōfeſſione, famulatu, ut ex iumentis & pecoribus per agnitionem dei homines effecti, ratiōis ſcilicet participes, ex rationis ignaris, quibus quotidie à deo, producente in prophetis doctrinę prædicationē tanquā in montibus fœnum, cibi cœleſtis præbetur alimonia. Vt autē omnia hæc quæ allegorice cōmemorata ſunt in profectū humanæ ſalutis geri intelligerentur, pſalmi cōcluſione confirmat. Ita enim ait: Non in uiribus equi uoluntatē habet, nec in tabernaculis uiri bene placitum eſt ei. Beneplacitū eſt domino ſuper timentes eum, & omnes qui ſperant ſuper miſericordia eius.) Contraria iſta ſibi ſunt, ſi corporaliter intelligātur. Quo modo enim deus iumentis fœnum producit in montibus, cui nō eſt beneplacitum in equis? Neceſſitatis nanq; miniſteriū nō prouidentiæ benignitas eſt, alimoniam prębere nō placitis. Sed quia omnis dei miſericordia curam habet humanę ſalutis, allegorice ſuperius dicta cōcluſionis abſolutione cōſummat. Non pecorū ſpeciem atq; uirtutē, nec precioſarū domorū deo ornamenta placuiſſe, quæ maxima eſt humanę opinionis ambitio, habere nobiles equos, domos pulchras: ſed placere tātum timentem, ſperantē, & poteſtatē dei & miſericordiam ſpe metuq; teſtantē. Miſericors enim & potens eſt, qui dixit: Qui credit in me nō iudicabitur, ſed tranſiet de morte in uitā: & potens mortē demutare uita, & miſericors iudiciī amouere terrorem, dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorū. Amen.

Pſalmus. CXLVII. Alleluia alleluia. Aggæi & Zachariæ.

IAuda Hieruſalem dominum, lauda deum tuum Sion.) Et reliqua. Et huic pſalmo et ei qui ante ſuperiorẽ fuit, Aggæi & Zacharię cum in Hebraicis nõ extet nomẽ, aſcribitur, ut & per hunc & per eos, ſicut ſuperius oſtendi, æternæ Hieruſalẽ prophetia poſſit intelligi. Lauda Hieruſalem dominum, lauda deum tuum Sion.) Non differt Hieruſalem à Sion, nam ſecundum locorum nomina urbis ipſius locus idem eſt, ſed nominum interpretatio geminam hanc eiuſdem urbis commemorationem neceſſario deſyderabat. Hieruſalem enim eſt ciuitas pacis. Et quia domini noſtri regnum in pace & unanimitate ſanctorũ eſt: & factus eſt, inquit, in pace locus eius: conuentus ille beatorum qui dei regnum eſt, Hieruſalem tanquam ciuitas pacis eſt dictus. Ciuitatem uero hanc uiuis, ut ait Apoſtolus, lapidibus extructã ſanctorum cœtus conformis gloriæ dei ex reſurrectione conſummat. Qui ſe qualis futurus eſſet per fidem in corpore domini ante ſpeculatus eſt, & idcirco etiam Sion nuncupatur. Corpus quidem domini ſecundum interpretationis uirtutem, quia in eo ſpem noſtram fide contemplamur in omnibus ſcripturis Sion nuncupari exiſtimatur, quia Sion ſpeculatio eſt. ſed & ciuitas illa quæ Hieruſalem eſt, quæ propter unanimitatem ciuitas pacis eſt, etiam propter conformationem in ſe corporis dei, in quo ſe ante ſpeculata eſt, Sion nuncupatur. Et cuius gloriam adepta eſt, accepit quoq; eius & nomen. Ergo & conuentus ille pacificus, & gloria illa corporum demutatorum in Hieruſalem, & Sion nomine quod utrunq; unum eſt, non ſaxa inanima, neq; ædificationem hebetem, ſed rationale animal fundamentorum uiuarumq; lapides gemmarum & ciues ſanctitatis & dei in domeſticos ſuos deputans hæc ciuitas eſt, quæ ex ſenſu beatitudinis ſuæ, & confeſſione præconij ad uocatur ad laudem. Et propheta cauſam laudationis adiecit: Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum benedixit filijs tuis in te. Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſaciat te.) Hæc eſt illa beatæ terræ hæreditas, quam dominus in euangelio manſuetis ſpopondit, dicens: Beati manſueti, quoniam ipſi hæreditabunt terram. Plurimis in locis prophetæ beatitudinis huius tempus prædicauerunt, & firmitatem ciuitatis huius æternæ, cuius ita portæ & ſeræ confirmatæ ſunt, ut aduerſarijs nobis inimicisq; uirtutibus impenetrabilis, inuia, indiſſo lubilisq; perſeueret, nullis egens ad corporis animæq; ſubſtantiam æternitate, firma, benedicta in incolis eſt, uoluntate pacifica, uitæ ſubſtantia copioſa. Sed ad hanc dei prædicationem etiam illud adiungitur: Qui emittit eloquium ſuum terræ uelociter currit ſermo eius.) Prædicationis regni dei non fuit lenta præparatio, ſed in omnem terram indefeſſa mobilitate & celeri tranſcurrit. Vbi enim non ſtatim cum dominus gloriam in corpore natus oſtendit, apoſtolicæ & propheticæ doctrinæ curſus egreſſus eſt? Per hanc nanque uelocem tranſcurſionem ædificatio beatæ huius ciuitatis eſt cœpta, quæ auditis opulentiæ ſuæ copijs ubiq; uiuis fidelium lapidibus ſtructa uſq; ad incolatus ſui plenitudinem comparatur, cuius in congregandis omnibus ex quatuor partibus mundi uelox ſermo percurreret, rurſum ad confrequentandam hanc beati regni ciuitatem cœtu conſummatæ plenitudinis congregandis. Sed & prædicatio alia connectitur: Qui dat niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit.) Vitæ uia, ſicut dominus in euangelijs ait, anguſta & tribulata eſt, neq; niſi per maximas difficultates & moleſtias hac ad cœlorum regnum uia pergitur. Quod quidem de moleſtijs huius ſeculi dictum fuiſſe intelligi oportet. Per præſentes enim uexationes in requiem

æternam

æternam aditur. Et quamuis rerum præſentium laboribus quaſi quadam uiolentia aſperrimæ hyemis uramur, tamen poſt harum præſentium acerbitatum rigores, deo eos reſoluente, in placidis, & tranquillis, & ſerenis quieſcimus. ſecundum enim dictum propheticum & allegoricam conſuetudinem nunc in niue, & nebula, & cryſtallo, quæ omnia per naturam ſuam urunt atq; mortificant, ſecularium in nos moleſtiarum & calamitatum dolorem, & nocturnos ignorantiæ rigores ſignificari credendũ eſt. Scit hic idem propheta beatæ huius ciuitatis participem ne quaq; iam frigore iſto iniuriæ ſecularis urendum, dicens: Per diem ſol non uret te, neq; luna per noctem. Hæc enim omnia quibus per præſentes calamitates aduri mur, rurſum dei bonitate reſoluti liquimur. Nix nanq; lanæ mollitudine defluens, tegens omnia intra ſe detinet, pruina quoq; nebulæ deſcẽdentis cineris modo ſparſa conſtringit, cryſtallum etiam ultra conſuetudinẽ grandinis duratũ, & in fruſta ſolidatum habet in ſe & impetũ, & rigorem. Et ſi hæc perpetuo permanerent, nunquid nõ uniuerſa horum frigore peruſta ſemper arerent? Quis enim ferre æternas corporis calamitates indeficientesq; poſſet, ſi ſeries mali noſtri ſempiterna trahere tur? Sed diſſolutis infirmitatibus corporis regni beati huius tempus æternum eſt, ubi nõ fiendum, non dolendũ, non corporeæ cupiditatis demutatione labendum eſt, ſed in his uiuendum, quæ inquit oculus non uidit, & auris nõ audiuit, & in cor hominis nõ aſcendit. Ceſſat in bonis futuris intelligentiæ auditus & aſpectus, nec cõſpectui ſubijcitur, nec auditu capitur, nec mente percipit, quicquid illud beatis æternis, beatum æternumq; promittitur. Soluuntur igitur hęc omnia niuis pruinæ cryſtalli frigora tanquam flatu repenti, tum cum poſt hos ſecularis noctis rigores tempora illa regni æterni in unam atque indemutabilem tranquillitatem dei ſpiritus temperabit. Atq; ut ſub niuis & nebulæ & cryſtalli frigore intolerabili ſi maneret, dei tamen ſpiritu in deliquium ſoluendo, ſignificaſſe illam æterni regni æternо populo beatam temperiẽ noſceremus, Pſalmum propheta tali confeſſione concluſit: Ante faciẽ frigoris eius quis ſuſtinebit? Emittet uerbũ ſuũ, & liquefaciet ea, flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Qui annunciat uerbũ ſuum Iacob, iuſticias & iudicia ſua Iſraël.) Peculiaris hæc in Iacob & Iſraël dei uoluntas eſt, nõ in eum Iſraël, neq; in eum Iacob, qui hoc corporis nomen ad ſolatiũ ueluti generoſæ in ſe ſtirpis amplectitur, ſed eum Iacob qui ſupplantauit priorem, qui primogenita ſpe æternitatis emit, cui Iſraël de deo uidendo cognomen eſt, qui ipſe Hieruſalem & pacis eſt ciuitas, quia ædificatus ſupra petram fidei, cõfirmatis portarũ ſeris fortiores portarũ portas inferi obtinebit. Qui in uerbo cõgregatur, qui nõ inopia eget, non ſecularis rigoris frigore aduretur, ſed liquefactis omnibus, & dei ſpiritu abſolutis, tẽperie æternæ ſerenitatis utetur, huic pronunciatur hoc uerbũ, hic per ſpiritualem intelligentiã has dei iuſticias & iudicia expectat, conſors boni huius nulla gẽs alia eſt, neq; hanc iudicij gloriã infidelitas irreligioſa cognoſcit. In ſua enim uenit & ſui eum non receperũt. Quotquot receperunt, dedit his poteſtatẽ filios dei fieri, dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorũ. Amen.

Pſalmus CXLVIII. Alleluia.



Audate dominum de cœlis, laudate eum in excelſis &c.) Superiores tres pſalmi, quibus prophetia nos ad laudẽ domini aduocat, beatæ illius ſpei noſtræ diſtributionem ipſo collocationum ſuarum ordine ſunt ſequuti. Primus enim eorum ob ſpem æternitatis, & cœleſtis regni expectationem cantatus eſt. Secundus ob ædificationem ſanctæ ciuitatis, & congregationem ſanctorum qui ad plenitudinem ſanctæ huius ciuitatis conueniant, ſubſequutus eſt. Tertius ille iam ob gratulationem

exædificatæ ciuitatis, & æterna pace fundatæ, & poſt ſeculi urens arensq; frigus cœleſti ſpiritu temperatæ, in hunc hymnum eſt comparatus. Doctrinæ ergo idem eſt ordo qui rerum. Nam ſecundum propheticam & apoſtolicam prædicationem, beati iſtius regni & ciuitatis æternæ in his ordo diſpoſitus eſt, in reſurrectionis demutatione, in congregatione ſanctorum, in dominicorum ciuium cum frequentatione incolatu. Poſt quæ iam in æterna beatitudine omnibus conſtitutis ad canendas dei laudes hoc conſequenti pſalmo chorus cœleſtium uirtutum poteſtatumq; contrahitur, ut ob depulſam ſeculi uanitatem creatura omnis ex magnis officiorum ſuorum laboribus abſoluta, & in beato regno æternitatis aliquando reſpirans, deum ſuum & læta prædicet & quieta, & ipſa ſecundum Apoſtolum in gloriam beatæ æternitatis aſſumpta, cum ait: Etenim expectatio ipſius creaturæ reuelationem filiorum dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non ſponte, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem claritatis filiorum dei. Hinc ergo hymnus eſt libertatis indultæ, quod officiorũ neceſſitate abſoluta, & antea in uſus humani ſubiecta ſeruitij, iam conformata tandem filiorum dei gloria in æternã beatitudinem creationum elementa requieſcunt. Cuius beatitudinis longo iam diu ſecundum apoſtolum Petrum deſiderio detinebantur, cum ait: Hæc quæ modo uobis nuncia ta ſunt per eos qui uobis ſpiritu ſancto euangelizauerũt quæ miſſa ſunt è cœlo, in qua re concupiſcunt angeli proſpicere. Expectatio itaq; cœleſtium eſt beatitudo terrena, & corruptionis noſtrę demutatio diuinarum creationũ demoratur elementa, proſpicere hanc euangelicę prædicationis ſpem concupiſcentia, gloriã ſuam ex gloriæ noſtræ conformatione ſuſceptura: qua iam ſecundum prophetiam pſalmi adepta, in conſonam laudem præceptę beatitudinis aduocantur: Laudate dominum de cœlis, laudate eum in excelſis.) & reliqua. Abſoluto quidẽ ad intelligentiam ſermone, propheta omnes cœleſtes uirtutes adhortatur ad laudem non ſine perfecta ratione doctrinæ. Primũ enim errorem hunc humanæ ignorationis auertit, quo fortuitis concurſibus hunc mundi habitum in ſe coiſſe, atq; ita ex inordinatione in ordinem conſtitiſſe, quidam auſi ſunt opinari. Tum quod alij hunc ipſum mundum deum eſſe qui ſe agitet ac moueat, & inanimã temperiem curſu dimenſæ rationis moderetur, exiſtiment. Poſtremo quod quædã ſibi ex his ipſis unuſquiſq; legit elementis, aut cœlum, aut ſolem, aquam, aut aëra, quibus dei honorem inani atq; impia religione deferret. Omnem igitur errorẽ ignorationis excluſit, dicens: Quoniã ipſe dixit & facta ſunt, ipſe præcepit & creata ſunt. Nullus igitur hic fortuitorũ cõcurſus, nulla naturæ propriæ uirtus, nulla æternitatis ex ſemet ſubſtantia in his quæ creata docentur, admittitur. In quo dicto etiam id docetur, quod & Geneſis diſtinxit, & euangelia teſtata ſunt, & Apoſtolus prædicauit, dei iuſſu facta eſſe omnia, non per ſe extitiſſe, tanquam ipſa illa materia obedientiæ uitalis exiſteret, cum eſſe ac ſubſiſtere iubetur: ſed omnia ex mandato creata eſſe, & dictum fuiſſe ab eo qui dicebat ut fieret. Ita enim Geneſis eſt loquuta: Et dixit deus, & fecit deus. Et nunc propheta ait: Dixit & facta ſunt. Non enim ſibi præcepit ut fierent, ſed ſunt facta cum dixit: facta autẽ ſunt per eum, de quo euangeliſta teſtatus eſt: Omnia per ipſum facta ſunt, et ſine ipſo factum eſt nihil. Et Apoſtolus ait: Qui eſt imago dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipſo condita ſunt omnia in cœlis & in terra, uiſibilia & inuiſibilia, ſiue ſedes, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo condita ſunt. Et ſapientia de ſe ita loquuta eſt: Ego eram apud illum componens, mihi aggaudebat cum lętaretur orbe perfecto. Ceſſat ambiguitas intelligentiæ, & nunc ueteris teſtamenti autoritate coniuncta, patri filium ante ſecula manentem in creandi mundi

exordio

exordio adſtitiſſe. Cauſam etiam propheta aliam laudis adiecit: Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Statuit eum in ſeculum ſeculi.) Manent enim ex nihilo ſubſtituta, & gratiã ex eo quod ſunt, creatori ſuo debent, cum ſenſum uitæ ſuæ bonitate eius, & uirtutem, & ſcientiã, per quem uiuere ſeu ſentire cœperũt. Viuunt autem adeo, ut et in ſeculum ſeculi maneãt, & ſecundum Apoſtolum, reuelationem filiorum dei expectent, à corruptionis ſeruitio in conformem eorum gloriam liberanda. Contuendum autem eſt, in his creaturis quæ in ſeculum ſeculi ſunt ſtatutæ, neq; cœlum hoc quod firmamentum nuncupatur, neq; terram, quæ arida dicta eſt, cõmemoratam fuiſſe cum à propheta dictum ſit: Ecce ego facio cœlum nouũ, & terram nouam. Et dominus in euangelio dixit: Cœlum & terra præteribunt, uerba autem mea non præteribunt, de quibus nõ huius loci ſermo eſt. Tantum illud ad admonitionẽ cõmemorandum à nobis fuit, non diſſolubiles creationes nunc ad laudem dei fuiſſe numeratas, ſed eas quæ in æternitatis ſunt ſubſtantia conſtitutæ. Ac ne fortè quod in æternũ manerent, naturale illis eſſe ex ſubſtantiæ ſuæ beatitudine crederetur, ſubiecit: Præceptũ poſuit, & non præteribit.) Vt hoc quod ſunt, id eſt, ut maneant in æternum, non naturę ſuæ eſſe intelligant, ſed præcepti eius ſit, qui potens ſit rebus ex nihilo ſubſtitutis naturã æternitatis afferre. Non enim, inquit, præteribit præceptũ, id eſt, mandati eius non erit finis: quia in æternum manent, quibus æternitatem uirtus æternitatis indulſit. Poſt quæ rurſum terrena cætera aduocantur ad laudem, quæ & ſi non omnia ſunt horum cœleſtiũ & beatorum bonorum conſortia, partim per irrationabilem ſenſum, partim per inanimalem naturã, partim per impietatis offenſam, tamen deum per id quod talia ſunt inſtituta, ipſa inſtitutionis in ſe habitę prouidentia prædicãt. Ait enim ita: Laudate dominum de terra dracones, & omnes abyſſi, & reliqua. Omnia laudem dei concinunt, licet quædam ſenſu laudis carentia ſint, ſed per inſtitutionis ordinem qualitatemq; gignendi præconium creatoris oſtendunt. Detenti in terra dracones, eorumq; plures in abyſſis demerſi, ut nos intra metũ & religionẽ, dum ipſi intra abyſſum terramq; religati impietatis noſtræ pœnis præparantur, coërcerent. Natura ignis, niuis candor, cryſtalli glacies, procellæ ſpiritus, montiũ celſitas, diſtinctio collium, arborum fructus, beſtiarum uarietas, pecorum utilitas, ſerpentum niſus, uolucrum uolatus, regum poteſtas, populorũ famulatus, principum dignitas, iudicum æquitas, ętatum omnium & ſexuum mores, ſtudia, uirtutes. Hæc itaq; omnia in diuerſos ineffabilesq; uſus formata, diſtincta, animata, perfecta, creatoris prouidentiã laudant. Et eorũ quæ aut inanimalia, aut irrationabilia ſunt qualis laudatio eſſet oſtendit, dicens: Quæ faciunt uerbum eius, ut ex eo quod in hunc officiorũ ſuorum ſint ordinem conſtituta, prȩconium eius à quo ita ſint inſtituta teſtentur. Regibus uero & cęteris talibus tanquã rationis cõſortibus, hæc laudandi cauſa propoſita eſt: Quia exaltatum eſt nomen eius ſolius, confeſſio eius ſuper cœlum & terram.) Et hic quidem deus regum, & populorũ, & principum, & iudicum ætatum omnium conſtitutione laudabilis eſt, qui humanæ uitæ curſum tali diuerſorũ officiorũ temperatione contineat. Tamen quia omnis ſuperior laudatio beati illius regni tẽpus oſtendit, hanc cauſam adiecit, quia exaltatũ eſt nomen eius ſolius. Tum enim deus unus etiam ab inuitis, & intelligetur, & uidebitur, relígato diabolo, & angelis eius pœnæ cum eo æterni ignis addictis, & omni ſpiritualium nequitiarũ poteſtate ſublata, cum iam non peccatum, non mors, non terrenus hic mundus ſit. Ait enim: Confeſſio eius ſuper cœlum & terrã, & exaltauit cornu populi ſui.) Id eſt, in illo beatæ ciuitatis illius ſeculo, ubi cornu populi ſui dominus exaltabit, & incorruptionem quæ ſignificatur in cornu per honorem immortalitatis impertiet. Tum enim cœlum nouum & terra noua erit, cum his

præſenti-

præſentibus diſſolutis,noua illa & æterna ſuccedente,deo confeſſio eius ſuper cœlum & terram reddetur: quia non in hoc ſeculo,neq; in hoc aëre, ſed in ſuperioribus locis ſedes beati illius regni eſt conſtituta. Et quia illud ſanctorum eſt regnum per quod regnante domino ad beatũ regnum dei patris aſcendent, pſalmũ ita propheta cõcluſit. Hymnus omnibus ſanctis eius,filijs Iſraël populo appropinquanti ſibi.) Sanctorum omnis hic hymnus eſt,qui deum non ut cæteri reges,aut principes,aut iudices pro uirtutis & confeſſionis admiratione laudent,ſed pro gaudio conſummatæ in ſe beatudinis & gratulatione cantantiũ. Sancti ſcilicet, qui Iſraël filij ſunt deo propinquantes,non illi utiq; de quibus dictum eſt: Plebs hæc labijs me honorat,cor autem eorum longe eſt à me,ſed hi qui merebuntur audire,Propè eſt dominus omnibus inuocantibus eum. Illis ergo proprius hic hymnus eſt, qui deo propinquabunt, qui per hoc ſanctæ Hieruſalem regnum beatum æterno regno proximum,poſt regnum domini noſtri Ieſu Chriſti in regnum dei patris domino cõgregante tranſibunt,apoſtolo dicente: Cum tradet regnum deo patri,cum euacuauerit omnem principatum & omnem poteſtatem & uirtutem. Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Omnes enim ſubijciet ſub pedibus eius. Nouiſſima enim euacuabitur mors. Cum dixerit: omnia ſunt ſubiecta præter illum qui ei ſubiecit omnia,tunc ipſe ſubiectus erit illi qui ei ſubiecit omnia,ut ſit deus omnia in omnibus,hic ergo populus eſt propinquans regno dei patris per regnum filij dei proximus. Regnat itaq; dominus traditurus deo patri regnum, non regni poteſtate carituru, ſed nos qui regnum eius ſumus, deo patri traditurus in regnũ. Regni traditio noſtra prouectio eſt, ut qui in regno filij erimus, in regno quoq; ſimus & patris, digni per id regno patris, quia digni regno erimus & filij, proximi tum patris regno cum filij erimus regnum, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Pſalmus. CXLVII. Alleluia.

CAntate domino canticum nouum, laus eius in eccleſia ſanctorum. Et reliqua. Superior pſalmus omnem creationum diuerſitatem ad laudem dei creatoris eſt adhortatus, & ordo à cœleſtibus cœptus cuncta terræ ac maris, & aëris animantia percurrit, uniuerſo quoq; genere ætatum, ſexuum, poteſtatũ ad honorem debitæ confeſſionis admonito,ut gloriam eius,qui ſe ad uitam animaſſet, firmaſſet, ornaſſet pius gratiarum ſermo celebraret. Poſtquam (ut dignum fuit) propheta pſalmi huius fine proprium officij ſui munus expleuerat,omnibus quidem ad laudem diuinam adhortatis,hymnum tantum eſſe ſanctorum eius oſtendit. Filijs ſcilicet Iſraël populo qui fieret deo proximus,cum uniuerſitas omnis deum ex uitæ ſuæ ſenſu,& gratulatione laudaſſet,Iſraël tamen eius ſolus appropians hymnũ de cognitionis ac dignationis diuinæ familiaritate cantaret. Poſt quæ nunc ad cantandũ deo nouum canticum.

Aberat finis huius operis,quod extremæ paginæ ferè ſoleant,uel elabi,uel exſcindi.

Diui Hila

S. DIVI HILARII PICTAVORVM EPI
SCOPI, DE PATRIS ET FILII VNI/tate, & aliquot locorum ſacræ ſcri/pturæ interpretatio.

DEVS qui ubicꝙ eſt, & ubicꝙ totus eſt, ita regionem intelligentiæ excedit, extra quem nihil eſt, cui ſemper eſt ut ſemper ſit, ut hoc modo ſe uelit in ueritate ſacramenti intelligi. Hoc imperſpicabilis naturæ eſt nomen in patre, quod deus inuiſibilis, ineffabilis, infinitus: ad quem & eloquendum ſermo ſileat, & inueſtigandum ſenſus hebetetur, & complectendum intelligentia coartetur. Deficit ergo in nuncupatione confeſſio, & quicquid illi ſermonum aptabitur, deum ut eſt, quantusꝙ eſt, nonloquetur. Perfecta ſcientia eſt, ſic deum ſcire, †ut licet ignorabilem, nõ tamen inenarrabilem ſcias. Credendus eſt, intelligendus, adorandus eſt, & iſs officiis eloquendus. Eſt autem filius progenies ingeniti, unus ex uno, uerus à uero, uiuus à uiuo, perfectus à perfecto, uirtutis uirtus, ſapientię ſapientia, gloria gloriæ, imago inuiſibilis dei, forma patris ingeniti. Habet igitur natiuitatis huius utiꝙ ſecretum, & ſi quis forte intelligentiæ ſuæ imputauerit generationis huius ſacramentum non poſſe conſequi, cum tamen & pater ſit abſolute intellectus, & filius nec maior eo, nec minor, ſine dolore à me audiet, ignoro, ego neſcio, non requiro. Conſolabor me tamen: Archangeli neſciunt, Angeli non audierunt, Propheta non ſenſit, Apoſtolus interrogauit, filius ipſe non addidit. Ceſſat dolor querelarum. Non te quiſquis es qui hæc quæris, reuoco in excelſum, non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum. Hæc de natura diuinitatis attigimus, non ſummam intelligentiæ comprehendentes, ſed intelligentes incõprehenſibilia eſſe quæ loquimur. Nullum ergo, dicis, officium fidei eſt, ſi nil poterit cõprehendi. Imò hoc officium fides profiteatur. Deinde quæritur incomprehenſibile ſibi eſſe ſe ſcire. Supereſt de inenarrabili generatione filij adhuc aliquid, imò aliquid illud adhuc totũ eſt. Aeſtuo, differor, hebeſco, & unde incipiam neſcio: Neſcio enim quando natus ſit filius, & nefas mihi eſt ſcire quando natus ſit filius. Quem imprecer? quem implorem? ex quibus libris ad tantarum difficultatum narrationem uerba præſumam? Euoluram Græciæ ſcholam? Sed legi: Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor ſeculi? In hoc ergo mundo Sophiſtæ multi & ſapientes ſunt, ſapientiam autem dei reprobauerunt. Scribam legis conſulam? Sed ignorat, & crux Chriſti ſcandalum eſt. Hortabor forte uos conniuere, & tacere: Quia ad uenerationem eius ſatis ſit, quod in Euangelijs prædicatur tanta inter homines feciſſe ſtupenda prodigia. Conſtat enim mecum in patrocinium meditatarum difficultatum piſcator egens, ignotus, indoctus, manibus lino occupatis, ueſte humida, pedibus lino oblitus totus è naui. Quærite & inuenite, utrum mirabilius fuerit, mortuos ſuſcitaſſe, an imperito ſcientiam iſtius doctrinæ intimaſſe. Ait enim: In principio erat uerbum. Tranſeunt tempora, tranſmittuntur ſecula, tolluntur ætates, piſcator meus illiteratus liber à tempore eſt, uicit omne principium. Tractantes ante paucos dies de indifferenti natura dei patris, & dei filij, & quod dictum eſt: ego & pater unum ſumus, demonſtrauimus filium non ad ſolitarium deum proficere, ſed ad unitatem indiſcretæ ſecundum generationem diuinitatis: dum neꝙ aliunde, quàm ex deo natus eſt, & ex deo deus non poteſt non id eſſe, quod deus eſt. Percurſisꝙ, etſi non omnibus, tamen ad intelligentiam ſufficientibus, dictorum diuinorum atque Apoſtolicorum teſtimonijs, quibus inſeparabilis natura ac poteſtas patris & filij doceba/tur, uſꝙ

Deus quomodo uelit intelligi

†*Forte ſic legendum eſt: ut licet inenarrabilem, non tamen ignorabilem*

Recte quædã ignoramus circa diuinitatem

Fidei officium

Sophi circa res diuinas hallucinantur

Coloß 2. tur, uſq; ad hunc apoſtolicæ fidei locum uenimus quo ait: Videte ne quis uos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum: quia in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. In quo per inhabitantem in eo corporalem diuinitatis plenitudinẽ, uerum & perfectum, & paternæ naturæ deum demonſtrari docuimus. Ita & inhabitans plenitudo nec diuerſum intelligeretur, nec unicum, cum & corporalis habitatio proprietatem naturalis unitatis in deo, qui ex deo ſubſtitiſſet, doceret: & habitans in Chriſto deus, ſubſiſtentis Chriſti natiuitatem, dum eius eſt & habitator, oſtenderet. Per quod impietati eorum ſatis ſuperq; arbitror fuiſſe reſponſum, qui id quod à domino dictum eſt: Qui me uidet, uidet & patrem, Et: Pater in me, & ego in patre, Et: Ego & pater unum ſumus, Et: Omnia quæ patris ſunt, mea ſunt, ad unitatem & concordiam uoluntatis tantum referrent: ut quia dicti fides maneret, tamen dicti intelligentiam fallacis doctrinæ religio ementita corrumperet, & cum negari non poſſet in iſs uoluntatis aſſenſus, in quibus naturæ unitas prædicatur, ad abolendam tamen eam, quæ ſecundum natiuitatem eſt unitatem, ſocietas tantum concordiæ crederetur. Sed beato Apoſtolo poſt multa naturalis ueritatis non ambigua præconia, corporaliter habitantis diuinitatis plenitudinem in Chriſto docente, abſciſſa eſt omnis impietas falſæ aſſertionis: cum naturalem unitatem incorporalis diuinitatis habitatio corporaliter efficeret, ut id quod non ſolus eſt filius, ſed quod in eo manet pater: neq; ſolum manet, ſed & operatur & loquitur, neq; ſolum operatur & loquitur, ſed & uidetur, ne ſint nuncupatiua, ſed uera: dum habet in ſe per ſacramentum natiuitatis & uirtus uirtutem, & poteſtas poteſtatem, & natura naturam tenens per natiuitatem ipſa. Quod cum eſt, & ex ſe per imaginem referens quod in ſe eſt, dum & imago eſt autoris, & ueritas: Quia perfecta natiuitas perfectam imaginem præſtat, & plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitans, naturalem obtinet ueritatem. Et hæc quidem quamuis ita ſe, ut ſunt, habeant: quia naturalis ex deo deus non poteſt niſi in ea natiuitatis ſuæ natura eſſe, qua deus eſt, & uiuentis naturæ indifferens unitas inſeparabilis à ſe eſt ſub uiuentis natiuitate naturæ, tamen per fidei euangelicę ſalutarem confeſſionẽ ſubrepunt Hæretici ad ueritatis excidiũ, ut naturalem filio detrahant unitatem, dum aliter atque ad aliud dicta, aliter atque in aliud intelligenda componunt. Negantes itaq; dei filium, utuntur ea autoritate qua dixerat; Quid me dicis bonum? nemo eſt bonus, niſi unus deus. Vt quia unum deum profeſſio eius locuta ſit, quicquid illud exinde in dei nomine erit, iam non in natura dei maneat, quia deus unus eſt. Atque ut id quod ipſe, quod deus dicitur, nuncupatione potius, quam ueritate ſit, hinc confirmare nituntur, quia dixerit: Hæc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant te ſolum uerum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et ut extra proprietatem ueri dei ſit, id adjciunt: Non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod uiderit patrem facientem. Quid quod & illud? Quia uado ad patrem, quoniam pater maior me eſt. Poſtremo iam quaſi indiſſolubili abnegatæ diuinitatis profeſſione ſubuertiſſe ſe fidem eccleſiæ gloriantur, cum relegunt: De die autem illa, & hora, nemo ſcit, neque Angeli in cœlis nec filius, niſi pater ſolus. Non enim uidetur exæquabilis per natiuitatem eſſe natura, quæ ignorationis ſit neceſſitate diuerſa: Et pater ſciendo, & filius neſciendo manifeſtent diſſimilitudinẽ diuinitatis: quia & ignorare deus nihil debeat, & ignorans non comparandus ſit ſcienti. Sed hęc omnia nec ratione intelligentes nec temporibus diſcernentes, nec ſacramentis euangelicis apprehendentes, nec dictorum uirtutibus ſentientes, ſtulto atque imperito furore aduerſus diuinitatis naturam loquuntur, ad implendas aures ignorantium ſola hæc & nuda memorantes, aut

Vnitatem quidam putauerunt tantummodo eſſe uoluntatem

Negantes filium quibus nitantur argumentis

Intelligentiæ diuinæ ſcripturæ amuſſes quædam

abſolutio-

abſolutionibus eorum tacitis,aut cauſis cum dictorũ intelligentia,aut ex propoſitis, aut ex conſequentibus expetatur. Quorum quidem ſuperius memoratorum rationem ex ipſis uel Euangelicis uel apoſtolicis profeſſionibus præſtituri, admonendos eſſe omnes cõmunis fidei exiſtimamus,ut in qua cõfeſſione æternitas uitæ eſt, in eadem ſit intelligentia æternitatis. Neſcit planè uitam ſuam, neſcit, qui Chriſtũ Ieſum ut uerũ deum,ita & uerum hominem ignorat.Et eiusdem periculi reatus eſt,Chriſtum Ieſum,uel ſpiritum deum,uel carnem noſtri corporis denegare. Omnis ergo,inquit, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui eſt in cœlis: Qui autem negauerit me coram hominibus,negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis eſt. Hæc uerbũ caro factũ loquebatur,& homo Chriſtus Ieſus dominus maieſtatis docebat,mediator ipſe in ſe ad ſalutem eccleſiæ conſtitutus, & ipſo illo inter deum & homines mediatoris ſacramento utrunq; unum exiſtens,dum ipſe ex unitis in idipſum naturis naturæ utriuſq; res eadem eſt. Ita tamen,ut neutro careret in utroq;, ne forte deus homo naſcendo eſſe deus deſineret:& homo deus rurſum manendo homo nõ eſſet.Hęc itaq; humanæ beatitudinis fides uera eſt, deũ & hominem prædicare, uerbum & carnem confiteri,neq; deum neſcire quod homo ſit,neque carnem ignorare quod uerbum ſit. Quum autem contra naturam ſenſus noſtri deus manens homo naſcitur,iam non eſt contra naturam ſpei noſtræ, ut natus homo deus maneat,cum potior natura in inferiorem nata fidem pręſtet,inferiorem in naturam naſci poſſe potiorem. Et quidem ſecundũ legem & conſuetudinẽ mundi,promptius magis ſpei noſtræ,ut natus homo deus maneat,quàm diuini ſacramenti effectus eſt. Namq; mundus in ijs quæ naſcuntur, habet incrementi uirtutem, nõ habet diminutionis poteſtatem. Cerne arbores,ſata,pecudes,ipſum quoq; particípem rationis hominem contuere, ſemper proficit augmento, nunq; uero diminutione contrahitur, nec ſeſe caret quod excreuit ex ſeſe. Nam tametſi & ætate marceſcat, aut morte perimatur,habet quidem aut diminutionem in tempore, aut ſinem in conſtitutione uiuendi. Cæterum hoc quod ſit non habet in uirtute non eſſe, ut nouum ſe per diminutionẽ condat ex eodem,id eſt,ut ex ſene decedat in paruulũ. Naturæ ergo noſtræ neceſſitas in augmentum ſemper mundi lege profecta, non impudentem profectum naturæ potioris expectat,cui & incrementum ſecundum naturam eſt, & diminutio contra naturam eſt.Deo itaq; proprium fuit,eſſe aliud quàm manebat,nec tamen nõ eſſe quod manſerat: naſci in hominem deum, nec tamen deum eſſe deſinere,contrahere ſe uſq; ad cõceptum & cunas,& infantiam,nec tamẽ dei poteſtate decedere.Hoc non ſibi,ſed nobis eſt ſacramentũ: neq; aſſumptio noſtra deo profectus eſt,ſed cõtumeliæ ſuæ uoluntas noſtra profectio eſt:dum nec amittit ille quod deus eſt,& homini acquirit ut deus ſit. Natus igitur unigenitus deus ex uirgine homo, & ſecundum plenitudinem temporũ in ſemetipſo perfecturus in deum hominem,hunc per omnia Euangelici ſermonis modũ tenuit,ut ſe dei filium credi doceret, & hominis filium prædicari admoneret: loquutus & currens homo,uniuerſa quæ dei ſunt loquens,deinde & gerens deus uniuerſa quæ hominis ſunt:ita tamẽ,ut ipſo illo utriuſq; generis ſermone nunquam ſine ſignificatione & hominis loquutus,& dei ſit. Vno tamen deo patre ſemper oſtenſo, & in natura unius dei per natiuitatis ueritatem profeſſo: nec tamen ſe deo patri non & filij honore, & hominis conditione ſubdente, cum & natiuitas omnis ſe referat ad autorem, & caro ſe uniuerſa ſecundũ deum profiteatur infirmam. Hinc itaq; fallendi ſimplices atq; ignorantes Hęreticis occaſio eſt,ut quæ ab eo ſecundũ hominem dicta ſunt, dicta eſſe ſecundũ naturæ diuinæ infirmitatẽ mentiantur. Et quia unus atq; idem eſt loquens omnia quæ loquitur, de ſeipſo omnia cum locutũ eſſe

Matth.10

Superior natura in inferiorem poteſt deſcendere

Incrementum ſecundum naturam eſt

Hæreſes circa diuinitatẽ unde ortæ ſint

contendant. Nec ſanè negamus, totum illius uiri qui eius naturæ eſt, fuiſſe ſermonem. Sed ſi Ieſus Chriſtus & homo & deus, & neq; cũ homo ſit, tum primũ deus, neq; tum cum homo, tum nõ etiam & deus: neq; poſt hominem in deo non totus homo, totus deus, unum atq; idem neceſſe eſt dictorũ eius ſacramentũ eſſe quod generis. Et cum in eo ſecundũ tempus diſcernis hominem à deo, dei tum atq; hominis diſcerne ſermonẽ. Et cũ deũ atq; hominem in tempore cõfiteberis, dei atq; hominis in tempore dicta dijudica. Cum autẽ ex homine & deo rurſus totius hominis, totius etiam dei tempus intelligis, ſi quid illud ad demonſtrationẽ eius temporis dictum eſt, tempori coaptato quæ dicta ſunt: ut cũ aliud ſit ante hominem deus, aliud ſit deus & homo, aliud ſit poſt hominem & deum totus homo, totus deus, nõ confundas temporibus in generibus diſpenſationis ſacramentum: cum pro qualitate generum ac naturarum, alium ei in ſacramento hominis neceſſe eſt ſermonem fuiſſe nõ nato, alium adhuc morituro, alium iam æterno. Noſtri igitur cauſa hæc omnia Chriſtus Ieſus manẽs quod erat, & corporis noſtri homo natus ſecundum conſuetudinem naturæ noſtræ locutus eſt, non tamen omittens nõ naturæ ſuæ nõ eſſe quod deus eſt. Nam tametſi in partu, & paſſione, & morte naturæ noſtræ res peregerit, res ipſas omnes tamen uirtute naturæ ſuæ geſſit, dum ſibi ipſe origo naſcendi eſt, dum pati uult, quod eum pati nõ licet, dum moritur qui uiuit. Et tamen cum hæc deus per hominem agit, per ſe natus, per ſe paſſus, & ex ſe mortuus, nõ & hominem ſe nõ egit, dum & natus & paſſus, & mortuus eſt. Hæc autẽ ante conditionem mundi ſacramenta ſunt cœleſtiũ myſteriorũ conſtituta, ut unigenitus deus homo naſci uellet, manſuro in ęternũ in deo homine: ut deus pati uellet, ne paſſionibus humanæ infirmitatis diabolus deſæuiens, legem in nobis peccati deo infirmitatẽ noſtram aſſumente redimeret: ut deus mori uellet, ne qua inſolens poteſtas aduerſus deũ eſſet, neq; creatæ in ſe uirtutis poſſet uſurpare naturam, cum ſe immortalis deus intra legem mortis habuiſſet. Naſcitur itaq; deus aſſumptioni noſtræ, patitur uero innocentiæ, poſtremo moritur ultioni, dum & homo noſter in deo permanet, & infirmitatũ noſtrarum paſſiones deo ſociæ ſint, & ſpiritalis nequitiæ ac malitiæ poteſtates triumpho carnis deo per carnem morient ſubduntur. Huius ergo ſacramenti Apoſtolus conſcius, & per dominum ipſum fidei ſcientiam adeptus, cum nõ ignoraret incapacem eſſe mundũ & homines eius philoſophiæ ait: Videte, ne quis uos ſeducat per philoſophiam, & inanẽ deceptionem ſecundum traditionem hominum, ſecundũ elementa mundi, & nõ ſecundum Chriſtum: quia in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis. Expoſita itaq; habitantis corporaliter in eo diuinitatis plenitudine, ſacramentũ aſſumptionis noſtræ cõtinuo ſubiecit, dicens: Et eſtis in illo repleti. Vt enim in eo diuinitatis eſt plenitudo, ita nos in eo repleti ſumus. Neq; ſanè ait eſtis repleti, ſed in illo eſtis repleti: quia per fidei ſpem in uitam æternã regenerati, ac regenerandi omnes nũc in Chriſti corpore manent, replendis poſtea ipſis non iam in eo, ſed in ipſis ſecundum tempus illud de quo Apoſtolus ait: Qui transfigurabit corpus humilitatis noſtræ conforme corpori claritatis ſuæ. Nunc igitur in eo repleti ſumus, id eſt, per aſſumptionem carnis eius, in qua diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat, & huius ſpei noſtræ non exigua in eo poteſtas eſt. Nam quod repleti in illo ſumus, hoc eſt caput & principium omnis poteſtatis, ſecundum illud: ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Confeſſio enim hæc erit, quia Ieſus in gloria eſt dei patris, & natũ in homine, iam nõ in infirmitate noſtri corporis manere, ſed in dei gloria. Et hoc lingua omnis confitebitur. Et cũ cœleſtia & terreſtria genua flectent, hoc caput omnis principatus & poteſtatis eſt, ut

Alius atque alius eſt ſermo filij

Chriſtus naturæ noſtræ ſe attemperauit

Repletos nos eſſe in Chriſto quid ſit in Paulo

& om-

& omnia genua flectendo ſubiecta ſint, in quo ſumus ſubiecti, & cui ſumus ſubiecti, & quia per habitantẽ in ſe corporaliter diuinitatis plenitudinẽ in dei patris ſit gloria cõfitendus. Demonſtrato autẽ & naturæ ſuæ & aſſumptionis noſtrę ſacramento, cum in eo plenitudine diuinitatis manente, nos in eo per id quod homo natus eſt repleamur, reliquam diſpenſationem ſalutis humanæ exequitur dicens: In quo & circunciſi eſtis, circunciſione nõ manu facta, in expoliationẽ corporis carnis, ſed in circunciſionem Chriſti, conſepulti ei in baptiſmate, in quo & conreſurrexiſtis per fidem operationis dei, qui excitauit eum à mortuis. Circuncidimur itaq; nõ circunciſione carnali, ſed circunciſione Chriſti, id eſt, in nouũ hominẽ renati. Cũ enim conſepelimur baptiſmate, ei mori neceſſe eſt, & ueteri homini, quia regeneratio baptiſmi reſurrectionis eſt uirtus. Et hæc reſurrectio Chriſti eſt, nõ expoliari carne præputij, ſed totos cõmori ei, & per id poſtea totos uiuere: In eo em̃ reſurgemus, per eius fidem qui eũ ſuſcitauit à mortuis. Credendus ergo deus eſt, cuius operatione Chriſtus excitatur à mortuis, quia fides iſta conreſurgit in Chriſto, conſummaturq; deinde omne adſumpti hominis ſacramentũ. Et uos mortui, inquit, cũ eſſetis in delictis, & præputio carnis ueſtræ, uiuificauit cum illo donatis nobis omnibus delictis, delens quod aduerſum nos erat chirographum in ſententijs, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, exutus carne, & poteſtates oſtentui eſſe fecit, triumphatis eis in ſemetipſo. Apoſtoli cam fidem ſeculi homo nõ capit, & ſenſus ſui dicta alius præterq; ipſius ſermo nõ explicat. Deus Chriſtum à mortuis excitat, Chriſtũ, in quo corporaliter diuinitatis plenitudo inhabitat, ſed conuiuificauit nos in illo, donans nobis peccata, & delens chirographum legis peccati, quod per ſententias anteriores cõtrarium nobis erat. Hoc tollens de medio, & cruci affigens, mortis lege carne ſe ſpolians, poteſtates oſtentui reddens, triumphatis ijs in ſemetipſo. At de triumphatis poteſtatibus in ſeipſo, atq; oſtentui redditis, deletoq; chirographo, uiuificatis nobis, iam ſuperius tractauimus. Hoc uero ſacramentũ quis uel apprehendet, uel loquetur? Suſcitat operatio dei Chriſtũ à mortuis, & hæc eadẽ operatio donat peccata, delet chirographũ, affigit crucí, carne ſe exuit, poteſtates oſtentui reddit, & de ijs in ſemetipſo triumphat. Habes & Chriſtũ hæc ipſa in ſe, quæ deus operat̃, operantẽ. Chriſtus enim mortuus eſt, carne ſe expolians. Tene ergo Chriſtũ hominem à deo excitatum, tene deum Chriſtũ ſalutis noſtræ operationes cũ eſſet moriturus operantem, ut cũ hæc deus operatur in Chriſto, operans licet deus, ſpolians ſe tamẽ Chriſtus carne moriturus ſit. Et cum mortuus ſit Chriſtus, operãs ante mortem deus, mortuum tamen Chriſtũ operatio dei excitet, cũ ipſe ſit Chriſtum à mortuis excitans, qui eſt ante mortẽ Chriſti operatus, & idem ſit ſpolians ſe carne moriturus. Iaḿne Apoſtolicæ fidei ſacramentũ intelligis? iaḿne Chriſtũ cognitum habes? Quæro enim à te, qui ſit carne expolians? & quæ ſit caro illa ſpoliata? Duplicis enim ab Apoſtolo teneo intelligentiæ ſignificationem, ſpoliatæ carnis, ſecq; carne ſpoliantis. Et inter hæc Chriſtũ audio per operationem dei à mortuis excitatũ. Et cum ſit Chriſtũ à mortuis excitans deus, ſitq; & Chriſtus excitatus à mortuis, interrogo, quis eſt carne ſe ſpolians? & quis eſt Chriſtũ à mortuis excitans, noſcq; uiuificans cum Chriſto? Si enim nõ idem eſt Chriſtus mortuus, qui eſt caro ſpoliata, carnis ſpoliatæ nomen oſtende: & rurſum naturam eius qui ſe carne ſpoliauit expone. Eundem enim eſſe inuenio deum Chriſtũ à mortuis excitatum qui ſe carne ſpoliauit: & rurſum ſpoliatam carnem Chriſtũ à mortuis excitatũ: deinde principatus & poteſtates oſtentui reddentem, & triumphantem reperio in ſemetipſo. Sentiśne quod à ſe differat caro ſpoliata, & carne ſe ſpolians? In ſemetipſo enim triumphat, id eſt, in ea qua ſe carne ſpoliauit. Videśne ita deũ & hominem prędi-

Commori Chriſto eſt uere uiuere

Paulus optimus eſt ſui interpres

Chriſtum à mortuis ſuſcitatum quomodo intelligatur

Alia à Chriſto diuinitati accommodantur, alia humanitati

cari, ut mors homini, deo uero carnis excitatio deputetur? Non tamen ut alius ſit per quem mortuus reſurgat: Spoliata enim caro Chriſtus eſt mortuus, & rurſum Chriſtum à mortuis excitans idem Chriſtus eſt carne ſe expolians. Naturam dei in uirtute reſurrectionis intellige, diſpenſationem hominis in morte cognoſce. Et cũ ſint utraq; ſuis geſta naturis, unum tamẽ Chriſtũ Ieſum eũ eſſe memento, qui utrunq; eſt. Quanq; enim meminerim frequenter ad deũ patrem per Apoſtolum referri Chriſtum à mortuis excitatum, ſed nõ eſt Apoſtolus extra Euangelicam fidem dictis ſuis ipſe cõtrarius, maxime domino dicente: Propter hoc diligit me pater, quod ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam: nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me: poteſtatem habeo ponendi eam, & iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre. Vel cum poſtulatũ ab eo eſſet, ut ſignũ ad fidem de ſe oſtenderet, ait de templo corporis ſui: Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud. Cum enim & per accipiendæ animæ poteſtatem, & per ſuſcitandi templi uirtutem unum ſibi reſurrectionis ſuę deum doceat, totũ hoc tamen ad mandati paterni referens autoritatem, nõ contrarie intelligitur Apoſtolus, Chriſtum dei uirtutem, & dei ſapientiam prædicans, omnẽ operis ſui magnificentiam per id ad gloriam patris retuliſſe: quia quicquid gerit Chriſtus, uirtus dei & ſapientia gerit, deus ſine dubio gerit, cuius & ſapientia & uirtus eſt Chriſtus. Denique nunc per operationem dei excitatus Chriſtus à mortuis eſt: quia opera dei patris ipſe natura à deo nõ differente operatus eſt, & in eo deo fides eſt reſurrectionis, qui Chriſtum ſuſcitauit à mortuis. Hanc ergo Apoſtolus geminæ in Chriſto ſignificationis tenuit prædicationẽ, ut & infirmitatẽ in eo hominis, & uirtutẽ dei ac naturam doceret, ſecundũ illud Corinthijs dictum: Nam & ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed uiuit ex uirtute dei. Mortem infirmitatem oſtendens. Et illud ad Romanos: Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem uiuit, uiuit deo: Sed & uos deputate uoſmetipſos mortuos quidẽ eſſe peccato, uiuere autẽ deo in Chriſto. Mortẽ peccato, id eſt, corpori noſtro aſcribentes, uitam aũt deo, cui eſt naturale quod uiuit, & per id corpori noſtro mori oportere, ut deo uiuamus in Chriſto Ieſu, qui peccati noſtri corpus aſſumens, totus iam deo uiuit, naturæ noſtræ ſocietate in cõmunione diuinæ immortalitatis unita. Hæc igitur demonſtranda à me paucis fuerunt, ut utriuſq; naturæ perſonam tractari in domino Ieſu Chriſto meminiſſemus, quia qui in forma dei manebat, formam ſerui accepit, per quã obediens uſq; ad mortem fuit. Obedientia enim mortis nõ eſt in dei forma, ſicuti nec dei forma ineſt in forma ſerui. Per ſacramentũ autẽ Euangelicæ diſpenſationis nõ alius eſt in forma ſerui, quàm qui in forma dei, quanq; tamẽ formam ſerui accipere, & in forma dei manere nõ idem ſit. Cumq; accipere formam ſerui non niſi per euacuationem ſuam nõ ſit impotens, qui manebat in dei forma, nõ conueniunt ſibi formæ utriuſq; concurſu, ſed non alius eſt atq; diuerſus, & qui ſe exinaniuit, & qui formam ſerui accepit. Accepiſſe enim nõ poteſt eius eſſe qui nõ ſit, quia eius ſit qui ſubſiſtat accipere. Ergo euacuatio formæ nõ eſt abolitio naturę: quia qui ſe euacuauit, nõ caret ſeſe: & qui accepit manet: & cũ ipſe ſit euacuans, & accipiẽs, habet quidem in eo ſacramentũ quod ipſe euacuet & accipiat, nõ tamẽ habet interitum, ne nõ extet euacuans, & ne non ſit accipiens. Itaq; euacuatio eò proficit, ut proficiat forma ſerui, nõ ut Chriſtus, qui in forma dei erat, Chriſtus eſſe nõ maneat, cum formam ſerui non niſi Chriſtus acceperit. Qui cum ſe euacuauerit, ut manens eſſet in ſpiritu, idem Chriſtus homo eſt factus in corpore: demutatio habitus, & aſſumptio naturæ naturam manentis diuinitatis non perimit: quia unus atque idem Chriſtus ſit & demutans habitum, & aſſumens. Oſtenſa itaque ſacramentorum diſpenſatione, per quam Hæretici ignorantes quoſque fallerent,

Iohn. 2

Chriſtus ſapientia eſt patris

2. Cor. 13

Rom. 6

Mors peccato, id eſt, corpori adſcribenda

ut ea

ut ea quæ pro aſſumpti hominis natura dicta geſtaq; ſunt, omnia infirmitati diui-
nitatis aſcriberent, & formæ dei deputarent quicquid formæ ſerui aptatũ proprie
eſt. Nunc ipſis propoſitionibus eorum reſpondendum eſt. Tutò enim iam dicto-
rum ſingulorum genera diiudicabuntur, cum uerbũ & carnem, id eſt, deum & ho
minem Ieſum Chriſtum ſola fide ſit confiteri. Deum igitur dominum noſtrum *Calumniæ*
Ieſum Chriſtum ex eo negandum per naturam Hæretici exiſtimant, quia dixerit: *Hæreticorũ*
Quid me dicis bonum? nemo eſt bonus, niſi ſolus deus. Omnis reſponſionum ra-
tio neceſſe eſt ut ex interrogationum cauſis proficiſcatur: ad id enim reſpondebi-
tur, unde quæritur. Et primum requiro à dicti huius calumniatore, utrum ne id ar-
guere dominũ exiſtimet, cur bonus dictus ſit, quum maluerit malus dici? Id enim
ſignificare uidetur hoc dicto, quid me dicis bonũ? Non opinor quiſquam tam ue-
cors erit, ut malitiæ profeſſionem ei uelit aſcribere, qui dixerit: Venite ad me om- *Matth. 11*
nes qui laboratis & onerati eſtis, & ego uos reficiam: diſcite à me quia mitis ſum
& humilis corde. Mitem ſe profitetur atq; humilem, & iraſci creditur cur bonus
dictus ſit. Profeſſionum hæc diuerſitas diſſidet, ut bonitatis ſuæ teſtis nomen in ſe
bonitatis accuſet. Non ergo iraſci intelligitur ſe bonũ dici. Et quærendũ eſt, quam
aliam de ſe profeſſionem arguat, qui non credendus eſt nomen in ſe bonitatis ar-
guere. Videamus itaq;, quid niſi bonum interrogans dixerit, Ait enim, magiſter
bone, quid boni faciam? Duas igitur res cõnuncupauit, & bonum, & magiſtrum.
Et quoniam non arguit ſe bonum dici, hoc neceſſe eſt arguat, quod magiſter bo- *Bonum ſe di-*
nus dictus ſit: Ita autem arguit ſe magiſtrũ bonum dici, ut fidem interrogantis po *ci Chriſtus*
tius, quàm magiſtri in ſe uel boni nomen argueret. Iuuenis enim inſolens, per ob- *non arguit*
ſeruantiam legis, & finem legis, qui Chriſtus eſt, inſciens, & iuſtificatum ſe in ope
ribus bonis exiſtimans, & intelligens ueniſſe eum ad oues perditas domus Iſraël,
& impoſſibile eſſe legi per fidem iuſtificationis ſaluare credentes, tanquam com-
munium præceptorum, & in lege ſcriptorum, magiſtrum interrogat, dominum le
gis & unigenitum deum deteſtatus. Itaq; dominus ad hanc de ſe irreligioſæ fidei *Magiſter le-*
profeſſionem, quod tanquam magiſter legis interrogaretur, reſpondit: Quid me *gis nonuoluit*
dicis bonum? Atq; ut ſignificaret, quatenus deus intelligendus & profitendus eſ- *Chriſtũ dici*
ſet, ſubiecit: Nemo bonus, niſi ſolus deus. Nõ reſpuens bonitatis nomẽ, ſi ſibi hoc
tanquam deo deputaretur. Deniq; oſtendẽs ſe magiſtri in ſe boni, per fidem eius,
qui tanquam hominem interrogabat, nomen arguere, poſt iactantiam iuuenis, &
gloriam legis impletę ita reſpondit: Vnum tibi deeſt, uade, quodcunq; habes uen
de, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & ueni, ſequere. Non refugit
de ſe bonitatis nomen, qui cœleſtem theſaurum pollicetur: nec magiſtrum ſe non
uult uideri, qui ducem ſe huius perfectæ beatitudinis præſtat: terrenę autem de ſe
opinionis fidem arguit, bonitatem in ſolo deo docens eſſe: & ut ſe & deum, & bo-
num ſignificaret, & bonitatis eſt uſus officijs, cœleſtes theſauros pandẽs, & ſe ad
eos præuium tribuens. Ita & quæ ſibi tanquam homini tantum deferebantur, de-
teſtatur, neq; ſe ab ijs quæ deo deputabat, profeſſus eſt alienũ eſſe: cum unum bo-
num deum confitens, ea ipſe loqueretur atq; ageret, quę unius dei uirtutis, bonita
tis atq; naturæ ſunt. Quàm igitur bonitatis nomen non refugerit, ſed neq; magi-
ſtri honorem recuſauerit, ſed fidem eius, qui in ſe nihil niſi corporeum & carnale
ſapuiſſet, arguerit, hinc intelligitur, quod aliter ad Apoſtolos magiſtrum ſe confi-
tentes locutus eſt, dicens: Vos uocatis me magiſtrum & dominũ, & bene dicitis, *Matth. 23*
ſum etenim. Et cũ alibi dixiſſet: nec uocemini magiſtri, quia magiſter ueſter unus
eſt Chriſtus. Vbi cum fide magiſter eſt, ibi adeo laudat, ut & profiteatur hoc no-
men: hic uero boni magiſtri nomen non recognoſcit, ubi nec dominus intellectus
eſt eſſe, nec Chriſtus, ſolum unum deũ bonum prædicans: nõ ſe utiq; à deo diſcer-

nens,qui & dominum ſe profeſſus eſt & Chriſtũ, ducem theſauri cœleſtis oſtendens. Tenuit autem huius ſemper dominus modum in docendo nominis, ut patrem deum unum prædicans, à ſacramento dei non ſe ſeparet unius, dum per naturam natiuitatis neque alium deum ſe profitetur eſſe, neque ipſum: quia eum nec diuerſi generis deum eſſe natura in eo unius dei patitur, neque natiuitas admittit non perfectum ei eſſe, quod filius eſt: per quod ita omnem ſermonis ſui ſignificationem temperarat,ut quicquid deo patri honoris proteſtaretur,modeſtiſſima confeſſione etiam ſibi proprium eſſe monſtraret. Cum enim ait: Credite in deum,& in me credite: quæro in quo natura ſe diſcreuerit,qui non diſcreuit in honore? Dicens enim, & in me credite, cum dixiſſet, in deum credite, an ne per ſe quod ait,in me,non & ſuam intelligitur ſignificaſſe naturam? Naturam plane ſepara,ſi fidem ſeparas. Si credidiſſe ſine Chriſto in deum uita eſt, Chriſtũ à dei & nomine & proprietate auelle. Quod ſi ad uitam proficit credere in Chriſto eos qui in deum credunt, uerbi uirtutem diligens lector expendat: Credite in deum, & in me credite. Cum enim ait, credite in deum, & in me credite, uiuens ſe fidei dei & naturæ eius uerbum,cum memorato deo,& in quem credi oporteret, & in ſe docuerit eſſe credendum,deum ſe per id docens, cum credendum in eo ſit ab iis qui in deũ credant.Occaſionẽ tamen irreligioſo unionis excluſit: quia cum,& in deũ & in ſe credendum profeſſus ſit,fidem de ſe ſolitario nõ reliquit.Quanq; igitur in plurimis ac penè omnibus dictis ſacramenti huius præſtiterit abſolutionẽ: ne quando confeſſus deum patrem,ab eius unitate diſcederet, neque ſe in unitate ipſius collocans,eundem tamen unum & ſolitarium profiteretur:tamen etiam ex hoc uel maxime intelligitur ſacramentũ & unitatis & natiuitatis doceri, cum ait:

Ioan.5 Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne,opera quæ dedit mihi pater ut perficiam ea:ipſa opera quæ facio teſtimonium perhibent de me, quia pater me miſit,& qui me miſit pater, ipſe teſtificatus eſt de me, neq; uocem eius unquam audiſtis,neq; figuram eius uidiſtis,& uerbũ eius non habetis in uobis manens,dum quem miſit ille,huic uos non creditis. Patrem teſtatum eſſe de filio quomodo uero intelligitur, cum nec ipſe uiſus ſit,nec uox eius audita ſit? Memini quidem de cœlis auditam uocem fuiſſe,dicentem:Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi bene complacui,ipſum audite.Et quomodo uox eius audita non eſt,cũ paternę uocis ſignificationem in ſe audita contineant? Sed forte in Hieroſolymis manentes non audierunt, quia in deſertis locis Ioannes ſolus audierit. Quærendum ergo in Hieroſolymis quomodo teſtatus eſt pater: non enim iam teſtimonio utitur Ioannis,uocem è cœlo audientis, ſed habet teſtimonium maius Ioanne. Et quod hoc eſſet,continuo ſubiecit:Opera enim quæ dedit mihi pater ut perficiam ea,ipſa teſtimonium perhibent de me,quia pater me miſit. Agnoſco teſtimonij autoritatẽ: neq; enim quiſquam niſi filius à patre miſſus hæc ageret: opus ergo ſuum teſtimonium eſt.Sed quid tandem ſequitur? Et qui me miſit pater, ipſe teſtificatus eſt de me, neq; uocem eius unquam audiſtis, neq; figuram eius uidiſtis, & uerbum eius nõ habetis in uobis manens. Extra crimen ergo ſint ignorantes teſtimonium patris? qui in iis unquam auditus, uel uiſus ſit, ut in iis non maneat uerbum eius? Sed non ſunt ſubuenti incognita ſibi excuſatione teſtimonij: quia teſtimonium de ſe patris operum ſuorum teſtimonium eſſe profitetur: Opera ergo de eo teſtantur,quod à patre ſit miſſus, ſed hoc operum teſtimonium patris eſt. Et cum operatio filij teſtimonium patris ſit, eam neceſſe eſt operari in Chriſto naturam intelligendum eſſe,per quam teſtis & pater eſt:atq; ita ſimul Chriſtus operans, in eius opere pater teſtans, oſtendunt ſe inſeparabilis ſecundum natiuitatem eſſe naturæ, cum dei de Chriſto teſtimonium ea ipſa Chriſti eſſe ſignificetur operatio.

Patrem de filio teſtari

Filij de patre teſtimonium quale

Non

Non ſunt itaq; extra reatũ non cogniti ſibi teſtimonij, cum opus Chriſti teſtimonium dei patris ſit: neq; in eo quod teſtantis uocem nõ audierint, & figuram non uiderint, & uerbum eius manens non habuerint, idcirco ſine teſtimonij ſunt conſcientia, ad id quod dictum eſt: neq; uocem eius audiſtis, neq; figuram uidiſtis, & uerbum eius nõ habetis in uobis manens: ut cum teſtatus de eo pater fuiſſet, cauſa tamen neq; uocis auditæ, neq; uiſæ figuræ, aut uerbi in his non manentis poſſet intelligi, continuo ſubiecit: Quoniam quem miſit ille, huic uos non creditis, Se credito, & uocem dei audiendam, & figuram uidendam, & uerbũ eius in his qui credunt eſſe demonſtrans, cum per naturæ unitatem in ſe pater & loqueretur & haberetur. Nunquid non & patrem ſignificat, cum miſſus ab eo ſit? Nunquid ſe per aliquam naturæ differentiam à patre diſcernit? cum hinc pater teſtans de eo, neq; auditus, neq; uiſus ſit, nec intellectus ſit: quia miſſo ſibi à patre creditũ non ſit. Non ſe ergo unigenitus deus à deo ſeparat, patrem deum confitens, ſed per ſignificationẽ patris deo patre demõſtrato, ſe quoq; in dei honore cõſtituit. Nanq; in hoc ipſo eodem ſermone, in quo operibus ſuis teſtari ſeipſum à patre eſſe miſſum docet, & patrem teſtantem, quod ab eo miſſus ſit ſignificat, cum dixiſſet: Et honorem eius qui eſt ſolus deus non quæritis: non tamen dictum hoc nudum, & non antea ad unitatis fidem præparatum reliquit. Superius enim ita ait: Non uultis uenire ad me, ut uitã habeatis. honorem ab hominibus non accipio, ſed cognoui uos, quia dilectionem dei non habetis in uobis. Ego ueni in nomine patris mei, & non accepiſtis me: Si alius uenerit in nomine ſuo, illũ accipietis. quomodo poteſtis uos credere, qui honorem ab inuicem accipitis, & honorem eius qui eſt ſolus deus non quæritis? Honorem improbat hominum, quia honor potius quęrendus à deo eſt, & infidelium eſt honorem ab alterutro accipere: quid enim homini honoris impertiet? Cognitum ſibi ait dilectionem dei in his non eſſe, & non manentis in his dilectionis dei hanc docet cauſam, quia ſe uenientem in nomine patris non accipiunt. Quid ergo eſt eum in nomine patris uenire? nunquid aliud, q̃ in nomine dei? Aut nunquid non idcirco in his dilectio dei non eſt, quia non ſuſceptus eſt in nomine domini ueniens? Aut nunquid in ſe non & naturam ſignificauerat dicens: Non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis? Nam & in eodem ipſo ſermone iam dixerat: Amen amen dico uobis, quia uenit hora, & nunc eſt, in qua audient mortui uocem filij dei, & qui audierint uiuent. Cum in nomine patris uenit, neq; ipſe pater eſt, nec tamen non in ea eſt diuinitatis natura, qua pater eſt, quia & filio, & deo proprium eſt in nomine patris uenire. Deinde & alius accipiendus in nomine eodem ueniens, ſed hic homo eſt, à quo ſibi honorem homines ſperabunt, & cui honorem reddent uiciſſim: cum tamen ſe idem in nomine patris ueniſſe fallet. Et hic quidem Antichriſtum ſignificari non obſcurum eſt, mendacio paterni nominis gloriantem: & cum hunc honorabũt, atq; ab eo honorabuntur, hunc enim ſpiritũ erroris excipient, honorem eius qui eſt ſolus deus nõ quærent. An ne cum ob hoc dilectionem dei nõ habeant, quia uenientem ſe in nomine patris non acceperint, & rurſum uenientem alium in eodem nomine recipientes, & honorem ab alterutro accipientes, honorem eius qui ſolus deus eſt, non requirant, ſeparare ſe Chriſtus ab honore unius dei poterit intelligi? cũ idcirco non quæratur honor ſolius dei, quia Antichriſtum ſuſcipiendo non ſit ille ſuſceptus. Nam cuius repudiatio honoris ſolius dei ſuſceptio, ipſius nimirum ſolius dei prętermiſſio eſt, in huius honore neceſſe eſt ſolius dei eſſe honorem, in cuius ſi ſuſceptione digne manſiſſent, honorem ſolius dei quęſiſſent. Et hic quidem ipſe ſermo teſtis eſt nobis, in cuius exordio cõtinetur, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem qui miſit illum. Nunquã niſi naturalia exæquantur in honore,

Honorẽ apud hoĩes uenantur Ethnici

In nomine patris uenisſe Chriſtum

Antichriſtus

neq; exæquatus honor ſeparat honorãdos,cum ſacramento tamen natiuitatis po
ſcitur honoris æqualitas,cum filius ita honorãdus ſit,ut pater.Et cum eius qui ſo
lus eſt deus honor quæritur,non eſt extra unius dei honorem, cuius honor idem
atq; unus & dei eſt:quia ut honorificans filium,nõ honorificat patrem,ita & ſoli
us dei honorem nõ quærens,non quærit & Chriſti. Et q̃ unus atq; idem utriuſq;
Mors Lazari etiam ex eo docet,cum ait,nunciata ſibi Lazari infirmitate: Infirmitas iſta nõ eſt
Ioan.11 ad mortem,ſed pro gloria dei,ut honorificetur filius dei per eum.Lazarus mortu
us eſt,ut filius dei glorificetur per Lazarum. Nũquid ambigitur in gloria filij dei
eſſe gloriam dei: cum mors Lazari,quæ deo ſit gloria,gloriam ſit filij dei operatu
ra: Atq; ita & naturalis per natiuitatem unitas dei patris in Chriſto docetur, cum
infirmitas Lazari pro gloria dei eſt:& ſacramentum fidei retinetur, cum per La
zarum glorificandus ſit dei filius,deo per id in dei filio cõfitendo, cum glorifican
do per Lazarum deo,dei ſit filius glorioſus. Inſeparabilis ſacramento diuinæ na
turæ eſt uiuentis à uiuente natiuitas,nec demutationem generis accipit filius dei,
ne non in eo paternæ naturæ ueritas maneat. Nam in his ipſis ſignificationibus,
quibus confeſſo uno tantum deo abnegaſſe in ſe naturam dei uidetur, ſub ſolius
demonſtratione, in unitate ſe tamen naturæ paternæ unius dei fidem non cõuel
lens locauit.Interrogatus enim à ſcriba,quod in lege eſſet principale mandatũ,re
ſpondit:Audi Iſrael,dominus deus tuus deus unus eſt,& diliges dominum tuum
ex toto corde tuo,& ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis,hoc eſt primũ
mandatum. Secundũ autẽ ſimile eſt huic: Diliges proximũ tuum ſicut teipſum:
maius autem horum mandatum non eſt. Alienaſſe ſe à natura & religione unius
Matthæi 22 dei exiſtimatur,cum principalis mandati hæc ſit profeſſio: Audi Iſrael:Dominus
deus tuus unus eſt deus: Deinde in cõſequenti ſe quidem mandati religione con
ſtituat,cum ad proximi nos dilectionẽ lex, ſicut ad unius domini fidẽ uocaret.Et
quidẽ reſponſio Scribæ nõ eſt negligenda,dicentis: Bene magiſter in ueritate di
xiſti,quod unus ſit deus,nec eſt alius pr̃eter illũ ita diligendus ex toto corde,& ex
totis uiribus,& ex totis uirtutibus,& ex tota anima,& diligere proximũ tanq; ſe
ipſum,hoc maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs.Reſpõſio Scribæ
uidetur cum dictis dei cõuenire, unius dei charitatẽ intimã internamq; profiten
tis, & dilectionẽ proximi ſecundũ propriæ dilectionis ueritatẽ pollicentis, & ſu
per ſacrificiorũ holocauſtomata charitatẽ in deũ & hominẽ intelligẽtis.Sed quod
ſequitur uidendũ eſt: Videns aũt Ieſus quòd ſapiẽter reſpondiſſet, dixit illi: Non
longe es à regno dei. Quid ſibi uult iſta moderatæ reſponſionis profeſſio: cum ho
minem ad cœlorũ regnũ fides iſta cõſummet,unũ deum credere, & eum tota ani
ma,& totis uiribus, & toto corde diligere: proximũ quoq; ita ut ſeipſum amare,
quòd Scriba hic nõ iam in regno dei ſit,ſed nõ longe à regno dei: Sed alia iſtud ſi
gnificatione nudũ ueſtientibus,& ægrotũ uiſitantibus, & eſurientẽ alentibus,ac
ſitientem potantibus,& clauſum carcere frequentãtibus datur: Venite benedicti
patris mei,poſſidete paratũ uobis regnũ à cõſtitutione mũdi: uel illis quibus hæc
pauperies ſpiritus merces eſt:Beati pauperes ſpiritu, quoniã ipſorũ eſt regnũ cœ
lorum. Perfectus hic fructus eſt, & abſoluta poſſeſſio, & præparati regni non
incerta traditio. Aut nunquid adoleſcens minus aliquid horũ confitebatur: Nam
exæquata ad amorẽ ſui dilectione proximi, quid de boni operis conſummatione
nõ egerat: Interdũ enim indulgentẽ officioſumq; eſſe nõ perfectæ charitatis eſt:
Perfectæ cha- Perfecta aũt charitas omne cuiuſq; modi indulgentiæ implebit officiũ,cum nõ re
ritatis officiũ liquerit quod alteri debeat,qui tantũ alteri,quantum ſibi reddat. Sed ignoratione
cõſummati ſacramenti detentũ Scribã, per profeſſionẽ fidei dominus collaudãs,
& non longe eum à dei regno eſſe reſpondens,non tamen eum in ipſa beatæ fidei

poſſeſſione

poſſeſſione conſtituit: Tendebat enim felici curſu,& ſi ignorantem,& prælatum omnibus dilectione dei & proximi,ſuæ ipſum dilectioni exæquauit. Cum tamen & ipſi proximi charitati amorẽ dei prętuliſſet,iam nõ holocauſtomatũ & ſacrificiorum præſcriptis cõtinebatur,non erat longe iſte ab euangelico ſacramento. Et cur nõ longe à regno dei ſit,cum futurus magis in dei regno ſit,ex ipſis domini dictis intelligendũ eſt. Sequitur enim:Et nemo tamen audebat interrogare eum. Et reſpondens dixit in templo docens: Quomodo dicunt Scribæ Chriſtũ filium eſſe Dauid: Ipſe enim Dauid dicit in ſpiritu ſancto: Dixit dominus domino meo,ſede à dextris meis,donec ponam inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorũ. ipſe Dauid dicit eum dominum, & unde filius eius eſt: Non longe ergo à dei regno eſt Scriba, unũ deum cõfitens,qui ultra omnia eſſet diligendus. Sed admonet ſua ipſius profeſſione,cur ſacramentũ legis ignoraret,& Chriſtũ deum filium dei neſciat per natiuitatis naturã in fide unius dei confitendũ. Et quia per unius domini ſecundũ legem profeſſionem dei filio in unius domini ſacramento manere nõ relinqui uidebatur,Scribã admonet,quomodo Chriſtũ Dauid filium diceret, cum Dauid eum dominũ ſuum eſſet profeſſus: nec natura ſineret, ut qui tanti Patriarchæ eſſet filius,eſſet & dominus. Hoc ideo, ut Scriba ſecundũ carnem, & beatæ uirginis partum, quæ ex Dauid eſſet, ſolũ eum intelligens, dominũ potius ſecundũ ſpiritum Dauid meminiſſet eſſe,ꝙ filium. Et quod dictũ eſt: Audi Iſrael,dominus deus tuus deus unus eſt, à domini unius ſacramento Chriſtũ non ſepararet: cum tantus Patriarcha & Prophetes eum, qui ex utero domini ante luciferũ genitus fuiſſet, dominũ ſibi profiteretur: nõ utiq; immemor legis, neq; ignorans dominũ alium non cõfitendum, ſed eum qui naturali ſacramento natiuitatis ex incorporalis dei utero ſubſtitiſſet,abſq; uiolatæ legis fide deũ eſſe intelligendũ, cum unus ex uno, per unius dominiq; naturã habet in ſe naturale quod dñs eſt. Quis ergo nũc etiã relictus eſt ambigẽdi locus: Dñs ipſe pręcipuũ mandatũ legis in unius dñi cõfeſſione ac dilectione docens eſſe, nõ ſuo ad Scribã,ſed Prophetæ teſtimonio uſus eſt, eſſe ſe deũ,dñm ſe tamen per id quod dei filius eſt eſſe ſignificans. Per id enim in ſacramento dei unius per natiuitatẽ manet, quia dei in ſe naturã diuinitas tenens in deũ alterũ nõ excedit diuerſitate naturæ,ne patri adimat,ne nõ dñs ſit,nec filio nõ uel acto perficiat,ne nõ ſit & dominus. Atq; ita neq; autoritatẽ pater amittit, nec naturã filius,& non ita nõ dominus,nõ unus non eſt, neq; unigenitus dominus ſeparatẽ ab uno, cũ ex uno domino unus ipſe ſubſiſtat in dominũ: dominum unũ ita ex lege docens,ut ſe quoq; dominũ Propheta teſte cõfirmet. Tendat per cæteras impiq; furoris propoſitiones fidei Euãgelicæ reſponſio,& his ipſis,quibus impugnatẽ repugnet,& arma excidiq; cõuincens,unius ſpiritus dicta,unius quoq; fidei demõſtret eſſe doctrinã. Neq; enim alius Chriſtus,ꝙ qui eſt prædicatus,deus ſcilicet uerus,et in dei unius ueri gloria manẽs. Et ſicut ſe dñm ex lege,dum negare uideretur eſt profeſſus,ita & in Euãgelijs uerũ ſe dominũ, dum non cõfiteri exiſtimatur,oſtẽdens. Hoc enim ſe dicto eius,ne eum uerũ deũ eſſe Hæretici confiteantur excuſant: Hæc eſt aũt uita æterna, ut cognoſcãt te ſolũ uerũ deũ,& quẽ miſiſti Ieſum Chriſtũ. In eo nanq; quod ait,te ſolũ uerũ deũ,ſeparare ſe à ueritate dei,per exceptionẽ ſolitariq; exiſtimatẽ,cum ſolus uerus deus,niſi ſe tantũ ſolitariũ deũ nõ patiatur intelligi. Et uere iſtud fides apoſtolica non patitẽ, duos ueros deos credit: quia naturæ unius dei nihil alienũ à natura eiuſdẽ exæquandũ ſit ueritatis. Nõ erit em̃ in dei unius ueritate deus unus, ſi extra naturã unius dei ueri alterius & generis,& non ſecundũ natiuitatẽ naturalis ſibi deus uerus exiſtat. Sed ut hoc ipſo eodẽ dicto nõ ambigue ipſe ſe in unius dei ueri natura deũ uerũ ꝓfeſſus eſſe intelligatẽ, à ſuperioribus huic tamen dicto cõtinuatis atq; iũctis profeſſionibus

Mãdatũ præcipuũ legis.

Forte propoſitionibus

reſponſionis noſtræ ſermo deſcẽdat,ut per gradus demonſtratæ fidei, iam in ipſo apice ueri dei Chriſti libertas noſtræ fiduciæ conquieſcat. Poſt ſacramentũ itaq; ſermonis eius quod dixerat: Qui me uidet,uidet & patrem. Et: Non creditis,quia ego in patre,& pater in me eſt,uerba quæ ego loquor uobis,à me ipſo nõ loquor, ſed pater qui in me eſt, ipſe facit opera: credite mihi,quia ego in patre,& pater in me eſt: ſin autem,propter opera ipſa credite. Poſt multiplicem ergo hunc ingenitium myſteriorum ſermonem, ſequitur reſpondentium diſcipulorum ſermo iſte: Nunc ſcimus, quia noſti omnia,& non habes neceſſe, ut aliquis te interroget: In hoc credimus,quia à deo exiſti. Virtutibus in eo dei agẽtibus, naturam quoq; dei intellexerunt. Neq; enim noſſe omnia, & cordium cogitationes ſcire,miſſi à deo potius poſſet eſſe q̃ nati. In hoc ergo ſe credere profitentur quod à deo exierit,quia naturæ in eo dei eſſet poteſtas. Intelligentiam autem eorum collaudans dominus reſpondit,nõ utiq; quòd miſſus eſſet,quòd à deo exiſſet, ſed profectum natiuitatis ex incorporali deo ſub exitionis ſignificatione teſtans: nam & ipſe natiuitatem ſuam ſub exitionis demõſtratione fuerat elocutus dicens: Vos me amatis & credidiſtis,quia à deo exiui, & à patre in hunc mundum ueni. A deo patre in hunc mundum uenerat,quia à deo exierat. Nam ut natiuitatem ſuã in exitione ſignificaſſe intelligeretur, ſubiecit ſe à patre ueniſſe. Et cũ per id à patre uenerit, quod à deo exierit,exitio eius à deo abſoluta natiuitas eſt,quam paterni nominis eſt cõfeſſio proſequuta. Intelligentibus itaq; Apoſtolis hoc exitionis ſacramentum, hoc locutus: Modo creditis: Ecce ueniet hora,& uenit, ut diſpergatur unuſquiſq; in ſua,& me ſolum relinquatis: ſed non ſolus ſum, quoniam pater mecum eſt: ut exitionem illam non alienationem à deo patre doceret eſſe, ſed natiuitatem naturam in ſe dei patris naſcendo retinentem, ſubiecit non ſe ſolum eſſe, ſed patrem ſecum eſſe, uirtute utiq; atq; natiuitate naturæ: cum ſecum pater retineretur manens, eſſetq; in loquente ſe atq; operante & operans & loquens. deinde ut cauſam totius huius ſermonis oſtẽderet, adiecit: Hæc locutus ſum uobis, ut in me pacem habeatis, in hoc uero ſeculo preſſuram habebitis, ſed confidite, quia ego uici mundum. Locutus ergo iſta eſt, ut pacifici in eo manerẽt, neq; diſſenſionum ſtudio ſuper fidei diſputationibus diſſiderẽt. Cumq; ſolus relinqueretur, nõ ſolus eſſet, ut qui à deo exiſſet, eum à quo exiſſet deum in ſe haberet: deinde in ſeculo uexati, patientes eius promiſſionum eſſent, qui mundum à deo exiens, deum ſecum habendo uiciſſet. Poſtremo totius myſterij fidem locuturus, eleuans in cœlum oculos ait: Pater uenit hora, honorifica filium tuum, ut filius tuus honorificet te, ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne quod dediſti illi det eis uitam æternam. An ne tibi infirmus uidetur, cum honorari ſe rogat? Sit planè infirmus, niſi honorificari ſe idcirco poſtulet, ut ipſe honorificet honorãtem. De honore accipiendo & reddendo iam dudum tractauimus, & eadem reuoluere admodum ocioſum eſt. Certe non ambigitur gloriam idcirco poſci, ut glorificetur impartiens. Sed forte in eo imbecillus eſt, quod poteſtatem omnis carnis accepit. Sit quoque acceptio poteſtatis imbecilla, niſi potens ſit illis quibus accepit uitæ tribuere æternitatẽ. Sed in eo ipſo quoq; quod accepit naturæ aliqua infirmitas arguetur: Sit planè acceptio infirmitas, niſi Chriſtus ex natiuitate potius q̃ ex innaſcibilitate deus uerus eſt. Quod ſi acceptio poteſtatis ſola eſt ſignificatio natiuitatis, in qua accepit id quod eſt, nõ eſt infirmitati datio deputanda, quæ totum hoc naſcentem cõſummat eſſe quod deus eſt. cũ enim innaſcibilis deus ad perfectam diuinæ beatitudinis natiuitatem unigenito deo autor ſit, autorem natiuitatis eſſe ſacramentum paternum eſt. Cæterum nõ habet contumeliam, qui ſe autoris ſui imagine gemina natiuitate cõſummat: dediſſe enim poteſtatem omnis carnis, &

Pacẽ habere in mũdo, eſt ſuperſedere diſputationibus

Honorificari filiũ à patre

ad id

ad id dediſſe,ut det ei uitam æternam,habet in dante quod pater eſt, in accipiente quod deus eſt: cum & in eo ſignificetur pater eſſe quod dederit, in eo filius deus maneat,quod uitæ æternæ dandæ ſumpſerit poteſtatem. Naturalis igitur filio & congenita omnis poteſtas ſit: quæ cum data ſit,non alienat eum per id ab autore, quia data eſt, cum quod ſit autoris,hoc datum ſit, dare ſcilicet uitam æternam, & corruptionem in incorruptionẽ mutare. Dedit itaq; pater omnia,& accepit filius omnia.neq; ambiguum eſt,cum dixerit: Omnia quæ patris ſunt,mea ſunt.Et hic quidem non creationum ſpecies,neq; elementorum diuerſas ſubſtitutiones præſens ſermo ſignificat, ſed beatæ atq; abſolutæ diuinitatis nobis gloriam pandens, deum in iſs oſtendit intelligendum eſſe, quæ ſua ſunt in uirtute, in æternitate, in prouidentia,in poteſtate: non quod hæc deus ita habeat, tanquam aliud quid extra iſta eſſe credendus ſit,ſed quod in iſs aliquantula ſenſus noſtri opinione ſignificatum ſit,ipſe quæ habeat unigenitus.Igitur in iſs ſe docens ſubſtitiſſe,quæ patris ſunt,cum ex ſe ſumpturum ſanctum ſpiritum dixiſſet,adiecit: Omnia quæ patris ſunt,mea ſunt, propterea dixi de meo accipiet. Omnia quæ patris ſunt, ſua ſunt: *Omnia patris filij eſſe*
tradita utiq; & accepta,ſed data non infirmant diuinitatem, quæ in iſs eum conſtituunt eſſe quibus pater eſt. Et in iſs nunc gradibus præmiſſæ de ſe intelligentiæ uſus eſt, ut cum ſe à deo exiſſe docuiſſet, ſecumq; eſſe patrem profeſſus ſit, ſecq; mundum uiciſſe teſtatus eſſet, & honorandus à patre patrem honoraturus eſſet, & accepta poteſtate in dando uniuerſæ carni uitę æternitate eſſet uſurus,tum poſtremo omnia hæc tali abſolutione concluſerat: Hæc eſt autẽ uita æterna,ut cognoſcant te ſolum uerum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Vitæ æternæ *Vita æterna quæ*
fidem, uel loqui Hæretice diſce credere, & ſepara à deo Chriſtum, ſi potes à patre filium, à deo uero ſuper omnia deum,à ſolo unum: Vnus enim dominus eſt Chriſtus Ieſus.Si uita æterna eſt in deum ſolum uerũ credidiſſe,ſine Chriſto confitendum eſt ſolum uerum deum ſalutem non dediſſe.Si uero ſeparato Chriſto à ſolo uero deo, in confeſſione ſolius dei ueri uita æterna non capitur,non intelligo quomodo nobis à deo uero ad fidem ſeparandus ſit, qui non ſit ſeparabilis ad ſalutem. Quanquam igitur ſciam moroſas difficultates tantarum quæſtionum legentium deſideriſs graues eſſe, tamen dilata ad modicum totius ueritatis demonſtratione indulgeri mihi exiſtimo, non ſine aliquo fidei profectu. Iis ipſis dictis Euangelicis tecum Hęretice luctantibus,cum audis profeſſionem domini dicentis: Hæc eſt autem uita æterna,ut cognoſcant te ſolum uerum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum,quęro quid ſit quod ſenſum moueat,ne uerus deus Chriſtus ſit? Non enim dico nunc quid de Chriſto crediderís, ſi nõ ſignificatio aliqua alia ſubiecta demonſtrat. Non habes quicquam præterquam Chriſtum Ieſum:nõ filium hominis,ut de ſe ſolet dicere: non filium dei,ut profiteri ei de ſe uſitatum eſt: non deſcendentem panem uiuum de cœlis, quod cum multorum ſcandalo de ſe frequentat,ſed dicens: Habet te ſolũ uerum deum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Omnem enim & prenominis & cognominum ſuorum uel naturalium uel aſſumptorum conſuetudinem prætermiſit, ut confitendus ſolus uerus deus & Chriſtus Ieſus eſſet,ſignificatione qua deus eſt. Sed forte quod ait: Te ſolũ,cõmunionem atq; unitatem ſuam à deo ſeparat.Separet ſanè,ſi non ad id quoq; ait:te ſolum uerum deum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum.Et ſenſum audientis interrogo, quid credendus ſit Chriſtus Ieſus? cũ ad id quod pater ſolus deus uerus credendus ſit, credendus & Chriſtus ſit.Sed ſolus forte pater uerus deus Chriſto nõ relinquit ut deus ſit:Nõ relinquat ſanè, ſi unus deus pater Chriſto nõ relinquat ut unus ſit dominus.Ita ſolus deus pater uerus.Quod ſi unus deus pater Chriſto non adimit ut unus ſit dominus, ita ſolus deus pater uerus Chriſto Ieſu nõ aufert ut deus uerus

ſit

ſit,cum ad uitæ æternæ meritum hoc proficiat, ut cum credatur ſolus deus uerus, credatur & Chriſtus. Quid, rogo, nunc ſtultitiæ tuæ ſenſu Chriſto deputas Hæretice ut eſſe credatur? Chriſto, qui uitam æternam tribuit, qui honorificandus à patre patrem honorificauit, qui mundum uicit, qui ſolus relinquendus ſolus non eſt,ſed ſecum habet patrem, qui à deo exiuit, atq; à patre uenit,quid in tantis uirtutibus nato naturæ ac ueritatis imparties? Solum enim uerum deum patrem inutiliter credimus,niſi credamus & quem miſit Ieſum Chriſtum. Quid hæres? quid moraris? quin Chriſtus cõfitendus ſit,doce. Nam qui quę ſcripta ſunt negas,quid reſtat niſi ut quę nõ ſcripta ſunt credas? O infelix uoluntas,& ueritati obnitẽs falſitas. In fide & cõfeſſione ueri dei patris Chriſtus unitus eſt. Rogo qua fide uerus deus negatus creatura eſſe dicatur, cum fides nulla ſit in ſolum uerum deum credidiſſe ſine Chriſto? Sed anguſtum te,Hæretice, & diuini ſpiritus incapacem cœleſtium dictorum non adit ſenſus, & uipereo inſpiratus errore Chriſtum uerum deum neſcis in fide ſolius ueri dei ad uitæ æternitatem confitendum. Sed eccleſiæ fides ſolum uerum deum patrem confeſſa confitetur & Chriſtum,neq; Chriſtum confitendo non & ſolum uerum deum patrem confitetur, neq; rurſum ſolum uerum deum patrem confeſſa non confitetur & Chriſtũ. Per id enim Chriſtum confeſſa deum uerum eſſe,quod ſolum uerum deum confeſſa ſit patrem, ita quod ſolus pater deus uerus eſt,deum uerum eſſe confirmat & Chriſtum. Non enim unigenito deo naturæ demutationem naturalis natiuitas intulit,nec qui ex ſubſiſtente deo ſecundum diuinæ generationis naturam deus ſubſtitit, ab eo qui ſolus uerus deus eſt,ſeparabilis eſt ueritate naturæ. Tenuit enim natura ueritatis ſuæ ordinem, ut natiuitatẽ ueritas naturalis inueheret,nec alterius in ſe deũ generis deus unus efferret: atq; ita ſacramentum dei nec in ſolitudine, nec in diuerſitate conſiſtit: cum neq; alter deus deputetur, qui ex deo cum naturæ ſuæ proprietate ſubſtiterit,neq; in unione maneat,quem patrem natiuitatis ueritas doceat cõfitendum. Non deſeruit igitur natus deus naturæ ſuæ proprietatem, & naturali in eo uirtute ſubſiſtens eſt,cuius in ſe tenet naturali natiuitate naturam. Nõ enim in eo deus aut demutatus aut degener eſt, cũ ſi quod uitium natiuitas intuliſſet, eius potius naturæ contumelia ſit, per quam natiuitas inhæret, dum quod ex ſe eſt deſineret eſſe quod ſuũ eſt. Atq; ita non eundem mutatio corrumpebat, qui in ſubſtantiam nouam natiuitate ſubſtiterat,ſed eum ita pater exinaniuerat,non ut ille qui in natiuitate filij impotens naturæ ſuæ tenere conſtantiam, externum aliquid à ſe alienumq; genuiſſet. Non eſt autem,ut ſæpe iam cõmemorauimus,in unitate dei patris & dei filij humanarum uitium opinionum,ut ſit uel extenſio,uel feries,uel fluxus,ut aut riuum fons effundat ab origine,aut ramum arbor extendat in caudice, aut calorem ignis emitat in ſpatiũ. Hęc enim à ſe inſeparabili protentione manent potius detenta, quàm ſibi ſint diſtantia, dũ & calor in igne eſt, & in arbore ramus eſt,& riuus in fonte eſt: & hæc ipſa res ſola ſibi res eſt potius, quàm res ex re ſubſtituta ſit: quia non aliud arbor quàm ramus,neq; ignis quàm calor, neq; fons poteſt eſſe quàm riuus. At uero unigenitus deus ex perfecta atq; inenarrabili natiuitate ſubſiſtens deus eſt,ut uera progenies inæſtimabilis dei, eſt & incorporalis naturæ generatio incorporalis, eſt deus uiuus & uerus à uiuente & uero, & inſeparabilis à deo naturæ deus,dum ſubſiſtens natiuitas non alterius naturę deum perficit, neque generatio quæ ſubſtantiam prouehebat, ſubſtantiæ naturam demutauit in genere,ſed diſpenſatione aſſumptæ carnis,& per exinanientis ſe ex dei forma obedientiam, naturę ſibi natiuitatem Chriſtus homo natus intulerat,nõ uirtutis naturæq; damno,ſed habitus demutatione. Exinaniens ſe igitur, ex dei forma

Inutiliter patrẽ credimus niſi & filium crediderimus

Pater uerus deus filium uerum deũ confirmat

ſerui

ſerui formam natus acceperat, ſed hanc carnis aſſumptionem cũ ea qua ſibi natu-
ralis unitas erat patris natura non ſenſerat: & nouitas temporalis licet maneret in
uirtute naturę, quæ amiſſa uidebatur, cum forma dei naturæ ſerui ſecundũ aſſum
ptum hominem unita eſt. Sed ſumma diſpenſationis hęc erat, ut totus nunc filius,
homo ſcilicet & deus, per indulgentiam paternæ naturæ ineſſet, & qui manebat
in uirtute naturę, maneret quoq; in genere naturæ: Id enim homini acquirebat ut
deus eſſet, ſed manere in dei unitate aſſumptus homo nullo modo poterat, niſi per
unitatem dei in unitatẽ dei naturalis euaderet: ut per hoc quod in natura dei erat
deus uerbum, uerbũ quoq; caro factum, rurſum in natura dei ineſſet. Atq; ita ho-
mo Ieſus Chriſtus maneret in gloria dei patris, cũ in uerbi gloriam caro eſſet uni-
ta, rediretq; tunc in naturæ paternæ etiam ſecundũ hominem unitatem uerbum
caro factum, cũ gloriam uerbi caro aſſumpta tenuiſſet. Reddenda igitur apud ſe-
ipſum patri erat unitas ſua, ut naturæ ſuæ natiuitas in ſe rurſum glorificanda reſi-
deret, quia diſpenſationis nouitas offenſionem unitatis intulerat, & unitas, ut per-
fecta antea fuerat, nulla eſſe nunc poterat, niſi glorificata apud ſe fuiſſet carnis aſ-
ſumptio. Et idcirco tanto antea prępparato ad fidei huius intelligentiam ſenſu cum
dixiſſet: Hæc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant te ſolum uerum deũ, & quem
miſiſti Ieſum Chriſtum, ſubiecit ſecundũ diſpenſationem ſuam obedientiam: E-
go te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi ut faciam.
Poſt quæ ut meritum obedientiæ & ſacramentũ diſpenſationis intelligeretur, ad-
iecit: Et tunc clarifica me tu pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſ-
quam mundus eſſet apud te. Qui manere Chriſtum in natura dei denegat, & in-
ſeparabilem eſſe atq; indifferentẽ ſolo uero deo non credit, reſpondeat quæ huius
petitionis ſit ratio. & nũc clarifica me tu pater apud temetipſum. Quid enim cau- *Clarifica me*
ſæ eſt, ut eum pater clarificet apud ſemetipſum? Aut quæ uerbi huius ſignificatio *apud temet-*
eſt, quiue ſignificationis effectus eſt? Pater namq; non eget gloria, nec ſe exinani- *ipſum*
uerat de forma gloriæ ſuæ. Quomodo autem apud ſemetipſum glorificaturus eſt
filium, & ea gloria quam habuit apud eum ante mundi cõſtitutionem? Sed apud
deum habere qui ſenſus eſt? Non enim ait, gloriam quam habebam antequam ſe-
culum eſſet, cũ eſſem apud te, ſed gloria quam habui apud te. Eſſe enim apud te,
conſiſtentem ſignificat: habere autem apud te, naturę ſacramentũ docet. Et glori-
ficabor apud te, nõ idem eſt quod glorifica me. Non enim ſeipſum glorificari tan-
tum ita ut ſibi aliquid ſit propriũ gloriæ rogat, ſed apud ſemetipſum patrem glori
ficari ſe ab eo precatur. Vt enim in unitate ſua maneret ut manſerat, glorificatu-
rus eum apud ſe pater erat: quia gloriæ ſuæ unitas per obedientiam diſpenſatio-
nis exceſſerat, ſcilicet ut in ea natura per glorificationẽ rurſus eſſet, in qua per ſa-
cramentum diuinæ natiuitatis unitus, eſſetq; patri apud ſemetipſum glorificatus,
ut quod apud eum ante habebat maneret, nec alienaret ab eo formæ dei naturam
formæ ſeruilis aſſumptio. Sed apud ſemetipſum glorificaret formam ſerui, ut ma
neret in ſe dei forma: Quia in dei forma manſerat, idem erat in ſerui forma. Et cũ
ſerui forma glorificanda eſſet, in dei forma apud eum ipſum glorificanda erat, in
cuius formam formæ ſeruilis erat habitus honorandus. Non noua uero hæc, ne-
que nunc primum Euangelicis doctrinis cõſignata uox domini eſt, & hoc ipſum
glorificandi filij apud ſemetipſum dei patris ſacramentum pulcherrima ſpei ſuæ
illa gratulatione teſtatus eſt. Dum enim Iuda ad proditionem exeunte, gaudio
conſummatæ ſuæ diſpenſationis elatus eſt, hæc dixit: Nunc honorificatus eſt fi-
lius hominis, & deus honorificatus eſt in eo. Si deus honorificatus eſt in eo, & de-
us honorificat eum in ſe, & deus protinus honorificauit eum: quid limo corporis
graues animæ, & ſordentes peccatis conſcientia facti, cœnoſæq́ue mentes uſque

ad

ad iudicium diuinæ de ſe profeſſionis inflamur, & arbitros nos diuinæ naturæ deputantes, impijs ad deum calumniæ noſtræ diſputationibus bellamus? Quanta enim potuit dominus uerborum ſimplicitate Euangelicam fidem locutus eſt, & in tantum ad intelligentiam noſtram ſermones aptauit, in quantum naturæ noſtræ ferret infirmitas, non tamen ut quicquam minus dignum naturæ ſuæ maieſtate loqueretur. Et primam quidem dicti ſignificationem non ambiguam exiſtimo, cum ait: Nunc honorificatus eſt filius hominis. Gloria enim omnis non uerbo, ſed carni acquirebatur, id eſt nõ natiuitati dei, ſed nati hominis diſpenſationi. Hoc uero quod ſequitur quid ſignificet interrogo, & deus honorificatus in eo? Honorificatum enim in eo deum audio, & quid iſtud ſit ſecundum intelligentiam Hæretice ignoro. Deus in eo honorificatus eſt, in filio utique hominis: ut qui ante filius hominis, idem ſit & filius dei. Et cum non alius ſit filius hominis, neque alius filius dei, uerbum enim caro factum eſt, eum qui filius dei eſt ipſum eſſe neceſſe ſit hominis filium, requiro quis in hoc filio hominis, qui & filius dei eſt, glorificatus eſt deus? Et quia in filio hominis, qui & filius dei eſt, glorificatus deus eſt, uideamus quid ſit hoc quod tertio ſubditur: Si deus glorificatus eſt in eo, & deus honorificauit eum in ſe. Quod iſtud, rogo, ſacramenti myſterium eſt? Deus in filio hominis glorificato glorificatum deum glorificat in ſeſe. In filio hominis dei gloria eſt, & gloria dei in gloria filij hominis dei glorificati in ſeſe. Homo utique non per ſe glorificatur, neque rurſum qui in homine glorificatur deus, licet gloriam accipiat, non tamen aliud ipſe quàm deus eſt. At uero cum glorificato filio hominis glorificans deũ deus glorificat in ſeſe, inuenio naturæ gloriam in gloriam naturæ naturam glorificantis aſſumi: Non enim ſe deus glorificat, ſed glorificat in homine deũ glorificans in ſeſe. Quod autẽ glorificat in ſeſe, licet non ſe glorificet, tamen in naturæ ſuæ gloriam naturam glorificans aſſumit. Et cum glorificans deũ deus, quia glorificatus in homine ſit, glorificat in ſeſe eum quem glorificauit deum in ſeſe demonſtrari, cũ eum glorificat in ſeſe. Affer nunc, quiſquis es Hæretice, flexuoſæ doctrinæ tuæ ineuolubiles quæſtiones, quæ cum ſe nodis ſuis illigent, in nullo tamen hærendi moleſtiam continebunt. Filius enim hominis glorificatur, & glorificatur in eo deus, & deus glorificatum eum in homine glorificauit in ſeſe: Non enim ipſum eſt glorificari filium hominis, quod & glorificari in filio hominis deum, uel glorificare in ſeſe glorificatum in homine deum. Loquere hoc ſecundum impietatis tuę ſenſum uerbis tuis, quid uelis eſſe glorificari in filio hominis deum: utiq; aut Chriſtum neceſſe eſt eſſe qui glorificatur in carne, aut patrem qui glorificatur in Chriſto. Si Chriſtus eſt, deus certe Chriſtus eſt qui glorificatur in carne: ſi pater eſt, ſacramentum unitatis eſt, cum pater glorificatur in filio. Aut Chriſtũ confitendo, deum etiam inuitus loqueris, aut patrem deum intelligendo, naturam dei patris non negabis in Chriſto. Atque hęc de glorificato filio hominis & glorificato in eodem deo dicta ſint. De eo uero quod glorificatũ in filio hominis deum deus glorificat in ſeſe, in quo tandem tibi relictam facultatem exerendæ impietatis exiſtimas, ne ſecundũ naturæ ueritatem uerus deus Chriſtus ſit? Chriſtus enim deus natum hominem glorificat in ſeſe. Nunquid extra ſe eſt quod glorificat in ſeſe? Reddit enim in ſe Chriſto gloriam, quam apud ſe habuit. Et cum in formam dei aſſumptio formæ ſeruilis aſſumitur, in ſe glorificatur glorificatus in homine deus, qui ante euacuantis formæ diſpenſationem in ſe erat, & per formam ſui & natiuitatis unitus. Natiuitas enim non nouę neq; alienę naturę deũ fecerat, ſed naturalis filius patri naturali generatione ſubſtiterat, & cũ poſt natiuitatem hominis glorificatus in homine, in naturæ ſuæ rurſum gloriam clareſcit, in ſe eum deus clarificat, cũ in naturæ paternæ gloriam

Perſpicuitas ſacræ ſcripturæ

ab ea per dispensationem euacuatus assumitur. Concludit autē audacissimum impietatis tuæ furorem apostolica fides, ne cum licentia liberæ intelligentię uageris, quum ait: Omnis lingua confitebitur, quia dominus Iesus in gloria est dei patris. *Philip.* Quem enim in sese pater glorificauit, in his sine dubio intelligendus est esse quibus pater est: cum & in se eum glorificauerit, & in gloria eius sit confitendus. Nō enim hic nunc tantummodo in dei gloria est, sed in gloria dei patris est, neq; pater glorificauit gloria exteriore, sed glorificauit filium gloria in sese: in eam eum quæ sua est gloria resumendo, & in eam gloriam, quam apud eum habuit, & ea gloria eum & apud sese glorificat in sese. Atq; ea gloria ita inseparabilis à fidei huius cōiunctione intelligitur etiam sub hominis humilitate sic dicens: Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christū, cum sine Christo, solo deo patre cognito, uita æterna nō sit, & Christus glorificatus in patre sit. Si autem ea demū uita æterna est, solum uerum deum nosse, & quem misisti Iesum Christum, nō existimetur planè uerus deus Christus, si uita sit in deum credidisse sine Christo: Et quod solus deus pater deus uerus est, non pertineat ad deum Christum, nisi gloria Christi omnis in solo uero deo patre sit. Si enim in se eum glorificat pater, & solus pater deus uerus est, & extra solum uerum deum Christus est, quia glorificatum in deum Christum glorificet, pater uerus deus solus in sese. Et quod à solo uero glorificatur in sese, non alienatur à solo uero, quia in se solo glorificatur à uero. Sed forte piæ huic fidei nostræ impia perfidiæ tuæ occurrat assertio, ut aliena ab intelligentia dei ueri sit hæc necessitatis confessio: Amen amen dico uobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quod uiderit patrem facientem. Si duplicem responsionem duplex Iudæorū indignatio exigit, sit hæc planè infirmitatis professio, nil à se facere filium posse, nisi quod facientem uiderit patrem. *Filium nihil facere nisi quod patrem uiderit facientem* Quod si Iudæis & uiolati sabbati reatum obijcientibus, & æqualitatem in Christo dei per professum sibi deum patrem non ferentibus, sub eodem dicto ad utrunque responsum est, putas ne per confessionem responsionis posse dictorum ocultari ueritatem? Et quanquam in alio libello tractatus hic à nobis locatus fuerit, tamen non modo quia non obest, sed etiam ad religionem proficit retractari, eundem ipsum quia causa postulat reuoluamus. Hinc autem primum responsionis necessitas orta est, & propter hoc persequebantur Iudæi Iesum, & quærebant eum interficere, quoniam hæc faciebat sabbato. Ira itaque eorum usque ad cupiditatem interficiendi eum accendebatur, propter opera sabbato gesta. Sed & uideamus quid dominus responderit: pater, inquit, meus usq; modo operatur, & ego operor. Quod rogo istud opus patris est, Hæretice? demonstra. per filium enim & in filio omnia sunt, uisibilia & inuisibilia, & tu qui ultra Euangelium sapis, necesse est ut alijs alibi arcanorum doctrinis cognitionem paterni nominis adeptus sis, ut operantem nobis patrem ostendas. Quod si pater operatur in filio, secundū quod ipse ait: Verba quæ loquor uobis ego nō loquor, sed pater in me manens ipse facit opera sua: uides ne quid hoc sit: pater meus usque modo operatur? Hoc enim ideo ait, ut paternæ in se naturæ intelligeretur potestas, in sabbati opere potestatis suæ usus natura. Cum in se operante pater operetur, ipse necesse est patre operetur operante, atque ideo ait: Pater meus usque modo operatur, ut ipsum illud hoc præsens dictorum atque gestorum per se opus paternæ in se naturæ existimaretur operatio. Id enim quod usque modo operatur, unum atque idem dicti temporisq; momentum est, ut non aliud aliquod opus esse patris, quàm suum hoc quod agit crederetur: cum per id quod usque modo operatur pater, hæc ipsa esset patris sub eodem tempore sermonis operatio. Ac ne fides intra cognitionem tantum patris relicta uitæ æternæ spei

esset

esset, continuo subiecit: & ego operor, ut hoc ipsum quod modo operatur pater operetur & filius, ac sic perfectam fidem docuit, cum id quod modo est, eiusdem temporis opus sit, & id quod pater operatur, operat̃ & filius, extra singularis dei sit unionem. Deniq; pro captu, pro uiribus, pro fide nostra intueamur deus quid sit, & uideamus an illi possit aliquid comparari. Certe hoc est deus, quod & cũ dicitur non potest dici, cum æstimatur nõ potest æstimari, cum comparatur nõ potest comparari, cum definitur, ipsa definitione sua crescit. Qui cœlum manu sua operit, pugno omnem mundum claudit, quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt, cuius nomini & uirtuti famulantur. Hunc orbis ex ipsa elementorũ sibi succedentiũ momentanea uicissitudine testatur. Ratio quædã est, quæ apud Græcos λόγος appellatur, quæ inter patrem & filiũ personas uel uocabula distinguit, quia ipse filius ratio dicitur, quæ tamen ratio multis nominibus appellatur: modo enim uerbum, modo uirtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo thesaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo agnus, modo homo, modo uitulus, modo aquila, modo leo, modo uia, modo ueritas, modo uita, cum sit deus omnia & in omnibus: Et per hæc uocabula diuinarum dispensationũ mysteria cognoscuntur. Nam & ob hoc Verbum nuncupatur, quia & proprie diuino ore processit, & nihil pater sine eo aut iussit, aut fecit. Virtus dicitur, quia uere de deo, & semper cũ deo, & omnis potestas patris in ipso consistit. Sapientia appellatur, quia de corde patris adueniẽs arcana in cœlestibus reserauit. Dextera nuncupatur, quod per eum omnia opera diuina perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur, quia nihil illo preciosius inuenitur. Thesaurus dicitur, ut in ipso omnes diuitiæ regnorũ cœlestiũ quæ reconditæ sunt, agnoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum, & in ipso de mari seculi, Gentium quasi multitudo piscium in ecclesia congregantur, ubi bonorum malorumq; discrimina cognoscuntur. Aratrum nuncupatur, quia signo crucis suæ Gentium pectora subiguntur, ut necessario semini præparentur. Fons aquæ appellatur, quia ex eo sitientium corda cœlestis aquæ gratia irrigantur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiem præstat. Lapis dicitur angularis, quia utrosq; parietes ueteris ac noui Testamenti, unus mediator in semetipso continens copulauit. Agnus appellatur, ut innocentia Christi, & passio demonstretur. Homo dicitur, quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur, quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila dicitur, quia post uenerabilem resurrectionem, quasi remis alitum ad patrem reuolauit. Idem leo dictus est, quia ipse est rex regum, qui mortem ac diabolum uirtutis suæ potestate comminuit. Via est, quia per ipsum accessum habemus ad deũ patrem. Veritas est, quia mendacium nescit. Vita est, quia ipse uniuersa uiuificat. Vides ergo, quia per hæc uocabula significationes dispositionum & operum diuinorum præostensæ sunt, non tamen ipse deus per hæc proprie definitus est. Est ergo pater deus immensus, ęternus, incomprehensibilis, inæstimabilis, est & filius eius dominus noster tantus, quantus est pater, sed nõ aliunde, sed de patre: quia inquit, de patre exiui, hoc est lumen de lumine. Quod si filium dei, ut iam dictum est, uisum à patribus approbamus, ut non totum in illo quod dei est uideretur, sed dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusq; temporibus complendæ erant, in ipso per imaginem cernerentur: nam filium quis uidere potuit, antequam conspicabilem materiam cum placuit adsumpsit? uel ipsum hominem induere dignatus est? Quia & si Abrahæ uisus est, sed in forma humani corporis uisus est, qua de eius fuerat carne.

Deus quid sit
Ratio filius
VARIA CHRISTI VOCABVLA
Verbum
Virtus
Sapientia
Dextera
Brachium
Margarita
Thesaurus
Rete
Aratrum
Fons
Petra
Lapis angularis
Agnus
Homo
Vitulus
Aquila
Leo
Via
Veritas
Vita

INDEX RERVM IN-

SIGNIORVM APVD HILARIVM.

Aaron primus sacerdos in lege 680
Abraham deum agnouit cũ tres uideret uiros specie similes &c. 53
Abraham adorauit deũ in homine 68
Abrahæ duas promissiones factas 704
Abraham conspiciens uirum, futurum corporationis sacramentũ nouit 54
Absit, quid 387
ἀκατέργασον 701
Achimelech quid significat 460
Actorum locus, multitudinis credentiũ erat cor unum &c. 240
Adoratores ueri 28
Adulterium separat coniugium 338
Adulterium in corde 488
Adulterij crimen tempore Hilarij capitale 730
Aeternum quid 248
ἀλαλαγμός quid proprie 515
Alexãdria male sentiẽs de Christo 106
Alexandria uerbo domini priuata 204
~~Alienis operibus ac meritis nomen iustitiæ~~ 420
Allegoria non excludit sensum historicum 619
Allegoria licet falsa, non improbatur tamen 505
Allegoriæ legis ueteris 559. 566
Allegoricus sensus quomodo querendus 505
Amorræus quid 678
Angelus dei etiam filius dei dictus 53. 57
Angelus ad Agar loquens deus fuit 56
Angelus domini, & deus, idem Ibidẽ
Angelus est nomen officij non naturæ 66. 71
Angelus Christum cõfortauit, uariant codices 203
Angeli ante mundum creati 283
Angeli præsunt orationibus 392
Angeli, spiritus ministerij 658
Angelorum ministerium erga homines 677
Animæ Christi mentio 195
Animam in Christo ponere & resumere cui conueniat 211
Anima deo quomodo tribuitur Ibidẽ
Animæ captiuitas 641
Animæ indumenta 658
Animæ ad inferos descendunt 698
Animæ laquei 714
Animi contagium 558
Annus domini acceptus 513
Antiochus rex à martyre reprehensus 262
Antiochena synodus 268
A patre uenire, quid 95
Apostolorum sapiens imperitia 22
Apostoli sortiti sunt claues regni cœlorum ob diuinitatis Christi confessionem 95. 469
Apostoli sententia Rom. x. Si dixeris in corde tuo declaratur 216
Apostoli quomodo fratres Christi 224
Aquarum mentio 636
Aquæ populos significant 724
Arelatensis synodus 275
Arij dogma 8. & 28
Ariani Antichristi sunt discipuli 25
Arianorum fides circa trinitatem 80
Ariani ὁμοούσιον euitant 265
Ariminensis synodus 282
Articuli Græci uis 225
Ascendo ad patrem meum, locus declaratur 222. 224
Athanasius prædicare Christum prohibetur 264
Auxentij de Christo error 281
Auxentius episcopus Mediolanẽ. 284

B

Baptizare in nomine patris & filij &c. quomodo intelligendum 17
Baptismi ordo apud ueteres 384
Baptismus martyrum 559
Barabbæ interpretatio 429
Basan ciuitas 533

Basan quid 678
Beatus uir quinq; in se habet 440
Beati qui 551
Biterensis synodus 260
Blasphemia in spiritum 426
Bonus pastor sit bonus, simul & doctus 128
Bonus quomodo nemo nisi solus deus 158
Bonitatis dei usus 450
Bonitatis nomen Christus non respuit 159

C

Calumniæ hæreticorum 749
Cameli natura, & quid significet 396
Cananæi qui 382
Canticum quid 437
Canticum psalmi quid 438
Captiosæ quæstiones 7
Carbones desolationis 682
Caro mea uere esca, & sanguis meus &c. 134
Caro spoliata & Christus mortuus 156
Carne se spolians quid Ibidem
Cathedræ pestilentiæ 441
Cædar quid 623
Cellæ septuaginta interpretum 447
Centurio quis fuerit 348
Cerimoniæ abolitæ 6
Chanaan quid 678
Charitas perfecta 163
Charitatis perfectæ officium 752
Charitatis ordo 393
χίμαιρροι 521
Christi incarnatio 26
Christus peculiari modo filius dei 34
Christus naturæ nostræ se attemperauit 746
Christum filium dei esse, necessario credendum 99
Christus sapientia uera ex natura 367
Christum deum, & meum deũ esse 67
Christi conceptionis & partus dignitas 26
Christi uaria epitheta 760
Christus quomodo uiuat per patrem, & nos uiuamus per eius carnem 134
Christi honor est inseparabilis ab honore dei 162
Christi diuinitas 101
Christus est deus nomine, natura, nati-uitate potestate, & professione 109. 111. 112
Christum signauit pater deus 146
Christi exinanitio Ibidem
Christi exitio à deo, quid sit 165
Christus non erat seruus, sed factus est; quomodo intellig. 223
Christus deus, spiritus & uirtus 226
Christus quomodo ab angelo confortatus 203
Christus affuit condendo cœlo 252
Christum à mortuis suscitatum, quomodo intellig. 747
Christum factum de muliere, quomodo intelligendum 256
Christi proprium officium 410
Christi gloria in terris manet 488
Circuncisio duplex 155
Clarificatio Christi quid sit 34
Clauis psalmi 438
Clericis secularia negotia periculosa 442
Cœlum uisibile præteribit 382
Cœli multi 683
Cognosci à deo quid 446
Commori Christo quid 747
Communionem pij cum hæreticis non habent 260
Communis sensus dicit unũ esse in natura, quæ eadem nomina habent naturarum 130
Comparatio ad diuina nulla perfecta 9
Conceptionis Christi dignitas 26
Concordiæ laus 668
Confessio uera 608
Confessio erroris uera 682
Confessio peccatorum qualis esse debeat erga deum 689
Constantium imp. uocat antichristum Hilarius 261
Constantius donat Christianis uectigalia ut à Christo auocet 264
Corpus Christi absq; peccato 197
Corporalis habitatio quæ sit 150
Corporaliter plenitudo diuinitatis in Christo habitat Ibidem
Corporalia docent spiritualia 625

Coruorum

Coruorum pulli quomodo deum uocant 737
Creaturarum præparatio eſt deo coæterna 252
Creatura quomodo Chriſtus 255
Credentium paucitas 308
Crux,fidei eſt documentum 585
Cruce probantur Chriſtiani 608

D

Dandũ omnibus quomodo intellig. 339
Dauidis patientia 473
Dauidis paſſio,Chriſti paſſionis exemplum eſt 474
Deſerere dei,eſt tradere ſatanæ 626
Dei magnificentia & uirtus intelligen/
Deus inenarrabilis 20 (da 3
Deus ſpiritus eſt,quomodo intellig. 28
Deus unus eſt,quomodo intellig. 49
Dei filio proprium 60
Deo patri proprium Ibidem
Deus ſupra terrã quomodo ſit uiſus 61
Deus eſt & uerus deus 67
Deus uideri uoluit homo infirmus antequam naſceretur 69
Deus non per difficiles quæſtiones ad uitam nos uocat 217
Deus nõ intelligit niſi per deum 70
Deum de deo,ex lege & prophetis quo modo confitemur 78
Deus corporali modo quare loquat 87
Deum dari & deum eſſe differt 109
Deus aliquando honoris nomen eſt 110
Deus eſt Chriſtus, unus cum deo ſpíritus 139
Deus quomodo ſciat aut neſciat 182
~~Deus nec mortuus eſt,nec ſepultus 212~~
Deus eſt nomen plenæ & perfectæ díuinitatis 238
Dei in forma eſſe,eſt manere in natura dei 241
Dei ſermo,pro filio dei 251
Deo quæ ſunt reddenda 409
Deus non mutatur etiamſi puniat malos 451
Deus quomodo cognoſcat aut ignoret 446
Deus pios non deſeret 476
Dei non omnia ſcrutanda 557
Deus eſt ubiq; ut anima in membris 612,613
Deus quomodo ubiq; adſit 639
Dei uirtus,officiorum & membrorum habet nomina 657
Deus noſter præ omnibus díjs quomodo intelligendus 675.682
Deus legis & Euangelij unus 690
Díj numeroſi 2
Diaboli miniſteria 627
Diapſalma quid 438
Dies ultimus quare abſconditus 419
Dies pro ætate hominis 461.483
Dies cœpit à ueſpera Iudæis 482
Dilectio dei ſine Chriſto inutilis 410
Díripi regnum cœlorũ quid ſit 366
Dionyſius Mediolanen. epiſcopus 275
Diuina uirtus ex miraculis 32
Diuina neq; abolitioni neq; exordio obnoxia 3
Diuina per fidem aſſequuntur 6
Diuina quomodo contemplanda 209
Diuinis non præiudicat humana intelligentia 241
Diuinitas Chriſti 101
Diuitiarum incommoda 109
Doech mulio Saulis 461
Dolor & timor Chriſti qualis fuerit 192
Domus dei uera 645
Dominus creauit initium uiarum ſuarum,explicatur 250

E

Ebrietatis initium 642
Eccleſiæ fundamentum quod 97.386
Eccleſiæ diſſidium unde 106
Eccleſiam ſyllogiſmi non ſuſtinent 34
Eccleſia in diſſenſionibus fide cõfirmatur 106
Edom quid 688
Effectus quidam noſcuntur, quorũ cauſæ ſunt ignotæ 257
Ego & pater unum ſumus, quomodo intelligitur 40
Eleuſius epiſcopus pius 308
Epiſcopi ſummum officium 127
Epiſcopus eccleſiæ ſit bonus ſimul & doctus 410
Epiſcopus eccleſiæ duplicem curam habet in refellendis falſis doctrinis 129
Error plurimorum periculoſus 79.80
Eſaias diſſectus eſt 261

Esaiæ loci interpretatur 65.73
Esca esurientium 733
Esdra psalmos collegit 434
Esse in forma dei, quid sit 241
Essentia quid 290
Ethnici uenantur honorem apud homines 751
Euacuare potestatem 231
Eusebius Vercellensis episcopus 275
Exire à deo 94
Exire ex deo, & à patre uenire non sunt idem 95
Exire significationem natiuitatis habet non inchoationis 96
Exitio Christi à deo quid 165
Exodi locus: Dedi te deum Pharaoni, quomodo intellig. 109
Ex quo omnia, per quem omnia, quid sit 144

F

Facere opera dei non conuenit creaturæ 119
Fides captiosas quæstiones reijcit 7
Fide præcepta expleamus 17
Fidei officium in trinitate 21
Fidei calor ad respondendum hæreticos incitet 104
[illegible] 277
Fides uera quæ sit 108
[illegible] 215
Fides uera non habet periculum 215
Fidei confessio non sit coacta 274
Fides multæ tempore Hilarij 277
Fides nõ in quæstione philosophiæ 279
Fides uera non est ambigua 341
Fidei uirtus 355
Fides mysteria regni dei percipit 375
Fides ecclesiæ fundamentum 386
Fides aperit prophetiæ recondita 434
Fides & cognitio differunt 582
Filij ratio qualis 20
Filius à patre & in patre quomodo 31
Filius est angelus dei & angelus 53
Filij nomen proprietates adiectas habet 91
Filij natiuitas quomodo intelligenda 113
Filius in patre & pater in filio per uiuentis naturæ perfectam natiuitatem 122
Filius quomodo nescit diem 180
Filius subiectus patri, quomodo 227
Filius quomodo tradet regnum deo patri declaratur 229
Filius primogenitus meus Israël 243
Filius quomodo clarificet patrẽ &c. 35
Finis 229.230 & 459
Fœminę cõstantia & libere dictũ 262
Foliorum quis usus 443.444
Fratres Christi apostoli 224
Fratres Christi qui 374

G

Galaad mons 496
Galatia Christum negat 106
Gallicani episcopi 260
Genealogię eloquia abominatur Christianus 209
Generatio filij non potest per creata comprehendi 251
Generationis ratio in Christo simplex (327
Genesis locus: Faciamus hominem interpretatur 50.51.65
Genuisse deum legimus filios sed sine proprietatis significatione 243
Germinij scientia de Christo 281
Gloria dei per glorificationem humanitatis apparuit 235
Gloriam Christus carni quæsiuit non uerbo 170
Gloria quædam expetenda 460
Græce linguæ utilitas 519.589

H

Habitatio dei 632 & 663
Hæreditas domini 647
Hæreseon origo 8.17.745
Hæreses confortantur 25
Hæreses ex literis sacris oriuntur 316
Hæreticorum testimonia falsè adducta contra trinitatem 45 & 46
Hæreticorum doli in docendo 82
Hæreticis nulla concordia 107
Hæreticorum opiniones de Christo 108
Hæreticorum obiectiones quod Christus non est deus 129
Hæretícorum cauílli Christi diuinitatem negantes 152
Hæretici erroris occasio 154
Hæreticorum obiectiones contra Christum 221

Hęretici damnati reges & principes cõtra pios incitant 266
Hæreticorum astutiæ 282
Hæretici sobrij 509
Hebion photinus 106
Hebionis error 18
Hermon mons 771
Hierachæ error de Christo 47.81
Hierachæ fides 84
Hieremię locus: Non deputabitur alter ad eum enodatur 61
Hilarij confessio fidei 88.89
Hilarij lapsus 196 & 197.206
Hilarius sub quo Cæs. uixit 264
Hilarius in exilium missus est 276
Hilarius origenem secutus 456
Holocaustum quid 520
Homo conditus est ad imaginem patris & filij 65
Homo genitus quomodo maneat in patre gignente 120
Hominem in tria diuidit 302
Hominem mortuum statuta aut felicitas aut pœna excipit 459
Hominibus quomodo placendũ sit 471
Hominis formati triplex perfectio 581
Hominis officium 737
Honor Christi inseparabilis ab honore dei 162
Humana sapientia 149
Humiliatio pijs bona 579
Humilitatis laus 614
Hymni qui 478
Hypocritarum fraudulentia 346

I

Iacob luctatus est cum deo 69
Iactantia à fidelibus procul sit 332
Ianuis clausis uenit Iesus 271
Iesus quid 472.584
Ieiunium uerum 340
~~Ieiunium inutile~~ 612
Ignorantia non excusat 615
Imago dei Christus 147.148
Impietas quid proprie 441
Impietas extrema quę 465
Impius & peccator differunt 441
Impiorum pœnæ 444
Infidelitas ducit in errores 41
In forma dei esse, quid 241
In Ioanne quid contuendum 529
Inimici crucis Christi 232
Inimici qui diligendi 705
Iniquitas quid 658
Ioannis locus cap. 17 Hæc est uita æterna &c. declaratur 36
Ioannis locus de ianuis clausis 38
Ioannis locus: Pater meus usq; adhuc operatur, quomodo intellig. 113
Ioannis locus cap. 14 Domine ostende nobis patrem, enodatur 124
Ioannis locus cap. 6 Caro mea uere est esca &c. declaratur 134
Ioannis locus cap. 17 Hæc est uita æterna declaratur 167.168
Ioanis locus. Non potest filius à se facere quicq; &c. declaratur 172.173
Ioannis locus. Pater maior me est declaratur 697
Ioannis locus. Qui uidit me, uidet & patrem decl. 702
Ioseph aliam uxorem habuit 327
Ira dei quid 451
Israel uerus qui 74
Israël quid & quos significet 74
Iubilum quid 515
Iudæ malitia describitur 709.710
Iudæi Christum filium dei esse uerum confessi sunt 102
Iudæi reiecti 465
Iudæorum superstitio 661
Iudex filius ostenditur ex lege 68
Iudex uiduarum deus quare 526
Iudicia dei quæ scrutanda 557
Iudicij dies quare absconditus 184
Iulianus Cæsar 276
Iustificationes diuersæ 574
Iustitia dei miserãdi uolũtatẽ habet 730
Iustitiæ inanis iactantia 353

L

Lætitiæ causæ uariæ 687
Laqueus spiritualis, & quid differat à scandalo 714
Lazarus quare fletus sit à Christo 210
Lazari mors 752
Lazarum quare Christus defleat 541
Lex uetus cum prophetis quomodo legenda 505
Lex dei quomodo legenda 550

Lex naturalis 600
Lex quid ſit 552.553
Lepra morbum animi deſignat 347
Lex non iuſtificat 159.472
Legis ratio cum uxore demortui fratris
Lex Chriſtum præfigurauit 336 (326
Legis dominicæ meditatio 442
Legis Moſaicæ ſecreta 446
Liberum arbitrium 450.568.598
Liberi arbitrij uires 346.362
Liberi arbitrij uires extenuat 635.& 636
Libertas naturæ eſt uelle in Chriſto 114
Ligare & ſoluere quid 393
Linguæ doloſæ 621
Linguæ Græcanicæ uſus 519
Linguæ humanæ officium 461.462
Loquendi cauſa 261
Lucæ locus cap.18 Nemo bonus niſi deus declaratur 158.159
Lucifer Sardiniæ epiſcopus 275
Lugendum quid ſit 334
Luminis natura 335

M

Magni conſilij angelus 53
Mala quæ proprie 627
Mandatum domini 552.553
Manichæi error 47
Manichæi error de filij natiuitate 83
Manus dei 724
Manus patris eſt manus filij 116
Marcelli error 279
Marcion legem odit Ibidem
Mariam cognouit Ioſeph poſt partum quomodo intellig. 327
Marſorum cantus 488
Matrimonij locum intactum relinquit 394
Matthæi locus cap.16 de petra interpretatur 25
Matthæi locus cap. 16 Tu es filius dei uiui excutitur 97
Matthæi locus uade poſt me ſatana declaratur 387
Matthæi locus. Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem decl. 717
Medij ſoli iudicabuntur 445
Melchiſedech de filio dei mentionem facit 240
Meritum hominis nullum 723
Merces nulla 399
Mentis humanæ ſapientia 149
Memoriale dei 679
Mortem pij optant 719
Mediolanenſes ſacerdotes uexauit Cõſtantius 264.
Minimum quid 364.
Miſericordia matutina 719
Mors domini 638
Montani error 279
Morbis aues quædam uiſæ medentur 581
Morientium conſolatio 193
Mors uiuorum 636
Mors umbræ ſimilis 723
Mors à peccatis liberat 720
Moyſi ex rubo deus filius locutus ẽ 71
Moyſes unum deum prædicans, de filio ſignificat 63
Mundum quidam dicunt eſſe deũ 516

N

Naſci deum quomodo intelli. 222
Naſci ante ſecula deum quid 254.
Natiuitatem intemporalem ſenſus humanus non apprehendit 247
Natiuitatis filij uera intelligentia 113
Natum ſemper eſſe quid 249
Naturam quidam uenerati ſunt 2
Naturę inſtinctus impellit ad uitia 441
Natura ſuperior poteſt in inferiorem deſcendere 745
Neceſſitas an filij ſit 175
Neophytus in ſacerdotem non eligatur 562
Neſcire dei & ſcire 182.183
Neſcit diem filius quomodo intelligatur 180 & 181. 191.192
Niceæ trecenti decem & octo epiſcopi fuerunt 270
Nicena fidei confeſſio 268
Nicolaus falſus propheta 415
Non deputabitur alter ad eum interpretatur 61
Nubes ſunt ſanctorum doctrinæ 736
Numerorum myſteria in pſalmis 435

O

Obedientia mortis non eſt in dei forma 157

Obedientia Christi 312
Oblatio munerum Christo quid signi-
ficet 328
Obsequium amoris differt à timoris
officio 590
Oculi mentis eleuandi sunt 625
Oculi corporis Christi sunt Apostoli
Odium honestum 598 (602
Odium impio est pius 581
Odium religiosum 705
Og quid 678
Ogdoas in Euangelio 436
Olei fructus 340
Omnia quæ patris sunt, mea sunt, quo-
modo intelligitur 149
Oleum peccatoris 482
ὁμοούσιον uitant Ariani 265
ὁμούσιον & ὁμοιούσιον quid 265
Operationes dei per membra nostri cor
poris significantur 242
Operimenta impiorum 709
Opiniones de deo sint religiosæ 3 & 4
Opiniones uariæ de deo 499
Opus dei qui laudent 728
Opus patris, & filij opus, unum opus
dei est 115
Operum demonstratio ingerit fidem
natiuitatis 114
Opera dei facere non potest conuenire
creaturæ 119
Operum uiæ domini an Christus ini-
tium sit 254
Operibus alienis nemo iuuatur 420
Opera nostra qualia esse debeant 672
Opulentia sine ocio fol. 1
Opulentia insolentes facit 465
Orandi modus 718
Orandum secundũ domini uerbũ 569
Oratio fit ex fide 498
Oratio uera 502
Oratio rememorationis 548
Oratio sapientiam acquirit 581
Oratio ex corde fluat 611
Oratio fidei exauditur 710
Orationi promptæ sunt dei aures 478
Orationes quæ despiciantur 479
Orationum armis pugnandum 515
Orationum quatuor genera 711
Oseæ uersus: Saluos faciam illos in do-
mino deo ipsorum &c. 58
Osij impij uita prolongatur 308
Otium sine diuitijs fol. 1
Otium periculosum nocturnæ uigiliæ
P (573
Pannonia de Christo pessime sentit 106
Panis cœlestis sacramentum in fide re-
surrectionis accipitur 354
Panum quinq; incrementum 32
Panem doloris comedere quid 646
Parentes quomodo odio sunt habendi
Participes Christi 226 (598
Partus Christi dignitas 26
Pater natura 8
Patris natura 19
Patris omnia esse filij 755
Patris iussu per filium omnia sunt con-
dita 49
Pater & filius sunt nomina rerum, sed
unum est naturæ possessio 118
Pater & filius unũ sunt nõ unus 122
Pater in filio non tanquam aliud in
alio 126
Pater deus significatur in spiritu dei 137
Pater est maior, sed filius nõ minor 179
Paulus optimus sui interpres 747
Paulus Christum deum esse scribit
uerum 142, 143
Paulus Samosatenus hæreticus 515
Paulus Treuerorum episcopus 264
Pax offerenda 358
Pacis fructus 630 & 631
Pacem habere in mundo quid 754
Pacis utilitas 624
Peccatum quid 658
Peccare in cœlum quid sit 690
Peccatũ in spiritũ sanctũ 344, 371, 372
Peccata Iudæorum uaria narrantur
629, 630
Peccatorẽ quomodo deus occidat 704
Peccatorum uia quid 441
Peccatorum remissio bonitatis dei
est 522
Pedes mentis 626
Pedem nõ dare in commotionem quo-
modo intellig. Ibidem
Periurio lex pœnam posuit 338
Personæ in Christo non sunt confun-
dendæ 693, & 694, 698

Petræ interpretatio 25
Petri locus 381
Petri locus de descensu Christi ad inferna 717
Petrus ædificationi ecclesiæ subiacet 88. 662
Phinees zelus 609
Photinus à Sabellio & Ario dissentit
Photinus Syrmius 268 (108
Photini blasphemia 279
Photini hæresis unde sit orta 316
Pietas in animis 7
Pietas non ambigit de diuinis 216
Piscatores quare in apostolos selecti
Plenitudo diuinitatis in Christo (333
corporaliter 150
Pœnę sensus quatenus in Christo 477
Pœnitentia est à peccatis desinere 457
Pœnitentia peccati 608
Pœnitentiæ uox Ibidem
Pœnitentiæ mentio in ueteri & nouo testamento 691
Populi iudicium in re fidei 275
Populum dei ut cibum panis qui comedant 470
Populi prima ratio 631
Porci hæreticis comparantur 345
Prædicare super tecta 360
Præuaricatores qui 600
Pronomina proprietatem dicunt 90
Propheta quare prædixerit, non solum deum, sed deũ uerũ benedicendũ 73
Prophetarum nomen æditum aliquorũ antequam nascerentur 433
Prophetæ Christum uerum deum esse ostendunt 73
Proprietas cognitionis arguit proprietatem generationis 93
Prouerbiorum usus 651
Prouidentiam dei omnia laudant 741
Psallere quid sit in libro psalmorum 732. 734
Psalmus quid 437. 438
Psalmus cantici quid 438
Psalmi locus unxit te deus deus tuus interpretatur 57. 58
Psalmi 81 locus: Ego dixi dij estis declaratur 118
Psalmorum autores qui certi, qui dubij 433
Psalmi sine titulis Ibidem
Psalmi canunt Euangelicam historiam 434
Psalmorum obscuritas Ibidem
Psalmorum argumenti summa Ibidẽ
Psalmorum uaria diuisio Ibidem
Psalmis lxx addiderunt numeros 435
Psalmorum tituli quid habeant mysterij 437
Psalmi titulus in finem, quid uelit 437
Psalmorum claues 439
Psalmorum intelligentia à persona & in quem 439
Psalmi graduum 620
Psalmos qui cum fructu legunt 628
Psalmorum difficilis intellectus 643
Psalmi Christum præfigurant 693
Psalterium quid sit 435
Psalterium est Christi corpus 435
Psalterium decachordum 725
Puerorum simplicitas 391

Q

Quæstiones captiosæ 7
Quæstionibus difficilibus deus nos nõ uocat ad uitam 217
Qui plantat & qui rigat, unum sunt 131
Quinq; in beato uiro 440
Qui in te est deus &c 59

R

Racha 337
Rachel ecclesiæ typus 328
Regnum Christi sunt beati 254
Regnum cœlorum diripi quid sit 366
Regnum cœlorum pharisæi quomodo claudant 412
Religio falsa placita magis quàm docenda conquirit 189
Religionis sub specie Christum oppugnare grauior est iactura 263
Religiosæ uitæ doctrina 523
Renes uoluptatum causa 700
Repletos nos esse in Christo, quid sit apud Paulum 746
Resipiscentiæ spatium 260
Resurrectio est finis uitæ & mortis 235
Resurrectio credenda 409
Rhamnus quid 489

S

Sabellij error 18
Sabellij error teſtimonijs confutatur 25
Sabellij dogma 47.81.279
Sabellij impia ſcientia 84
Sabellium confutat 107
Sabellius & Ariani quomodo diſſentiant Ibidem
Sacerdotum luxus taxatur 702
Sagittæ domini 622
Sal terræ apoſtoli 335
Salicis ligni natura 686
Salomonis locus. Dominus creauit me declaratur 250
Salus non ex meritis 612
Samaria adorauit uaccas 535
Sancti quare deflent tardam corporum diſſolutionem 623
Sapientia mundi ſtulta 22
Sapientia humana in diuinis iudicare neſcit 33
Sapientiæ opus 367
Sapientia ex timore originem habet 524
Sapientia, qui eſt, filius dei, quomodo dicitur creata 15
Sardicenſis ſynodus 268.299
Satan nihil in hominem poteſt niſi conceditur 331
Satan ignita habet iacula 717
Satan animã hominis curat occidi 720
Satanæ bellum in Dauid & Golia præfiguratur 721
Satanæ compedes 733
Saturninus hæreticus 260
Scandalum ſpirituale quo differat à laqueo 714
σκοινος quid 696
Scripturis diuinis hæretici conuincendi 8
Scriptura perperam intellecta erroribus anſam dat 17
Scripturarum uerus uſus 279
Scripturæ ſacræ perſpicuitas 758
Scripturæ quomodo tractandæ 693
Scripturarum intelligentia dei donum eſt 641
Seleuciana ſynodus 265
Senſus humani imbecillitas 247
Seon quid 678
Sermo dei ab æterno æternus 22.23
Sermo dei pro filio dei 251
Serpentis prudentia 359
Sichima 495
Simon Samaritanus 415
Sion mons 636
Sophiſticæ captiones uitandæ 245
Spiritus ſancti ratio 27
Spiritus ſanctus pro patre & filio nonnunquam intellig. 28
Spiritus ſanctus unus in ueteri & nouo teſtamento 29
Spiritus ſancti officium Ibidem
Spiritus ſanctus à patre procedere, & à filio mitti quomodo intelligatur 136
Spiritus paracleti ſignificatio eſt in ſpiritu dei 138
Spiritus Chriſti idem etiam ſpiritus dei &c. 137.139
Spiritus dei, quid ſignificet 137.138
Spiritus ſancti cauta confeſſio 259
Spiritus blaſphemia nõ remittitur 426
Stare in domo domini 672
Stellæ ortus Magis quid ſignificet 328
Stulta mundi ſapientia 22
Subiectio Chriſti 230 & deinceps 301.305.309
Subſtantiæ tres in deo 47.298
Sudorem ſanguinis Chriſtũ ſudaſſe in aliquibus codicibus non eſt 203
Superbi qui 602
Superſtitio Iudæorum 661
Synagoga modio comparatur 335
Syrmienſis ſynodus 269

T

Temeritas definiendi de Chriſto 213
Templum dei 690
Tempus quid 23
Tempora omnia uel opinione uel ſcientia complectuntur 248
Tertullianum erroris incuſat 340
Teſtimonia contra Sabellium & alios 25
Thomas Chriſtum uerum deum agnoſcit 110
Timentes deum ab errore diu non detinentur 86
Timentes dominũ ſoli exaudiuntur 731

Timor

Timor quid 649
Timor dei bonus Ibidem
Timor mortis in Christo quomodo intelligitur 192 & 193
Tituli psal. quid habeant mysterij 437
Toloſſanam eccleſiam Cõſtantius crudeliter perdidit 264
Topazius lapis 604
Traditio regni 230.233.234
Τρόχγοι 521
Tria in diuinis 297
Triſtitia Chriſti 201.202
Triſtitia quomodo in Chriſto 425

V

Væ uox dolentis 412
Valens hæreticus 260
Valentis error 168.269
Valentini error 47.81
Valentini ridiculum cõmentum 82
Verbum domini ſæpe repetendũ propter noſtram infirmitatem 83
Verbum dei in Ieſu quomodo 195
Verbum habitare in nobis eſt noſtræ carnis aſſumptio 225
Verbi dei miniſterium nihil uenale habeat 357
Verbum dei in quibus 587
Verbum dei ſoli comparatur Ibidem
Veritas intelligitur obiectis falſis detectis 64
Veritas in præceptis eſt dei 585
Verum eſſe, nõ ſeparatur ab eſſe 67
Veſpertinum ſacrificium 711
Veſtis Chriſti diuiſa qd ſignificet 430
Via peccatorum 441
Viæ domini diuerſæ 553
Viæ domini multæ 649
Vigilare dei & dormire quid 626
Vincula fidem impedientia 640
Vinum ex aqua factum 32
Virga inſigne poteſtatis 630
Virga apoſtolica 456.457
Vita æterna quæ 90.755
Vnctio data ob meritum 226
Vnctus Chriſtus ſecundũ carnẽ Ibidẽ
Vnxit te deus &c. interpretatur 57
Vnitas filij & patris quomodo intelligenda 744
Vocationes duæ ex Iſraël 400
Vota qualia debeant eſſe 509
Vrſatij blaſphemia 269
Vrſatius hæreticus 260
Vt anima in mẽbris, ita deus ubiq; 612
Vt & ipſi unum ſint in nobis, quomodo intelligatur 135
Vulpes pſeudoprophetæ 349
Vulpis aſtutia Ibidem
Vulpes eſt ſatan 504

Z

Zabulus pro diabolus 371
Zachariæ ſanguinis ultio 414
Ziphei quid ſonet Hebraice 474
Zona ſine auro & argento 357

FINIS

EXCVSVM BASILEAE IN OFFICINA FROBENIANA PER HIERONYMVM FROBENIVM AC NICOLAVM EPISCOPIVM ANNO M. D. XXXV MENSE AVGVSTO.

INDEX CHARTARVM

aabb abcdefghiklmnopqrstuxyz ABCDEFGHIKLMNOP QRSTVXYZ AaBbCcDdEeFfGgHhIiKkLlMmNnOoPpQq RrSs Omnes terniones præter Rr quaternionem.

ERRATORVM IN HOC OPERE POST AEDITIONEM recognitò caſtigatio, ubi nota ex duobus numeris priore ſignificari paginam, poſteriore uerſum.

Pagina 1. uerſu 9. religioſum. 12.17 affirment. 29.16 uobis. 34.32 filium. 63.18 ordo. 80. 5 tamen. 106.11 prædicaui. 121.29 autem. 122 19 poßit. 127.38 etiam. 147.13 Euangelicæ. 163.21 carcere. 165.39 oſtenderet. 167 ult. proficiat. 168.16 patrem. Ibidē 34 qui in ſubſt. 169.1 potius de. 174.26 facere. 180.10 opinione. 181.14 non. 203.30 permittebat. 205.24 igne. Ibidem 37 hymnis. 206.3 ſentiat. 208.24 exiſtimetur. 209.16 hebetis. 224 de in margine, deus relatiue &c. 226.2 Per. 233.31 regno. 236.25 dele alterum de. 250 in margine, creauit me initium. 286.32 apud. 288.38 ineo. 281.25 gignentis. Ibidē 26 tamen. 294.37 proficit. 297.5 pro agnus, quidam legunt, ambiguus. 308.1 expoſitione. 509. 8 periclitatur. 512. 34 differre. 314.6 autoritate. 315.24 Si. Ibidem 35 autem. 320.20 interrogari. 321.10 miſerere. 348.9 Succedit. 352.23 tuum. 369.16 præſcripto. 373.3 noctibus. 394.1 Neq; enim phas eſt, nos ex præſcripto. 397.25 reſponſione. 400.8 poſſumus. Ibidē 15 inſtruendi cauſa ſint. 402.38 Templum. 408.16 quomodo. 411.5 iudicium. 412.14 longæ. 435.1 rire librum. Ibidem 16 muſici. 439.2 feſtiuus. 440.1 coarguunt. 444 ult. carebunt. 447.35 transferentium. 450.30 idcirco à nobis expetit. 451. 34 conſtitutione. 455. 24 Iſrael. 457. 21 confractio. 460. 4 & 13 Achimelech. Ibidem 6 & 40 Goliæ. Ibidem 9 ſacerdotum. Ibidem 17 imperium. Ibidem ult. eloquenda. 467.26 & 32 Achimelech. 468.24 diluuium. 472. 10 etiam. 476.26 noſtræ, & 28 Quoniam. 477. 27 admittebat. 480. 29 detrahen. 481.3 licet, & 4 amitterent, & 22 ſubiecit. 483.45 contumeliam. Ibidē ult. Neq; enim uel Dauid, uel dominus unius tantum. 485.17 Atq;. 487.10 ſublimius. 489.45 uindictam. 492.8 inſectandi. 500.15 conſeſſus. 564.47 Apoſtolo. 505.18 præſcribitur. 514.36 pſallat. 543.31 Et in ſeruis. 555.7 uias. Ibidē 32 onus, & 53 grauis. 557.34 Euangelia. 562.42 Humiliata eſt. & penult. adhæſit. 593.22 pronuntiationem. Ibidem 39 futurorum. 569.6 ſuſpitio. 570. 6 cognoſcendæ. Ibidem 27 Aaron. 571. 57 obſeruan. 572.10 conſolatur. 574.38 faciem. 575.6 transferemur imaginem. 584.6 itaque cui. 588.45 tribulationum. 590.11 uarietate. 591.39 iunior. 594. 41 dele alterum illud. 619.17 negotio. & 20 Achimelech. 673.30 tardum. 685.24 meus. 692.17 humilia de prope &c. 707.25 laqueum captioſæ. 716.33 quaſe. 725.26 Non pro Nam.



FRO BEN.




2270


OP, D HIERJ